BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE
13
23 D
6

A III a 15

Digitized by Google

13.94.c.16

Digitized by Google

TRACTATVS
DE EXEMPTIONE
REGVLARIVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS DE EXEMPTIONE REGVLARIVM

Tàm ex iure antiquo, quàm ex nouo deſumptus.

In quo omnes ferè quæſtiones, & controuerſiæ, quæ inter Epiſcopos, & Regulares oriri ſolent, Doctorum auctoritate, & rationibus breuiter reſoluuntur.

Auctore

P. D. FRANCISCO CESPEDES
Clerico Regulari natione Hiſpano S. T. P.

Cum duplici Indice, vno Capitum & Dubiorum, altero Rerum notabilium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pertinet ad locum S. Franci



VENETIIS, Apud Paulum Baleonium. MDCXLVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. GREGORIO CARAFÆ

Clericorum Regularium Præpoſito Generali.

AVthorem operis in puſillo admirabiliter magnum, & opus ipſum in molis paruitate, virtutis eximiæ portendens inſignia concepiſſe. Hæc duo Reuerendiſſime Pater, mihi fata dedere feliciter adſpirantia. Vnum ſupererat æquali ſorte quærendum, & pari mentis affectu exoptandum: Te patrem, te patronum, te Iouem inuenire, ſub cuius afflatu, quod naſcebatur, excreſceret; & quod pullulabat germen honoris, tuæ paternitatis gloriæ vmbra obſtetrice, ad perfectæ laudis incrementa perueniret. Hoc fuit in votis meis, in votis authoris, immò ipſius operis adhuc ſub prælo ſine luce lugentis, quod à tanto ſapientiæ numi-

ne

Digitized by Google

ne iam vbique terrarum adhuc decantantibus typis euectæ, ſerenatam lucem expoſceret; ne tantus labor tanti ingenij acumine perſolutus alicubi iaceret inglorius. Excipe ergo virtutum parens hæc pura virtutis libamina, & in muneris ſingularitate reſpice dicantis affectum, dum tibi, & operi perennem precor fælicitatem.

Reuerendiſs. Paternit. Tuæ

Addictiſſimus Seruus

Paulus Baleonius.

Digitized by Google

Ad Diuum Nicolaum Epiſcopum.

REgulares, quos quandoque in hoc opuſculo meo ab Epiſcopis exemptos feci, a te beatiſſimo Patre, a te Sanctiſſimo Epiſcopo, a iure patrocinij tui eximere non tentaui. Ius enim omne, quod prima regula in Regulares omnes habet abſolutum participatum tenet verus primæ Regulæ ſectator, veræ ſanctitatis propugnator, veræ regularitatis inſtitutor. Tuam ergo ſanctiſſime Pater in hoc opere meo iuriſdictionem appello, tuam inuoco protectionem & me tibi cum regularibus omnibus hic affectus pietate ſubijcio, quod alibi iuris æquitate ſubtraxi.

Auctor Lectori S. D.

QVid dices amice Lector, dum hunc tractatum excurres? Vt quid (inquies) nouus hic tranſcriptor appa-ret? auctoribus, non collectoribus caret hæc ætas. Hæc, & ſimilia in me abſque dubio proferes. Sed ſiſte, nec inaudita parte, opus non benè lectum condemnes. Collegi (fateor) in vnum quod videbam circa hanc materiem apud doctores diſperſum; ſed multa de nouo aduerti, multa diſtinxi, quæ anteà nec expenſa, nec diſtincta erant. Accipe ergo grato animo, non maleuolo, quod in tui commodum labore præſtiti non mediocri. Regularis, nil mirum, ſi vt plurimum Regularium partes teneam: Epiſcopos tamen, vt debeo, veneror; & licet amicus Cato, amica tamen magis eſt veritas. Quamplurimos inuenies errores, exeuntes tamenè typis, quorum multi ſenſum euertunt, multi Priſcianum feriunt. Hos pagella in fine poſita, vt moris eſt, non corrigo, ne magis pateat impreſſorum incuria: corriget enim, vt ſpero, tua humanitas, & benignitas; Vale.

Liber

LIber, cui Titulus eſt, De Exemptione Regularium, tum ex Iure veteri, & Nouo, editus à P. D. Franciſco Ceſpedes S. Theol. Doctore, fuit à me diligenter expenſus ex Mandato Adm. R. P. D. Gregorij Carafæ Præpoſiti Generalis: nihilque in eo offendi, quod vel fidei orthodoxæ, vel bonis moribus ſit aduerſum. Immò ſolidè, ac tuta doctrina refertum: ita vt nemo ſit qui nequeat illum inoffenſo pede percurrere. Quare ad communem omnium vtilitatem exiſtimo illum typis committendum. Sic teſtor Romæ Kal. Martij 1646.

D. Auguſtinus de Bellis Cler. Reg. S. T. Profeſſor, ac S. Congregationis Indicis Conſultor.

EX commiſſione Adm. R. P. D. Gregorij Carafæ noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis Librum P. D. Franciſci Ceſpedes noſtræ Congregationis Theologi cui Titulus De Exemptione Regularium ex iure nouo, & veteri, expendi, & nihil in eo reperi, quod fidei, aut bonis moribus aduerſetur, quapropter dignum duco, vt typis mandetur, in communem omnium vtilitatem, cum & doctrina Auctoris, & ſacri iuris peritia commendetur. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in ædib. S. Andreæ de Valle III. Idus Aprilis M DCXLVI.

D. Zaccharias Paſqualigus Cler. Reg. S. Th. P.

D. Gregorius Carafa Præpoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium.

HOc Opus inſcriptum, De Exemptione Regularium ex iure nouo, & veteri, à P. D. Franciſco Ceſpedes noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, cum iuxta præfixam aſſertionem PP., quibus id commiſimus, fuerit approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas Damus Romæ in Ædibus noſtris Sancti Siluestri Montis Quirinalis V. Idus Maij MDCXLVI.

Gregorius Carafa Præp. Gen. Cong. Cler. Reg.

D. Ioannes Montoya Secr.

Digitized by Google

INDEX

Cap. & Dub.

QVO AD MONASTERIORVM EDIFICATIONEM.

Caput. I.

AN licenntia Epiſcopi requiratur ad hoc vt Regulares fundare poſſint Monaſteria. Dub.1.

An preter conſenſum Epiſcopi requiratur conſenſus ſummi Pontificis ad erigenda noua Monaſteria. Dub.2.

An Epiſcopus debeat conuocare alios Regulares, dum Congregationes Clericorum Sæcularium de nouo erigun-tur. Dub.3.

An Epiſcopus poſſit non vocare alios Regulares, dum noui Regulares introducuntur. Dub.4.

An Epiſcopus etiam in fundatione Monaſterij Monialium debeat facere, quod facit in fundatione Monaſterij virorum. Dub.5.

An ad ædificando Hoſpitia requiretur conſenſus Epiſcopi. Dub.6.

An Regulares poſſint mutare Monaſterium de loco, ad locum ſine facultate Epiſcopi. Dub.7.

An ſufficiat licentia Epiſcopi ſine conſenſu aliorum Regularium ad erectionem Monaſterij, quod ob redditus, eſt tutum de victu, &c. Dub.8.

An cum Summus Pontifex concedit Eccleſiam Regularibus poſſint dicti Regulares ſine conſenſu Epiſcopi ſumere poſſeſſionem. Dub.9.

An Refectio Monaſterij poſſit fieri ſine conſenſu Epiſcopi. Dub.10.

An Regulares amittant priuilegium mutandi Monaſterium, vel ædificandi abſque licentia Epiſcopi (ſi illud habent) ex non vſu per decennium. Dub.11.

An Regulares poſſint vnire Monaſteria ſine licentia Diæceſani. Dub.12.

An Regulares qui ſponte dimmittunt Monaſterium aliquod, ſi vellint illud occupare requiratur licentia Epiſcopi. Dub.13.

An Regulares retinere poſſint illos conuentus pro quorum facta fundatione nequeunt oſtendere conſenſum Epiſcopi. Dub.14.

An Epiſcopus poſſit mutare Eccleſiam Regularem in ſecularem. Dub.15.

An Laici ſine licentia Epiſcopi poſſint regularibus Eccleſias concedere. Dub.16.

An Regulares poſſint ædificare Monaſterium iu loco Exempto ſine conſenſu Ordinarij. Dub.17.

An cum conſenſu Epiſcopi poſſinr executores teſtamentarij cõſtituere Monaſterium Regularium in loco, in quo teſtator iniſerat Hoſpitale fieri. Dub.18.

An Epiſcopus poſſit quem cogere ad vendendum fundum pro redificatione Monaſterij, pro clauſtro, & Scholis fabricandis, Dub.19.

An Epiſcopus ſe ſolo poſſit dare Regularibus Eccleſias derelitas. Dub.20.

An ſoli Epiſcopi, vel alij etiã poſſint dare facultatem conſtruendi Monaſteria. Dub.21.

An

An Religioſi Exempti qui fundant Monaſterium cum facultate Epiſcopi, ſed cum conditione vt ei ſubſint conſtructo Monaſterio ſubiecti ſint Epiſcopo. Dub.22.

An ſi Epiſcopus nõ ſeruata forma in Decreto Clementis VIII. contenta det facultatem conſtruendi monaſterium valida ſit conceſsio. Dub.23.

QVO AD NOVITIOS
Cap. II.

An Epiſcopi debeant informationes capere nouitiorum Recipiendorum. Dub.24.

An Epiſcopus poſſit prohibere Regularibus nequis in Conuerſum vel Oblatum recipiatur ſine ipſius licentia. Dub.25.

An Epiſcopi habeant iuriſdictionem in Nouitios Regulares in caſibus in quibus habent poteſtatem in alios Regulares profeſſos. Dub.26.

Quinam ſit Ordinarius Nouitij. Dub.27.

An Nouitij incidant in caſus reſeruatos ab Epiſcopo. Dub.28.

An ſi Nouitius degens extra clauſtra delinquat poſſit ab Epiſcopo puniri ſicut alij profeſſi. Dub.29.

A quo Epiſcopo debeant ordinari Nouitij. Dub.30.

An illi qui admittuntur a Regularibus ante pubertatis annum gaudeant priuilegijs Nouitiorum. Idem de hoſpitibus Noſtræ Congregationis quęritur. Dub.31.

An ſoli Epiſcopi vel etiam pręlati Regulares poſſint facultatem concedere Nouitijs renuntiationem faciendi. Dub.32.

An aliquando donatio Nouitij intra duos menſes facta ſine conſenſu Epiſcopi ſit valida. Dub.33.

Quando Epiſcopus poſſit compellere Regulares per pænas, vt reſtituant bona accepta a Nouitijs. Dub.34.

An quod Nouitius dat in ingreſſu Religionis debeat reſtitui, & poſſit ad hoc Epiſcop. cogere Regulares. Dub.35.

An non obſtante Nouitiatu poſſit Regularis inſtitui ad beneficium iuris patronatus ad quod fuit præſentatus. Dub.36.

An Ordinarius poſſit proſequi litem, quam incepit Nouitius vt exemptus coram ſuo iudice. Dub.37.

An Epiſcopus poſſit compellere Regulares vt admittant ad profesſionem Nouitium quem ſine cauſa volunt dimmittere. Dub.38.

An Epiſcopus debeat dare dimmiſſorias Nouitijs, qui ad minores ordines promouentur. Dub.39.

An Nouitius, qui in ſeculo erat Parrochus poſſit audire, vt antea confeſſiones ſæcularium ſine noua approbatione. Dub.40.

QVO AD PROFESSIONEM
Cap. III.

An Epiſcopus poſſit admittere Regularem ad profesſionem. Dub.41.

An ſolus Epiſcopus, vel eius Vicarius poſſint reclamantem Regularem audire ſine Prelato Regulari. Dub.42.

An ob omnia impedimenta irritantia profeſſionẽ debeat coram Epiſcopo male profeſſus reclamare. Dub.43.

Quinam ſit Ordinarius Regulariũ apud quem debeant reclamare intra quinquennium. Dub.44.

An Regularis poſſit cauſam ſuæ Profeſſionis nullæ per procuratorem proſequi Dub.45.

An

An ſi reclamans carceretur a ſuis Prę-latis poſſit appellare ad Epiſcopum. Dub.46.

An Apoſtatę poſſint reclamare ob inua-lidam Profeſſionem coram Epiſco-po. Dub.47.

An poſt quinquenium profeſſus inuali-de ob infirmittatem, vel crimina poſ-ſit reclamare, & an coram Epiſcopo. Dub.48.

An Epiſcopus debeat eſſe index, dum Profeſſus in ſecunda Religione recla-mat pro hac ſecunda Profeſſione in-ualida. Dub.49

An etiam Prælati Regulares poſſint, & debeant reclamare coram Ordinario dum volunt nulliter Profeſſum dimit tere. Dub.50.

An Profeſſus reclamans ſi habitum di-miſſum re aſſumat poſſit audiri ab Or-dinario. Dub.51.

An Profeſſio Monialis facta abſq; præ-uio examine Epiſcopi ſit valida. Dub.52.

An Epiſcopus poſſit excomunicare prę-latos, & Moniales exemptas quæ ad-mittunt ad Profeſſionem Nouitiam quæ ſponſalia contraxerat nec fiat examinata. Dub.54.

An Epiſcopus poſſit cogere Regulares vt dent ſua bona Religioſo dimiſſo per diſpenſationem Pontificum, ſtan-te Profeſſione valida. Dub.55.

An Epiſcopi licentia requiratur vt li-cite coniuges profeſſionem faciant. Dub.56.

An Coniux Profeſſus qui tamen poſſit reuocari propria authoritate exire poſſit ſine Epiſcopi licentia, & reuo-catione. Dub.57.

An Epiſcopus poſſit reuocare e Mona-ſterio Profeſſum Coniugem vt reſti-tuatur alteri coniugi manenti in ſæ-culo cum voto caſtitatis cum pericu-lo incontinentiæ. Dub.58.

An Epiſcopus poſſit reuocare Profeſ-ſam coniugem quando manens in ſę-culo nullum emiſit votum. Dub.59.

An Epiſcopus poſſit procedere contra Regulares qui iniuſte detinent coniu-gem profeſſum. Dub.60.

An Clericus vel alius qui emiſit votum Religionis poſſit cogi ab Epiſcopo ad executionem voti. Dub.61.

QVOAD ORDINES. *Cap. IV.*

An Regulares proprium habeant Epi-ſcopum quo ad Ordinationes, & quis nam ſit. Dub.62.

An Epiſcopus in cuius Diæceſi ſitum eſt Monaſterium debeat, & poſſit Ordi-nare Nouitios. Dub.63.

An Epiſcopus inquirere poſſit de Nata-libus, ætate, & moribus Ordinando-rum. Dub.64.

An Epiſcopus poſſit ordinare Regularē qui linguam latinam non benè calet, & tantum ſit legere. Dub.65.

An Epiſcopus poſſit ordinare Regulares ſine Dimiſſorijs Prælatorum. Dub.66.

Quid Regularis Ordinandus debeat af-ferre Epiſcopo ordinanti. Dub.67.

An Regularis VltraMontanus poſſit ab Epiſcopo Italo ordinari virtute ſolū Dimiſſoriarum Prælatorum. Dub.68.

An Epiſcopus, vel Prelatus Proprius de-beat Dimiſſorias concedere dum Re-gulares accedunt ad alienum Epiſco-pum pro Ordinibus. Dub.69.

An Epiſcopus qui non eſt proprius, dū ordinat Regulares præter litteras Dimiſſorias Prælatorum debeat ha-bere inſtrumentum Curiæ Diæceſani. Dub.70.

An Epiſcopus poſsit Examinare Regulares qui ad Ordines accedunt. Dub.71.
An dum Epiſcopus ponit alium qui vice ſua ordinet poſsint Regulares a quolibet Epiſcopo ordinari. Dub.72.
Quiſnam Epiſcopos debeat ordinare Regulares nullius diæceſis. Dub.73.
An Epiſc. poſſit ordinare Regulares qui irritam Profeſsionem emiſerunt dum reclamant. Dub.74.
An Regulares eiecti poſsint ordinari, & a quo Epiſcopo. Dub.75.
An Epiſcopus poſsit ordinare Regulares ante debitam ætatem. Dub.76.
An Epiſc. poſsint ordines conferre in Eccleſijs Regulariū ipſis inuitis. Dub.77.
An Regulares poſſint in ſuis domibus ordinari ſine licentia diæceſani quando diæceſanus non ordiat. Dub.78.
An Epiſcopi diæceſani cōſenſus, & dimmiſſotiæ ſufficiant, vt Abbates, qui poſſunt ordinare ordinent non ſubditos. Dub.79.
An Epiſcopus poſsit ordinare Regularē, quem ſcit non eſſe profeſſum, videt tamen accedere ad Ordines. Dub.80.
An Epiſcopus debeat diſpenſare cum Regularibus ſuper interſtitijs. Du.81.
An Epiſcopus poſsit ordinare Regulares extra tempora. Dub.82.
An Capitulum ſede vacante poſsit dare facultatem alicui Epiſcopo vt ordinet Regulares. Dub.83.
An ad Epiſcopum pertineat in dubio declarare defectum corporis vitiati, ob quem Regularis nequit ad ordines promoueri. Dub.84.
An ab Epiſcopo debeat diſpenſari, vt promoueatur ad Ordines Regularis modicè corpore vitiatus. Dub.85.
An excommunicatio lata ab Epiſcopo contra ſuſcipientes ordines liget Regulares. Dub.86.
An Epiſcopus poſsit in vna, & eadem die Regularibus duos ſacros ordines conferre. Dub.87.
An Epiſcopus poſsit ordinare ad Diaconatum Regularem qui habet ſolum teſtimonium ſuorum Prælatorum, quod ſit ordinatus ad Subdiaconatū non autem litteras Epiſcopi qui ordinauit, & idem dic de alijs ordinibus. Dub.88.
An Regulares modo non obſtante decreto Clementis VIII. poſsint ab Epiſcopo originis ordinari. Dub.89.
An Epiſcopus hoſpes in aliena diæceſi poſſit ordinare Regulares ſine licentia diæceſani, quando non ordinat, vel quando mortuus eſt ſine licentia Capituli. Dub.90.

QVO AD CELEBRATIONEM MISSARVM
Cap. V.

Quid poſsit Epiſcopus in Regulares, quo ad celebrationem Miſſarum in Oratorijs priuatis. Dub.91.
An Regulares poſsint in Oratorijs priuatæ domus diuino tantū cultui dedicatis celebrare cum licentia Epiſcopi. Dub.92.
An Regulares infirmi in domibus ſæcularīu poſſint facere celebrare, vbi iacent, & degunt ſine licentia Epiſcopi. Dub.93.
An ſtante, quod Epiſcopus poſsit dare licentiam celebrandi per aliquot vices in oratorijs, &c. tunc Regulares ab eo debeant illam petere. Dub.94.
An Epiſcopus viſitare poſsit Regulares ad videndum, an ſatisfecerint obligationibus Miſſarum. Dub.95.

An

An Epiſcopus poſsit procedere contra Regulares qui Miſſas celebrant anticipate pro primo ſtipendiũ daturo. Dub.96.

An ſi concedatur Priuilegium Epiſcopo vt reducat onera miſſarum ſuæ diœceſi poſsit etiam hoc beneficium impartiri Regularibus. Dub.97.

An Regularis, qui validè ſuſpenditur ab Epiſcopo incurrat irregularitatem celebrando ſi appellauit a ſuſpenſione. Dub.98.

An Epiſcopus poſſit præcipere Regularibus ne permittant Sacerdotes exteros in ſuis Eccleſiis celebrare ſine eiuſdem Epiſcopi licentia. Dub.99.

An Regularis qui duas Miſſas celebrat ſingulis diebus poſſit ab Epiſcopo puniri. Dub.100.

Quomodo Epiſcopus debet admittere Regulares itinerantes, qui volunt celebrare Miſſas. Dub.101.

An Regulares ſubijciantur Epiſcopo, quo ad Miſſarum celebrationem in his omnibus quę habentur in Concilio Tridentin. *Seſſ.22.cap.8. de Sacrific. Miſſæ.* Dub.102.

An Regulares poſſint in oratorijs priuatis alicuius domus celebrare ſolum cum licentia ſuorum Prelatorum. Dub.103.

QVO AD SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONEM Cap. VI.

An Regulares a ſolo Epiſcopo posſint ad Confesſiones approbari. Dub.104.

An liberum ſit Epiſcopo ſine examine approbare ad confesſiones Regulares. Dub.105.

An Regulares audire posſint in confesſione peccata venialia ſine approbatione Epiſcopi. Dub.106.

An ſaltem Prælati Regulares posſint audire confesſiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi. Dub.107.

An Epiſcopus ſine aliqua cauſa poſsit approbare Regulares pro confesſionibus ad tempus, eoſque ad libitum reprobare. Dub.108.

An Epiſcopi poſsit iterum examinare Regularem confeſſorem, qui mutauit domiciliũ & iterum redijt. Dub.109.

An Epiſcopi poſsint ſuſpendere ſimul omnes Regulares vnius conuentus etiam cum cauſa. Dub.110

An Regulares approbati a Vicario Vrbis ad confesſiones debeant extra poſtea ab Epiſcopis examinari. Dub.111.

An Regulares extra Italiam poſsint abſoluere a reſeruatis Epiſcopo. Dub.112.

An Regulares posſint abſoluere a cenſuris reſeruatis Epiſcopo. Dub.113.

An Epiſcopus poſsit ſibi reſeruare plures caſus reſpectu Regularium, quam Parrochorum, & aliorum confeſſorum ſecularium. Dub.114.

An dum Epiſcopus in aliquibus ſolemnitatibus concedit facultatem Parrochis abſoluendi a ſibi reſeruatis cenſeatur eandem gratiam facere Regularibus. Dub.115.

An Epiſcopi poſsint reſtringere Regulares confeſſores, vt tantum in ſuis Eccleſijs recipiant cõfeſsiones. Du.116.

An Regularis pręſentatus, & iniuſte ab Epiſcopo non admiſſus ad confeſsiones poſsit adhuc eas audire. Du.117.

An Regulares omnes poſsint abſoluere Sacerdotes ſeculares quando Epiſcopus aſsignat pro eorum confeſſoribus certos Regulares. Dub.118.

An

An Regulares Parrochi amoti à Parrochijs vel a ſuperioribus, vel ab alio poſſint audire confeſſiones ſine noua approbatione. Dub. 119.

An Regulares approbati ab Epiſcopo in vna diœceſi cenſeantur approbati in omnibus diœceſibus. Dub. 120.

An Regulares approbati in vna diœceſi poſſint ſubditos illius diœceſis vbique audire. Dub. 121.

An Regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſint audire cōfeſſiones Equitum, Alcantaræ, Calatrauæ, & Sancti Iacobi, Sancti Stephani, & ſimilium. Dub. 122.

An Capitulum ſede vacante poſsit reuocare facultatem audiendi confeſsiones, quā habent Regulares. Dub. 123.

An Epiſcopus poſsit ad examen cogere illos regulares, qui ſine examine ſunt ab eo approbati. Dub. 124.

An Regulares poſsint ſuis hoſpitibus, & familiaribus ſeruis, & cæt. miniſtrare Sacramenta ſine Parrochi, aut Epiſcopi licentia. Dub. 125.

An Epiſcopus poſsit procedere in Regulares qui miniſtrant Sacramenta prohibita miniſtrari in Clement. *Religioſi*. Dub. 126.

An Regularis eiectus, ſi miniſtret Sacramenta contra dictam Clement. incidat in excōmunicationem. Dub. 127.

An Epiſcopo poſsit prohibere ne Sacerdotes ſæculares adminiſtrent Euchariſtiam in Eccleſijs Regularium ſuis ouibus. Dub. 128.

An Regulares poſsint inconſultis Parrochis miniſtrare Euchariſtiam per modum viatici. Dub. 129.

An Regulares poſsint miniſtrare Euchariſtiam in priuatis oratorijs ſæculariū contradicēte Epiſcopo. Dub. 130.

An conſuetudine immemorabili poſsit Parrochus acquirere ius extrahendi Euchariſtiam ab Eccleſijs Regulariū ad vſum ſuarum ouium. Dub. 131.

An Regulares publicè poſsint Sacramētum Euchariſtiæ exponere adorandum ſine licentia Ordinarij. Dub. 132.

An Parrochi licentia neceſſario requiratur, vel ſufficiat Epiſcopi, vt Regulares laicis miniſtrent Sacramenta quæ prohibet miniſtrari. *Clement.* Dub. 133.

An liceat Religioſis ſuſcipere infantes ſiue eſſe patrinos in baptiſmo ſolemniter collato ſine licentia Epiſcopi. Dub. 134.

An Regulares ſine Epiſcopi licentia, vel ipſo contradicente poſsint exorcizare. Dub. 135.

An Epiſcop. tēpore peſtis poſſit cogere Regulares, vt Sacramenta infectis adminiſtrent. Dub. 136.

An Epiſcopus ſolus, vel etiam alij Prælati poſsint cognoſcere de cauſis matrimonialibus. Dub. 137.

An Epiſcopus poſsit præcipere Regularibus vt dum infirmum graui morbo audiunt in confeſsione Parrochum admoneant. Dub. 138.

An Epiſcopus poſsit taxare pænitentias Regularibus confeſſoribus, quas debeant imponere pænitentibus. Dub. 139.

An Epiſcopus poſsit approbare Regulares ad confeſsiones, dum eſt excommunicatus vitandus. Dub. 140.

An Generales Ordinum debeāt eſſe approbati ab Epiſcopo per examen, vt audire poſsint confeſsiones ſæcularium. Dub. 141.

An Regulares poſsint abſoluere, a cenſuris, & caſibus reſeruatis Epiſcopo ſiuè a iure communi, ſiuè a ſpeciali, puta ſynodali conſtitutione. Du. 142.

An

An Regulares certis diebus, quibus indulgentias habent plenarias in ſuis Eccleſiis poſſint abſoluere a reſeruatis Epiſcopo. Dub.143.

An Epiſcopus poſſit cogere Prælatos Regulares vt iurent in ſcriptis a ſe præſentatos eſſe idoneos, quo ad litterarum ſufficientiam. Dub.144.

An Regularis profeſſus, qui antea erat Sacerdos approbatus ad confeſſiones ab Epiſcopo, puta Cremonenſi poſſit poſtea ſine noua præſentatione Prælatorum audire in eadem ciuitate confeſſiones, & frui priuilegijs, quæ habent reliqui cõfeſſores Regulares. Dub.145.

An Regulares tempore Paſchatis teneãtur dare ſchedulas, in quibus fides habetur confeſſionis factæ; & an ad hoc poſſint cogi ab Epiſcopis. Dub.146.

An confeſſor Regularis incurrat pænas latas ab Epiſcopo contra non obſeruantes aliquos ritus circa confeſſiones audiendas. Dub.147.

An quando Epiſcopus ſuſpendit confeſſores Regulares a confesſionibus, ipſo facto ſint ſuſpenſi. Dub.148.

An dum eſt dubium, ſint ne confeſſores præſentati a Prælatis neceſſarij ſpectet ad Epiſcopum decidere eſſe neceſſarios. Dub.149.

An dum Epiſcopus ex aliqua cauſa reuocat approbationem Regulari datam ac confesſiones debeat hęc cauſa pròbari. Dub.150.

An Epiſcopus poſsit punire confeſſarios Regulares alibi approbatos audientes confeſsiones in ſua diæceſi virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ. Dub.151.

QVO AD SACRAMENTALIA Cap. VII.

Quid poſsit Epiſcopus in Regulares, quo ad Sacramentalia. Dub.152.

An modo Epiſcopis diæceſanis recuſantibus conſecrare Eccleſias Regulariũ, poſsint a quocumque Epiſcopo conſecrari. Dub.153.

An Epiſcopus poſsit in locis exemptis Regularium ſolemnes benedictiones, & diuina officia celebrare. Dub.154.

An ſolus Epiſcopus poſsit aquam benedicere qua Eccleſia polluta poſsit reconciliari. Dub.155.

An ab Epiſcopo debeat fieri profanatio Eccleſiarum quas Regulares relinquunt. Dub.156.

An Abbates debeant benedici ab Epiſcopis. Dub.157.

An ſint Prælati aliqui qui poſsint conſecrare calices,& patenas. Dub.158.

QVO AD PARROCHOS Cap. VIII.

An Epiſcopus poſsit promouere ſe ſolo Regulares ad Parrochiales Eccleſias. Dub.159.

An Parrochi Regulares ſint ſubiecti in omnibus Epiſcopo, dum habent Parrochiam ſæcularem. Dub.160.

A quo debea puniri Parrochus Regularis delinquens. Dub.161.

An Epiſcopus poſsit amouere Regulares Parrochos præſentatos a Prælatis. Dub.162.

An Regularis inſtitutus ad curã animarũ poſsit reuocari ad Monaſteriũ a Prelatis inuito Epiſcopo. Dub.163.

An Epiſcopus debeat conferre per concurſum beneficia Regularia curata. Dub.164.

Quomo-

Quomodo ſe extendat Epiſcopi poteſtas in viſitando Eccleſias Parrochiales Regularium. Dub. 165.

An Epiſcopus poſſit viſitare curatum in Eccleſijs Regularium, quando ſuperiores Regulares habent iuriſdictionẽ temporalem in Parrachianos. Dub. 166.

An Epiſcopus ſolus debeat aſſignare cõgruum ſalarium Religioſis ſeruientibus beneficijs ſeu Eccleſijs Parrochialibus. Dub. 167.

An Epiſcopus poſſit concedere Eccleſiã Parrochialem Regularibus de conſenſu Capituli. Dub. 168.

An ſi Parrochus Regularis ſit negligens tempore peſtis in adminiſtrandis Sacramentis poſsit Epiſcopus illam Parrochiam ſecularem facere. Dub. 169.

An Epiſcopi *ſtante breue Pij V.* poſſint auferre a Regularibus populos aliquos Indorum, & partem curę ab Eccleſia Parrochiali Regularium. Dub. 170.

An Epiſcopus poſſit examinare Parrochos Regulares, dum alios ſimplices confeſſores examinat. Dub. 171.

An Prælatus Regularis Præfectus Monaſterij quod annexam habet Parrochiam poſſit ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones. Dub. 172.

An Regulares, qui officium Parrochi exercent poſſint vagos ſine licentia Epiſcopi coniungere Matrimonio. Dub. 173.

An Regularis Parrochus cogi poſſit ab Epiſcopo vt accedat ad proceſſiones. Dub. 174.

An Epiſcopus mandare poſſit Parrochis Regularibus, vt accedant ad congregationem caſuum conſcientiæ. Dub. 175.

An Epiſcopus poſsit modo ad libitum deputare Vicarios perpetuos in beneficijs curatis vnitis Monaſterij. Dub. 176.

An Epiſcopus debeat dare licentiam Parrocho Regularis, vt abſit a Parrochia, vel hoc ſpectet ad Prælatum, qui eum pręſentauit. Dub. 177.

An Quando Parrochia eſt annexa monaſterio omnes Regulares, qui ſunt de gremio Capituli ſint Parrochi. Dub. 178.

An Regularis, qui cum diſpenſatione ſummi Pontificis eſt Parrochus Parrochiæ ſæcularis poſsit abſque noua Prælati licentia ad aliud beneficium Parrochiale aſſumi. Dub. 179.

An Parrochi Regulares poſsint promittere obedientiam Epiſcopo in his quæ ad curam animarum ſpectant. Dub. 180.

An dum Parrochi Regulares delinquũt in ſuo officio poſsint puniri a Prælatis nullius diæceſis in qua ſunt, & delinquunt Dub. 181.

QVO AD BENEFICIA
Cap. IX.

An Epiſcopus in defectu Regularium poſsint beneficia Regularia dare ſæcularibus, quando ipſe eſt ordinarius collator. Dub. 182.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum Regulari, vt ſit capax beneficij ſimplicis. Dub. 183.

An Epiſcopus poſsit vnire Monaſterio beneficium aliquod. Dub. 184.

An laici poſsint dare ius patronatus Religioſo loco ſine conſenſu Epiſcopi. Dub. 185.

An ſine licentia Epiſcopi poſsit Nouitius beneficium, quod habet renunciare. Dub. 186.

Quo-

Quomodo ſe gerere debet Epiſcopus cũ Regularibus quo ad prębẽdam Theologalem. Dub. 187.

An Patronus poſſit trahere coram Epiſcopo Regularem, quem pręſentauit, ſi delictum aliquod circa beneficium commiſit dictus Regularis. Dub. 188.

An Epiſcopus, qui conceſsit Eccleſiam Regularibus, & habebat fructus in ea poſſit facta donatione recipere dictos fructus, dum in donatione nullam de eis fecit mentionem. Dub. 189.

An Quando Abbatia eſt incorporata Epiſcopatui, ea quæ mortuo Epiſcopo ſunt bona ex Abbatia ſint Monaſterij, aut quis ſuccedat in eis. Dub. 190.

An Regulares inſtituere poſsint ad beneficium curatuum, quando pleno iure habent iuriſdictionẽ in Eccleſiã ſine concenſu Epiſcopi. Dub. 191.

Quid poſſit facere Epiſcopus, dum Regulares Patroni præſentant ad Eccleſiam Parrochialem. Dub. 192.

An Canonici Regulares etiam modo cũ ſola licentia Prælatorum poſſint promoueri ad beneficia curata ſæcularia ab Epiſcopo. Dub. 193.

QVO AD CONCIONES.
Caput X.

An Epiſcopus poſſit examinare concionatores Regulares de doctrina. Dub. 194.

An Epiſcopus poſſit, & debeat exigere profeſsionem fidei a concionatoribus Regularibus dum in alienis Eccleſijs volunt concionari. Dub. 195.

An Regulares, qui ſine licentia, vel benedictione Epiſcopi pręd icant poſſint ab eo puniri. Dub. 196.

An Regulares poſſint prædicare in ſuis Eccleſiis dum Epiſcopus non prædicat, ſed alium facit prædicare in Cathedrali. Dub. 197.

An Parrochus ſolus poſſit dare facultatem Regularibus, bis, aut ter in propria Parrochia concionandi. Dub. 198.

An Regulares dum volunt concionari in proprijs Eccleſijs extra Aduentum, & Quadrageſimam teneãtur benedictionem petere. Dub. 199.

An Epiſcopus poſſit prohibere, ne Regulares prædicent in ſuis Eccleſijs. Dub. 200.

An Regularis concionator ſemel admiſſus ab Epiſcopo teneatur iterum coram eodem ſe præſentare, & nouam licentiam obtinere. Dub. 201.

An Epiſcopi poſſint admittere Prædicatores Regulares ad conciones, qui viuunt extra clauſtra, & obedientiam Prælatorum. Dub. 202.

An Epiſcopi poſſint ſuſpendere Regulares a concionibus tantum in caſibus a iure expreſsis. Dub. 203.

Quomodo debeat intelligi Concilium Tridentin. *Seſſ. 24. cap. 24. de Reformat.* dum habet quod nullus Regularis prędicet contradicente Epiſcopo. Dub. 204.

An Regularis vnius ordinis poſſit prędicare in Eccleſia alterius ordinis cum ſola Epiſcopi benedictione. Du. 205.

An Epiſcopi poſſint præcipere Regularibus vt cum certo quodam habitu concionentur. Dub. 206.

QVO AD PROCESSIONES
Caput XI.

An Regulares ſubſint Epiſcopo, quo ad proceſsiones. Dub. 207.

An Regulares debeant vocari ad proceſſiones perſonaliter, vel ſufficiat, ſi vocentur per Edictum Epiſcopi. Dub. 208.

An ob numerum, vel diſtantiam nequeant aliquando Epiſcopi cogere Regulares ad proceſsiones. Dub. 209.

An Regulares, qui ex conſuetudine nõ ſolent accedere ad proceſsiones poſſint cogi ab Epiſcopo, vt accedant. Dub. 210.

An Epiſcopus poſsit conuocare proceſſiones in Eccleſijs Regularium. Dub. 211.

An Regulares poſsint facere proceſsiones extra Eccleſiam ſine licentia Epiſcopi. Dub. 212.

An Epiſcopus poſſit compellere Regulares ad proceſſiones pro oratione 40. horarum vel pro Indulgentijs. Dub. 213.

An Epiſcopus poſſit obligare ad proceſſiones Recollectos quos dicunt. Dub. 214.

An Epiſcopus debeat præcedere Prælatos Regulares in proceſſionibus, quę fiunt in Monaſterijs. Dub. 215.

An Epiſcopus poſſit decidere controuerſias ortas inter Regulares in proceſſionibus. Dub. 216.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares nolentes accedere ad proceſſiones. Dub. 217.

An tunc ſolum teneantur Regulares ad proceſsiones accedere, quando Epiſcopus perſonaliter in eis reperitur. Dub. 218.

QVO AD SEPVLTVRAS
Caput. XII.

Quid poſsit Epiſcopus in Regulares quo ad ſepulturas. Dub. 219.

QVO AD HONOREM EPISCOPO DEBITVM
Caput. XIII.

An Regulares teneantur venerari Epiſcopos ſub mortali. Dub. 220.

An Oblationes factæ Epiſcopo celebrãti in loco exempto Regularium, ſint Epiſcopi vel loci. Dub. 221.

An Epiſcopi poſſint erigere Baldachinũ in locis exemptis Regularium. Dub. 222.

An Regulares poſſint cogi ad ſtandum, dum examinantur coram Epiſcopis. Dub. 223.

QVO AD ECCLESIAS, ET DOMOS
Caput. XIV.

An ſtatutum ſynodale Epiſcopi vim habeat in Eccleſijs Regularium. Dub. 224.

An ſtatuta Epiſcoporum habeãt vim in loco non exempto etiam in eos, qui ſunt exempti. Dub. 225.

An Epiſcopus poſſit punire, qui delinquerunt in loco exempto, dum exeũt ab illo, & redeunt ad locum non exẽptum. Dub. 226.

An Ieiunia indicta ab Epiſcopis obligent Exiſtentes in Monaſterijs Regulariũ. Dub. 227.

Quid poſſit Epiſcopus circa facultatem extrahendi reos ab Eccleſijs Regularium. Dub. 228.

An Epiſcopus poſſit concedere Indulgentias Eccleſijs Regularium. Dub. 229.

An Epiſcopus degens in Monaſterijs tempore vacationis beneficij vti poſſit alternatiua. Dub. 230.

An Clerici, vel alij delinquentes in Monaſterijs Regularium poſſint dum ibi

Digitized by Google

exiſtunt puniri ab Epiſcop. Dub. 231.

QVO AD VISITATIONEM Caput. XV.

An Epiſcopus poſſit viſitare Monaſteria Regularium, & qualiter hoc poſſit facere. Dub. 232.
An ſolus Epiſcopus, & non alius ſit ille qui ex vigore Tridentini. *cap.* 8. *Seſſ.* 7. *de Reformat.* poſſit viſitare loca exempta Regularium. Dub. 233.
An quando Epiſcopus intendit viſitare Monaſterium exemptum teneatur oſtendere litteras delegationis. Dub. 234.
Quomodo Epiſcop. poſſit viſitare confraternitates laicorum ſitas in Eccleſijs Regularium. Dub. 235.

QVO AD DELICTA Caput. XVI.

An Epiſcopus in defectum Prelati negligentis punire Regulares ſubditos, poſſit illos punire Dub. 236.
An Epiſcopus punire poſſit Regulares qui delinquunt notoriè, cum ſcandalo &cæt. & extra monaſterium, dum tamen in eo viuunt. Dub. 237.
An Epiſcopus poſſit Regulares delinquentes vt ſupra extra clauſtra, &c. detinere in ſuis carceribus donec delicti informationes capiãtur. Du. 238.
An Epiſcopus poſſit punire Regularem in propria Eccleſia delinquentem notorie cum ſcandalo, &c. Dub. 239.
Quid debet facere Epiſcopus dum Prælatus Regularis notorie, &c. delinquit extra clauſtra. Dub. 240.
An Epiſcopus poſſit immediate punire Regulares delinquentes, qui viuunt extra clauſtra. Dub. 241.
An Regularis, qui extra clauſtra degit ſine licentia, quem tamen Prælatus curat reducere ad clauſtra ſi delinquat poſſit ab Epiſcopo puniri. Dub. 242.
An proprius etiam Prælatus, vel ſolum Epiſcopus poſſit punire Regularem extra clauſtra degentem, & delinquentem. Dub. 243.
An Epiſcopus poſſit immediate punire Regularem, qui ſine licentia per ſuam Diœceſim vagatur ex vi Tridentin. *Seſſ.* 25. *de Regul. cap.* 2. Dub. 244.
Quem terminum debet Epiſcopus aſſignare Prelato Regulari ad punitionẽ ſubditi delinquentis notorie &c. Dub. 245.
An Prælati Regulares propria auctoritate poſſint ſuos ſubditos captos ab Epiſcopis recuperare. Dub. 246.
An Regulares tranſgreſſores ſacrorum canonum poſſint ab Epiſcopis generaliter coerceri, & puniri. Dub. 247.
An Epiſcopus poſſit procedere in Regulares, quãdo committunt crimina depoſitione digna. Dub. 248.
An Epiſcopus poſſit punire, & coercere Regulares illicitas negociationes exercentes. Dub. 249.
An Regularis, qui habet aliquod officiũ ab Epiſcopo poſſit ab illo puniri ſi, delinquat in tali officio. Dub. 250.
An Regulares, qui delinquunt coram Epiſcopo & ordinario poſſint ab eo puniri. Dub. 251.
An Epiſcopus poſſit punire Regulares abutentes priuilegijs, quæ habent. Dub. 252.
An Epiſcopus ex vi diſpoſitionis concilij poſſit etiam punire equites Sancti Ioannis Hieroſolymit. delinquentes. Dub. 253.

An Epiſcopus poſſit punire Superiorem Regularem in ſuo Monaſterio qui ſine cauſa non mandat haberi lectionem Sacræ Scripturæ. Dub. 254.

An ſi Regularis executor teſtamentarius delinquat in hoc officio poſſit puniri ab Epiſcopo. Dub. 255.

An Epiſcopus poſſit procedere, & punire Regulares falſos monetarios. Dub. 256.

An dum Epiſcopus poteſt, & vult punire Regularem delinquentem, poſſit dictus Regularis appellare ad Metropolitanum. Dub. 257.

An Epiſcopus poſſit punire Regulares qui ſibi Epiſcopalia arrogant. Dub. 258.

An Parrochus Regularis delinquens extra pertinentia ad Parrochiam ſit puniendus ab Epiſcopo vel a ſuis Prælatis. Dub. 259.

An Epiſcopi poſſint punire Regulares, dum eis non conceditur talis punitio, etiam in caſibus, in quibus eis ſubduntur. Dub. 260.

An Epiſcopus poſſit cognoſcere Regulares exemptos de vſuris. Dub. 261.

An ab Epiſcopo debeat puniri Nouitius Regularis, vel a ſuis Prælatis ob delicta commiſſa. Dub. 262.

An profeſſi contra conſtitutionem Sixti V. qui ante ingreſſum delinquunt poſſint puniri ab Epiſcopo dato quod eſſent clerici. Dub. 263.

An Epiſcopus poſſit punire alia pœna confeſſores Religioſos delinquentes circa miniſterium confeſſionis, quam pęna ſuſpenſionis ab eiſdem confeſſionibus. Dub. 264.

An Regulares delinquens cum clerico, puta furans, occidens, & ſimilia faciens debeat puniri ab Epiſcopo, vel a Prælato Religionis. Dub. 265.

An Regulares de hęreſis crimine culpabiles debeant puniri ab Epiſcopo, vel a ſuis Prędatis. Dub. 266.

QVO AD CONVENTIONEM
Caput XVII.

An Regulares poſſint conueniri coram Epiſcopo in cauſis ciuilibus, mercedū & miſerabilium perſonarū. Dub. 267.

An coram Epiſcopo poſſint conueniri Regulares ratione officiorū publicorum quæ ab illo habent. Dub. 268.

An Regulares exempti hæredes laici nō exempti conueniri poſſint ab Epiſcopo dum agitur de hęreditatem. Du. 269.

An Regularis qui cum clerico delinquit poſſit conueniri, & examinari ab Epiſcopo. Dub. 270.

An coram Epiſcopo Regulares citati debeant oſtendere exemptionis priuilegia. Dub. 271.

An ſi Regulares examinantur ab Epiſcopo ſine licentia Prędatorum valeat eorum depoſitio. Dub. 272.

An Epiſcop. poſſit acceptare querelam Regulari contra alterum corregularem. Dub 273.

QVO AD CENSVRAS
Caput XVIII.

An Epiſcop. poſſit excōmunicare Regulares, dū eis ſubduntur. Dub. 274.

In quibus caſibus poſſint Regulares excommunicari ab Epiſcopis. Dub. 275.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares qui ſine eius licentia concionantur. Dub. 276.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares audientes confeſſiones ſæcularium ſine eius licentia. Dub. 277.

An

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares qui abſoluunt a caſibus reſeruatis Epiſcopo. Dub.278.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares quando non obſeruant cenſuras Eccleſiaſticas. Dub.279.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares qui degentes extra clauſtra delinquunt, vel degentes intra delinquunt extra notorie, &cæt. Dub.280.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui ſunt deſtinati ad regendas Eccleſias ſuorum Monaſteriorum, ſi delinquant. Dub.281.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares habentes curam animarũ ſi in hac delinquant. Dub.282.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares dum commorantur in Abbatijs, Prioratibus, & ſimilibus, vbi nõ viget Regularis obſeruantia. Dub.283.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares qui adminiſtrant Sacramenta Euchariſtiæ Exrremæ vnctionis, & Matrimonij ſine licentia Epiſcopi. Dub.284.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares dum in cauſis Sanctæ Inquiſitionis delinquunt. Dub.285.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum delinquũt in Caput *Cupientes de Pœnis in Clement.* Du.286.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Prelatos Regulares permittẽtes egredi Moniales etiam exemptas ſine eius licentia. Dub.287.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares qui ſuſcipiunt ad habitum Moniales ſine licentia eiuſdem. Dub.288.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui publicant Indulgentias impetratas a Summo Pontifice ſine eius licentia. Dub.289.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares executores vltimarum voluntatũ ſi in hoc delinquant. Du.290.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum ei ſubſunt in reconuentione. Dub.291.
An Regulares lacerantes cedulones affixos per Epiſcopum incidant in excõmunicationem latam ab Epiſcopo contra lacerantes, &c. Dub.292.
An excommunicatio lata in ſynodis cõtra male abſoluentes confeſſarios liget Regulares. Dub.293.
An Epiſcopus poſſit interdicere Regulares, & eorum Eccleſias. Dub.294.
An Epiſcopus poſſit declarare Regulares excommunicatos, dum incidunt in excommunicationem. Dub.295.
An Nouitij poſſint excommunicari ab Epiſcopis. Dub.296.
An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares impedientes reuocationẽ coniugis, qui inualide fuit profeſſus. Dub.297.

QVO AD ABSOLVTIONES, ET DISPENSATIONES.

Caput XIX.

An Regulares ſubijcere ſe poſſit Epiſcopo in foro pænitentiali. Dub.298.
An Regulares excommunicati a proprijs Prelatis poſſint abſolui ab Epiſcopo. Dub.299.
An Prælati poſſint abſoluere ſuos ſubditos excommunicatos ab Epiſcopis in caſibus in quibus eos poſſunt excommunicare. Dub.300.
An ingrediens religionem ſi ante ingreſſum fuit excommunicatus ab Epiſco-

Digitized by Google

po debeat ab illo abſolui, vel poſſit à Prælato. Dub.301.
An ſoli Epiſcopi poſſint abſoluere Regulares à ſuſpenſione ob aſſiſtentiam factam matrimonio ſine eius facultate. Dub.302.
An Epiſcopus poſſit abſoluere ab excommunicatione Regularem, fugitiuum. Dub.303.
An Epiſcopus poſſit abſoluere Regularem, qui alterum Regularem percutit. Dub.304.
An Epiſcopus poſſit abſoluere Regularem, qui percutit Clericum ſæcularem. Dub.305.
An Epiſcopus poſſit diſpenſare Regulares in Irregularitatibus, in quibus poteſt ſuos ſubditos. Dub.306.
An Epiſcopus poſſit irritare vota Religioſorum. Dub.307.
An quando Epiſcopi ſib i reſeruat commutationem in votis poſſint Regulares commutare, & diſpenſare talia vota. Dub.308.
An Regulares commutantes, & diſpenſantes in votis cum ſæcularibus debeant eſſe approbati ab Epiſcopo. Dub.309.
An nouitij percutientes Regularem profeſſum debeant abſolui ab Epiſcopo, vel à Prælatis Regularibus. Dub.310.

QVO AD FESTA ET IEIVNIA. Cap. XX.

An Regulares teneantur ſeruare feſta voto à populo facta, ſed confirmata poſtea ab Epiſcopo. Dub.311.
An Regulares obligentur ieiunijs, indictis ab Epiſcopo. Dub.312.
An Moniales teneantur ſeruare ieiunia indicta ab Epiſcopo. Dub.313.
An Epiſcopus poſſit cogere Regulares, vt in eorum Eccleſijs publicent feſta, & ieiunia. Dub.314.

QVO AD EIECTOS ET APOSTATAS. Cap. XXI.

An Regularis eiectus debeat obedire Epiſcopo. Dub.315.
An Regulares habitu Religioſo priuati, & ad triremes damnati ſubſint Epiſcopo. Dub.316.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares Apoſtatas. Dub.317.

POST ALIQVAS PONTIFICVM CONSTITVTIONES. Cap.XXII.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt Bullam Gregorij XV. quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater de Conſeruator.* Dub.318.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt decretum de mandato Gregorij XV. circa promouendos ad tonſuram, & ordines minores in Regno Neapolitano. Dub.319.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt decretum Gregorij Decimiquinti circa Conceptionem Beatæ Mariæ. Dub.320.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili* de exemptorum priuilegijs. Dub.321.
Quid poſſint Epiſcopi, & Ordinarii Regulares poſt aliquas Vrbani VIII. Conſtitutiones, & Decret. Dub.322.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares-monaſterios poſt ConſtitutionemVrbani VIII. quæ incipit *In ſuprema.* Dub.323.
Quid poſſit Epiſcopus in Regulares per Con-

Conſtitutiones, & Clementis VIII. & Pauli V. Quorum prima incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*. Anno 1602. in altera eodem modo 1605. Dub. 324.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares Aſtrologos per Conſtitutionem Vrbani VIII. quæ incipit *Inſcrutabilis*. Dub. 325.

QVO AD MONIALES.
Cap. XXIII.

An Regulares poſſint ſine facultate Sũmi Pontificis ſubdere Ordinario Moniales ſibi ſubditus. Dub. 326.

An Epiſcopus poſſit inuitis Monialibus recipere aliquem in Monialem ad profeſſionem. Dub. 327.

An ab Epiſcopo debeat explorari volũtas puellarum, quæ habitum Religionis aſſumunt, & in ea profeſſionem emittunt. Dub. 328.

An Monialis poſſit ad ſtrictiorem Religionem tranſire ſine licentia Epiſcopi, vel cum tali licentia dum ei ſubditur. Dub. 329.

An Abbatiſſa, & Moniales validè accipiunt profeſſionem nouitiæ dum Ordinarius in exploranda illius voluntate iudicat illam indignam, & ſic prohibet Monialibus ne eam recipiant. Dub. 330.

An ad ſolum Epiſcopum ſpectet Moniales conſecrare. Dub. 331.

An Moniales teneantur obedire Epiſcopos, & Ordinario ex vi voti obedientiæ. Dub. 332.

An ſpectet ad Epiſcopum adſtringere Moniales ad obſeruantiam clauſuræ. Dub. 133.

An puellæ poſſint abſque licentia Ordinarij admitti intra Monaſterium ad ſuſcipiendum habitum Religioſum. Dub. 334.

Quando Epiſcopus, & Ordinarius ingredi poſſit Monaſteria Monialium ſibi ſubditarum. Dub. 335.

An Epiſcopi munus ſit concedere facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium. Dub. 336.

An puellæ manantes in Monaſterijs exemptis ſubiaceant Ordinario. Dubio 337.

Ad quem ſpectet dare facultatem accedendi ad Moniales exemptas. Dubio 338.

An Regulares accedentes ad loquendum cum Monialibus incurrunt in cenſuras ſtatutas ab Ordinarijs. Dub. 339.

An Epiſcopi poſſint accedere ad loquendum cum Monialibus ſine facultate Ordinarij, aut Superioris Monialium. Dub. 340.

An Moniales poſſint facere in proprijs Eccleſijs celebrare Miſſam abſque licentia Ordinarij, & Superioris. Dubio 341.

An Epiſcopus poſſit intrare clauſuram Monialium pro conſecratione, ſeu benedictione dictarum Monialium. Dub. 342.

An Epiſcopi, & Ordinarij locorum poſſint viſitare Monaſteria Monialium, quæ ſubiectæ ſunt Regularibus, & hoc ratione clauſuræ. Dub. 343.

An Moniales ſubditæ Epiſcopo gaudeant priuilegijs ſui Ordinis, quibus gaudent Regulares viri exempti. Dub. 344.

An Epiſcopus poſſit dare Confeſſores extraordinarios Monialibus, quæ ſubduntur Regularibus. Dub. 345.

An Generales Regularium alijque Prælati debeant ab Epiſcopis etiam apro-

probati pro audiendi confeſſionibus Monialium ipſis Regularibus ſubditarum. Dub.346.

An Moniales per ſuos Confeſſarios Ordinarios abſolui poſſint a quinq; caſibus à Clemente VIII. reſeruatis, & à reſeruatis per ipſum Ordinarium. Dub. 347.

An Moniales ab his caſibus reſeruatis debeant abſolui a ſolo Epiſcopo, vel poſſint etiā a ſuis Prælatis. Dub.348.

An Moniales tempore Iubilæi poſſint eligere Confeſſarium nō approbatum ſpecialiter ab Ordinario pro Confeſſoribus Monialium. Dub.349.

An Confeſſorius ordinarius Monialium, qui poſt triennium immediatè ex indulto Sacræ Congregationis proſequitur in Officio per aliud triennium poſſit ab Ordinario per aliud triennium eligi ad id munus. Dub.350.

An Confeſſarij Regulares poſſint alloqui Moniales ſibi commiſſas etiam extra caſus neceſſitatis cum licentia Ordinarij. Dub.351.

An Regulares dum volunt concionari in Monaſterijs exemptis teneantur petere benedictionem ab Epiſcopo. Dub.352.

An Epiſcopus vacare, ſeu audire debeat Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas aliorum Monaſteriorum, ſeu eorum Prçlatos, dum nouum Monaſterium Monialium erigitur. Dub.353.

An Epiſcopus poſſit reſeruare caſus reſpectu Monialium exemptarum, quæ Regularibus ſubiectæ ſunt. Dub.354.

An Moniales non exemptæ incidunt in caſum reſeruatum Epiſcopo non comedendi carnes diebus prohibitis ab Eccleſia; ſi ex voto, vel obſeruantia aliquibus diebus nequeant comedere, & tamen comedant. Dub.355.

An Moniales immediatè ſubiectę Ordinario, ſi appellent ab ipſo Ordinario dum appellatio permittitur incurrant excommunicationem, quam tulit Iulius II. contra Regulares appellantes à mandatis Prælatorum Ordinis. Dub.356.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare circa ętatem requiſitam in electione Abbatiſſæ. Dub.357.

QVO AD VARIA.
Cap. XXIV.

An Regulares poſſint pro Sacramento Confirmationis accedere ad quemlibet Epiſcopum. Dub.358.

An ad Epiſcopum pertineat dare licentiam extrahendi corpus occiſi ad finem capiendi informationem delicti, dum corpus eſt in Eccleſia Regularium ſepultum. Dub.359.

Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares quærentes eleemoſynas in ſua Diœceſi. Dub.360.

An Epiſcopus poſſit mittere Regulares pro ſe ad viſitanda limina Apoſtolorum. Dub.361.

An Regularis non approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones poſſit aperire, & mandare executioni litteras Sacræ Penitentiariæ. Dub.362.

An Regulares Græci, quæ ad vnitatem S. R. E. redierunt ſubdantur Epiſcopo, in cuius diœceſi ſitum eſt Monaſterium. Dub.363.

An Regulares teneantur ſoluere Quartam Epiſcopalem, & Parrochialem. Dub.364.

An Regulares teneantur ſoluere decimas. Dub.365.

An Regulares ſubdantur Epiſcopo quo

ad

ad contributionem pro ſeminario. Dub.366.

Quinam dicantur Regulares Apoſtatæ ad hoc, vt Epiſcopus in eos poſſit procedere. Dub.367.

Quomodo Epiſcopus ſedare poſſit controuerſias ortas in proceſſionibus inter Regulares. Dub.368.

Quid poſſit Epiſcopus, quo ad horas canonicas in Regulares. Dub.369.

An dum Epiſcopus prætendit viſitare Regulares, & Regulares prætendunt non poſſe, ſi appellent Epiſcopus de facto poſſit procedere. Dub.370.

An Regulares in ſuis Monaſterijs poſſint erigere Oratoria, in quibus Miſſa celebretur. Dub.371.

Dum Epiſcopus Diæceſanus non ordinat eſt tamen præſens in Diæceſi, & Ciuitate, & alium Epiſcopum eligit, qui vice ſua ordinet neceſſario ab eo Epiſcopo poſito debeant Regulares ordinari. Dub.372.

An prohibitio Epiſcopo, qua Confeſſoribus inhibetur ne abſoluant ſocium criminis comprehendat Regulares. Dub.373.

An Eremitæ ſubſint Epiſcopo. Dubio 374.

Quando in priuilegijs, quæ habent Regulares ponitur clauſula ſaluo iure Parrochorum, quid per ius Parrochiale intelligitur. Dub.375.

Quid poſſit Epiſcopus circa Confraternitates Regularium, ſeu in Eccleſijs, & locis Regularium fundatas. Dubio 376.

Quid poſſit Epiſcopus in Hoſpitalia Regularium. Dub.377.

Quid poſſit Epiſcopus circa campanas Regularium. Dub.378.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares circa Sanctorum cultum. Dub.379.

Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares Cathedralis Eccleſiæ. Dubio 380.

An Epiſcopus poſſit concedere Regularibus licentia adeundi ſtudia. Dubio.381.

An Epiſcopus poſſit interpretari priuilegia Regularium in caſu, qui tangit propriam iuriſdictionem. Dubio 382.

An Epiſcopus poſsit dare facultatem laico ferendi habitum alicuius particularis Religionis. Dub.383.

An Tertiarij, qui emittunt tria vota, & non portant habitum cum cappucio ſubdantur Epiſcopo. Dub.384.

An oblationes factę imagini depictæ in pariete Regularium ſint Epiſcopi, vel Parrochi loci in quo eſt Monaſterium. Dub.385.

An in caſu neceſſitatis alienandi, vel oppignerandi res ſuas debeant Regulares ad Epiſcopum recurrere pro licentia. Dub.386.

An Epiſcopus poſſit cogere ad ingreſſum Religionis, in caſibus in quibus, quis tenetur ingredi. Dub.387.

An Epiſcopus poſſit prohibere hæredibus, ne ſoluant legata Regularibus antequam dent Parrochi quartam canonicam. Dub.388.

An Regularis ad beneficium ſæculare translatus cum debitis requiſitis, vti poſſit priuilegijs ſuę religionis, & conſequenter in multis caſibus exemptione. Dub.389.

An Abbas Regularis dimiſſa Abbatia ſęculari ſubdatur Epiſcopo, vel Prælatis ſuæ Religionis. Dubio 390.

An Regulares de iure communi ſint exempti à iuriſdictione Epiſcopi. Dub.391.

An

An Epiſcopi conſenſus requiratur, vt Religioſi decimas recipere poſsint de manu laicorum. Dub.392.
An Epiſcopus poſsit dare Regulares tutores miſerabilibus perſonis. Dub. 393.
An Monaſteria Regularium exempta teneantur ſoluere Epiſcopo charitatiuum ſubſidium. Dub.394.
An in caſibus in quibus Epiſcopus habet delegatam poteſtatem in Regulares etiam poſſit ſe ingerere Legatus, vel Nuncius Papæ. Dub.395.
An capitulū Sede Vacante poſſit in Regulares quidquid poterat Epiſcopus. Dub.296.
An quando committitur iuriſdictio Epiſcopo in Regulares per Trident. ſine illa clauſula *Tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus* ſimul ſit delegata ordinaria iuriſdictio. Dub.397.
An concedendis Monaſterijs Regularium pro vſu peſtilentum requiratur conſenſus Epiſcopi, & Cleri. Dub.398.
An Epiſcopus poſſit dotare Eccleſiam Regularium exemptam ex redditibus menſæ Epiſcopalis. Dub.399.
An Epiſcopus, vel Nuncius poſſit continere domi Regulares, dum ob peſtem,& quadragenarium inſtitutum à publico. Dub.400.
An Epiſcopus poſſit punire mulieres baiulas, quę onera portant, dū ingrediuntur Monaſteria, & Conuentus virorum ob talem finem. Dub.401.
An Epiſcopus poſſit punire Regulares vagantes prętextu accedendi ad ſuos Superiores. Dub.402.
An Conſeruator Regularium, qui in ſuo Officio delinquit poſſit ab Ordinario, & Epiſcopo puniri. Dub.403.
An Epiſcopus poſſit concedere Indulgentias Regularibus exemptis, & eorum Eccleſijs. Dub.404.
An Epiſcopus poſſit eligere in ſuum Vicarium Regularem ſine conſenſu Prælatorum, & an hic conſenſus ſufficiat. Dub.405.
An Epiſcopus habeat ius in Regulares exemptos, quando eſt in poſſeſsione eos iudicandi debita. Dub.406.
An Regulares poſsint ſuis Monaſterijs applicare incerta, dum ordine Epiſcopi adeſt capſula in qua debent reponi. Dub.407.
An Regulares teneantur reuelare quod per monitorium præcipit reuelari Epiſcopus. Dub.408.
An Epiſcopus poſsit reſeruare ſibi caſum, dum Regulares omittunt exequi vltimas voluntates, quarum ſunt executores, &c. Dub.409.
An dum teſtator Monaſterium fundari precipit (non aſsignato ad id executore) Epiſcopus debeat, & poſsit exequi hanc vltimam voluntatem. Dub.410.
An Epiſcopus poſsit procedere in Regulares teſtamentarios dum in Officio delinquunt. Dub.411.
An Regularis electus virtute Bullę Cruciatę, vel alicuius Iubilęi ab alio Religioſo pro aliquo caſu Sedi Apoſtolicę reſeruato debeat eſſe approbatus ab Ordinario,&c. Dub.412.

FINIS.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS DE EXEMPTIONE REGVLARIVM

Tàm ex iure antiquo, quàm ex nouo deſumptus.

QVO AD MONASTERIORVM ædificationem. Cap. I.

An licentia Epiſcopi requiratur ad hoc vt Regulares fundare poſſint Monaſteria. Dub. I.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi facultas requiritur tum ex iure nouo tum ex antiquo ad erigenda Monaſteria.*

2 *Quid debet facere Epiſcopus dum noua Monaſteria fundantur iuxta Conſtitutionem Clementis VIII. & decretum ſub Gregorio XV.*

3 *Explicat fuſius quid agendum per Epiſcopum Venerus Leyua in ſuo examine.*

1 Reſpondeo requiri talem facultatem Epiſcopi, nec in hoc modo poteſt eſſe difficultas. Ita habetur per Concilium Tridentinum *ſeſs.25. de Regular. cap.3.* & per Conſtitutionem *Clementis VIII.* quæ incipit *Quoniam ad inſtituta*, & per decretum Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. & meritò, vt dicit Lezzana *Verb. Monaſteria Regularium num.3.* Concilium, Summ. Pontifices, & Sacra Congregatio poſtulant conſenſum Epiſcopi ad erectionem nouorum Monaſteriorum, quia etiam ex iure communi requirebatur talis conſenſus ex cap. *Quidam & ſequentibus* 18. *q.* 2. & ita ſuſtinent Campaniles *In Diuerſis Iur.Can. Rubr.*12.*cap.*13.*num.*80. & 81. Miranda *in Manuali tom.*1.*quæſt.*33.*art.*1.*quæſt.*3. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum disput.* 33. *quæſt.*1.*num.*2.

2 Quid autem debet facere Epiſcopus dum noua Monaſteria in ſua diœceſi fundantur, habetur clarè per dictam Conſtitutionem *Clementis VIII.* & decretum Sacræ Congregationis ſub *Gregorio XV.* Conſtitutio Clementis ſic habet. *Locorum ordinarios nō poſſe licentiam ad nouos conuentus cuiuſque Mendicantium ordinis in ciuitatibus, &*

locis eorum ordinariæ iuriſdictionis ſubiectis exigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiuſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium conuentuum prioribus, ſeu procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus, & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita, conſtiterit in eiſdem Ciuitatibus & locis nouos huiuſmodi erigendos conuentus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe. Decretum autem ſub Gregorio XV. editum, ſic habet. *Ne aliqua Monaſteria de nouo erigantur niſi in eis ſaltem duodecim fratres aut Monachi ſeù Religioſi inhabitare, ac ex redditibus & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores ſeù Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum ſeù domorum aliarum Religionum, vel Congregationum aut Societatum, ſeù inſtitutorum huiuſmodi non ſolum in prædictis, ſed etiã in alijs per quatuor millia paſſuum circũuicinis locis ad id vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint vel alias ordinarijs locorum cõſtiterit Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeù Domus Regularis, ſic erigendi ſeù erigendæ abſque detrimẽto Religioſorum in Monaſterijs ſeù Domibus antea in Ciuitatibus ſeù locis huiuſmodi erectis degentium ibi in numero duodecim, commodè & congruè manuteneri, & ali poſſe. Si verò noui conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas huiuſmodi inſtituendæ erunt, Nulliq. alij Regulares inibi reperiantur, ordinarij locorum nihilominus inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & conſenſum requirant ac adhibeant.* Ex quibus colligere poſſunt Epiſcopi quid præſtare debeant dum noui conuentus erigun-
3 tur. Sed clarius habere poſſunt quid eis agendum in tali caſu ab alio Epiſcopo docto ſanè à Venero Leyua *lib. 6. ſui examinis cap. 10. num. 6.* qui talia dicit. *Poſt petitionem Religioſorũ volentium intrare in ſcriptis mandatam vel fundatoris volentis ædificare tale monaſterium Epiſcopus debet vocare, & citare per publica edicta priores & procuratores Monaſteriorum, quæ antea ſunt fundata, Parochum, Archipresbyterum, & Clerum, Prætores, & Gubernatores, iuratos laicos, gubernantes Ciuitatẽ vbi talis fundatio eſt facienda, & omnes alios ſæculares, & Eccleſiaſticos, tam dicti loci, quàm circumuicinorum locorum, quorum intereſt vel intereſſe poterit, & cum omnibus hic habere vnum, vel plura concilia, & antè eos legere petitionem Religioſorũ de nouo intrantium vel fundatoris. Bulla Clementis VIII. edita die 23. Iunij 1603. quæ incipit.* Quoniam ad Inſtituta. *In dicto autem Concilio debet Epiſcopus tractare 1. ſi dicti Religioſi ſint docti, ſancti & bonæ ædificationis. 2. ſi in dicta Ciuitate eſt penuria vel paucitas Religioſorum ſecundum eius amplitudinẽ. 3. fructum, & vtilitatem, quam dicti Regulares de nouo intrantes poſſunt facere. 4. ſi dicti Regulares poſſunt commodè ſuſtentari ſine aliorum detrimento eleemoſynis, vel redditibus. 5. an Fundator habeat facultates ſufficientes ad conſtruendum tale monaſterium, & conſtructum ad reparandum &c. An Ornamenta Eccleſiæ dentur à fundatore de præſenti, vel de futuro. 6. Quæ cautio detur pro his articulis vel à fundatore, vel à Religioſis, & his ſolemniter, & in ſcriptis redactis, Epiſcopus debet negotium ad finem perducere iuxta Bullam Clementis VIII. & Bullam Gregorij XV.* Hæc omnia habet Venerus & alia addit, quæ omninò videat Epiſcopus, qui prudenter ſe in hoc gerere deſiderat; ſed modo alia dubia maiorem difficultatem inuoluentia reſoluamus.

An

Digitized by Google

An preter conſenſum Epiſcopi requiratur conſenſus Summi Pontificis ad erigenda noua Monaſteria. Dub. II.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui docent requiri etiam facultatem Summi Pontificis.*

2 *Præciſis Priuilegijs requiritur de iure facultas Summi Pontificis.*

3 *Hodie iam ſufficit licentia Ordinarij & hoc per Deciſionem Rotæ quam hic habes.*

4 *Authoris opinio eiuſque ratio ponitur.*

1 RESpondent requiri etiam conſenſum Summi Pontificis Zerola & Campanilis apud Barboſam in Concilium *Sect.25. de Regularibus c.3. num.28.* & *De Poteſtate Epiſcopi Alleg. 26.num.4.*

2 Alij docent requiri etiam conſenſum Summi Pontificis præciſis priuilegijs, ſed teſtantur adeſſe plura priuilegia conceſſa Religionibus. Ioannes Maria Nouarius *in Practicis Concluſionibus iuris noui Pontificij de ædificatione ſiue Monaſteriorũ erectione, n. 6.* ſic Paulus V. conceſſit Fratribus Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum *in Bulla* 10. *quæ incipit* ad Eccleſiæ, *data* 1605. & Idem Pontifex Monachis S. Mariæ Fullienſis *in Bulla quæ incipit* Miniſterio 1618. & ſimile priuilegium habent Patres Barnabitæ ab eodem Summo Pontifice. Vnde licet ex iure antiqno *in cap. de exceſſibus Prælatorum* in 6. & *in cap. vnic. de Religioſis domibus* requireretur etiam

3 Summi Pontificis expreſſa facultas: attamen iam hodie ſufficit licentia Ordinarij, vt habet Rota apud Farinacium *Deciſ.745. tom.2. part.2.* & eſt tenoris ſequentis.

Fuit reſolutum ſententias de partibus eſſe confirmandas, cum approbent licentiã datam ab Ordinario Cæſarauguſtano erigendi nouum Collegium Mendicantium Diſcalceatorum inibi Miſſas celebrandi, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum retinendi, quam quidem licentiam ille cõcedere potuit: nam licet pro erigendo nouo Regularium collegio ſeu monaſterio olim requireretur ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentia c.1. de exceſſibus Prælatorum in 6. & Clement. cupientes de pœnis: hodie tamen huiuſmodi facultas fuit Ordinarijs attributa per Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.25. de Regularibus cap.3. in finem, renouatur per particularem conſtitutionem felicis Recordationis Clem. VIII. in qua præſcribitur forma Ordinarijs circa huiuſmodi licentias concedendas quæ fuit ad vnguem obſeruata per Ordinariũ Cæſarauguſtanum, cum citauerit omnes conuentus Medicantium & ſibi conſtiterit nullum eis poſſe ex noua collegij erectione præiudicium inferri ex quo redditus illi relicti per Vgonem de Vicis in pecunia numerata & frumento ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem Collegialium, qui propterea non cogentur mendicare & conſequenter non diminuent eleemoſynas aliorum Mendicantium, nec aliquod eis damnum inferent. Quibus non obſtat pro erectione huiuſmodi Collegij concurrere requiſita in cap. ad audientiam de Eccleſiæ ædificatione 1. & in Concilio Tridentino ſeſſ.21. cap.4. de Reformatione. Quia prædicta iura loquuntur de erectione nouæ Parrochialis non autem Collegij, ſeu alterius Eccleſiæ non Parrochialis.

Minus obſtat quod erecto iſto Collegio Chriſti fideles poterunt in illius Eccleſia

Digitized by Google

eligere ſepulturam, facere celebrare Miſſas, & anniuerſaria, quod redundat in præiudicium Eccleſiæ del Pilar. in qua prædicta vſuſque facta fuerunt: Quia negatur huiuſmodi præiudicium cum ſimus in facultatiuis, ex quo poteſt quis ad libitum vbilibet pia opera facere, & ſibi ſepulturam eligere cap. 1. de Sepulturis & in omnem euentum tale præiudicium non eſſet conſiderabile ad effectum impediendi noui collegij erectionem iuxta Doctrinam Bartoli leg. *quo minus*, &c.

Vltra quod prædicta conſtitutio Clementis conſiderauit tantummodò præiudicium quod poteſt inferri Eccleſijs fratrũ mendicantium ne propter eleemoſynas erogandas in nouum collegium detrimentum patiantur non autem alijs Eccleſijs. Hæc eſt deciſio Rotæ quam hic totã placuit adducere, quia vtilis erit ſanè conſideranti propoſitam materiam. Sit ergo.

4 Concluſio: etiam ſi nulla eſſent priuilegia concedentia Regularibus, vt poſſent ædificare ſine ſpeciali licentia Summi Pontificis, attamen iam modo poſſent erigere cum ſolo conſenſu Epiſcopi. Ratio eſt. Quia & per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 3. vbi habetur *nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi in cuius diæceſi erigenda ſunt licẽtia prius obtenta* per quæ videtur iam Epiſcopis talem facultatem dare eſſe remiſſum. Ita etiam ſuſtinent Sorbus *in Compendio Mendicantium Verb. ædificare in ſua annotati. verſ. circa* §. 20. & Emanuel. *tom.* 1. *quæſt.* 23. *art.* 7. & *to.* 2. *quæſt.* 49. *art.* 3.

An Epiſcopus debeat conuocare alios Regulares, dum congregationes Clericorum ſæcularium de nouo eriguntur. Dub. III.

SVMMARIVM.

1 *Conuocandos eſſe alios Regulares docent; & optimis rationibus aliqui Doctores.*
2 *Quod autem non debeant conuocari probabiliter etiam ſuſtineri poteſt.*
3 *Confeſſor ſollicitans puerum in confeſſione quare denunciandus.*
4 *In ſolutione Gabellarũ non debemus procedere de ſimilibus ad ſimilia, & quare.*
5 *Fauor, & priuilegium non conceditur cum præiudicio aliorum, niſi exprimat hoc concedens.*
6 *Vtilitas publica eſt in erectione Congregationis ſæcularium Clericorum & ſimilium.*
7 *Nomine Religioſorum veniunt clerici in lata ſignificatione, non autem in ſtricta; in fauorabilibus, non autem in odioſis.*

1 IOannes Maria Nouarius *in ſuis nouiſſimis deciſionibus Deciſ.* 206. deſtinguit vel Clerici ſæculares viuunt eleemoſynis, vel redditibus: ſi primo modo res ſe habeat, dicit habere locũ etiam cum eis Conſtitutionem Clementis VIII. confirmatam per Vrbanum VIII. ex conſtitutione quæ incipit *ad perpetuam rei memoriam* & conſequenter debere Epiſcopũ alios Regulares conuocare, &c. ſi ſecundo modo, nequaquam; probat quia Bulla habuit reſpectum & conſiderauit præiudicium antiquorum Monaſteriorum,

riorum, ne propter eleemoſynas erogandas in noua Monaſteria, detrimẽtum patiantur & ſic diminuantur, & hoc fuit obiectum ſuæ diſpoſitionis. Vnde cum eadem ratio militet, diſpoſitio etiam habet locum in caſu poſito hæc ſententia mihi vera videtur, & ita fuit vt mihi teſtantur viri docti in facti contingentia deciſum à ſacra Congregatione.

2 Contraria tamen ſententia habet etiam pro ſe rationes, licet non Doctores. Ratio & Fundamentum eſt, quia cum ſimus in odioſis debemus ſicut ſonant verba conſtitutionis explicare, nec illa extendere ad alios caſus, in quibus militet etiam eadem ratio. ſunt plurima exempla quæ hoc

3 confirmare poſſunt. ſic ante Conſtitutionem Gregorij X V. de ſolicitantibus Confeſſor, qui ſollicitabat puerum, non erat denunciandus licet currere videretur eadem ratio, vt volunt multi, & ſi ante illam confeſſor erat denunciandus, hoc procedebat quia ſic declarauerat Paulus V. 1619. vt notat Diana *in Summ. Verb. Denunciare Confeſſorem ſollicitantem num.* 11. ſic Farinacius *in fragmentis de contractibus*

4 dicit quod in ſolutione gabellarum non debemus procedere de ſimilibus ad ſimilia eadem ratione, quia ſcilicet ſumus in odioſis, ergo idem dicendum in caſu noſtro.

Neque obſtat, quod dicit Nonarius, quod ſcilicet præfata Bulla fuit condita ad fauorem Mendicantium, vnde latè debet interpretari. nam

Reſpondeo fauorem non eſſe con-

5 ceſſum cum præiudicio aliorum niſi exprimat hoc concedens: ſic priuilegium datum alicui ſi ſit in præiudiciũ alterius non tenet vt probat, & defendat Lezzana Verb. *Priuilegia nu.* 8. *ex leg.* 2. §. *meritò. ff. ne quid in loco publico*, & eſt cõmunis doctrina, Deinde priuilegia ſumi debent ſicut ſonant eorum verba.

Nec valet etiam id, quod addit dictam Bullam reſpicere communem vtilitatem. Vnde debet ampliari, vt docet idẽ Lezzana loco ſupra, dicens ſic ſolere ampliari priuilegia militum & ſimilia, nam

6 Reſpondeo non eſſe vtilitatem publicam, immò potius publica vtilitas eſſet in erectione illius Congregationis. Vndè Riccius, *Parte* 4. *Praxis Deciſ.* 220. dicit, poſſe erigi nouam Parrochiam, etiam ſi non ſit neceſſaria, ſed ſola deuotio populi hanc requireret, & non alia ratione niſi quia ex tali ratione augetur Cultus Diuinus, & publica adeſt vtilitas, & in hoc caſu nulla ratio particularis alicuius vtilitatis haberi debet vt patet ex, *cap. parte de Conſtituti*. Ergò ſic in caſu noſtro vbi tantum agitur de priuata vtilitate Mendicantium, nec video publicam vtilitatem.

Quod ſi obicias nomine Religioſo-

7 rum veniunt etiam Clerici Ergò.

Reſpõdeo venire in lata ſignificatione, nõ autẽ in ſtricta, in fauorabilibus non autem in odioſis, nam ſtrictè loquendo tantum veniunt nomine Religioſorum illi, qui tria vota ſubſtantialia emittunt. Vndè a ſententia Nouarij adducta mihi placet diſcedere, & etiam a Riccio qui videtur eſſe cum Nouario *Parte.* 4. *Deciſionum Deciſ.* 222. nihil tamen addit ſuprà Nouarium, & ſic nec improbabilem facit hanc ſententiam.

An

An Epiſcopus poſſit non vocare alios Regulares, dum noui regulares introducuntur. Dub. IV.

SVMMARIVM.

1 *Tollitur in ſententia aliquorum arbitrium Epiſcopi circà hanc conuocationem: vndè ſemper tenetur conuocare alios Regulares.*

2 *Contrarium tamē magis placet authori, ſicut & alijs, vnde prior ſententia tamquā non ſubſiſtens arguitur.*

1 Peirinus docet deberè ſemper Epiſcopum conuocare alios Regulares pro conſenſu, & Fundamentum ipſius eſt:nam licet per conſtitutionē Gregorij X V. quæ incipit, *cum Alias*, & eſt decretum Sacræ Congregationis habeatur non teneri tunc Epiſcopum conuocare alios Regulares, quando ipſi conſtat poſſe de nouo introductos Regulares abſque detrimento aliorum viuere. His verbis. *Vel alias Ordinarijs locorum conſtiterit Religioſos Monaſterij Conuentus, ſeù domus Regularis ſic erigendi ſiuè erigendæ abſquè detrimento Religioſorum in Monaſterijs, ſeù domibus antea in Ciuitatibus ſeu locis huiuſmodi erectis degentium ibi in numero duodecim commodè manutineri & ali poſſe*. Attamen poſtea per Vrbanum VIII. per ſuam conſtitutionem quæ incipit. *Romanus Pontifex*, quam habet Peirinus, *in additamentis ad Conſtitutiones Vrbani VIII. Cap. 12. not. 2.* tollitur tale arbitrium, & tenentur Epiſcopi requirere conſenſum aliorum Regularium anteā in ciuitate degentium.

2 Sed contrarium mihi placet ſilicet nec modo tolli tale arbitrium Epiſcopo per illam conſtitutionem Vrbani VIII. & ratio eſt quia Vrbanus VIII. confirmat decretum iuſſu Gregorij XV. editum per quod conceditur tale arbitrium: Ita etiam obſeruat contra Peirinū Lezzana, *Verb. Monaſteria.* Verba autem conſtitutionis Vrbani VIII. confirmantia vtraſque conſtitutiones & Clementis VIII. & Gregorij XV. ſunt talia. *At ſeruata in omnibus, & per omnia ſacrorum canonum, & Concilij Tridentini, nec non conſtitutionis felicis recordationis Clementis VIII. quæ incipit Quoniam ad iuſtituta, ſub dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub anulo piſcatoris die 23. Iulij 1603. ac decretorum de mandato eiuſdem Clementis nec non felicis memoriæ Gregorij XV. Rom. Pontif. prædeceſſorum noſtrorum.*

Quomodo ergo ſi etiam confirmatur decretum ſub Gregorio XV. tollitur arbitrium Epiſcopo in hac materia? non video certè rationem Peirini, nec etiam fundamentum dubitandi ni melius ſe explicet, quod vtique non facit dum, *Cap. 12. in Additamentis ad Conſtitutiones Vrbani VIII.* ſic ait. *Noto 2. per hanc conſtitutionem quatenus confirmat omnino conſtitutionem Clementis VIII. tolli arbitramentum illud quod Epiſcopis reliquerat Gregorius XV. in fine Paragr. 2. dictæ eius conſtitutionis non vocandi Priores ſeu Procuratores conuentuum iam fundatorum ſi illis alias conſtaret duodecim fratres conuentus ædificandi poſſe in illo loco commodè ſuſtentari abſq; detrimento Religioſorum degentium in Monaſterijs iam ibi ædificatis*. Hæc Peirinus, qui confirmatam ſolum conſtitutionem Clementis VIII. credidit, non autem Gregorij XV. decretum,

&

& ſic non mirum ſi in hoc rectè non docuerit.

An Epiſcopus etiam in fundatione Monaſterij Monialium debeat facere, quod facit in Fundatione Monaſterij virorum. Dub. V.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio refertur.*
2 *Quæ tamen limitatur in duobus caſibus ſecundum aliquos.*
3 *Secundum vero alios limitatur in vno ſolum.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Lezzana *Verb. Monaſteria Regularium num.* 5. Tamburinus, *De iure Abbatiſſarum diſp.* 33. *Quæſt.* 1. *num.* 4. Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.* 2. *cap.* 12 *nu.* 7. Qui ſic refet deciſum a Sacra Congregatione & idem, *in Concilium ſeſs.* 25. *cap.* 3. *num.* 29. *ex Sellio in Selectis cap.* 90. *num.* 4. qui ſic teſtatur reſolutum ſub die 19. Decembris 1620.

2 Addit tamen, & optimè notat Lezzana non comprehendi Moniales in ea parte decreti ſub Grégorio XV. in qua habetur, quod non erigantur de nouo Monaſteria, niſi in eis ſaltem duodecim Religioſi poſſint ſuſtentari, nec in eo quod audiantur Priores ſeu procuratores, aliorum locorum per quatuor millia paſſuum circumuicinorum quia ibi ſolum videtur eſſe ſermo de Monaſterijs virorum, vt patet ex illis verbis Fratres, Religioſi, Monachi, declaratio autem illa a Barboſa adducta eſt antè decretum ſub Gregorio XV. editum.

3 Eſt tamen contra Lezzanam Tamburinus loco citato dum ait, *Non licere Ordinarijs licentiam dare ædificandi dicta Monaſteria niſi vocatis prius, & auditis Prælatis conuentualibus locorum, vbi ædificanda ſunt, & alijs intereſſe habentibus*; fauetque Tamburino Ioannes Antonius Nouarius, *Parte* 2. *in Summ. Bullar. De Monaſteriorum ædificatione num.* 4. Vbi aliqua addit circa ædificationem talium Monaſteriorum de quibus nos. *Cap. quo ad Moniales.*

An ad ædificanda Hoſpitia requiratur conſenſus Epiſcopi. Dub. VI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia communis eſt.*
2 *Statutum puniens aliquem offendentem in domo, non ligat ſi offendat in hoſpitio.*
3 *Camaldulenſibus Eremitis prohibetur facere conuentus propè ciuitates, non tamen facere hoſpitia.*
4 *Lezzana limitat ſententiam negatiuam.*

1 NEgatiuè reſpondent ferè communiter Doctores. Ita Ioannes Antonius Nouarius in, *Summa Bullarum De Monaſteriorum ædificatione*, qui refert Riccium, *in Deciſ. Curiæ Neapolitanæ par.* 2. *Deciſ.* 139. & Hartam, *Cenſu.* 13. *num.* 4. Hoc idem ſuſtinet Lezzana *verb. Monaſteria Regularium*
2 *num.* 6. Ratio eſt, quia per ius nomine monaſterij non venit hoſpitium: deinde a pari ſtatutum puniens aliquem offendentem in domo, non ligat ſi offendat in hoſpitio, vti Iuriſperiti tradunt, Ergò ſic a pari lex quæ aliqua requirit pro ædificatione Monaſte-

naſterij, iam non requirit illa pro ædificatione hoſpitij. Vnde ſic parimodo dicit citatus Nouarius licet Ca-
3 maldulenſibus Eremitis prohibeatur facere conuentus propè ciuitates, attamen non eſt eis prohibitum habere prope ciuitates Hoſpitia, quia tunc conſiderantur vt viatores. Sunt etiam in hac ſententia Bariola *Verb. Regulares pag. mihi* 264. Bordonus *in Reſolutionibus Reſol.* 41. *num.* 6. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *Diſput.* 5. *Quæſit.* 1. *num.* 10.

4 Sed aduerte hic cum Lezzana doctrinam adductam eſſe veram ſi in tali hoſpitio exiſtentes campanas non pulſarent, eleemoſinas non quæritarent; Miſſas non reciperent, aut Eccleſiam publicam non haberent; in qua celebrarent; nam ſi ſecus res ſe haberet, præiudicium inferretur alijs Religioſis, & valerent conſtitutiones.

An Regulares poſſint mutare Monaſterium de loco ad locum ſine facultate Epiſcopi. Dub. VII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe ſine facultate Epiſcopi mutare Regulares monaſterium de loco ad locum docent aliqui, & colligunt ex cap.* Vnico de exceſſibus Prælatorum in 6.

2 *Alij cum diſtinctione procedunt.*

3 *Contrà hanc diſtinctionem obijcitur: obiectioni tamen ſatisfit.*

4 *Concilium Tridentinum*, ſeſſ. 25. de Reformatione, *cap.* 12. *quomodo intelligi debeat. Sic etiam cap.* Vnicũ de exceſſibus Prælatorũ in 6. & Clement. Cupiẽtes de pœnis.

5 *Conſilium Epiſcopi pro licentia Epiſcopi accipitur.*

6 *Epiſcopus priuare non poteſt Regulares monaſterio mutato ſine ipſius licentia, etiam ſi in hoc ſe Epiſcopo ſubdiderint ipſi Regulares.*

7 *Poſſunt Regulares mutare conuentum de loco incommodo, ad locum commodum ſine licentia Epiſcopi. ex priuilegio.*

8 *Sunt tamen Doctores, qui negant.*

9 *Diſtinctio & limitatio Lezzanæ in parte reprobatur.*

1 NEgatiuè reſpondet Ioannes Maria Nouarius; in *Praticis concluſionibus noui iuris Pontificij*, & colligitur ex cap. vnico, *de exceſſibus Prælatorũ in* 6. & ex cap. ſi quis vult 16. Quæſt. 1. Vbi habetur, *Si quis vult Monaſterium ſuum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum conſilio Epiſcopi & fratrum ſuorum, & dimittat Præsbiterum in priori loco ad miniſteria Eccleſiæ.* Nec per Concilium Tridentinum fuit reuocatum dictum ius vt concludit Rodriquez. *tom.* 2. *quæſt.* 49. *art.* 4. Ita etiam reſpondet Larrea, *Parte* 2. *Deciſionum Granatenſium. Deciſ.* 97. *per totam*.

2 Lezzana in Summa *Verb. Monaſterium num.* 32. incedit cum varijs limitationibus, quæ mihi valdè placent. Dicit ergò vel mutatio monaſterij fit de vno oppido ad aliud, vel de vna Ciuitate ad aliam, & tunc dicendum eſt requiri omnes ſolemnitates, quæ ex iure communi requiruntur: Inter quas eſt conſenſus Epiſcopi: vel mutatur de vno loco ciuitatis ad ad alium locum, & tunc vel hæc mutatio fit cum præiudicio aliorum Regularium, & tunc debent adeſſe ſolē-

nita-

Digitized by Google

nitates requiſitæ, vel ſine aliorum præiudicio, & tunc non requiruntur ſolemnitates & conſequenter nec cõſenſus Epiſcopi. Ita procedit Lezana & ratio eſt quia mlitant in dictis caſibus rationes, ob quas conſtitutiones Pontificiæ editæ ſunt.

3 Quod ſi dicas adeſſe priuilegia conceſſa Regularibus, ad hoc vt poſſint ſcilicet mutare conuentus de vno loco ad alium: vt teſtatur adeſſe Nouarius, loco ſupra, & multi alij Doctores referunt:

Reſpondeo id intelligendum eſſe iuxtà limitationes poſitas: nam aliter non videntur dicta priuilegia ſubſiſtere.

4 Nec concilium Tridentinum loquitur abſolutè contra nos *Seſs.* 25 *De Reformatione cap.* 12. nam ibi tantum eſt ſermo de nuoua conſtructione. Nec *caput Vnicum de exceſſibus Prælatorum in 6.* & *Clement. cupientes de pænis*, obſtant noſtræ Doctrinæ, nam vt aduertit Suarez *de Cenſuris tom* 5. *diſput.* 23. *Sec.* 5. *num.* 33. tantum habent locum dicti textus & Canones reſpectu Monaſteriorum iam ædificatorum tempore Bonifacij VIII. nam eorum translatio prohibetur ſine cõſenſu Epiſcopi & Pontificis, non autem aliorum poſt hæc ſtructorum, & ità docet Manuel Rodericus dum abſolutè docet & idem aſſerit Portellus de dubijs. Regularium *verb Monaſterium*.

5 Quod ſi inſtes, in cap. *ſi quis vult* 16. *quæſt.* 7. requiritur pro mutatione qualibet Epiſcopi conſilium, non autem licentia: Reſpondet & optime Larrea loco ſupra, conſilium ibi accipi pro licentia; dicens ita communiter accipi ab omnibus Doctoribus. & citat Campanilem *Rubric.* 12 *cap.* 13. Zerolam *in praxi Parte* 1. *verb Monachi verſ* 1. & alios, qui ſic intelligunt etiam Concilium Tridentinum *Seſs.* 25. *cap.* 3. *in finem de Regularibus*.

6 Non placet tamen, id quod docet ibi Larrea num. 12. ſilicet potuiſſe Epiſcopum contra Regulares mutantes locum, & Monaſterium procedere, priuando eos poſſeſſione Monaſterij mutati ſine ipſius licentia, quia conſenſerunt dicti Regulares eius præcepto, nè mutarent locum ſine eius licentia; nam non eſt adeo certum, immo contrarium mihi magis placet, potuiſſe ſcilicet Regulares eorum priuilegijs renunciare, qualiter in dicto caſu feciſſent.

7 Sed Quæres hic an Regulares poſſint mutare conuentus de loco incommodo, ad locum commodum ſine licentia Epiſcopi, & dubium eſt magis particulare, qnam ſupra poſitum, nam hic commoditas loci cõſideratur; ſupra abſolutè mutatio.

Reſpondeo Affirmatiuè ex priuilegio, quod conceſſit Sixtus V. Ordini S. Benedicti, quod in Capitulo Generali de conſenſu Capituli poſſint mutare cõuẽtũ, de locis incõmodis ad loca cõmodi ora. Nec tale priuilegiũ fuit abrogatũ per Concilium Tridentinum: nam tantum loquitur de noua erectione, & ædificatione, non autem de mutatione, & in hac ſententia ſunt Miranda *in Manuali Prælatorum to.* 1. *Quæſt.* 33. *art.* 21. & Hieronimus Rodriquez. *in Compendio reſol.* 55.

8 Negatiuè tamen reſpondent Rodriquez *Tom.* 1. *qq. quæſt.* 23. *art.* 7. & Portel *in dubijs Regularium Verb. Monaſterium num.* 5. addentes inſuper in

B caſu

caſu poſito poſſe Regulares vendere Monaſteria, Aedificia, & omnia alia præter Eccleſias.

9 Sed aduerte; quod quando fit mutatio Monaſterij de loco ad locum in eadem ciuitate: tunc nullum præiudicium fit per ſe alijs ſed tantum per accidens, vnde limitatio Lezanæ adducta non currit. Ità Tamburinus *De Iure Abbatum Diſp. 5. Tom. 3. quæſt. 1 num. 14.*

An ſufficiat licentia Epiſcopi ſine conſenſu aliorum Regularium ad erectionem Monaſterij, quod ob redditus, eſt tutum de victu & cæt. Dub. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Doctorum pro vtraque parte refertur*

2 *Non tenetur Epiſcopus in caſu poſito alios regulares vocare.*

3 *Quando contradicunt Regulares ex mala voluntate erectioni noui Monaſterij, tunc Epiſcopus poteſt concedere licentiam conſtruendi dictum Monaſterium.*

1 NEgatiuè reſpondent Riccius, qui citatur a Ioanne Maria Nonario *in praticis concluſionibus noui Iuris Pontificij Concluſione. 2. num. 3. & 4.* & Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum de Monaſteriorum ædificatione.*

Sed Affirmatiuè reſpondet Ioannes Maria Nouarius loco ſupra.

2 Concluſio: ſufficit licentia Epiſcopi, nec tenetur alios Regulares vocare & cæt. probatur clarè ex verbis Ipſius Bullæ. & Conſtitutionis Clementis VIII. & etiam ex decreto ſub Gregorio XV. Conſtitutio Clementis VIII. habet *locorum ordinarios non poſſe licentiam ad nouos conuentus cuiuſque mendicantium ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis erigendos impertiri niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus & locis exiſtentium conuentuum, prioribus, ſeù Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus. & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita conſtiterit in eiſdem Ciuitatibus, & locis nouos huiuſmodi erigendos conuentus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe*, Ecce quomodo dum ob reditus tuti ſunt regulares de nouo introducti, iam ſuperfluum ſit aliorum Regularium conſenſum expectare, & clarius habetur hæc concluſio, per decretum ſub Gregorio XV. *Vel alias Ordinarijs locorum conſtiterit Religioſos Monaſterij Conuentus, ſeu domus Regularis ſic erigendi ſeù erigendæ abſque detrimento Religioſorum in Monaſterijs, ſeu domibus antea in Ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentiũ, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri & ali poſſe*, Ergo quãdo Epiſcopi ſciunt per redditus poſſe ſecurè ſuſtentari Religioſos de nouo introductos, iam abſquè conſenſu aliorum Regularium licentiam dare poterunt. Quia tunc ceſſat finalis ratio Bullæ & ita habet Rota apud Farinacium *parte 2. Deciſ. 7. 45. Tom. 2. num. 1.*

3 Nota hic obiter quod ſi Regulares erectioni noui Monaſterij gratis, vel quod abſit ex mala voluntate contradicerent, poſſet nihilominus Epiſcopus concedere licentiam conſtruendi tale Monaſterium. Ità Lezzana

zana *Verb. Monaſterum Regularium num.* 7. Immò ampliare videtur rem magis Leyua Venerus *in ſuo examine* dum *lib. 6. cap.* 10. *num.* 8. dicit, *Epiſcopus ſolum tenetur in ſcriptis redigere ea, quæ ab vno quoque proferuntur & dare terminum vnicuique ad id probandum: ſed poſtea ipſe ſolus poterit dare vel negare licentiam ædificandi abſque dependentia alicuius.*

An cum Summus Pontifex concedit Eccleſiam Regularibus, poſſint dicti Regulares ſine conſenſu Epiſcopi ſumere poſſeſſionem. Dub. VIIII.

SVMMARIVM.

1 *Semper requiri conſenſum Epiſcopi docent Doctores, quia non debet derogari Concilio Tridentino.*

2 *Vndè per caput* Paſtoralis *de priuilegijs ſtatuitur quod niſi indulgentia Summi Pontificis contineatur expreſſum, non requiri aſſenſum Diæceſani, ſemper Regulares eo indigere.*

3 *Serui licet ex lege habeant libertatem, dum necem Dominorum vindicant, attamen iudicis ſemper ſententia expectanda eſt.*

1 NEgatiuè reſpōdet Venerus Leyua *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 11. niſi tamen in conceſſione aliud exprimatur, & ratio eſt quia in hoc non debet derogari Concilio Tridentino, qui hanc auctoritatem dat Epiſcopis ne ſine illorum conſenſu Religioſi poſſint accipere poſſeſſionem Eccleſiarum, neque nouas Eccleſias ædificare ex *Cap. Paſtoralis de priuilegijs* in quo clarè habetur concluſio his ver-
2 bis *Paſtoralis officij & infrà interrogati vtrum viris Religioſis, quibus a Sede Apoſtolica eſt indultum, vt Eccleſias ſuas in proprios vſus poſſint conuertere, decedentibus perſonis earum, liceat auctoritate propria poſſeſſionem earumdem intrare vel per Diæceſanum Epiſcopum in ipſas ſint potius inducendi, ad quod Reſpondemus quod niſi forte in indulgentia ſummi Pontificis id contineatur expreſſum ſuo Epiſcopo inconſulto in poſſeſſionem ipſarum eis non eſt licitum introire: qui a per indulgentiam huiuſmodi Epiſcopali iuri non credimus derogari*, In quo textu Gloſſa plures alios adducit caſus, in quibus licet ſuperior aliquid ſemper concedat inferiori: attamen alte-
3 rius conſenſus expectandus eſt. Sic licet ſeruis lex concedat libertatem, qui necem Domini ſui vindicant: attamen conſenſus iudicis requiritur ex *Cap. pro quibus cauſis ſerui* & cæt. leg. 1. ergò licet Regularibus ſummus Pontifex concedat Eccleſiam: attamen ad capiendam illius poſſeſſionem conſenſus Epiſcopi expectandus eſt.

An Refectio Monaſterij poſſit fieri ſine conſenſu Epiſcopi. Dub. X.

SVMMARIVM.

1 *Dum Monaſteriū funditus euerſū reficitur, tūc cōſenſus Epiſcopi requiritur; quando vero reficitur Monaſteriū, quod adhuc remanet nequaquam, & ratio diſparitatis aſſignatur.*

2 *Quando dicatur domus, vel ædificium funditus euerſum, explicatur.*

3 *Pro ampliatione Monaſteriorum, quæ habent Regulares, licentia Ordinariorum non requiritur.*

1 IOannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum de Monaſteriorum ædificatione* cũ limitatione procedit, vel reficitur Monaſterium funditus euerſum, vel reficitur Monaſterium quòd adhuc remanet, ſi res ſe habeat primo modo, dicit neceſſariam eſſe Epiſcopi facultatem: ſi ſecundo modo nequaquam citat pro ſe Boetium *Deciſ.* 44. *num.* 5. & Ioannem Mariam Nouarium ſuum fratrem *in pragmaticis Regni Neapoli ſub rubric. de ædificatione priuilegi nu.* 2. *& ſequentibus.* Fundamentum eſt quia quando vetus ædificium eſt funditus deſtructum, tũc refectio dicitur nouum ædificium, & non vetus. Ita etiam docet Mathæus de Afflictis *in ſuis Deciſionibus Deciſ.* 392. *num.* 12. *&* 14. vbi docet quando nã dicatur, fabrica, domus, turris, Eccleſia aliqua funditus euerſa, quando non; ponam hic eius verba præcipuè dicta *num.* 14. *An autem reficere ſit propriè de nouo ædificare vide remiſſiones Alexandri in lege de pupillo* §. *ſi quis riuos ff. de operi nou. nuntiat, & licet Gloſſa in caput de Monachis* 18. *quæſt.* 2. *dicat quod ſi reparetur Monaſterium non requiritur conſenſus Epiſcopi ſicut requiritur in noua conſtructione, & Alexander in dicto* §. *ſi quis ædificium, tamen hoc nõ procedit in regno, vbi turres in dominio fabricatæ, & collapſæ non poſſunt repara-*
2 *ri ſine noua licentia, &* *num.* 12. explicat clarius quando nam dicatur domus, vel ædificium aliquod funditus euerſum his verbis. *Quando domus eſt funditus deſtructa ſi ædificetur dicitur noua domus, ſecus vbi remanent Pedamenta, vt dicit Bar. in leg.* 1. §. *ſi quis ædificium ff. de opere nou.* ergo quotieſcunque remanent fundamenta non noua debet reputari conſtructio ſed vetus, & ſic collige: bene potuiſſe Regulares, qui deſtructa habuerunt Monaſteria, & Eccleſias belli tempore, de nouo reparare, & ædificare omnia ſine conſenſu Epiſcopi, quia non noua cenſenda eſt ædificatio, ſed vetus, cum remanſerint fundamenta vt ſuppono.

3 Quæres hic obiter an ſi Regulares vellent, ampliare Monaſteria quæ habent, indigeant licentia Ordinariorũ.

Reſpondeo non eſſe neceſſariã talem licentiã. Ita Rodericus *in qq. Regulari to.* 2. *q.* 49. *art.* 9. Laurentius de Franchis Neapolit. *in ſuis controuerſijs pag. mihi* 109. *q.* 2. Suarez *to.* 5. *de cenſ. diſp.* 23. *ſect.* 5. *n.* 33. Hieronymus Rodericus in *compendio qq. Regularium reſol.* 45. *num.* 10. Tamburinus *to.* 3. *de iure Abbatum. Diſput. quæſit.* 1. *num.* 9. & Lezana *Verb. Monaſteria Regularium num.* 34. quia extenſio, ſeu augmentatio Monaſterij eſt de actibus iam permiſſis, ſuppoſita legitima acquiſitione illius ex leg. *ab ea parte ff. de prob.*

An Regulares amittant priuilegium mutandi Monaſterium, vel ædificandi abſque licentia Epiſcopi (ſi illud habent) ex non vſu per decennium. Dub. XI.

SVMMARIVM.

1 *Quando facultas faciendi eſt poſita in voluntate, & arbitrio priuilegiati, tunc etiam per non vſum decennij priuilegium non amittitur.*

2 *Diuerſimodè dicendum eſt de priuilegio,*

gio, quod reſpicit voluntatem priuilegiati, & de priuilegio, quod refertur ad tempus.

3 *Priuilegium ædificandi &c. per non vſum decennij, adhuc remanet, niſi tamē ſe ſe obtulerit occaſio illo vtendi, & quare.*

4 *Quod amplia etiam quando non vſus proceſſit ex aliquo impedimento; & quando priuilegium datum eſt ratione remunerationis: nam tunc, etiā data opportunitate vtendi, non amittitur.*

1 CAſum habuiſſe præ manibus teſtatur Ioannes Maria Nouarius, *in practicis concluſionibus noui iuris Pontificij, De Monaſteriorū ædificatione n.* 11. *&* 12. & aſſerit ſolutionem huius dubij dependere ab illa quæſtione an per non vſum amittatur priuilegium. Vnde variæ ſunt in hac re ſententiæ. Aliqui opinantur non amitti priuilegiū per non vſum decennij, quando facultas faciendi totaliter eſt poſita in arbitrio priuilegiati. Ita poſt Felinum, & Decium D. Regens Tapia *De Conſtitutione Principum part.* 2. *capit.* 1. *numero* 13.

2 Boſius autem *in ſua practica de Principe, & eius priuilegijs num.* 319. cum hac diſtinctione procedit. Vel priuilegium reſpicit voluntatem priuilegiati, vel refertur priuilegium ad tēpus: primo modo v. g. eſt priuilegium ſic conceſſum: concedimus tibi priuilegium ædificandi Monaſterium ſi volueris, vel ad libitum tuæ voluntatis. Secundo modo eſt tale: concedimus tibi priuilegium ædificandi Monaſterium quandocumque volueris. & ſic ſi primo modo ſe habeat priuilegium per non vſum decennij amittitur priuilegium, ſi ſecundo modo iam non deperditur. Ita Boſius apud Nouarium *loco citato.*

3 Nouarius autem docet numquam per nō vſum decennij amitti tale priuilegium, niſi ſe ſe obtulerit occaſio illo vtendi, puta, quia ab aliqua ciuitate, ſeu perſona priuata intra illud tempus eſſet oblatum palatium, vel aliquis locus in quo congruè Monaſterium ædificari potuiſſet. Fundat, & probat ſuam opinionē ex textu leg. *Actilicinius*, & citat Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 34. Bonacinam ſimiliter *de legibus Diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 8. §. 5. & Gizzarellum quem ait agere de hoc luculenter, & pleniſſimè. Ratio ea eſſe poteſt, quia priuilegium per non vſum tollitur, & deperditur in odium negligentiæ. Quæ quidem negligentia minimè cadit, nec poteſt conſiderari in eo, qui non habet opportunitatem faciendi, cum occaſio defuerit, vnde rationabiliter non debet illud amittere.

4 Quod amplia, etiam quando non vſus proceſſit ex aliquo impedimento, ob quod priuilegio priuilegiatus vſus non fuiſſet.

Amplia etiam ſi tale priuilegium conceſſum fuiſſet ratione remunerationis: nam tunc etiam data opportunitate non deperditur priuilegium. Ita Ioannes Maria Nouarius, & optimè, vnde ipſius ſententiæ adhæreo.

Et poſita doctrina currit de iure communi, nam Regulares habent priuilegium non amittendi priuilegia quacumque de cauſa.

An

An Regulares poſſint vnire Monaſteria ſine licentia Diœceſani.
Dub. XII.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium Ioannis XXIII. cõcedens Regularibus vnionem Monaſterij, Epiſcopi facultate minimè requiſita adducitur.*

2 *Nec poteſt Epiſcopus vnire Eccleſiam etiam Superiori, & Prælato non exempto ſubiectam ſine eiuſdem Superioris conſenſu.*

1 Tollit omnem difficultatem priuilegium relatum à Lezzana *Verb. Monaſteria Regularium num.* 39. à *Ioanne* 23. conceſſum Abbati Ciſtercienſi Cabilonenſis Diœceſis, quod etiã habes apud Rodriquez *in Bullario tom.* 1. *In Ioanne XXIII. Bulla I.* & eſt tenoris ſequentis. *Hinc eſt quod nos volentes veſtræ paci, & tranquillitati conſulere, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vt quæcumque Monaſteria dicti ordinis tam Monachorum quam etiam Monialium, & quorũ facultates, fructus, redditus, & prouentus non ſufficiunt ad ſuſtentationem tot Regularium perſonarum in eiſdem Monaſterijs, pro tempore degentum, quot in eis pro augmento diuini cultus, ac Miſſis, & alijs Diuinis officijs celebrandis ſecundum eiuſdem ordinis ſtatuta, & præmiſſorum, ac Regularium Cæremoniarum obſeruantiam requiruntur, alijs Monaſterijs Religionis, & Ordinis prædictorum pro commodiori ſuſtentatione degentium in eiſdem, & quando pro ſtatu, & quiete huiuſmodi perſonarum id noueritis expedire, ſuper quibus veſtras conſcientias oneramus, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, vnum videlicet alteri Monachorum, & aliud alteri Monialium Monaſterijs eiuſdem Ordinis Monaſteria cuiuſcumque taxæ ſeu annui valoris fuerint, & quæ cum eorum iuribus, & pertinentijs ſuis vniuerſis præſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica annectere, & vnire. Ita quod cedentibus, vel decedentibus huiuſmodi Monaſteriorum Abbatibus, vel Abbatiſſis ſeu Prioribus vel Prioriſſis, ſi Monaſteria ipſa per Priores, aut Prioriſſas fuerint ſolita gubernari, aut ea quomodolibet dimittentibus, liceat alijs Abbatibus, & Abbatiſſis aut Prioriſſis, quorum Monaſterijs alijs ſic vacantia venient vnienda, corporalem poſſeſſionem huiuſmodi vacantium Monaſteriorum iuriumque, & pertinentiarum prædictarum auctoritate propria apprehendere, & perpetuò retinere, ac fructus redditus, & prouentus dictorum Monaſteriorum vniendorum in ſuos vſus, ac pro ſuſtentatione huiuſmodi perſonarum degentium in eiſdem liberè conuertere. Diœceſani loci, aut cuiuſcumque alterius ſuper hoc licentia minimè requiſita, liberè, & licitè valeatis.* Ecce ſolutio clara per Bullam, quam non vidi nec legi reuocatam. Sunt etiam alia priuilegia quo ad hoc, ſed nõ loquuntur tam clare de facultate Diœceſani minimè requiſita.

2 Et ſcias hic obiter, nec Epiſcopum poſſe vnire Eccleſiã Abbati ſeu Prælato Regulari ſubiectam, etiam loquendo de Prælatis non exemptis, ſine talis Prælati conſenſu. Ita Tamburinus *tom.* 3. *de iure Abbatum Diſp.* 15. *quæſt.* 1. *num.* 10. & apud ipſum Cardinalis *in Clementinam de ſtatu Monachorum* & Barboſa *de iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 49.

An

An Regulares qui ſpontè dimmittunt Monaſterium aliquod, ſi velint illud occupare, requiratur licentia Epiſcopi. Dub. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Requiri facultatem Epiſcopi docent aliqui Doctores.*

2 *Si ex noua occupatione Monaſterij fiat detrimentum nouum alijs Monaſterijs, iam requiritur conſenſus Epiſcopi pro tali occupatione: ſecus ſi nouum detrimentum non fiat.*

3 *Quando Monaſterium eſt funditus deſtructum, cauſa belli, vel incendij: tunc Epiſcopi conſenſus requiritur ad ædificandum illud de nouo; non tamen alij Regulares ſunt vocandi.*

4 *Ex Bulla Sixti IV. videtur dicendum teneri Regulares in manibus Ordinarij Monaſteria deſerere.*

5 *Monaſteria ſunt in triplici differentia, & iuxta eorum diuerſitatem in caſu poſito etiam diuerſimodè loquendum eſt.*

6 *Ad occupanda Monaſteria per vim ablata non indigent Regulares nouo conſenſu Epiſcopi.*

1 Affirmatiuè reſpondent Cherubinus *in Compendio Bullarum* ſub Clemente VIII. *Conſt.* 99. & Peirinis *tom.* 2. *Priuilegiorum in Conſti.* 6. *Gregorij XV. nu.* 2. Negatiuè reſpondent Rodriquez. & Miranda citati à Lezana *Verb. Monaſteria Regularium num.* 46.

2 Lezana ipſe cum diſtinctione procedit, vel ex noua occupatione fit detrimentum nouum alijs monaſterijs, vel non; ſi primum iam & licentia Epiſcopi, & debitæ aliæ ſolemnitates requiruntur; & probatur, nam dum detrimentum eſt antiquũ, iam ſuperatum eſt in prima fundatione, dum autem eſt nouum, iam adhuc habet locum ius, cum ſit eadem ratio.

3 Et ex hac doctrina collige hic obiter, quid dicendum ſit in caſu quo deſtructum eſſet aliquod Monaſterium, funditus, vel cauſa belli, vel incẽdij, ita vt nec fundamenta remanerent; nam tunc vt diximus alibi cũ noua ædificatio fit, iam conſenſus Epiſcopi requiritur; non tamen alij Regulares ſunt vocandi, vt eorum conſenſus expectetur: nam detrimentum & præiudicium, quod illis fit non eſt nouum, ſed vetus regulariter loquendo.

4 Sed quæres hic; an dum Regulares deſerunt Monaſteria, debeant deſerere in manibus ordinarij.

Affirmatiuè videtur reſpondendum ex Bulla Sixti IV. quam habes apud Confettium pag. mihi 72. & eſt talis. *Sixtus Papa IV. & cat. feciſti nobis humiliter ſupplicari, quod pro tua ac fratrum tuæ curæ commiſſorum quiete, & conſolatione dignaremur concedere, vt loca quæ Regulari obſeruantiæ minus commoda ſunt, vel inopia incolarum debitè reparari non poſſunt, aut alias dictis fratribus oneroſa noſcuntur, licet ob deuotionem populorum, vel Principum contemplatione, cum beneplacito Sedis Apoſtolicæ recepta fuerint, in manibus Ordinariorũ locorum dimmitere liberè, & licitè valere. Nos igitur deſiderijs Regularis obſeruantiæ profectum affectantes deuotis huiuſmodi ſupplicationibus paternè in Domino annuentes deuotioni tuæ præſentium*

tium tenore licentiam, & facultatem omnimodam, damus, concedimus, & impartimur, ea loca, quæ fratribus tuæ curæ commiſſis minus commoda eſſe cognoueris, vel alias oneroſa in Omnibus Prouincijs Vicariatus tui in manibus ordinariorum locorum liberè dimmitendi & illa licitè deſerendi, pro vt, tibi viſum fuerit expedire: ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus Conſtitutione felicis Recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri prohibente loca ſemel recepta non deſeri, & alijs Apoſtolicis conſtitutionibus, dictique Ordinis Statuti, & conſuetudinibus etiam iuramento, vel quauis alia firmitate roboratis, cæteriſque fortè contrarijs non obſtantibus quibuſcumque & cæt. abſolutè ergo videtur ex hac conſtitutione dicendum ſemper debere relinqui, & deſeri in manibus ordinarij. Ita tenet Tamburinus *Tom: 3. de iure Abbatum diſput.* 5. & plures apud ipſum.

5 Lezana tamen doctus & diligens doctor, cum diſtinctione procedit & dicit Monaſteria eſſe in triplici differentia. Alia ſunt, quæ a Communitatibus, Vrbibus vel oppidis conceſſa Regularibus fuerunt; Alia, quæ ipſi Regulares ex eleemoſinis acquiſitis, vel proprijs redditibus conſtruxerunt. Alia denique, quæ ſunt iuris patronatus alicuius Patroni iure fundationis, conſtructionis, vel dotationis. ſi ſint primi generis, verum eſt debere derelinqui in manibus Ordinarij: ſi 2. modo, iam non debent Monaſteria deſeri in manibus ordinarij. Ita Lezana *verb. Monaſteria num.* 44.

Nullo enim iure habetur, quod dicti Religioſi teneatur illa, quæ ſunt, ſua, & ab ipſis iuſtè adquiſita Ordinario tradere. Oppoſitum tamen ſuſtinere videntur Miranda *Quæſt.* 34. *art.* 3. *concluſ.* 2. & Barboſa *lib.* 2. *de Iure Eccleſiaſtico cap.* 12. *num.* 67. Si ſint Monaſteria 3. generis diſtinguendum eſt: vel enim tales fundatores, ſeu Patroni in contractum fundationis, ſeù patronatus retinuerunt ſibi dominium illorum in caſu, quo Religioſi Monaſteria derelinquerent; vel non; ſi primum ad ipſos pertinent talia Monaſteria. & hoc lege naturali, ſi ſecundum; videtur idem dicendum, ac de Monaſterijs ſecundi generis. Aduertit tamen Lezana pro fratribus Minoribus, qui cum bona in communi non poſſideant, ſicuti aliæ Religiones, Ideo eorum Monaſteria tranſeunt in dominium, & proprietatem Sedis Apoſtolicæ, & ſic poſſunt vti illo priuilegio Sixti IV. deſerendo illa Monaſteria in manibus Ordinarij. Vide omnino dictum Lezanam & non pigebit *loco ſupra citato.*

6 Quæres 2. An ad recuperanda Monaſteria, quæ Regulares per vim, aut metum iniuſtè illatum deſeruerunt, requiratur licentia, & conſenſus Epiſcopi. v. g. ad recuperanda Monaſteria ab hæreticis occupata.

Reſpondeo cum Lezana *Verb. Monaſteria. num.* 46. negatiuè. Ratio eſt quia decreta illa, & conſtitutiones, quæ ſolemnitates quaſdam requirunt ad erigenda Monaſteria & cæt. loquuntur ſolum de noua erectione Monaſteriorum, non autem de recuperatione eorum, quæ iniuſtè per vim, aut metum ab ipſis ablata fuerunt. quia illa ſemper manſerunt in dominio Religionum, cum per iniuſtam illam ablationem priuati fuerint poſſeſſione, non autem Dominio.

An

Digitized by Google

An Regulares retinere poſſint illos conuentus, pro quorum facta fundatione nequeunt oſtendere conſenſum Epiſcopi. Dub. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Refertur per extenſum Bulla Sixti V. ex qua Regulares retinere poſſunt Monaſteria de quorum facta fundatione nequeunt oſtendere conſenſum Epiſcopi.*

2 *Quando Summus Pontifex vult haberi conſiderationem datæ alicuius Conſtitutionis ſolet explicare, afferuntur exempla.*

1 Hic adducam tantū Bullam Sixti V. quam habes apud Confectiū *pag. mihi* 219. nam cum ea omnis tollitur difficultas & eſt tenoris ſequentis. *Cum ſicut nobis nuper expoſuiſti tu annis proximè elapſis pro iniuncto tibi munere generalatu ſcilicet fratrum minorum de obſeruantia omnes, & ſingulas præfati ordinis prouincias, tam in Italia quam extra eam exiſtentes viſitaueris, multaſque domos, Eccleſias, & loca ordinis præfati ab eorum miniſtris cuſtodibus, ſeu Guardianis, & Fratribus retineri reperieris abſque eo, quod ipſi miniſtri, ſeù Guardiani, & Fratres de aliquo Eccleſiarum, & domorum, ac huiuſmodi titulo ſeù conceſſione a Sede Apoſtolica, vel alias legitimè habita, & facta docere valeant, cum dictæ conceſſiones, aut non obtentæ, vel non expeditæ ſeù dictarum domorum, Miniſtrorum, Guardianorum, ſeù cuſtodum incuria, ſiuè etiam ob bella, aut depopulationes, aut alias deperdita ſint; quamuis domus, & eccleſiæ, ac loca prædicta ab eorum miniſtris ſeù guardianis, & fratribus bona fide, ac pacificè, & quiete poſſideantur. Tuque nobis humiliter ſupplicaſti, vt pro tua, & pro dictorum miniſtrorum, Cuſtodum, & Guardianorum & fratrum conſcientiarum ſecuritate, & cautela tibi, dictiſq. miniſtris Cuſtodibus, ſeù Guardianis, & fratribus in præmiſſis de aliquo opportuno noſtro, & Sedis Apoſtolicæ remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pro noſtri Paſtoralis officij munere, tuiſque ſupplicationibus in hac parte inclinati in præmiſſis opportunè prouidere, dictarumque domorum, & Eccleſiarum, ac locorum qualitates, & quantitates aliaque neceſſaria exprimenda hic pro plenè, & ſufficienter expreſſis habere volentes, teque, ac dictos miniſtros, Guardianos, ſeù Cuſtodes, & fratres, a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis a iure vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati ſitis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes. Tibique, ac cæteris miniſtris, cuſtodibus, Guardianis, & fratribus dicti Ordinis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, vel quæcumque loca, domos, & Eccleſias, quæ vos in hanc vſque diem in quibuſcumque mundi partibus, ac etiam Inſulis, & Regnis nouis Indiarum Occidentalium, & Orientalium, quomodolibet, ea videlicet, quæ a decem annis ſupra, quæ vero a decem annis citra de conſenſu ordinariorum poſſidetis, liberè, & licitè, & abſque alio conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo, aut cenſurarum, & pœnarum incurſu, & ſi de illorum conceſſionibus a S. A. vel alias quomodolibet factis, ac fieri neceſſarijs nullibi, vt præmittitur appareat, perpetuò retinere, & poſſidere, ac in eorum quieta, & pacifica poſſeſſione remanere illamque in omnibus, & per omnia perinde*

C ac

ac ſi antequam, loca domos, & Eccleſias huiuſmodi, & eorum ſingula recepta fuiſſent, & cęt. Patet ergo ex dicta conſtitutione, quæ cum priuilegium contineat ferè omnes alij regulares illo participant, poſſe Regulares illa loca, & Monaſteria retinere, pro quorum fundatione conſenſum Epiſcopi non habent, ſed hoc intellige ſi ſint Monaſteria a decem annis ſupra ædificata; nam ſi ſint conſtructa a decem annis citra patet per verba Bullæ conſenſum Ordinariorum requiri. Ita Cherubinus, *in compendio Bullarum ſub Sixto V. conſt.* 40.

2 Quod ſi obijcias iam hæc conſtitutio non valet: nam a decem annis, & ſupra a data conſtitutione, & a decem annis citra, quod non poteſt habere locum modo.

Reſpondeo non eſſe attendendam datam dictæ conſtitutionis, quia quando Summus Pontifex vult haberi conſiderationem datæ, explicat ſic in conſtitutione Gregorij XV. *de Conſeruatoribus*, quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater* §. 6. habetur *ſtatuit, & ordinauit vt Regulares, ac perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos, extra Italiã uerò infrà ſex menſes a die publicationis in Vrbe præſentis Conſtitutionis*, ſed in noſtra Bulla non habetur a die publicationis. Vnde abſolutè ſine conſideratione datæ Regulares poſſunt vti tali priuilegio.

An Epiſcopus poſſit mutare Eccleſiam Regularem in ſæcularem Dub. XV.

SVMMARIVM.

1 *Negant aliqui poſſe ab Epiſcopis fieri talem mutationem.*

2 *Poteſt Epiſcopus dum deficiunt Regulares vel alij homines ſtrictioris vitæ, ponere clericos ſæculares in Eccleſijs Regularium.*

3 *Priuilegia, quæ habent Regulares nequeunt renunciare, cum in fauorẽ etiam ſedis Apoſtolicæ ſint data.*

4 *Epiſcopus poteſt mutare Eccleſiam ſæcularem in Regularem, & etiam Eccleſiam collegiatam ſæcularem.*

5 *Indulgentia Summi Pontificis quos effectus habeat quo ad hoc.*

1 Negatiuè reſpondet Azorius *parte* 2. *lib.* 5. *cap.* 30. *quæſt.* 2. 330. & Rebuffus apud Monetam *de Mutatione ſtatus Eccleſiarum cap.* 11. *In tractatu de Commutationibus vltimæ voluntatis*, & fundamentum eſt, quia Regulares Eccleſiæ ſunt exemptæ ab Epiſcopo.

2 Moneta vero cum limitationẽ procedit, & dicit poſſe Epiſcopum in Eccleſijs Regularium, dum deficiunt Regulares ponere clericos ſęculares, & hoc intellige dum deficiunt etiam alij homines ſtrictioris vitæ, vel alterius Religionis, qui ſi haberi poſſent in illis Eccleſijs eſſent ponendi, per caput *ne Clerici, vel Monachi*: additque Idem Moneta illa omnia iura quæ loquuntur in fauorem negatiuæ ſententiæ poſſe intelligi de conceſſione, ſeu aſſignatione Monaſterij Clericis ſæcularibus ſolum ad tempus, vel pro mera habitatione: iura autem, quæ ſunt pro negatiua ſententia ſunt Caput, *quæ ſemel* caput *peruenit*. Caput *Poſſeſſiones*, & caput *ea quæ*.

Ad Fundamentum Azorij Reſpondet dictus Moneta per exemptionem tantum colligi non poſſe Epiſcopum inuitis ipſis Regularibus talem mu-

tationem facere, non autem ſi conſenſerint: nam quiſquis poteſt cedere iuri ſuo, vt habetur ex leg. *Si quis in conſcribendo (de pactis,* caput *quam periculoſum,* & alijs iuribus.

3 Sed non placet iſta reſponſio. Quia non adeò certum eſt poſſe Regulares ſuis priuilegijs renunciare, cum non ſint tantum in fauorem eorum, ſed etiam Sedis Apoſtolicæ data. Vnde mihi prima ſententia negatiua non diſplicet.

Sed quid eſt dicendum econtra, An Epiſcopus poſſit mutare Eccleſiam ſæcularem, in Regularem?

4 Affirmatiuè reſpondet Moneta *de Commutationibus vltimarum voluntatum num. 331. Cap. 11.* & citat pro hac parte plures Doctores Petrum de Peruſi *in trac. de mutatione ſtatus.* Eccleſię in princip. *num. 2.* Roman. Archidiaconum. Et ſunt plures canones pro hoc; vide dictum Monetam. Quod autem Epiſcopus poſſit mutare Eccleſiam ſæcularem Collegiatam in Regularem eſt optimus textus in Caput *ad Audientiam* vbi Pontifex concedit cuidam Epiſcopo, vt cum Diœceſani conſenſu ponat canonicos Regulares in Eccleſia, de qua ipſe ad Epiſcopatum fuerat vocatus, dummodo tamen prouideatur de neceſſarijs illis Clericis ſæcularibus, qui ſuperuixerint.

5 Neque dicas ibi per verbum Indulgemus colligere poſſumus requiri Summi Pontificis auctoritatem, nam Gloſſa ibi recepta docet per ſe ſolum, hoc præſtare poſſe. Indulgentiam autem Summi Pontifitis conferre ad plurima. Primo, vt ſi tertius illam indulgentiam impetrauit facilius moueatur Diœceſanus ad conſentiendum, vel ſi recuſet cogatur *ex cap. nullus de Iurepatronatus.* Secundo, vt Epiſcopus cum tali indulgentia poſſit mutationem facere etiã inuitis Clericis, quod non poteſt ſine tali indulgentia, alios effectus videre ſi cupis, lege dictum Monetam *loco ſupra numer. 333.* hic enim ſufficiat hæc dixiſſe cum faciant ad noſtram materiam.

An Laici ſine licentia Epiſcopi poſſint Regularibus Eccleſias concedere. Dub. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Canones qui prohibent ſine facultate Epiſcopo has Laicorum donationes afferuntur.*

2 *Quod poſſit Laicus dare iuſpatronatus, ſeu ius præſentandi Religioſo loco ſine facultate Epiſcopi docent multi in Caput Nullus de iurepatronatus.*

1 NEgatiuè reſpondet Moneta *de vltimis voluntatibus cap. 11. de mutatione ſtatus Eccleſiarum,* & ſunt pro hoc multa iura, quorum hic multà placet adducere. primo eſt caput *Decimas quæſt. 7. cauſa 16.* vbi habetur. *Has verò decimas ſub manu Epiſcopi fore cenſemus, vt ille qui cæteris præeſt omnibus iuſtè diſtribuat:* ergo ſic a pari loquendo de eccleſijs ab Epiſcopo dandæ ſunt. & caput. *In Lateranenſi de præbend. & dignit.* vbi ſic. *Noſcitur fuiſſe prohibitum ne quilibet Regulares, eccleſias, ſeu decimas, ſine Epiſcoporum conſenſu de manu Laici præſumant accipere, nec excommunicatos, aut nominatim interdictos admittant aliquatenus ad Diui-*

Digitized by Google

na: nos autem id fortius inhibentes tranſgreſſores digna curauimus animaduerſione puniri, habetur etiam hoc per *caput cum Apoſtolica de his quæ fiunt a Prælatis*; per caput *cum & Plantare in princip. de priuilegijs*; per *caput Paſtoralis de donat.* per *caput quod autem*, per *caput illud, & caput Cura*, & clarè per *caput Nullus de iure Patronatus*, vbi ſic. *Nullus Laicus decimas, aut eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici iuris eſt ſine cōceſſione ſui Pontificis monaſterijs, vel Canonicis conferant. Et ſi quis Epiſcopus improbitatis, vel auaritiæ cauſa conſentire noluerit, Romano Pontifici nuncietur, & quod offerendum eſt, tunc eius licentia offeratur.*

2 Sed ſcias hic adduci quoſdam a Gloſſa in dictum caput *Nullus*, qui putant poſſe laicum donare loco Religioſo etiam ſine auctoritate Epiſcopi Iuſpatronatus. Vndè cum nomine Eccleſiæ, quam poteſt dare laicus Religioſis cum conſenſu Epiſcopi, per dictum *caput Nullus* veniat iuſpatronatus per Gloſſam ſic & expone eccleſiam ideſt iuſpatronatus, iam poterit laicus tales Eccleſias Religioſis donare ſine conſenſu Epiſcopi, ſicut poteſt iuſpatronatus.

An Regulares poſſint ædificare Monaſterium in loco exempto ſine conſenſu Ordinarij. Dub. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Requiri etiam tunc conſenſum ordinarij eſt doctrina multorum.*

2 *Authoris opinio contraria ponitur.*

3 *Sufficere tunc licentiam Legati de Latere ſunt, qui dicant.*

4 *Non acquiritur Epiſcopo, ſi ædificent Regulares in loco exempto.*

1 NEgatiuè Reſpondent Ioannes Maria Nouarius *in Practicis concluſionibus noui Iuris Pontificij De Monaſteriorum ædificatione*. Franchus *in Caput Auctoritate num.* 2 *de Priuilegijs in* 6. Fumus verb *exemptio num.* 10. Antonius dè Pratis *dè Iuriſdictione Epiſcopi cap.* 1. *num.* 3. *&* 4. Cokier. *dè Iuriſdictione Ordinarij in exemptos parte* 2. *Quæſt.* 45. *num.* 36. & videtur opinio hæc clare colligi ex dicto capite *Auctoritate* dè priuilegijs in 6. Vbi habetur. *Inhibemus inſuper ne in locis etiam exemptis hoc ipſi exempti facere audeant, niſi ſuper his licentiam vel priuilegium habeant Sedis Apoſtolicæ.*

2 Sed non puto hos doctores loqui in caſu poſito dè licentia ordinarij, licet non ſe bene explicent. nam quomodo licentia, & conſenſus Epiſcopi expectandus eſt, dum agitur de ædificatione Monaſterij in loco, in quo iuriſdictionem non habet Epiſcopus. Vnde dicit Gloſſa in citatum caput, *Auctoritate & cæt.* Parag. *Sedis Apoſtolicæ. Quia ſicut Epiſcopus eſt diæceſanus in loco non exempto vt ſuprà ſic & Papa eſt Diæceſanus in loco exempto*, & addit. *puto tamen quod in hoc caſu ſufficeret licentia Legati de Latere*. Ergo

3 quando textus dicit *inhibemus inſuper ne in locis etiam exemptis hoc ipſi exempti facere audeant*, non debet intelligi, ad hoc requiri facultatem Epiſcopi ſicut requiritur, dum Regulares ædificare volunt in loco non exempto; ſed ne propria auctoritate hoc faciant; & conſenſu Sedis Apoſtolicæ non expectato: nec in hoc puto adeſſe difficultatem.

4 Quod

Digitized by Google

4 Quod autem docent plures Doctores, ſcilicet totum acquiri Epiſcopo, ſi Regulares ſine licentia ædificent in loco exempto vt ſunt citati Franch. Antonius de Pratis, Cokier, & Riccius *Part. 4. deciſ.* 168. nec credo verum, nec bene colligi exiſtimo ex citato capite. *Auctoritate*, vt ex eo colligit Franchus. nam nec verbum quidem inuenio in dicto textu, per quod Epiſcopis hoc tribuatur.

An cum conſenſu Epiſcopi poſſint executores teſtamentarij conſtituere Monaſterium Regularium in loco, in quo teſtator iuſſerat hoſpitale fieri. Dub. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Pot eſt executor teſtamentarius Monaſterium conſtruere in fundo, in quo teſtator iuſſerat hoſpitale fieri ſecundum aliquos: hoc tamen cum conſenſu Epiſcopi.*

2 *Alij negant etiam cum tali conſenſu.*

3 *Non poteſt tamen executor, etiam cum conſenſu Epiſcopi mutare monaſterium male ſituatum, dum teſtator reliquit pro conſtruenda Eccleſia, pro fabricando hoſpitali.*

1 Affirmatiuè reſpondet Ioannes Andreas Laudenſis, & mouetur ex cap. *Scripturæ de voto*, vbi habetur. *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare*. Ergo cum melius ſit Monaſterium fundare quam hoſpitale, iam poterit executor & cæt. ex regula illa iuris *plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*.

2 Negatiuè tamen reſpondent Cardinalis *in caput non quidem* & Lamberti. *Tract. de Iure Patronatus lib. 1. quæſ. 4. art. 14. num. 1.* Rochus de Curtijs, Lappus de Caſtellis.

Tu amplectere quam velis: nam vtraque opinio probabilis eſt & dependet ab hoc, an ſilicet perfectius ſit Monaſterij ſtructio quam hoſpitale.

3 Sed aduerte non poſſe executorem etiam cum conſenſu Epiſcopi mutare Monaſterium, quod malè eſſet ſituatum, dum teſtator reliquiſſet, pro conſtruenda Eccleſia, vel hoſpitali, & ſimilibus, & ſic tradunt Ioannes Andreas, & Ioannes de Deo, & Lappus & licet non videam ab eis adductam aliquam rationem, ego puto hoc eſſe fundamentum: quia ſcilicet, hoc non eſſet melius, nam mutatio loci pij non eſt æquiualens cum noua conſtructione, quam etiam ſententiam ſequitur Petrus dè Vbaldis *tract. de Canonicis, & Epiſcopis, & Parrochianis*.

An Epiſcopus poſſit quem cogere ad Vendendum fundum pro redificatione Monaſterij, pro clauſtro, & Scholis fabricandis. Dub. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Doctores multi, qui docent Epiſcopum poſſe cogere & cæt: afferuntur. quorum tamen aliqui nullam faciunt mentionem de Epiſcopo.*

2 *Pro hoſpitio Regularium conſtruendo, & ampliando poteſt cogi vicinus ad vendendam domum.*

3 *Epiſcopus tamen pro hoſpitio conſtruendo,*

C 3

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

do, & ampliando non poteſt cogere vicinum ad vendendum; *rationes tamen validæ dicunt quod poſſit.*

4 *Pro quouis loco pio quis cogitur ad vendendum.*

5 *Cogitur vicinus vendere pro Scholis fabricandis.*

1 AFfirmatiuè Reſpondent Laurettus de Franchis *pag. mihi* 112. per Marc. *deciſ.* 536. Giurb. *deciſ.* 86. Gaſpar Theſau. *quæſt.* 64. *part.* 1. Coſta *de remed. ſubſidiarijs cap.* 65. & quod in ſpecie teneatur quis vendere pro clauſtro, & pro Scholis ædificandis ſuſtinet idem Marc. *deciſ.* 534. *nu.* 5. Coſt. *de remed. ſubſidia remedi* 76. *num.* 9. Molina etiam *diſp.* 341. *num.* 2. & pro dormitorio extendendo Soccin. *regul.* 435. & alij. Verum quidem eſt, Molinam non facere mentionem de Epiſcopo, ſed tantum ponit poſſe cogi ad vendendum vicinos & cæt.

2 Riccius *p. Parte deciſionum* habet caſum in terminis, nam *Deciſ.* 138. dum quærit, an pro hoſpitio conſtruendo, & ampliando potuerit cogi vicinus ad vendendum Domum; aſſerit pro hoc ad. Curiam Archiepiſcopalem recurrendum eſſe, immo quoſdam regulares habuiſſe recurſum. Vndè videtur dare hanc facultatem Epiſcopis.

Et ſuppoſita hac facultate in Epiſcopis, quid nam Reſpondendum eſt dubio quod mouet Riccius, an etiam pro ædificatione, vel ampliatione hoſpitij poſſit quis ab Epiſcopo cogi ad vendendum?

3 Negatiuè reſpondet Riccius *loco ſuprà* & teſtatur ita reſolutum fuiſſe in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, Adducit tamen pro contraria ſententia aliquas rationes, quas relinquit in ſuo robore. p. Quia Hoſpitium dicitur locus religioſus, & eccleſiaſticus, *cap. ad hæc.* & caput *de Xenedochijs de Religioſis domibus.* & æquipollet Monaſterio cum Monaſterium dicatur monachorum ſtatio, ſecundum *Archidiaco. in Clem. de Regularibus, de ſtatu Regularium.* Ergo vicinus pro commoditate illius poterit ad vendendum compelli vt latè habet Gramm. *deciſ.* 75. Rochus de Curtijs *in Trac. de Iure Patronatus nu.* 19. Antonius Padill. *in leg. Altius nu.* 21. *C. de ſeruitute*, & demum Petrus Auguſtinus Morla *in ſuo emptorio Iur. tit.* 9. poſt Cuiaccium *lib.* 3. *Obſeruat. cap.* 22.

4 Secundo pro quouis loco pio quis cogitur ad vendendum vt tradunt communiter Doctores, Ergò quantò magis pro hoſpitio quod locus Religioſus nuncupatur.

5 Tertio Quis cogitur vendere pro clauſtro ædificando, pro Scholis fabricandis vt diximus ſuperius citatis doctoribus: Ergò a fortiori pro hoſpitio. His tamen non obſtantibus dicit Riccius, contrarium fuiſſe reſolutum a Curia Archiepiſcopali Neapolitana, nec dat rationem.

An Epiſcopus ſe ſolo poſſit dare Regularibus Eccleſias derelictas. Dub. XX.

SVMMARIVM.

1 *Ex multis textibus videtur, dicendum ſe ſolo Epiſcopum poſſe dare Regularibus Eccleſias derelictas.*

2 *Requiritur tamen conſenſus Capituli.*

3 *Cum*

3 *Cum Eccleſia collatiua non eſt, caret redditibus, & proprio rectore tunc liberè dependet ab Epiſcopo.*

4 *Beneplacitum Apoſtolicum loco omnium ſolemnitatum deſeruit, quæ in donatione Eccleſiæ requiruntur.*

1 Videtur affirmatiuè reſpondendum ex multis textibus, ex cap. *Omnes Baſilicæ Cauſa* 16. *quæſt.* 7. Vbi habetur *Omnes Baſilicæ, quæ per diuerſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidiè conſtruuntur placuit ſecundum priorum canonum regulam vt in eius Epiſcopi poteſtate cõſiſtant, in cuius territorio poſitæ ſunt.* Ergo iam Epiſcopus habet poteſtatem & cæt. & colligunt etiam alij ex *Cap. Conquerente de officio Ordinarij*, & *ex cap. conſultationibus de Donat.* ex quibus tamen non adeò clare colligitur affirmatiua pars.

2 Dicendum tamen eſt requiri conſenſum Capituli: inſuper Ità videtur ſentire Rota *in Deciſio. collectis a Rubeo Deciſ.* 590. *num.* 8. 9. *&* 10. dum ait; *& quantum attinet ad ipſius Reuerendiſſimi D. Epiſcopi facultatem, quod ſilicet hanc Capellam dictis Patribus donare potuerit, deſſumitur euidenter ex eo,*

3 *quod cum talis Eccleſia intra fines ſuæ diæceſis exiſtens collatiua non eſſet, ac dote, & redditibus proprioque rectore careret, ab eius libera diſpoſitione dependebat, cap. omnes Baſilicæ* 16. *quaſ.* 7. *& cap. conquerente de officio Ordinarij* ideoque potuit eam Religioſis viris dono dare pro vt diſponitur in cap. *Conſultationibus de Donati. Quod vero in ſimili donatione ſolemnitates neceſſariæ non deſiderentur. manifeſtè conuinci-*

4 *tur ex beneplacito Apoſtolico de ſuper impetrato quod loco omnium ſolemnitatum deſeruit Iuxta Abb. conſ.* 41. *num.* 3. *lib.* 1. *& cæt.* Ergo cum beneplacitum Apoſtolicum abeſt, per quod ſolemnitates ſupplentur, iam conſenſus Capituli requiretur ad talem donationem. Vidè dictam Rotæ deciſionem, ſi clarius rem percipere cupis hic enim totam non tranſcribo ne faſtidiam lectorem, & chartas tranſcriptionibus impleam.

An ſolus Epiſcopi vel alij etiam poſſint dare facultatem conſtruendi Monaſteria. Dub. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Alij etiam qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent poſſunt da re talem facultatem conſtruendi Monaſteria.*

2 *Dum Concilium Tridentinum committit aliquid Ordinarijs non ſolum Epiſcopis cenſeri debet commiſſum, ſed alijs Ordinarijs etiam.*

3 *Vicarius Epiſcopi etiam habet hanc facultatem ſecundum multos Doctores, quia etiam Ordinarius dicitur.*

4 *Negant alij Vicario hanc facultatem, ſicut negant poſſe diſpenſare in denuntiationibus matrimonialibus.*

5 *Authoris ſententia exponitur, & quid dicendum de Vicario Sede vacante.*

1 Reſpondeo etiam alios, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalē habent vt ſunt multi Abbates, & ſimiles, poſſe dare hanc facultatem: nã nomine Ordinariorum veniunt omnes, qui ordinariam iuriſdictionem habent canone, præſcriptione, ſeu priuilegio. Ità Nauarrus *Conſil.* 9. *de*

priuilegijs, Zabarell. Clement. *quia Regulares numer.* 11. *verſ.* 8. Felin. in repertor. verborum *ordinarius iſtud verbum fol.* 87. Flaminius de reſignatione. *Beneficiorum lib.* 3. *quæſt.* 11. Decius *Conſil.* 121. Abbas cap. *vt famæ num.*6. *de ſentent. excommunic.* Bellam. *Conſil.* 30. Miſinger *cap. poſt ceſſionem numer.* 234. omnes apud Cokier. 1. *Parte de Origine exemptor quæſt.* 1. *numer.*6. Vnde cum Concilium Triden-
2 tinum, vel Pontifex committit aliquid Ordinarijs, id non ſolum debet cenſeri commiſſum Epiſcopis, ſed etiam alijs ordinarijs.

Secus tamen eſt dicendum ſi commiſſio fieret Diœceſano tunc ordinarij nullam haberet in hoc poteſtatem Gloſſ. 1. *verb. Diæceſanis de Iure Patro.* & Cokier vbi ſupra.

3 Sed quæres an Vicarius Epiſcopi hanc facultatem ædificandi Monaſteria dare poſſit, dependet reſolutio ab illa quæſtione an Vicarius Epiſcopi etiam Ordinarius dicatur. Affirmatiuè reſpondent Marcus Antoniut Bizonus *in explicatione Concilij Trident.* Rota *deciſ.* 1. *de Officio Vicarij in nouis*, Iaſo in Rubric. *de officio eius. numer.* 2. *Verſ. etiam Alex. numer.* 15. quam ſententiam dicit eſſe communem Abbas *Cap. ſiquis contrà Clericum* eamque multis rationibus probat Tomas Sanchez. *lib.* 3.
4 *Diſput.* 7.4 *quæſt.* 1. *num.* 10. Contrarium tamen docet Menochius *Conſil.* 69. *numer.* 66. *lib.* 1. dum aſſerit Vicarium *non poſſe diſpenſare in denuntiationibus matrimonialibus* a Concilio Tridentin. requiſitis. vide Barboſam *de Poteſtate Epiſcop. Allegat.* 532. *nu-*
5 *mer.*37. Sto cum affirmantibus Idemque ego dicerem de Vicario Sedis Vacantis, præciſa declaratione Sacræ Congregationis ſub die 19. Ianuarij 1633. teſte Barboſa *in Collect. Bullar. verb. Monaſteria pag.* 437. nam etiam talis Vicarius poteſt dici Ordinarius cum vt diximu ſuccedat in eis quæ competunt iure ordinario Epiſcopis.

An Religioſi exempti, qui fundant Monaſterium, cum facultate Epiſcopi ſed cum conditione, vt ei ſubſint, conſtructo Monaſterio ſubiecti ſint Epiſcopo. Dub. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Tale pactum ſeu conditio non ſubſiſtit: facultas tamen tenet.*
2 *Illa Conditio dum repugnat iuri priuilegiorum impoſſibilis debet cenſeri.*
3 *Tale pactum non fuit adiectum, vt conditio, ſed vt modus vnde contractus valet, & modus vitiatur.*
4 *Facultas Epiſcopi data exemptis conſtruendi Monaſterium eſt pia, vnde omni fauore proſequenda.*
5 *Conditio impoſſibilis, aut turpis non vitiat matrimonium.*
6 *Epiſcopus impedire poteſt ne ædificent ſine licentia, at poſtquam cum tali facultate ædificarunt, iam intacta manet eorum exemptio.*
7 *Inconſulto Pontifice nequit fieri alterius iuriſdictio in exemptos.*
8 *Ad hoc, vt talis conditio ſubſiſtat, debet roborari per Summum Pontificem.*

1 HAbes dubium reſolutum in terminis doctè ſuo more a Cokier.

kier. *Tom.* 2. *De Iuriſdictione in exemptos. Parte* 2. *quæſt.* 123. quì varijs rationibus probat, talem conditionem ſeu pactum non ſubſiſtere. Quid quid videatur eſſe in contrarium. hic
2 afferam breuiter fundamenta 1. Quia lex illa conditionalis facultati ædificandi adiecta repugnans iuri priuilegiorum impoſſibilis debet cenſeri, & conſequenter, ac ſi adiecta non eſſet ex *leg. Conditiones*, leg. *Filius*
3 *qui.* 2. Pactio recognoſcendi ordinarium adiecta non eſt, vt conditio, ſed vt modus, quo caſu ſine dubio contractus valet, & modus ſinè pactio contractui adiecta vitiatur Bald. *l. dictam num.* 7. *C. de cond. ob cau-*
4 *ſam.* 3. Facultas Epiſcopi data exemptis Regularibus conſtruendi locum religioſum & ſacrum eſt pia, & fauore omni proſequenda. Tiraq. *Tract. de pia cauſa in præfatione* ergo conditio illi adiectâ recognoſcendi Epiſcopum in ſuperiorem, quod ab arbitrio exemptorum non dependet, turpis debet cenſeri: leg. citata *Conditio-*
5 *nes*, 4. Sicut conditio impoſſibilis aut turpis, cuius ſpecies eſt hæc de qua eſt quæſtio non vitiat matrimonium carnale, ſed ſola ipſamet conditio vitiatur. Itâ & hæc facultas tenet vi-
6 tiata conditione 5. Epiſcopus impedire quidem poteſt Regulares exemptos ne ædificent. *ex cap.* 1. *& ſequent. de noui operis nuntiatione & cap. auctoritate de priuileg. in* 6. at poſtquam ædificarunt cum facultate etiam & conditione impoſſibili adiecta, iam conditione vitiata manet intacta eorum exemptio, factum enim retractari non poteſt, ni caſus eueniat, a quo incipere non poterat. Cap. *fa-*
7 *ctum de Regul. iur. in* 6. Sexto Iuriſdictio in exemptos ad Pontificem ſpectat, vel ad alium ab ipſo delegatum; vt patet clarè: Ergo inconſulto Pontifice non poteſt fieri alterius e x leg. *Idem Iulianus* §. *conſtat ver. ſi vero Saluſtianos hortos qui ſunt auguſti*, Hæc omnia & multa alia adducit citato loco Cokier, cui libenter remitto lectorem; qui aduertet quomodo concludat dictus doctor quæſtionem. concludit enim his verbis. *Satius itaque eſt ſi admiſſio in Diæceſim per ordinarium tali pacto veſtita in primis per Pontificem, qui de exemptione poteſt diſponere, corroboretur. & quidem cum hac ſalis mica quæſtioni hic coronidem impono.*

An ſi Epiſcopus non ſeruata forma in decreto Clementis VIII. contenta det facultatem conſtruendi Monaſterium valida ſit conceſſio. Dub. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Inualidam eſſe talem conceſſionem docent ferè communiter Doctores.*

2 *Quando relicta eſt pecunia, vel alij ſunt redditus pro Religioſis de nouo aduenientibus, tunc alij Regulares conuocari non debent pro conſenſu.*

3 *Conſtitutio Clementis VIII. conſiderat preiudicium ſolum quod poteſt fieri Religioſis, quì ex eleemoſinis viuunt.*

4 *Dubitat Author an ſoli vendicantes, & religioſi paupere debeant vocari ab Epiſcopo pro conſenſu, an etiam omnes alij nec ſe reſoluit.*

5 *Primi.*

5 *Priuilegia vnius religionis alteri communicantur, dum eadem ratio militat, ſecus dum eſt diuerſa.*

6 *Epiſcopus dum alij regulares non dant conſenſum introductioni de nouo Regularium, debet ſuſpendere executionem, & remittere Summo Pontifici omnia.*

7 *Modus, quem ſeruare debet Epiſcopus exponitur, dum Regulares intrant in Ciuitatem conſtruendo Monaſterium non ſeruatis ſeruandis.*

8 *Opinio Veneri Leyua refutatur.*

1 INualidam eſſe conceſſionem aſſerunt Ioannes Antonius Nouarius *in Summi Bullar. De Monaſteriorum ædificatione parte* 2. Ratio eſt, quia dicta Bulla continet decretum irritans, quod operatur nullitatem, & omnia in oppoſitum deſtruit *Rota diuerſor. deciſ.* 24. *parte* 2. Gonzalez *ſuper Regul. Cancellar.* 8. *Gloſſ.* 68. *n.* 2.

2 Quod tamen limitari debet, cum relicta fuit aliqua pecuniæ quantitas pro conſtructione noui conuentus, quę ſufficiat ad ſuſtentandos Religioſos illius ſine aliorum detrimento. nam tunc ſufficit, vt ſuperius diximus. dubio *an ſufficiat licentia Epiſcopi ſine conſenſu aliorum Regularium ad conſtructionem Monaſterij, quod ob redditus eſt ſecurum de victu, &cæt.* nam tunc alios conuocare non tenetur Epiſcopus, nec ſeruare in hoc formam dicti decreti. fauet huic limitationi Rota. *p.* 2. *Recent.* apud Farinaciũ *deciſ.* 7. 45.

3 Neque dicas etiam tunc fieri, & ſequi poteſt detrimentum alijs Eccleſijs, & locis pijs. Quia Chriſtifideles poterunt in illo loco erigere ſepulturam, facere celebrari Miſſas, & ſimilia, quod redundat in præiudicium aliarum Eccleſiarum. nam Reſpondeo prædictam conſtitutionem Clementis VIII. conſiderare tantummodo præiudicium quod poſſet inferri Eccleſijs Fratrum Mendicantium, & hoc quo ad eleemoſynas liberè erogandas. non verò detrimentum, quod poſſent pati aliæ Eccleſiæ. Ita Rota. *Parte* 2. *Recent. apud Farinacium Deciſ.* 745. quod maximè conſiderandum eſt, nam ex hoc quis poſſet fortè dubitare, an Epiſcopi teneantur vocare omnes Regulares prius exiſtentes in eis locis vbi de nouo ædificantur monaſteria, vel tantum mendicantes, ſi verba conſtitutionum Pontificum circa hoc æditarum conſideremus vtique omnes Regulares conuocandos eſſe ab Epiſcopo in tali noua ædificatione Monaſteriorum dicendum eſt, nam ibi non diſtinguitur de Mendicantibus, & de alijs; at ſi finem conſtitutionum, vtique cognoſcemus eſſe factas in fauorem ſolum mendicantium, & ſic ſolos mendicantes eſſe vocandos. ego tamen in hoc nihil proprij audeo dicere, cum dubium non videam a Doctoribus motum, & conſequenter nec reſolutum. 4

5 Nec obſtabit dicere ſi hoc eſt priuilegium quoddam mendicantium, eo gaudent omnes etiam non mendicãtes. nã reſpõdeo gaudere non mẽdicantes priuilegijs mẽdicantium dũ militat eadem ratio, at dum non currit eadem ratio iam nõ gaudent. Per mendicantes autem intelligo omnes regulares pauperes viuentes ex eleemoſynis fidelium, nam in fauorem omnium horum videntur datæ tales conſtitutiones Pontificum.

6 Sed ſcias hic pro coronide huius ca-

capitis aliqua, quæ ſcitu verè digna ſunt. Primo, Quid dicendum eſt ſi poſtquam Epiſcopus conuocauit Regulares, & cæt. & dedit licentiã conſtruendi monaſterium ipſis renuentibus, appellarũt pro ſuo damno a licẽtia data ab Epiſcopo. Quid debet tunc facere Epiſcopus? Reſpondeo debet ſuſpendere executionem, & introitum Regularium, & remittere Summo Pontifici omnia, & expectare vt Summus Pontifex in dicta cauſa pronuntiet. Ita Venerus Leyua *lib. 6. citato cap. 10. num. 11. ſui examinis*, & clare habetur ex decreto Sacræ Congregationis ſub Gregorio XV. dat. 17. Auguſti 1622. quod refert Nouarius in *Summam Bullarum de Monaſteriorum ædificatione ſub n. 2. par. 2.*

7 Secundo, Quid facere debet Epiſcopus ſi Regulares intrent non ſeruatis in dicta conſtitutione per vim abſque licentia Epiſcopi. Reſpondet dictus Leyua Venerus Epiſcopus tunc inuocato auxilio brachij ſæcularis ſi opus fuerit debet intrepidè iubere, vt Sanctiſſimum Sacramentum cum debita reuerentia conſumatur, & dictos Regulares excommunicare, & carcerare, & mittere ad ſuos ſuperiores, vt mulctent, & corrigant, & certiorem faciant Epiſcopum de pœnitentia, & pœna illis data. Ita Venerus: colligit hoc dictus Doctor ex

8 Bulla Clementis VIII. *Quoniam* 1603. ſed in illa nec verbum dicitur circa hoc: vnde non puto poſſe tunc Regulares excommunicari ab Epiſcopo, quia in hoc ſunt Regulares priuilegiati, vt dicemus multis in locis cap. *Quo ad excommunicationem*: poterit tamen procedere in eos, vt procedere poteſt in delinquentes publicè notorie cum ſcandalo; Vide caput *Quo ad delicta*, ibi enim habes quomodo tunc procedere poſſit in Regulares ita delinquentes. Habes alia circa Monaſteriorum ædificationem apud citatum Leyuam Venerum *lib. 6. c. 10.* vide ipſum: breuis enim, nec ſexoſus Doctor eſt, & Ioannem Antonium Nouarium *in Summ. Bullar. de Monaſteriorum ædificatione*.

QVO AD NOVITIOS. *Cap. II.*

An Epiſcopi debeant informationes capere nouitiorum recipiendorum. Dub. XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Per conſtitutiones & Gregorij XIII. & Sixti V. aliqui aſſerunt, eſſe informationes capiẽdas ab Ordinario.*
2 *Adducitur circa hoc conſtitutio Clementis VIII.*
3 *A qua tamen ſunt multæ Religiones exceptæ, & quæ nam ſint.*
4 *Modo iam dictæ informationes capiendæ non ſunt ab Ordinarijs, nec a Sacra Congregatione, ſed a proprijs Regularium ſuperioribus.*
5 *Qui tamen ſuperiores poſſunt tales informationes remittere perſonis circumſpectis, & honeſtis.*
6 *Quando vnus Religioſus de vna religione tranſit ad aliam, non ſunt capiendæ dictæ informationes.*
7 *Etiam ſi nouitij ſint nobiles dictæ informationes debent capi.*
8 *Iſtæ informationes præcedere debent habitus ſuſceptionem.*
9 *Quando ſuperiores incidant in pænas ſi non*

non capiant tales informationes.

10 *Iam modo non ſunt examinandi ab ordinario nouitij, dum recipiuntur, & habitu induuntur; nec etiam erant examinandi ſub Clemente VIII. quidquid in oppoſitum dicăt multi.*

1 IOannes Antonius Nouarius in *Sũma Bullarũ de Nouitijs recipiẽdis* affirmatiuè reſpondet, & monetur ex conſtitutione Gregorij XIII. & alia Sixti V. & ſic dicit. *Amplia 2. vt Ordinarij capere debeant informationẽ de ætate, conditione, ſcientia, vita, & moribus, cæteriſque qualitatibus requiſitis in ipſis nouitijs, vt habetur in dicta Bulla, & adeo teſtes inquirẽdi de omnibus impedimentis ſigillatim examinantur*, & ſubdit hăc informationem eſſe capiendă etiam à Vicario Generali in defectum Epiſcopi, & à capitulo ſede vacante, & vt melius pateat, quid tenendũ ſit pono ad verbũ, quæ haben-
2 tur in conſtitutione Clementis VIII. ædita anno 1602. quæ incipit. *Sắctiſſimus in Chriſto Pater. Nouitij ad habitum nullatenus recipi poſſunt vel admitti niſi prius ab ipſa congregatione, vel a proprijs locorũ ordinarijs in quorum Diæceſi nouitiatus exiſtunt expreſsè, & nominatim nouitij ipſi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti poſſint licentiam in ſcriptis gratis tamen obtinuerint. Monet autem Sanctitas ſua eoſdem ordinarios, omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, ſcientiam, vitam, & mores, cæteraſque qualitates, in ipſis nouitijs requiſitas obſeruentur inſtitutiones pro ipſis recipiendis ab eadem congregatione reformationis fa-*
3 *ctæ, & publicatæ*. Aduerte tamen excipi aliquas religiones, vt ſunt Carthuſiani, Fratres Capucini, Reformati, Sancti Dominici, Diſcalceati ordinis Carmelitarum, Fratres Congregationis Fullienſis, Ordo Ciſtercenſium, Eremitæ Camuldulenſes, Clerici Regulares Theatini; Societatis Ieſu, Sancti Pauli decollati, de Somaſca, Miniſtrorum Infirmorum. Quæ conſtitutio habet locum in Italia tantum, & in Inſulis adiacentibus.

4 Sed modo iam dictæ informationes non ſunt capiendę a S. Congregatione; aut a locorum Ordinarijs, vt notat Bordonus *de profeſſione Regularium cap. 4. quæres* 3. & clarè patet ex declaratione congregationis ab Vrbano VIII. circa hoc æditam vbi habetur. *A quibus tamen excipiendum cenſuit illud, quod decernitur, ne in conuentibus, ſeu monaſterijs ad nouitios recipiendos hactenus deſſignatis, ſeu in poſterum deſſignandis nouitij ad habitum nullatenus recipi poſſent, niſi prius a congretatione reformationis Apoſtolicæ, vel a proprijs locorum ordinarijs expreſsè, & nominatim approbati fuerint; a cuius quidem decreti obſeruantia S. Congregatio iuſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſoluendos, pro vt auctoritate Sanctiſſimi Domini noſtri abſoluit*. Sunt ergo dictæ informationes capiendæ a Superioribus dictorum nouitiorum; ſic Bordonus *de profeſſione regulari cap. 2. quæſt. 76.*

5 Sed multa hic obiter quærere poteris. Primo. An ſuperior poſſit tales informationes committere perſonis circumſpectis, & honeſtis. Reſpondeo affirmatiuè, vt reſpondet Ioannes Antonius Nouarius loquens de Epiſcopis loco ſupra; quidquid multi Doctores dicant in contrarium.

Ma-

Marant. Macer. Sanchez, & alij, & ita cenſuiſſe Rotam teſtatur coram Eminentiſſimo Pamphilio.

6 Quæres Secundo; An dictæ informationes capiendæ ſint; Quando Religioſus profeſſus tranſit de vna in aliam Religionem. Reſpondeo negatiue. Ita dictus Nouarius: & patet ex conſtitutione Sixti V. per illa verba, *ſed ad euitandam legum, & iudiciorum ſeueritatem, quia tuto in ſæculo viuere nõ poſſunt*. Sed hæc ratio non militat in Religioſis tranſeuntibus; Ergo

7 Quæres Tertiò; An iſtæ informationes debeant etiam capi, quando nouitij ſunt nobiles, & cogniti. Reſpondeo affirmatiuè: & ita reſpondet Rota *Dec.* 175. *part.* 1. *tom.* 1. *in Recentioribus*. Quia iſtæ informationes requirũtur pro forma ſubſtãtiali actus.

8 Quæres Quarto; An iſtæ informationes debeant præcedere habitus ſuſceptionem. Reſpondeo affirmatiuè. Quia in conſtitutione adeſt verbum, *niſi prius ab ipſa Congregatione*. Ita Nouarius loco ſuprà.

9 Quæres Quinto; An ſuperiores incidant in pœnas ibi inflictas; ſi non capiant dictas informationes.

Reſpondeo incidere; ſi nouitij recepti habeant defectus illos, quos nõ debeant habere, ſecus ſi non habeant. Ita Rodriquez *Tom.* 3. *qq. Regul. qu.* 54. *& art.* 4. & Diana *parte* 3. *tract.* 2. *reſol.* 63. & hæc ſint obiter hic poſita,
10 ſed redeundo ad materiam noſtram de exemptione Regularium ſoluendum eſt hic dubium; An modo epiſcopi examinare poſſint nouitios antequam habitu induantur?

Reſpondet Bordonus, iam modò non debere, nec poſſe examinari ab Ordinarijs ex indulto Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. & de eius mandato in ſuis decretis *de Regul. & Apoſtatis* non antem ſub Clemente VIII. ex decreto, quod incipit *Sanctiſſimus* dat 19. Maij 1602. quod ſtatuebat, non poſſe nouitios recipi, niſi præuio examine Ordinariorum.

Sed ego puto, etiam ſub Clemente VIII. potuiſſe recipi nouitios ſine examine Ordinariorum per aliud decretum incipiens *Sanctiſſimus* anno 1603. Vbi dat facultatem recipiendi nouitios Fratribus informatis de obſeruantia cum ſolo examine ſuorum Prælatorũ, ſic dicẽs. *Ita tamen, vt prius examinẽtur diligẽter per ipſos, cuſtodẽ, & Guardianos, & diſcretos recipiẽdorum, & admittendorum*. ecce quomodo nõ requirebat, nec Clemens VIII. examen epiſcoporum, neque dicas hoc erat pro particulari illa Religione; nam cũ priuilegium quoddam eſſet, ipſo gaudent per participationem ferè omnes Religiones.

An epiſcopus poſſit prohibere Regularibus ne quis in conuerſum, vel oblatum recipiatur ſine ipſius licentia. Dub. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia tamquam antiqua, & improbabilis reijcitur.*
2 *Negatiua ſententia probatur.*
3 *Caput vnicum de ſtatu Regularium, nec verbum dicit de Epiſcopo.*
4 *Modo ſunt multæ conſtitutiones Pontificum, per quas nulla tribuitur circa hoc Epiſcopis.*

1 Affirmatiuè reſpondet Henricus Borreius *de Sinodo Epiſcopi in tra-*

tractat. volum. 13. *fol.* 399. *numer.* 291.
Sed iam iſte doctor inter antiquos reputandus eſt. Vnde conſideranda non eſt eius opinio; maximè in hac materia, circa quam nouæ ſemper conſtitutiones, & decreta æduntur, quæ omnia mutant.

2 Primo ergo, non ſubſiſtere mihi videtur talis opinio; Quia *caput vnicum de ſtatu regularium*, ex quo dictus Borreius colligit ſuam ſententiam, vt patet conſideranti loquitur de conuerſis fęminis, & de non mendicantibus ordinibus. Verba ſunt hæc, *Sanè, vt hoc ſalutare ſtatutum commodius valeat obſeruari diſtrictius inhibemus, ne in Monaſterijs ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in ſorores, niſi quot poterunt de ipſorum monaſteriorum bonis, ſiuè prouentibus ſuſtentari; ſi ſecus autem factum fuerit, irritum decernentes*. Vnde Gloſſa ſic habet. *Hoc ſpeciale dictum videtur in talibus monaſterijs fæminarum, ſecus puto in Monaſterijs virorum*, & citat Ioannem, Monacum, &

3 Archidiaconum. Secundo non video, quomodo ex hoc textu colligat Borreius Epiſcopi auctoritatem ad dandas huiuſmodi licentias, & ad hoc, vt poſſit ſtatuto ſinodali hoc prohibere Regularibus; in illo enim nulla fit mentio Epiſcopi, & ſic puto, nec cum licentia Epiſcopi poſſe recipi huiuſmodi conuerſos, & ſorores, ſi non ſuppetat monaſterijs facultas eos ſuſtentandi, & licentia illa ſuperioris, quam ibi requirit dictum caput, eſt ſolum ad egrediendum è monaſterio reſpectu monialium, non autem ad intrandum; vt legenti patet.

4 Adſunt demum circa hoc modo multæ conſtitutiones, & Clementis VIII. & Pauli, & Vrbani VIII. ex quibus nullo modo colligitur, Epiſcopum habere auctoritatem aliquam circa talem acceptationem (maximè loquendo de Regularibus viris.)

An epiſcopi habeant iuriſdictionem in nouitios Regulares, in caſibus, in quibus habent poteſtatem in alios regulares profeſſos. Dub. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij in fauorabilibus gaudent priuilegijs religioſorum, in odioſis autem non veniunt nomine Religioſi.*
2 *In odioſis canonici non veniunt nomine Clericorum, ſecus in fauorabilibus. Sic etiam Cardinales.*
3 *Nouitij non includuntur in Bulla Clementis V I I I. de largitione munerum.*
4 *Nouitij poſſunt confiteri cum omnibus cōfeſſarijs approbatis ab Ordinario.*
5 *Nec ligantur caſibus reſeruatis Prælatorum.*
6 *Nouitijs Regularia beneficia nequeunt conferri, quia id expreſsè prohibetur per Canones.*

1 NEgatiuè reſpondent Ioannes Maria Nouarius *in ſuis varijs deciſionibus deciſ.* 88. Sanchez *lib.* 6. *in Decalogum*, vbi multos alios citat, Riccius, *Tom.* 4. *Praxis reſol.* 239. qui etiam alios plures congerit, & Ratio eſt; quia Nouitij in fauorabilibus gaudent priuilegiis profeſſorum, in odioſis autem non veniunt nomine Religioſi. Probatur autem in odioſis non comprehendi nomine Religioſorum Nouitios multis exemplis ſimilibus;
2 ſic in odioſis Canonici non veniunt no-

nomine Clericorum, ſecus in fauorabilibus; ſic Cardinales in fauorabilibus veniunt nomine Clericorum, ſecus in odioſis. Ita Barbat. *in tractatu de præſtantia Cardinalium*, Gomez, & Mandoſ. aliique apud Riccium *loco citato*.

3 Collige obiter ex poſita doctrina multa vtilia. Primo. Nouitios non includi in Bulla Clementis VIII. *de largitione munerum*, vt notauit Sordus. *in compendio priuilegiorum*, & Bartholomęus a S. Fauſto in *Theſauro Religionis lib. 8. quæſt. 206.*

4 Secundo Nouitios poſſe confiteri cum omnibus confeſſoribus approbatis ab ordinario; vt docent plures Doctores; quidquid dicant Megalius *lib. 1. inſtruc. conſcientiæ lib. 1. cap. 8. num.* 20. et Vecchius *in praxi nouitiorum diſput. 10. dub. 3.* Ita Riccius citatus, et apud ipſum Henriquez, Rodriquez, Homo bonus, et alii.

5 Tertio. Nouitios non ligari caſibus reſeruatis Prælatorum Religionis. Ita Graffius, Emanuel Sà, Naldus apud eundem Riccium *reſol. 241. de Nouitijs par. 4 Praxis*.

Sed obijciet aliquis contra prędictam doctrinam. Si nouitij in fauorabilibus veniunt nomine Regulariū. Ergo eis conferri poteſt beneficium Regulare; Sed hoc eſt falſum. ergo, & cæt.

6 Reſpondeo, non poſſe conferri beneficia Regularia Nouitiis; quia hoc expreſſè prohibetur. ex cap. *nullus de electione, & Clementina prima de ſupplenda negligentia Prælatorum*, & aliis etiā textibus. At cum eis expreſſè non prohibetur aliquid ſemper in fauorabilibus veniunt nomine Religioſorum.

Quinam ſit Ordinarius Nouitii. Dub. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ variæ referuntur.*

2 *Authoris opinio ponitur, & rationibus confirmatur.*

3 *Regulares qui ſuam profeſſionem nullam volunt ratificare, hoc debent facere coram Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt Monaſterium.*

1 PRima ſententia docet, eſſe Epiſcopum proprię habitationis. Ita multi DD. *apud Sanchez lib. 4. cap. 39. n. 19. & 20.* Suarez, Hēriquez, & alii.

Secūda docet, eſſe Epiſcopū Diœceſis, in qua eſt in probatione nouitius. Ita ipſe Sanchez *loco citato*. ſit ergo

2 Concluſio; Ordinarius Nouitii eſt epiſcopus ille, in cuius Diœceſi eſt monaſterium probationis. Prob. Quia Nouitius, cum habeat animum ibi perpetuo commorandi, iam mutauit prius domicilium, & ſic non eſt ſubditus epiſcopo habitationis. Secundo. Quia dedicatio Nouitii Religioni eſt pura, & non conditionalis, quamuis commutabilis. Ergo habet animum perpetuæ habitationis, & ſic mutauit domicilium, & cum hac ra-
3 tione, iam ſolutum remanet fundamentum contrariæ ſententię. Sic etiam videmus nouitios illos, qui ob ſuam profeſſionem nullam debent illam ratificare, ſubdi ordinariis locorum, in quibus ſita ſunt monaſteria. Sic ex decreto Sanctiſs. Vrbani VIII. quod incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter*, habentur hæc verba. *Cæteriſque Ordinarijs locorum, in quibus eorumdem Regularium monaſteria, &c.*

An

An Nouitii incidant in caſus reſeruatos ab Epiſcopo. Dub. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *In odioſis non ligatur nouitius conſtitutionibus Religionis.*
2 *Homobonus proponit dubium, ſed non reſoluit.*
3 *Non incidit nouitius in caſus reſeruatos Epiſcopi, & Fundamenta huius ſententiæ ponuntur.*

1 IN terminis dubium mouet Homobonus, ſed non reſoluit, nam cum in titulo ponat; an Nouitius incidat in caſus reſeruatos, tum ab epiſcopo, tum a Religione, clarè, & expreſsè dicit non incidere in caſus reſeruatos Religioni; quia nouitius in odioſis, conſtitutionibus, & caſibus reſeruatis non ligatur. per caput *de Religio 1. de electione in 6.* & ſuſtinent Vgolinus *de officio Epiſcopi par. 2. cap. 35* Rodericus *tom. 1. qq. q. 2. art. 11.* Miranda *in Manual. Prælatorum tom. 2. quæſt. 34. artic. 16.* Sà *in verb. caſus* Coriolanus *de caſibus reſeruatis*, et alii plures apud dictum *Homobonum par. 2. circa 6. præceptum Reſponſo 151.*

2 Sed poſtea dum quærit; an incidat nouitius in caſum reſeruatum epiſcopo non ſatisfacit, ſed tantum reſpondet caſui ab ipſo poſito; an ſcilicet ſi pollutio voluntaria eſſet peccatum contra naturam, eſſet reſeruata in ea Diœceſi, in qua epiſcopus reſeruat peccatum contra naturam: dicit ergo ibi, non eſſe peccatum reſeruatum pollutionem, licet ſit peccatũ cõtra naturam; quia ex recepta praxi non cenſetur peccatum reſeruatũ, et hoc, ne animabus laqueus iniiciatur cum occaſio proxima incidendi in tale peccatum ſemper nobiſcum hęreat. Hoc habet homobonus, ſed non ſatisfacit; dato, quod eſſet tale peccatum reſeruatum ab epiſcopo; an incidat nouitius in reſeruationem.

3 Reſpondeo ergo, non incidere, nã ſi a legibus, et ſtatutis ſuorum Prelatorum nouitii liberi ſunt, multo magis ab eis, quę ſunt ab epiſcopo, cum tempore nouitiatus gaudeant priuilegiis Religionis, et eximantur a Iuriſdictione epiſcopi. Deinde familiares, et ſerui Religioſorum per aliquos Doctores non incidunt in caſus reſeruatos epiſcopi. ſic tradit *Peirinis tom. 1. priuilegio. in conſtitut. 1. Iulij §. 15. num. 14.* ergo a fortiori, nec ſubiecti erunt nouitii caſibus reſeruatis epiſcopi.

An ſi Nouitius degens extra clauſtra delinquat poſſit ab epiſcopo puniri ſicut alii profeſſi. Dub. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Eiuſdem conditionis eſſe Nouitios, ac profeſſos dum delinquunt dicunt aliqui Doctores.*
2 *Authoris opinio explicatur.*
3 *Cum concilium ſubdit nouitios Epiſcopo, hoc ſolet exprimere.*
4 *Cum excommunicatio non detur propter delicta præterita; hinc ſequitur, quod nouitij nequeunt ab Epiſcopo excommunicari.*

1 AFfirmatiuè Reſpondet Laurentius de Franchis pag. *mihi 365.* & Fundamentum ipſius eſt Concilium

lium Tridentinum, per quod ſtatuitur Regulares debere puniri ab Epiſcopo, dum extra clauſtra degunt, & delinquunt. Vnde cum non debeant eſſe melioris conditionis, quam alij Regulares profeſſi, Iam ſubdentur Epiſcopis. Et ſic in hac ſententia, idem etiam eſt dicendum de nouitiis, qui degunt intrà clauſtra, & extra ea ita notorie delinquunt, vt populo ſcandalo ſint; nam tunc etiam Epiſcopus poſſet procedere in nouitios, ſicuti in alios Regulares profeſſos.

2 Attamen dubium mihi contra hãc ſententiam venit ſtando alibi a me dictis, nam licet verum ſit, pares eſſe nouitios cum aliis Regularibus, attamen in odioſis non videtur idem de eis dicendum, ac de profeſſis; vt ſæpè in aliis multis caſibus dicimus; ſed tantum in fauorabilibus videtur hoc verum, cum ergo exemptioni Regularium ſit odioſum ſubdi ſcilicet Epiſcopo, quo ad delicta, hinc eſt, quod poſſit dubitari; an nouitii Epiſcopo quo ad delicta ſubdantur: maximè cũ poſſint puniri a ſuis ſuperioribus: in qua re ſi dicamus, eſſe melioris conditionis nouitios, quam alii profeſſi ſint, non video inconueniens.

3 Quod ſi dicas per Concilium Epiſcopo in aliquibus ſubduntur nouitii, in quibus alii Regulares profeſſi, vt in renunciatione facienda, &c. Reſpondeo, hoc ibi exprimi a Concilio, quod cum non dicat expreſsè ſubdi nouitios quo ad delicta; ſed Regulares tantum, hinc eſt, quod nouitii non videantur comprehendi.

4 Sed quæres hic; an nouitii poſſint excommunicari ab Epiſcopo proprio? Affirmatiue reſpondet Henriquez *lib. 3. de Pænitentia cap. 16. n. 3. in Comment. litt. T.* Negatiue vero Sanchez, *libro 9. Operum Moralium cap. 9. dub. 1. num. 33.* & hoc magis mihi placet; quia excommunicatio non eſt punitio delicti præteriti, nec poteſt pro delicto prẹterito imponi, ſed pro futuro. Vnde concludendum eſt, non poſſe excommunicari nouitium; quia ſicut nõ poteſt aliquid ei imponi ſub obedientia, ſic nec ſub excommunicatione. Sed habes circa hoc reſolutionem in hoc tractatu cap. *quo ad cenſuras*, circa finem.

A quo Epiſcopo debeant ordinari nouitii. Dub. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij ordinari non debent tempore nouitiatus, nec etiam prima tonſura initiari, vt habetur per Canones.*

2 *Si tamen ordinentur, ordinandi ſunt ab Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt monaſterium.*

1 Licet iure cautum ſit, ne nouitii Regulares ordinentur, nec etiã initientur prima tonſura; vt habetur in *cap. monaſterijs* per hæc verba *Monaſterijs omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat, vt eos, quos ad conuerſionem ſuſceperint priuſquam biennium in conuerſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare, ſed hoc ſpatio vitæ, moreſque eorum ſollicite comprobentur, ne quis eorum, aut non ſit contentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegit. Nam dum graue ſit inexpertos hominum ſociari obſequijs: quis poſſit dicere, quam ſit grauius ad Dei ſeruitium im-*

probatos applicari. Attamen ſi caſus daretur, in quo ordinandi eſſent nouitij, dubij poſiti ſolutio vtilis erit.

2 Reſpondent ergò communiter Doctores, ordinandum eſſe ab Epiſcopo loci, in quo degit nouitiatus. Ita Homobonus *tom.3. de examine trac.15.c.9.5.reſol.3.confecta.*Sanchez *lib.4.de præceptis decalog. cap.39.n.19.* Molfeſius *tract.11. cap.15. nu.130.* & ratio eſt; quia per illam habitationem in loco nouitiatus, iam prius habitaculum deſertum eſt, & regulares omnes ad diœceſanum in quo eſt monaſterium debent recurrere in omnibus, in quibus ſubduntur Epiſcopo: pro hoc facit ſuperius dictum, dum quærebamus qui nam ſit ordinarius nouitij.

An illi, qui admittuntur a Regularibus ante pubertatis annum gaudeāt priuilegijs nouitiorum. Idem de hoſpitibus noſtræ congregationis quæritur. Dub.XXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Gaudent tales pueri priuilegio Canonis ſi cum licentia admittantur.*

2 *Omnibus priuilegijs Religionis gaudere hos pueros probabile eſt.*

3 *Etiam illi, qui ingredi volunt Religionem intra paucos dies gaudent in multis priuilegijs Nouitiorum, etiam ſi non ſint induti habitu religionis.*

1 Affirmatiuè reſpondet Laurettus de Franchis; expreſsè tamen loquitur ſolum de priuilegio canonis. Vnde ſi quis percuteret hos pueros iam incideret in excommunicationem cap. *Religioſo de ſententia excommunicat.* limitat tamen, & dicit, hoc eſſe verum, dum regulares cum licentia hos pueros educandos ſuſcipiunt, ſecus ſi ſine tali facultate: quia iam talis admiſſio eſt irrita, & conſequenter nullo priuilegio gaudebunt dicti pueri, & idem dicendum putat de his pueris, qui ante vſum rationis a parentibus offeruntur Religioni, quia illa oblatio nihil operatur Ita dictus de Franchis pag. *mihi 366.*

2 Sed vniuerſaliter puto, hos pueros admiſſos a Regularibus gaudere priuilegijs omnibus nouitiorum, & religionis, ſicut diximus de familiaribus, & hoſpitibus: immò a fortiori, & maximè in materia Sacramentorum, de priuilegio autem canonis hoc non audeo affirmare abſolutè ſcilicet loquendo de illis, qui offeruntur, & ſine licentia admittuntur ſicut nec hoſpites gaudent dicto priuilegio, citat dictus Laurettus de Franchis pro ſe Sanchez *in opere morali libr.5. capit.4. num.26.* locum tamen inuenire non potui, quia in dicto lib.5. caput quartum non adeſt.

3 Nota hic quod dicunt aliqui Doctores non ſolum actualiter nouitios ſed etiam alios, qui ingredi volunt religionem gaudere priuilegijs nouitiorum, etiam ſi non ſint induti habitu religionis. Vide kæzanam, *verb.nouitij num.43.*

De hoſpitibus autem noſtræ religionis poſt hæc ſcripta vidi agentes Dianam *part 6.trac.8.reſolut.7.*& Paſqualigum *in deciſ. deciſ.424.* Diana putat gaudere omnibus priuilegijs, Paſqualigus negat: vtraque opinio probabilis eſt.

An

An ſoli Epiſcopi, vel etiam Prælati Regulares poſſint facultatem concedere nouitijs renunciationem faciendi. Dub. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Quod poſſint etiam Prælati Regularium dare hanc facultatem Nouitijs ſuadere videntur aliquæ rationes.*

2 *Decretum Concilij Tridentini ſolum tribuit hanc facultatem Epiſcopis.*

3 *Non tollitur a Prælatis regularium facultas pro ingreſſu Monialium.*

4 *Hæc facultas renunciationem faciendi non debet neceſſario dari in ſcriptis.*

1 Aliquibus forte videbitur, poſſe Regulares prælatos hanc facultatem ſuis nouitijs concedere; maxime cum exempti ſunt dicti Prælati, & Monaſteria, hocque argumentando a pari, ſicut licentia ingrediendi Monaſteria Monialium exempta, etiam debet eſſe a Prælato, vt vult Nouarius, *comment.4. de regularibus, numer.*60. dum conſuetudo talis eſt. Secundo, quia in Monaſteria exempta nulla iuriſdictione potiuntur Epiſcopi, ſed ſoli Prælati hanc habent, his tamen non obſtantibus.

2 Reſpondeo, nullo pacto poſſe ſe in hoc ingerere Prælatos Regulares, & hoc per decretum Concilij, vbi ſtatuitur, hanc licentiam ſolum ab Epiſcopo eſſe dandam, vel ab eius vicario, & ita expreſsè docent communiter Doctores, præcipuè Laurettus de Franchis, qui dubium mouet, *pag.mihi* 359.

3 Nec obſtat doctrina Nauarri, quia non valet paritas, cum non tollatur talis facultas a Prælatis pro ingreſſu in Monaſteria Monialium, ſicut tollitur in caſu noſtro. Nec etiam facit contra nos, quod nouitij ſint exempti, nec ſubdantur conſequenter Epiſcopo. nam

Reſpondeo, non ſubdi in eis in quibus Concilium eos non ſubiecit, ſicut ſubdit in caſu noſtro.

4 Quæres; an hęc licentia debeat dari in ſcriptis. Negatiuè reſpondeo, & ita etiam reſpondet Laurettus de Franchis: *pag. mihi* 357. tum quia mentionem nullam fecit de licentia in ſcriptis Tridentinum, *ſeſſ.*25. *de regularibus*, ſicut vult expreſsè licentiam in ſcriptis ad ingrediendum Monaſteria Monialium; Secundo, quia omnis diſpoſitio poteſt fieri verbo niſi lex requirat ad valorem actus ſcripturam.

Notat tamen idem de Franchis, licet non requiritur talis licentia, adhuc tamen fore vtilem, ſi concedatur in ſcriptis, ne forte lis ſupra eius valorem moueatur.

Secundo, notat, non ſolum debere eſſe licentiam petitam, ſed etiam obtentam, & impetratam; tum quia non dicitur adeſſe licentiam, dum tantum eſt petita; tum, quia etiam quando ius vult tantum licentiam patitam explicat.

Tertio notat, hanc licentiam præ-

cedere debere; nam licet valdè controuerſum ſit; an ſufficiat licentia ſubſequens, hic tamen de hoc non eſt dubitandum, cum hæc renunciatio non ſit actus vltimæ voluntatis reuocabilis, ſed ſtatim firmus omninò, & validus, ad quem non ſufficit licentia ſubſequens; ſed requiritur præcedens. Si tamen hæc renunciatio fiat cum hac conditione; ſi poſtea Epiſcopus approbet, erit approbatio ſubſequens, & ſcias hic ſecundum aliquos doctores, quos citat Fagundez *lib.* 1. *de contractibus cap.* 19 *num.* 12. Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de regular.* ſubdere Epiſcopis in hoc nouicios tantum ſexdecim annorum; reprobatur tamen hæc ſententia communiter.

An aliquando donatio nouitij intra duos menſes facta ſine conſenſu Epiſcopi ſit valida.
Dub. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur, quid ſtatuit Concilium Tridentinum* ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular.

2 *In illis religionibus in quibus vſus eſt contrarius, non debet obſeruari relatum decretum Concilij.*

3 *In ſocietate Ieſu, etiam præciſa particula, quæ eius Religioſos eximit in hoc, adhuc non habet locum præſens decretum, & hoc per conſuetudinem in contrarium.*

4 *Non habet locum Tridentin. in vltimis voluntatibus.*

1 CONcilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de regularibus* Statuit, vt intra duos menſes ante profeſſionem, ſi velit nouitius renunciare ſua bona debeat hoc facere cum facultate Epiſcopi. *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ ualeat, niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non alias intelligitur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, &cæt.* hoc tamen ſic extante.

2 Aliqui, quos citat Lezana *tomo* 1. *cap.* 24. *numero* 33. & ſunt Vega *tom.* 2. *Summ. capit.* 50. *caſ.* 3. Rodriquez 2. *tom. quæſtion. quæſt.* 47. putant, hoc decretum Concilii habere locum in illis Religionibus, in quibus vſus non fuerit contrarius; affirmantes in aliquibus eſſe conſuetudinem in contrarium, quæ habet vim legis, & per quam poſſunt abrogari leges poſitiuæ, & talis conſuetudo eſt in ſocietate Ieſu, per quam valide profeſſuri renunciant bona, etiam præciſa illa particula Concilij, in qua eximit ab

3 obligatione talis decreti Patres ſocietatis; nam etiam ſi circa illam poſſet quis mouere dubium dicendo, tantum velle Concilium in hoc eximere ſocietatem, quod ſcilicet non poſt annum emittant profeſſionem, attamen adhuc per conſuetudinem non habet in eis vim præſens decretum. Ita Sanchez *lib* 7. *in decalog. cap.* 5.

4 Et ſcias hic circa præſens dubium, Farinacium, relatum a Villalobos adducere declarationem Cardinalium

lium, quæ ſtatuit habere locum di-ctum decretum, etiam in teſtamentis, & alijs vltimis voluntatibus. Sed nihil refert cum ſit alia declaratio contraria, quam adducit idem Villalobos *tract.* 35. *difficul.* 17. *de la entrada de la Religion*. Vnde concludit ſic dicens, *y no obſta contra eſto la declaraçion de Cardenales, por que la primera declaraçion es muy conforme a raçon, y eſta en vſo, y eſta no lo eſtà*.

Qui autem, præter Epiſcopũ poſſint dare hanc facultatem, vide Barboſam *in hunc locum Tridentini*, & Lezanam, verb. *Epiſcopus, quo ad Regulares*, qui alios plures citant.

Quando Epiſcopus poſſit compellere Regulares per pœnas, vt reſtituant bona accepta à Nouitijs. Dub. XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus etiam per cenſuras poteſt compellere regulares, vt reſtituant bona accepta a nouitijs, dum ante profeſſionẽ è religione egrediuntur.*

2 *Res donata tanta eſſe debet vt nouitius ob ipſam habeat difficultatem diſcendendi e Religione.*

3 *Quid intelligat Concilium Trident. per ly* aliquid *explicatur.*

1 CErtum eſt ex Concilio Tridentino, poſſe ab Epiſcopo compelli Regulares, vt reſtituant bona accepta a nouitijs, qui ante profeſſionem egrediuntur a Religione his verbis, *Quod vt rectè ſtat Epiſcopus etiam per cenſuras eccleſiaſticas ſi opus fuerit compellat*. Omnes Doctores in hoc conueniunt, vide Lezanam verb. *Epiſcopus quo ad regulares*. Tamburinum *de iure Abbatum tom.* 1. *diſputat.* 15. *quæſit.* 7. *nu.* 29. Ioannem Mariam Nouarium, Villalobos *in Summ. tratado* 35. *de la Profeſſion*. Sed non explicant benè, nec quantitatem rei donatæ, quæ hoc ius tribuere poſſit Epiſcopo in Regulares exemptos, nec modum, quo res poſſit acci pi abſque eo, quod poſtea ſubdantur Epiſcopo in reſtitutione. ex quo

2 Ad primum res donata tanta eſſe debet, vt nouitius ob ipſam habeat difficultatem diſcedendi. Vnde magna pars ſuæ ſubſtantiæ eſſe debet. Verba Concilij hoc clare dicunt. *Ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat*.

3 Nec obſtant verba antecedentiã *excepto victu, & veſtitu nouitij quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur*. Nam poſtea motiuum legis explicatur, & quid pro ly *aliquid* intelligatur, quod non vidi conſideratum a Doctoribus.

Quo ad ſecundum autem patebit ex ſequenti dubio.

An quod nouitius dat in ingreſſu Religionis debeat reſtitui, & poſſit ad hoc Epiſcopus cogere Regulares. Dub. XXXV.

SVMMARIVM.

1 *Pro affirmatiua ſententia ſunt Doctores & rationes aliquæ.*

2 *Dum Tridentin. iubet omnia reſtitui nouitio abeunti a Religione intelligendum eſt de rebus, quas donauit iam exiſtens in nouitiatu.*

3 ***Doctores, qui ſic explicant Concilium afferuntur.***

4 ***Oppoſitum tamen docent aliqui Doctores.***

5 ***Quomodo intelligendus ſit Villalobos, qui ſibi ipſi contrarius videtur in hoc.***

1 AFfirmatiuè videtur primo aſpectu reſpondendum. Primo videtur probari ex Concilio Tridentino: *ſeſs.25.cap.16.de Regul.* vbi loquitur abſolutè, & de Nouitijs maſculis, & etiam de fęminis. *Pracipit Sancta Sinodus vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant*, ergo etiam data in ingreſſu Religionis debent reſtitui. Secundo ex eodem *capite Concilij in principio*, vbi ait, quod nulla donatio, vel renunciatio, vel obligatio facta per nouitium valeat, niſi facta fuerit per duos menſes proximos ante profeſſionem, idque de licentia Epiſcopi; ergo cum hæc donatio facta fuerit multo ante duos proximos menſes habet locum, &c. His tamen non obſtantibus.

2 Reſpondeo nullo pacto poſſe Epiſcopum cogere, & cęt. & probatur, ſoluendo argumenta in contrarium adducta ad primum argumentum; Reſpondeo, verba illa Tridenrini iubentis nouitio abeunti omnia reſtitui, non intelligenda eſſe de illis rebus, quas donauit ante ingreſſum, vel in ingreſſu, ſed quas donauit iam exiſtens in nouitiatu ex verbis eiuſdem Concilij capite citato: in medio namque dicti capitis iubet Concilium, ne parentes nouitij, quamdiu ille fuerit in nouitiatu per hæc verba, *Illius temporis, quo in nouitiatu ſteterit*, donent aliquid conuentui quocumque titulo.

3 Ad ſecundum Reſpondeo, quod licet iſta donatio facta ſit ſine licentia Epiſcopi, nihil refert; quia per Concilium hæc licentia Epiſcopi requiritur pro validitate donationis faciendæ à nouitio, dum iam eſt in nouitiatu: habet caſum in terminis Portel.*par.2.caſuum caſ.*103.& idem ſuſtinet Villalobos *in ſua ſumma part.2.tratado*35. *dificult.*17. *num.*4. habet. *Lo terçero, que eſte decreto no tiene lugar en las donaçiones, ò renunciaciones que ſe hazen antes de tomar el habito, aunque fueſſe en tiempo, que trataſſe de reçebirle, y tuuieſſe animo de ſer Religioſo, y eſtuuieſſe admitido como declaran los Cardinales por eſtas palabras. An diſpoſitio huius capitis in principio comprehendat illum, qui habet animum ingrediendi religionem adhuc in ſæculo exiſtens, ſed tamen acceptatus licet habitum nondum ſuſceperit donauit bona ſua monaſterio non adhibitis ſolemnitatibus. Congregatio cenſuit non habere locum in renunciatione facta ante ſuſceptionem habitus.*

4 Oppoſitum tamen ſuſtinent Frater Manuel *in ſum.1.par.cap.*90. qui citat pro ſe Nauartum. Fundamentum ipſorum eſt; quia etiam ſic tollitur libertas nouitij poſtea habitu ſuſcepto. Sed reſpondet dictus Villalobos loco ſupra *A lo qual ſe reſponde façilmente que el Concilio no diſpone de los bienes de los ſegulares, que ellos pueden hazer de ſu hazienda libremente lo que quiſierent.* Addit tamen Villalobos multa, per quæ videtur eſſe ſibi contrarius; & affert quaſdam declarationes Sacræ Congregationis oppoſitas primæ ab ipſo adductæ. Fundamentum eſt, quia id quod datur a nouitio intuitu ingreſſus ſine debitis ſolemnitatibus videtur dare in fraudem canonis. Vide

de

de omnino dictum Villalobos; qui hoc vltimum, quod dicit fortè diuerſum, & oppoſitum non eſt prius di-
5 cto; cum dicat donationem factam a nouitio in ipſa ſuſceptione habitus non eſſe validam; & ante aſſerat eſſe validam donationem factam nondum ſuſcepto habitu, qui caſus diuerſi ſunt.

An non obſtante nouitiatu poſſit Regularis inſtitui ad beneficium iuris patronatus ad quod fuit præſentatus Dub. XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Nouitio poteſt beneficium conferri, collatio etiam beneficij facta adſtricto voto Religionis valida eſt.*

2 *Valida, ſed illicita eſt collatio beneficij facta nouitio ſecundum aliquos.*

3 *Nulla eſt prohibitio facta Epiſcopo, a iure, per quam nequeat conferre beneficium nouitio.*

4 *Beneficium Nouitij, alteri non debet conferri ſine ipſius conſenſu.*

5 *Abſurdum eſt dicere nouitium hæreditatis incapacem eſſe.*

1 Videtur primo aſpectu poſſe inſtitui ab Epiſcopo dictum nouitium; quia nouitio poteſt beneficium conferri, vt docent Franc. Tiraquell. Azorius *tom. 1 inſtitut. Moralium lib.* 12. *cap. 3. quæſt. 1. Nauarrus lib. 2. conſil. tit. de voto in edit. 2. conſil. vltimo.* vbi docet, collationem beneficij factam voto Religionis adſtricto eſſe validam ſi ſit ante profeſſionem; Ergo a fortiori etiam Nouitio facta collatio erit valida; Franc. & Tiraquell. dicunt nouitium acceptantem beneficium ſimplex renunciare Religioni; non autem ſi acceptet beneficium curatum, quod ſtare poteſt cum Religioſo ſtatu, quam limitationem negat Riccius; quia etiam ſi acceptet vtrumque beneficium, numquam dum nouitius eſt cenſetur renunciare Religioni, quia neutrum beneficium eſt cum ſtatu nouitij incompatibile: & magis placet.

Alij docent, non debere Epiſcopum conferre tale beneficium, & illicitè facere ſi conferat, & inſtituat ad tale beneficium nouitium, validam tamen eſſe collationem. Ita Tabiena Antonius Cucus, Tapia, Lelius Zechius, Lancellotus, & alij apud Riccium *part. 4. deciſio. deciſ.* 355. qui etiam in hac ſententia videtur eſſe; licet clarè ſe non explicet. Quod autem nequeat licitè Epiſcopus inſtituere nouitium, & cæt. prob. quia ſic datur anſa regularibus nouitijs exeundi a Religione. Sed hoc non obſtante, 2

Reſpondeo, nullam eſſe prohibitionem factam Epiſcopo ex iure, vel conſtitutionibus Pontificijs, per quam nequeat conferre nouitio beneficium aliquod, dum agit nouitiatum, nam licet nouitius veniat nomine Religioſi *ex cap. Religioſi de ſentent. excommunic.* attamen hoc eſt verum in fauorabilibus, non autem in odioſis. Ita Rodriquez *tom. 1. qq. quæſt. 37. art. 1.* & ſic in caſu noſtro non debet nouitius fraudari iure ſuo; vnde ad 3

4 huius ſententiæ confirmationem Bonifacius octauus ſtatuit, vt beneficium illius, qui religionem ingreditur, alteri ne conferatur ante annum probationis, niſi accedat ad id

nouitij conſenſus; Sed interim per alium eidem beneficio deſeruire debebit, aſſignata ſibi congrua de tali beneficio portione; ergo ſic præſentatus nouitius poterit inſtitui ab Epiſcopo ad illud beneficium, licet quadam æquitate, & honeſtate potuerit non inſtituere. nam facilè remoueri

5 po'eſt ſic à religione *ex leg. qui de libertate* 29. *ff. de liber cauſ.* vbi dubius ſtatu non promouetur ad militiam. Deinde nec capax eſſet nouitius hæreditatis, nam ſic etiam facilè amoueretur a Religione, quod tamen (vt patet) falſum eſt. Vide circa hoc Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.4. a num.22. vſque ad* 24.

An ordinarius poſſit proſequi litem, quam incępit Nouitius vt exemptus coram ſuo iudice Dub.XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Scholaſticus ſi poſt motam litem deſerit Academiam remittendus eſt ad ſuũ iudicem ordinarium.*

2 *Vbi inceptum eſt ſemel officium ibi finem ſumere debet.*

3 *Quando iuriſdictio transfertur per viam auocationis tunc mutatio fori conceditur a Principe motu proprio.*

4 *Nouitius, qui litem incæpit coram ordinario antequam, eſſet exemptus coram eodem illam debet proſequi.*

1 Affirmatiuè, ſi conſequenter velit loqui, Reſpondebit Iambertius apud Cockier *part.2. quæſtion.*17. *de iuriſdictione Ordinarij in exemptos*, cum doceat ſcholaſticum ſi poſt litem motam deſerat Academiam, remittendum eſſe ad ſuum iudicem ordinarium. Idem videbitur dicendum de Nouitio exempto, cum validum argumentum ſumatur a ſcholaribus ad exemptos.

2 Negatiuè tamen eſt reſpondendum vt reſpondet ipſe Cokier *loco ſupra* & fundamentum eſt, quia vt ſtatuit, *leg. vbi ff. de Iudicijs*, Vbi inceptum eſt ſemel iudicium, ibi finem ſumere debet; ſufficit enim in iudice habilitas tempore coactionis, licet poſt factum contingat inhabilitas, & adducunt plurima exempla hoc confirmantia. Vnde cum nouitij cauſa incępta ſit apud ſuum iudicem dum erat exemptus, apud eum finem debebit habere.

3 Nec valet fundamentum Iambertij, vt dicit Cokier; nam ibi loquitur de tranſlatione iuriſdictionis in Ordinarium per viam auocationis, & tunc mutatio fori conceditur a Principe motu proprio, vt tradit Cockier *parte 2. quæſtion.*19. ſicque patet diſparitas.

4 Et hoc quod hic dicimus a contrario etiam valet *v.g.* Nouitius litem antequam per ingreſſum in Religionem eſſet exemptus coram ordinario ſuo iudice incępit, poſtea ſit exemptus, debet tamen proſeqni litem coram ſuo Ordinario ob eandem rationem, ſed de hoc agit fuſius Cokier *part.2. quæſtion.*16. Vbi adducit pro vtraque parte Doctores, & rationes. Vide ipſum, & non pigebit.

Digitized by Google

An Epiſcopus poſſit compellere Regulares, vt admittant ad profeſſionem Nouitium, quem ſine cauſa volunt dimmittere.
Dub. XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Dat hanc facultatem Epiſcopis, Doctorum quorumdam opinio.*
2 *Neganda tamen eis eſt talis facultas.*
3 *Si daremus hanc facultatem Epiſcopis in caſu poſito deberemus eis etiam in alijs multis caſibus poteſtatem dare in Regulares, vnde eorum exemptio ferè deſtrueretur.*

1 Affirmatiuè reſpondet Ioannes Maria Nouarius *in ſuis deciſionibus deciſ.*161. ſic dicens. *Inde quando locorum Illuſtriſſimis ordinarijs conſtabit de non exiſtentia cauſæ contra puellam nouitiam profitendam poſſe imponere manum; & ſub præcepto mandare vocalibus* 1 *& Abbatiſſæ monaſterij, quod illam ad profeſſionem admittant conſului, & alias dedi votum in Monacatione cuiuſdam nouitiæ Monaſterij Sancti Antonij de Padua huius vrbis.* Ita Nouarius, qui circa omnes regulares, tam viros, quam fęminas valere hoc putat.

2 Sed negatiuè abſolutè eſt reſpondendum loquendo de viris, nam de fœminis alibi erit ſermo. Ita Suarez, *tom.3. de religione lib.3. cap.4. numer.7.* 2 Rodriquez *part.2. Summ. cap.8. concluſ.* 2. & alij. Ratio eſt; quia etiam ſi lethaliter peccent Regulares ſine cauſa nouitium poſt probationis annum dimmittentes, vt docet Suarez loco ſupra; Attamen neſcio quomodo in hoc ſe poſſint ingerere Epiſcopi, & ordinarij cum nullam adducat rationem dictus Nouarius, nec ſit aliqua lex vel Sacræ Congregationis declaratio in hoc. Vnde negatiuè meo iu- 3 dicio probatur. Deinde non debemus hãc auctoritatem Epiſcopis in exemptos concedere, nam deberemus in alijs multis, in quibus inconueniens eſſet, & exemptio deſtrueretur. puto ergo, Nouarium locutum fuiſſe de Nouitijs Monialibus, & de viris, qui ſubſunt iuriſdictioni ordinarij, licet non ſe bene illo in loco explicauerit.

An Epiſcopus debeat dare dimmiſſorias Nouitijs; qui ad minores ordines promouentur.
Dub. XXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones, quæ ſunt circa hoc referũtur.*
2 *Auctoris opinio exponitur, & probatur.*

1 Pro vtraque parte habes opinionem probabilem. Affirmatiuè reſpondet Peregrinus *in comment. noſtrarum conſtitutionum par.1. cap.4.* Naldus *in Summ.* Verb. *Nouitius num.*8. Vgolinus *de poteſtate Epiſcopi* relatus ab ipſo Naldo.

Negatiuè è contra reſpõdent apud Dianam *Tract.2. de dubijs regularium reſol.7. alij multi.* Sed res breuiter eſt, conſideranda, & explicanda: ſit ergo

2 Cõcluſio dimmiſſorię nouitio poſſũt fieri, & a Prælatis, & a proprijs Epiſcopis, nã gaudent priuilegijs religionis: ita communiter DD. Riccius *reſolut.*240. *in praxi nouitiorum*. Azorius, & alij apud Tamburinum *diſput.* 2. *tom.*1. *qu.*28. in odioſis autẽ non includũtur nomine religioſorũ, & ſic nõ obli-

obligantur recipere dimmiſſorias a ſuis Prælatis, ſicut profeſſi, ſed poſſunt eligere vel dimmiſſorias Prælatorum, vel etiam Epiſcopi proprij. Quid quid dicant Marchinus *de Sacramento Ordinis. Part. 2. Trac. 1. cap. 10. num. 12.* qui mordicus defendit dimmiſſorias faciendas nouitijs ab Epiſcopis, non autem a Prælatis. Vide ipſum.

An Nouitius qui in ſæculo erat Parrochus poſſit audire, vt antea confeſſiones ſæcularium ſine noua approbatione. Dub. XXXX.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius tempore nouitiatus adhuc retinet beneficium.*

2 *Quomodo Nouitij poſſint obligari præcepto ſuorum ſuperiorum.*

3 *Dum ille nouitius Parrochus profeſſionem emiſit, iam non poteſt audire confeſſiones.*

4 *Quando vero non eſt Parrochus ſed prius fuit tamquam alij ſimplices confeſſores approbatus, iam ſine noua approbatione poteſt confeſſiones ſæcularium excipere, & idem dicitur ſi erat Parrochus delegatus tamen pro omnibus.*

5 *Mutatione ſtatus ammittitur priuilegium, quando conceſſum eſt ratione & reſpectu ſtatus.*

6 *Regularis ante profeſſionem approbatus ad confeſſiones poſt profeſſionem niſi de nouo præſentetur Epiſcopo nequit excipere confeſſiones ſecundum aliquos.*

7 *Parrochi, & Curati ingredi religionem poſſunt etiam inuito Epiſcopo.*

1 Affirmatiuè reſpondet nouiſſimè Moronus *Reſpons. 85. num. 7. & 8.* Quia per Tridentinum requiritur examen; ſi videbitur, vel beneficium, ſed iſte nouitius adhuc eſt Parrochus, & habet beneficium. Ergò poteſt audire confeſſiones, &c.

2 Quod ſi in Religione, in qua eſt, prohibeatur Nouitijs, confeſſiones audire, addit dictus Moronus, videndum, eſſe quomodo hoc prohibeatur ad dignoſcendum; an prohibitio obliget ſub mortali. Deinde etiam aduertendum eſt; quomodo nouitius poſſit obligari præcepto a ſuis Prælatis; nam ſunt variæ in hoc Doctorũ ſententiæ; aliqui docent poſſe Prælatos præcipere nouitijs ea, quæ pertinent ad obſeruantiam Regulæ, & inſtituti. Ità Sanmient, *lib. 2. ſelect. cap. 5. num. 9.* Layman *lib. 4. Summ. trac. 5. cap. 4. quæſt. 3.* Alij è contra negant Azorius *1. parte lib. 12. cap. 2. q. 10.* Suarez *de Religione tom. 3. lib. 5. cap. 16.* omnes apud dictum Moronum, & dicunt poſſe tantum obligari ad ſuſtinendas pœnas; ſi quæ infligantur ob talem tranſgreſſionem, ſi autẽ
3 Parrochus ille factus Religioſus profeſſionem emittat, tunc non poteſt audire confeſſiones nec Parrochianorum, nec etiam aliorum, donec approbatus ab Epiſcopo ſit; non poteſt audire confeſſiones Parrochianorum quia ceſſauit titulus; aliorum nec etiã quia non fuit approbatus ab Epiſcopo, vt debuit eſſe.

4 Quando autem non erat Parrochus; ſed ſimplex confeſſor examinatus,

tus,&approbatus ab Epiſcopo: tunc iam poterit dictus Regularis audire ſine nouo examine confeſsiones: & etiam ſi eſſet Parrochus adhuc tamẽ eſſet delegatus pro omnibus, vel per examen, vel alio modo, tunc etiam poſſet omnium confeſsiones excipere, ſine noua approbatione. Ratio eſt; quia non apparet ratio, quarè talem approbationem amiſerit.

Quod ſi dicas ex *leg.Licitatio* §.*Fin. FF.de Pub.* mutatione perſonæ ammittitur priuilegium, hic mutatur perſona: Ergò etiam tale priuilegiũ; talis ſcilicet approbatio.

5 Reſpondetur; intelligi hoc, quando priuilegium eſt conceſſum reſpectu illius ſtatus. Deinde approbatio ad confeſsiones non eſt priuilegium, ſed actus iuſtitiæ. Ergò.

6 Quæres hic ;an dictus Regularis antè profeſsionem approbatus ab Epiſcopo ad confeſsiones, & cæt. poſſit poſtea cum ſola dicta approbatione audire confeſsiones. Reſpondet negatiuè Moronus loco ſuprà; quia ſine præſentatione Prælatorum non eſt adhuc confeſſarius Regularis;& ſic nequit frui priuilegijs aliorum Regularium. Sed de hoc habes in hoc tractatu alibi dubium. *Cap. Quod ad Sacramentorum adminiſtrationem*, vt omnia ſuo loco ponamus.

7 Nota hic obiter Parrochos,& Curatos benè poſſe ingredi Religionem etiam inuito Epiſcopo. Ità Syluester verb. *Relig.2.quæſt.8.* attamen teneri petere licentiam, quam ſi non obtineant, nihilominus ingredi poſſunt Religionem ex Cap. *Licet de Regul.* attamen beneficium nemini eſt conferendum interim dum Nouitius eſt, ex, Cap. *beneficium de Regul. in 6.*

QVO AD PROFESSIONEM Cap. III.

An Epiſcopus poſsit admittere Regularem ad profeſsionem. Dub. XXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent aliqui, ſed negatiuè communiter Doctores*

2 *Profeſſio, iam eſſe non poteſt extra religionem a Sede Apoſtolica approbatam.*

3 *Quomodo verificari poſſit affirmatiua ſententia.*

1 Affirmatiuè reſpō-dent aliqui,quos ſine nomine refert Sanchez. *lib.* 5. *in Decalog. cap.* 4.*num.*74. & ponit caſum,qui talis eſt, profiteatur quis tria vota ſubſtantialia in manibus Epiſcopi; hic ad omnia tenebitur, & deget in domo ſub obedientia Epiſcopi.

Negatiuè tamen reſpondent communiter Doctores. Ipſe Sanchez,loco ſuprà, Angelus verb. *Profeſſio nu.* 1. Syluest. *Verb.Relig.* Tabiena, Nauarrus, & alij apud ipſum Sanchez, Bordonus 3. *Parte de admittentibus ad profeſſionem*, ſit ergo.

2 Concluſio,non poteſt Epiſcopus, & cæt. Ratio eſt; quia profeſsio eſſe non poteſt extra Religionem a Sede Apoſtolica approbatam. 2. Epiſcopus cum hodie non ſit ſuperior Religioſorum,iam nō poteſt eos ad profeſsionem propria auctoritate admittere

mittere. Itaque prior ſententia vera eſt tantum reſpectu Monialium, Epiſcopo ſubiectarum, vel virorum Regularium non exemptorum, quos admitere poteſt cum conſenſu tamen maioris partis capituli Monaſterij.

An ſolus Epiſcopus vel eius Vicarius poſſint reclamantem Regularem audire ſine Prælato Regulari. Dub. XXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Particula copulatiua, quæ habetur in Concilio, clarè demonſtrat ſimul etiam Prælatum debere in hoc procedere.*

2 *Solet exprimi in iure quando duobus ita committitur cauſa vt vno deficiente alter procedat ſolus.*

3 *Quando Concilium dat facultatem Epiſcopis in Regulares, vt delegati hoc faciunt quaſi ſemper non vt Ordinarij.*

4 *Declaratio Cardinalium, quæ circa hoc eſt, adducitur.*

5 *Se ſolo poſſe Epiſcopum cognoſcere de profeſſione emiſſa ante annum decimum ſextum ſunt qui aſſerunt.*

6 *Quæritur an Epiſcopus poſſit ſe ſolo declarare profeſſionem inualidam ex non præmiſſo nouitiatu in locis deſignatis.*

7 *Ob hunc defectum nouitiatus in locis non deſignatis nequit Epiſcopus ſe ſolo cognoſcere de nullitate profeſſionis, & hoc ſiue concilium comprehendat hunc defectum, ſiuè non.*

8 *Numquam deficiunt Prælati Regulares, qui ſimul cum Epiſcopo cognoſcere poſſint de nullitate profeſſionis ob nouitiatum non factum in locis deſignatis.*

9 *Modo iam ſtandum eſt ordinationi Congregationis Concilij factæ anno 1636. ſub Vrbano VIII.*

1 NEgatiuè reſpondeo, & ita etiam reſpondet doctus Portel *Parte 2. Caſuum Caſ. 14. Reſponſione ad ſecundam quæſtionem*. Ratio eſt clara; quia quando Concilium concedit, vt reclamans poſſit allegare cauſas nullitatis ait, *quod eas proponat coram ſuperiore, & ordinario*, non dicit coram Superiore, vel Ordinario, ſed ponit particulam & copulatiuam, quæ demōſtrat clarè, ambos ſimul debere pro-
2 cedere. Et Confirmatur; quia Concilium non ponit clauſulam aliquando apponi ſolitam in iure, quando duobus committitur aliqua cauſa: iſta eſt clauſula, *vt ſi ambo intereſſe nequiuerint alter nihilominus exequatur*; vt exprimitur, *Cap. prudentiam de officio, & poteſtate delegati*. Deindè in cauſa nullitatis Iudices ſcilicet Superior, & Ordinarius non ſunt iudices delegati, ſed Ordinarij; ſunt enim iudices dati a iure communi videlicet a Concilio Generali. Sed hoc fortè nō
3 probat, nam in multis alijs caſibus Tridentinum dat poteſtatem cognoſcendi, & procedendi in Regulares Epiſcopo, & tamen vt delegatus hoc facit; vt volunt multi Doctores: & præcipuè noſter Paſqualigus *de Ieiunio*, dū agit; an Ieiunium indictum ab Epiſcopo obliget Regulares. Sūt ergo rationes priores validiores, & poteſt adhuc confirmari ex Gloſſ. in caput. *Prudentiam* vbi dicit, quod ſi tres iudices

iudices ſint deputati in aliqua cauſa, & duo tantum citent reum, non tenetur reus comparere, & reſpondete; nec poſſe tertium poſtea ſi adueniat confirmare ſententiam, cum ab initio fuerit nulla.

4 Adde, ad tollendam omnem dubietatem; adeſſe circa hoc declarationem DD. Cardinalium quam adducit Marzilla *in ſuo tractatu de decretis Tridentini*, quæ ſi habet.

Congregatio Concilij cenſuit, Regularem deducentem intra quinquenium nullitatem profeſſionis tamen eam probare coniunctim coram proprio ſuperiore regulari illius Monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram ordinario illius loci vbi exiſtit Monaſterium, Vide in hoc dictum Portel, nam ſe magis extendit, & latius de hoc agit loco ſupra.

5 Nota etiam hic obiter, adeſſe opinionem affirmantem ſe ſolo poſſe Epiſcopum cognoſcere de nullitate profeſſionis antè 16. annum emiſſę. Ità Leo Zambellus, *in Repertor. morali pag. mihi* 156. *num.* 11. ex Barboſa *in Summ. Bull. v. cognitio*.

6 Quæres hic; an ſaltem poſsit ſolus Epiſcopus ex non præmiſſo nouitiatu in locis deſsignatis declarare profeſsionem inualidam. Bordonus *de Profeſſione cap.* 7. *quæſt.* 25. *& in ſuis conſil. Reſol.* 8. reſpondet negatiuè cõtra quemdam Doctorem Brixienſem, qui aſſerebat poſſe Epiſcopum ſe ſolo cognoſcere de hac nullitate profeſsionis, qui etiam circa hoc allegauit, & Prob. breuiter reſponſio hæc negatiua; quia tale impedimentum continetur ſub diſpoſitione Cõcilij, *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. Vbi decernitur prætendentem ſuam profeſsionem inualidam ex defectu aliquo coram ſuperiori ſuo, & Ordinario rationes adducere debere. Deindè etiam ſi non contineretur in Concilio, attamen nullo pacto competeret Epiſcopo hanc declarationem facere, nec vt iudici ordinario, vt patet, nec vt delegato, nam de hac delegatione non conſtat. Nec obſtant Fundamenta contraria adducta ab illo Doctore.

Obij. 1. Concilium nihil ſtatuit de hoc impedimento (ſcilicet nouitiatus non facti in locis desſignatis:) Ergò ſolus Epiſcopus poteſt hanc profeſſionem inualidam declarare. Antecedens patet; quia Concilium nominat ſolum defectus profeſſionis factæ cum metu, & ante legitimam ætatem, & ſimilium. Ergò nihil loquitur de nouitiatu facto in locis non deputatis. Conſequentia prob. nam in his caſibus ſolum ſuperior Regularis ſimul cum ordinario debet procedere, in alijs ſolus Epiſcopus.

7 Reſpondetur, 1. Concilium comprehendere hunc etiam defectum illis verbis, *& quid ſimile* nam caſum in terminis ponere non poterat ante editionem talium Conſtitutionum. Ergò. 2. Eſto quod non comprehendat, quomodo aduerſarius colligit ex hoc, ſolum Epiſcopum poſſe procedere in tali cauſa? Imò colligere deberet contrarium; nam ſi concilium non nominaret Ordinarium in his cauſis profeſsionis nullo pacto ipſi compereret in eis ſe intromittere; ſed ſolus Prælatus Regularium hoc poſſet facere; vel Romæ res agenda eſſet.

Obij. 2. Prælati Regulares ipſo facto ſunt priuati Iuriſdictione, dignitate, & officiis, dum admittunt tales nouitios contra formam conſtitu-

ſtitutionis Clementis VIII. Ergò nequeunt eſſe iudices. Ergò ſolus Epiſcopus.

8 Reſpondetur; tranſeat antecedens, nam fortè antè ſententiam non incidunt in tales pęnas, ſed nego conſequentiam, nam licet illi amplius non ſint ſuperiores, alij ſemper ſuccedũt; vel ſi non ſucedunt ſtatim alij Prælati maiores poterunt, & debebunt ſimul cum Epiſcopo eſſe iudices.

Nec etiam obſtat contra hoc, iudices in hac cauſa reclamationis, & nullitatis profeſsionis debere eſſe Prelatos Monaſterij profeſsi reclamantis, non autem vniuerſaliter ſuperiores Religionis; vt teſtatur dæciſum Barboſa *Collect. in hunc locum Cõcilij*, hoc enim intelligitur exiſtentibus ſuperioribus localibus, nam non exiſtentibus, iam ſuperiores maiores Religionis habent vices ſuperioris localis.

Alias obiectiunculas videre potes ſolutas, & optimè apud eundem Bordonum locis ſupra.

9 Sed Aduerte hic, in caſu poſito rem maximè aduertendam, ſtandum eſſe modo ordinationibus S.Congregationis Concilij, & maxime ordinationi factæ anno 1636. quam referũt communiter Doctores; præcipuè Lezana. *Tom.2.cap.8.nu.25.& Tom.4.verb. Nouitij & Nouitia num.2.* per quam habetur, non poſſe iam Epiſcopos, nec Prælatos, ſiuè ſimul, cum Epiſcopo, ſiuè diſiunctiuè declarare profeſsionem inualidã ex poſito defectu; nam S. Congregatio ſtatuit, ne in hoc ſe ingerant Archiepiſcopi, Epiſcopi, alij que ſimiles; ſed totum negotium deferatur ad Sacra Congregationem: vnde modò non poſſunt Epiſcoi ſe intromittere in cognitione talis profeſsionis inualidæ ob defectum loci nouitiatus ob decretum S. Congregationis de anno. 1636. Ante æditionem tamen talis decreti poterant quidem a Religione exire allegando ſuam profeſsionem inualidam ob talem defectum, coram Epiſcopo, & ſuperiori.

An ob omnia impedimenta irritantia profeſsionem debeat coram Epiſcopo, male profeſſus reclamare. Dub. XXXXIII.

SVMMARIVM

1 *Quæ nam dicantur impedimenta perpetua, vel ad tempus.*
2 *Male profeſſus poteſt reclamare dum habet impedimenta ad tempus, non autem dum habet impedimenta perpetua.*
3 *Verba Concilij quacumque ex cauſa referuntur ad impedimẽta ad tẽpus.*
4 *Impedimenta irritantia profeſſionem iam nulla ſunt prepetua excepto impedimento ex defectu Sexus.*

1 Bordonus diſtinguit de impedimentis. *de profeſſione Cap. 7. de Reclamatione quæres* 16. & dicit, alia eſſe impedimenta perpetua, alia temporanea; Impedimenta perpetua ſunt, quæ perpetuo durant: & ſunt annexa perſonæ, ipſique adhærent tamquam proprietates quarto modo ſubſtantiæ: & ſic etiam finito nouitiatu, quacumque non obſtante ratificatione. Impedimenta ad tẽpus ſũt, quæ pro tẽpore durant. Vide dictum

2 ctum Bordinū, qui ponit exēpla hęc impedimenta declarantia. Reſpondet ergò loco ibi citato, poſſe reclamare profeſſum inualidè coram Epiſcopo, dum habet impedimenta ad tempus, ob quæ profeſsio fuit nulla, non autem dum habet impedimenta perpetua, & probat; nam in Concilio expreſsè fit mentio de impedimentis ad tempus, vt ſunt defectus metus, debitæ ætatis, & ſimilium, quæ non comitantur ſemper perſonam, & profeſſum; vt patet conſideranti. 2. Quia Concilium loquitur de illis, qui dimmitendi ſunt, ſi exire volunt, & non de alijs, qui habentes Impedimenta perpetua omninò expellendi ſunt a Religione.

3 Nec obſtat, quod Concilium dicat reclamandum eſſe coram Ordinario & cæt. *quacumque ex cauſa*, quis prætendat profeſsionem inualidam; nam illa verba referuntur ad impedimenta ad tempus.

4 Sed ne hæc diſtinctio te perturbet o Lector; nam modò iam impedimenta irritantia profeſsionem nulla ſunt perpetua (excepto impedimento ex defectu ſexus.) Ita idem Bordonus *eodem Capite quæres* 22. & ratio eſt, quia Bulla Sixti V. per quam multa impedimenta perpetua erant, iam fuit per Clementem VIII. reducta ad regulas iuris: & ſic in omnibus impedimentis conceditur ratificatio profeſsionis, & conſequenter etiam reclamatio, ex per Concilium, quod illam concedit in profeſſione nulla ob impedimenta temporanea: & hæc debet fieri coram Epiſcopo, & ſuperiore.

Qui nam ſit Ordinarius Regularium apud quem debent reclamare intrà quinquennium. Dub. XXXXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Secundum aliquos eſt Epiſcopus ſeu Vicarius illius diæceſis apud quem habebat domicilium nouitius antè ingreſſum religionis.*

2 *Alij, & eſt ferè communis ſententia, dicunt eſſe Epiſcopum loci, vbi degit reclamans.*

3 *An quo ad cognoſcendum de profeſſione reclamantis, nomine Ordinarij an veniat Prælatus inferior, nullius Diæceſis, controuerſum eſt inter Doctores.*

1 Bonacina, *quæſt. 2. de Clauſur. diſp.* 10. *punc.* 3. *numer.* 3. dicit eſſe Epiſcopum, ſeu Vicarium illius Diæceſis, in qua nouitius habebat domicilium antè ingreſſum Religionis.

2 Sed contrarium ferè omnes docent Bariola *verb. Regulares* Barboſa *ad dictum caput Concilij* Bordonus *de reclamatione Cap.* 7. *quæſt.* 29. & adducunt pro ſe declarationem Sacræ Congregationis, inſuper Bordonus dat rationem; Quia non eſt adeò rationi conſentaneum, vt iudices ſæpè diſtantes fiant coniudices; redderetur enim incommodum iudicium reclamanti, & ſic dicendum eſt, Concilium nomine Ordinarii intelligere ordinarium loci, in quo ſitum eſt Monaſterium profeſsi reclamantis.

3 An autem veniat etiam nomine ordi-

ordinarii in hoc loco ordinarius inferior, ſeù Prælatus nullius diæceſis. Affirmatiuè reſpondet Bonacina *eodem loco ſupra*, Sed negatiuè ſuſtinet Bordonus, qui mordicus docet, Ordinarios inferiores, ſeù nullius diæceſis nullum habere ius in Regulares, nec etiam delegatum, nec odioſum, nec fauorabile, ſed de hoc alibi erit ſermo.

An Regularis poſsit cauſam ſuæ profeſsionis nullæ per procuratorem proſequi. Dub. XXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Regularis per procuratorem cauſam ſuæ profeſſionis nullæ proſequi quia Tridentinum non tollit talem facultatem.*

2 *Nouitius abſens poteſt facere profeſſionem per procuratorem.*

3 *Per eaſdem cauſas res reſoluitur, per quas naſcitur.*

4 *Quando adeſt iuſta cauſa reus non tenetur comparere coram iudice perſonaliter.*

1 Affirmatiuè Reſpondeo: & itá etiam reſpondet Portel *Parte 2. Caſuum Caſ.* 36. ratio eſt; quia quando Concilium Tridentinum ait, quod reclamãs debeat allegare cauſas ſuæ profeſsionis nullæ coram ſuperiore,& cæt. non requirit, quod id per ſe faciat: & ſic quando lex non diſtinguit nec nos diſtinguere debe-
2 mus. 2. prob. quia nouitius abſens poteſt facere profeſsionem per procuratorem, vt communiter docent doctores; Ergò etiam a pari nullitas profeſsionis poteſt per procuratorem probari,cum eadem ratio videatur eſſe in vtroque caſu. Immò a fortiori, nam plus eſt facere profeſsionem per procuratorem, quam probare ipſius nullitatem, cum plura iuxtà Philoſophũ requirantur ad productionem vnius rei, quam ad illius deſtructionem,quod autem nouitius poſsit per procuratorem profeſsionem facere, Vide Sanchez. *in Decalog. lib. 5. cap. 3. num.* 7. Deinde per
3 Regulam iuris *in Decretal.* habetur, per eaſdem res res diſſoluitur, per quas naſcitur;Sed profeſsio naſci poteſt per procuratorem; ergo etiam reſolui. 1. Prob. ex doctrina, quam tradit Sanchez.*lib.6. Decalogi cap.*12. *num.*32, vbi cum multis probat, quoticſcumque poteſt quis per ſe comparere in iudicio, ad idem intentum poſſe conſtituere procuratorem, vt per ſe reſpondeat. Cum ergo poſsit iſte Religioſus per ſe comparere,etiã
4 poterit per procuratorem. Deinde confirmatur; nam cum adeſt aliqua iuſta cauſa (puta metum iuſtum & cæt.) ſicut reus non tenetur comparere niſi in loco tuto, per Caput. *Paſtoralis de ſententia & re iudicata*: ſic nec iſte Religioſus:Vide etiam in hoc citatum Portel, qui aliqua addit: & præcipuè, poſſe Epiſcopum Monialem profeſſam reclamantem, etiam extrà Monaſterium audire ex declaratione Cardinalium, quam citat Farinacius, *in libro ſuarum Deciſionum ſuper Tridentinum ſeſſ.* 25. *capit.* 17.

An

An ſi reclamans carceretur a ſuis Prælatis poſſit appellare ad Epiſcopum. Dub. XXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *A Prælato Regulari nequit regularis ſubditus appellare ad Epiſcopum, ſed tantum ad Generalem, vel Papam.*

2 *Prælatus Regularis, eſt coniudex cum Epiſcopo in cauſa nullitatis profeſſionis.*

3 *Declaratio, quam adducunt Doctores, quæ obſtare videtur authoris ſententiæ, explicatur.*

4 *Infra biennium debet Epiſcopus abſoluere cauſam profeſſionis nullæ.*

1 NEgatiuè reſpondeo: & ita etiam reſpondet Portel. 14. *caſ. in* 2. *parte caſuum ad tertiam quæſtionem*, ratio eſt; quia a Prælato Regulari nequit ſubditus ad Epiſcopum appellare. Sed tantum ad Generalem, vel ad Papam, vt patet ex multis priuilegijs regularium.

2 Nec valet, ſi dicas ſic reclamantem appellare ad Epiſcopum ob cauſam nullitatis profeſſionis, in qua cauſa eſt iudex competens Epiſcopus, nam reſpondeo, nec in tali cauſa poteſt ſe intromittere Epiſcopus ſine conſenſu Prælati Regularis, qui eſt coniudex.

Quod ſi etiam obijcias declarationem Cardinalium, quam adducit Marzilla *tract. de decret trident. lib.* 4. *de appellationi* tit. 10. ſuper caput primum *per definitiuam*, in qua habetur iniuſtè carceratum poſſe appellare ab indebita carceratione; & tamen ordinarium ſtante tali appellatione debere tranſmittere proceſſum ad iudicem appellantis. Ergo ſignum eſt poſſe appellare.

3 Reſpondeo, retorquendo argumentum, nam clarè ex tali declaratione conſtat, non eſſe iudicem appellantis ordinarium, ſed tantum debere proceſſum ad iudicem proprium mittere. Deinde talis declaratio tantum loquitur quando carceratio eſt iniuſta, quod (vt ſuppono) non eſt in caſu, & dubio a nobis poſito.

4 Quæres hic; an Epiſcopus infrà biennij terminum debeat expedire cauſam nullitatis profeſſionis. Extat *Concilium Trident. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 20. quod ſtatuit biennij termino debere, & cæt. Affirmatiuè ergo reſpondent Ioannes Maria Nouarius *in ſuis practicis concluſi. iuris noui Pontificij pag. mihi* 143. *concluſ.* 55. & Riccius, *part.* 4. *deciſion. curiæ Archiepiſcop.* 273. *numer.* 6.

An Apoſtatæ poſſint reclamare ob inualidam profeſſionem coram Epiſcopo. Dub. XXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Riccij exponitur.*

2 *Non poteſt Apoſtata reclamare, & quare.*

3 *Apoſtatæ habitum reaſſumentes, poſſunt audiri, pænis tamen Apoſtatæ prius puniendi ſunt.*

4 *Quando quis iuſtam cauſam habet habitum dimittendi, poteſt audiri intra quinquennium.*

1 Negatiuè reſpondet Riccius *par. 4. deciſionum deciſ. 48. num. 4.* qui tamen in eadem deciſione non ſibi conformis videtur, nam *num. 1.* ait Concilium Tridentinum citata ſæpius *ſeſſ. 25. cap. 19. de regularibus* non de quibuſcumque Apoſtatis loqui, ſed de his, qui recedunt a religione habitum dimmittentes, prætendentes profeſſionem eſſe nullam, & hoc, quia cum ſit decretũ pænale non debet ad alios Apoſtatas extendi. Sed quidquid ſit de mente Riccij:

2 Negatiuè reſpondeo, & ratio eſt; quia virtute Concilij Tridentini, tria requiruntur, vt inualidè profeſſus reclamans audiri poſſit. Primum vt reclamet infra quinquennium. Secundum, vt reclamet coram ſuperiori, & ordinario. Tertium, vt ante habitum non dimittat. Vnde ſi quid ho um deficiat non debet audiri. Sed in caſu noſtro deficit ſcilicet habitus inductio, ergo. Et hoc procedit in quacumque profeſſione ſiue expreſsè, ſiuè tacitè, vt tradit Nauarrus *de reſtit. comment. 4. num. 73.* Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſput. 37. num. 1.* Azorius, *lib. 12. inſtitut. cap. 4. quæſt. 13.* Pone-
3 runt ergo Apoſtatæ audiri, ſi habitum reaſſumant, & tunc dicit dictus Riccius pœnis Apoſtatæ eſſe prius puniendos: per verba Concilij, *tamquam Apoſtata puniatur.*

4 Quatenus vero ait Tridentinum, dimittentem habitum nullatenus etiam intra quinquennium audiendum eſſe, ad allegandas nullitatis profeſſionis cauſas, limitandum eſt: niſi is iuſtam cauſam habeat habitum dimittendi: Cum Tridentinum ſolum temerariam habitus dimiſſionem punire intendat. Vide circa hanc materiam Sanchez *libr. 7. de matrimonio diſput. 37.* ibi enim adęquatè, quod circa præſens decretum Concilij dici, & dubitari poteſt, diſcuſſum habes:

An poſt quinquennium profeſſus inualidè ob infirmitatem, vel crimina poſſit reclamare, & an coram Epiſcopo.
Dub. XXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Per ſtatuta multarum Religionum irrita, & nulla redditur profeſsio, vel ob crimen, vel ob morbum.*
2 *Quod poſsint taliter profeſsi reclamare etiam poſt quinquennium docent aliqui Doctores.*
3 *Concilium non loquitur de profeſsione nulla, ex ſtatutis Religionis.*
4 *Profeſsi huiuſmodi debent expelli a Prælatis Regularibus ſine interuentu ordinarij.*
5 *Poſt quinquennium nequit inualidè profeßus ob nouitiatum factum in loco non deſsignato reclamare via ordinaria.*
6 *Defectus nouitiatus non facti in loco deſsignato eſt impedimentum ad tempus.*
7 *Licet defectus non dependeat a profitente, benè tamen poteſt ratificari profeſsio.*
8 *Cum quis eſt profeſſus cum defectibus, per quos irritat profeſſionem Religio*

ligio etiam poſt quinquennium poteſt rèclamare, & coram quo ſuperiore.

9 *Nec infra quinquennium debet à taliter profeſſis reclamari coram ordinario.*

1 PEr ſtatuta multarum Religionum irrita, & nulla redditur profeſſio; quæ fit ab aliquo habente, vel crimẽ vel morbum aliquem habitualem: hoc poſito dubitatur; an poſſint dicti profeſſi inualidè reclamare etiam poſt quinquennium; & coram quo debeat fieri, quo ad reclamationem.

2 Affirmatiuè reſpondet Peyrinus *tom.* 1. *de ſubdito q.* 1. *cap.* 25.§.4. dum dicit 2. *Colligitur hos inhabiles, quocunque tempore tranſacto reclamantes eſſe audiendos; quia Triden. claudens aditum ad reclamandum poſt quinquennium non loquitur de his inhabilibus; clauſula enim ex quacumque cauſa ad perſonas habiles reſtringenda eſt.* Addit etiam poſtea, talem reclamationem non eſſe faciẽdam coram Ordinario; ſed tantum coram ſuis Prælatis; Quia Concilium non loquitur in his caſibus.

Quod ſi dicas per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. ſæpius citato requiritur ad declarandã profeſſionem nullam, non ſolum auctoritas ſuperioris, & Prælati; ſed etiam Ordinarij, & Epiſcopi, ergo ſi reclamatio fieri poteſt, debet fieri coram Ordinario.

3 Reſpondet Peyrinus, Concilium non procedere in profeſſione nulla, & irrita ex ſtatutis Religionis a Pontifice confirmatis; ſed procedere in cauſis irritantibus profeſſionem de iure; vt exempla, quæ affert Concilium innuunt.

4 Vnde concludit dictus Peyrinus, tales profeſſos eſſe expellendos à Generalibus, ſeu Prouincialibus ordinis cum eorum collegijs abſque aliquo interuentu Ordinarij, & ita tradunt, Rodriquez *tom.* 3. *quæſtion. Regul. quæſt.* 17. *art.* 9. *& quæſt.* 11. *art.* 2. Nauarrus *lib.* 3. *conſil. Regula. conſil:* 26. *numero* 13. *& conſil.* 87. *à numero* 3. Miranda *tom.* 1. *Manual quæſt.* 52. *art.* 2. *concluſ. quinta.* Zacharias Giraldus, & prob ex priuileg. Leonis X. quod expreſsè concedit hanc facultatem ſuperioribus.

Videtur eſſe cum Peyrino ſaltem conſequenter noſter Naldus *Verb. profeſſio Regularium numero* 13. dum mouet dubium; an illi Regulares, qui in locis non deſignatis fecerunt profeſsionem, poſſint allegare ſuam profeſſionem nullam etiam poſt quinquennium ſine reſtitutione Sanctiſſimi: et reſpondet affirmatiuè; Tum quia ideo Concilium interdicit profeſſo poſt quinquennium facultatem dicendi de nullitate profeſſionis; quia præſumit illum permanendo in Religione per tam longum tempus voluiſſe profeſſionem ratificare. At hæc præſumptio non poteſt eſſe in caſu noſtro, in quo nulla ratificatio admitti poteſt; ergo. Probat minorem; quia non irritatur profeſſio per defectum aliquem, qui poſſit ſuppleri à profitente, cum non dependeat ab ipſo, quod nullus fuerit actus. Alijs etiam rationibus intendit ſuam ſententiam confirmare, ſit tamen hoc non obſtante.

5 Concluſio, poſt quinquennium nequit inualidè profeſſus ob nouitiatum factum in loco non deſignato re-

E 2 cla-

clamare via ordinaria ſcilicet coram ſuperiori, et Ordinario, vt ſtatuit Tridentinum, ita debet dicere Bordonus *c. 7. quæres 17. de Reclamante*, dum dicit Concilium habere locum reſpectu inualidè profeſſi cum impedimento ad tempus, non autem cum
6 impedimento perpetuo. Quod autem defectus loci deſignati pro nouitiatu ſit impedimentum ad tempus probat multis, et doctis rationibus Bordonus *loco ſupra citato*; Tum quia locus, et annus nouitiatus omninò æquiparantur, cum ſint inſeparabilia. Sed defectus contingens ex parte anni probationis non eſt impedimentum perpetuò inhabilitans, nec ratificationi reſiſtit. ergo ſic à pari, nec ratificationi reſiſtit defectus loci aſſignati, alia plura addit hoc idem confirmantia.

7 Ad fundamentum Naldi reſpondeo, licet talis defectus non dependeat a profitente; attamen benè potuit ratificare profeſſionem, quàm ratificationem non recuſat admittere
8 ſuperior, & Summus Pontifex.

Secunda concluſio. Profeſſus inualidè ob defectus, per quos irritat profeſſionem Religio cum confirmatione Summi Pontificis, etiam poſt quinquennium reclamare poteſt; vt docet Peyrinus: & reclamatio debet fieri corā ſuperioribus, & Prælatis Religionis; vt vult Peyrinus *loco ſupra citato*, probatur; quia oppoſitum cederet in graue religionis detrimentum, cogeretur enim effectos inhabiles, per ſua ſtatuta a Pontifice confirmata, retinere; eo quod quinquennium tranſactum fuiſſet a profeſſione irrita, fauet etiam concluſioni Sanchez *lib. 7. de matrimonio diſput. 37. quæſt. 4. num. 32.* vide ipſum, doctè enim ſuo more, & exactè hanc materiam tractat. Sed aduerte non ſe explicare; an talis reclamatio in caſu poſito debeat fieri coram ordinario, vel ſuperioribus regularibus. Verum quidem eſt videri potius ſuſtinere faciendam eſſe reclamationem coram ordinario, *dum numer. 33.* dicit. *Hinc deducitur, hos inhabiles quocumque tempore tranſacto reclamantes contra profeſſionem audiendos eſſe via ordinaria.* Sed mihi magis placet ſententia Peyrini, & moueor; quia ſi Tridentinum locum non habet cum his, qui profeſſionem inualidam fecerunt, ob talia impedimenta, & ob tales defectus, quomodo poſtea reclamatio debet fieri iuxta dictum
9 Concilium. Imò puto, nec infra quinquennium eſſe faciendam reclamationem coram ordinario, & clarè colligo ex eadem ratione, & eodem fundamento: Quidquid dicat Bordonus *reſol. 23. de reclamati. profeſſionis num. 3.* dum impugnat Peyrinum.

Poſt hæc ſcripta, in lucem ædidit ſua reſponſa Moronus, vbi *reſponſo 82.* per totum, exactè agit de reclamatione ſuper nullitate profeſſionis. Vide ipſum ſi potes.

An Epiſcopus debeat eſſe iudex, dum profeſſus in ſecunda religione reclamat pro hac ſecunda profeſſione inualida.

Dub. XXXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Doctor qui caſum in terminis habet re-*

referitur & ponitur concluſio negatiua.

2 *Quando Tridentinum tribuit hanc facultatem Epiſcopo tribuit tantum in illo caſu, in quo profeſſus reclamans vult exire è Religione & liberari a votis.*

3 *Quia liberari a votis eſt res grauiſſima, Hinc voluit Concilium Epiſcopum aſſiſtere dum agitur de annullanda profeſſione.*

4 *Cauſa matrimonialis ad Epiſcopum pertinet. Vnde ſi cauſa profeſſionis dependet aliquando tamquam acceſſorium a cauſa matrimoniali, poterit per accidens Epiſcopus de ea cognoſcere.*

1 CAſum adducit in terminis Portel. *caſu 2. parte 2. caſuum in reſponſionibus moralibus*. Vnde cum hic auctor ſemper doctè firmet ſuam ſẽtentiam, hic tantum labor erit, quod ipſe dicit referre, ſit ergo

2 Concluſio in poſito caſu Epiſcopus non debet cognoſcere de illa ſecunda profeſſione nulla. Prob. Quando Concilium tribuit hanc facultatẽ Epiſcopo, tantum tribuit in illo caſu, in quo profeſſus ille reclamans vult exire a Religione, & liberari a votis, non antem, quando tantum agitur de annullanda ſecunda profeſſione; cum ergo hi caſus ſint diuerſi, ſtatu-
3 tum vnius non tenet in alio, cum a ſeparatis non fiat illatio, & fundamentum eſt; quia liberare profeſſum a votis ſolẽniter emiſſis poſt profeſſionẽ eſt res grauiſſima, & magna indigẽs diſcuſſione, hacque de cauſa voluit Concilium, in hac cauſæ cognitione aſſiſtere Epiſcopum cum Prælato Regulari. In ſecundo vero caſu non agitur de re tam graui, & ſic non debet aſſiſtere Epiſcopus, non enim agitur de volente exire ad ſæculum, & liberari a votis.

4 Sed obijcere quis poſſet quamdam Sacræ Congregationis declarationem, in qua ſuper ſimili caſu fuit demandatum Epiſcopo, vt cognoſceret de inualiditate profeſſionis cuiuſdam coniugati: caſus ſic accidit. Quidam vir coniugatus ſciens vxorem adulterium commiſiſſe abijt in regionem remotam, & ibi religionem ingreſſus profeſſionem fecit, vxor poſtea illum accuſauit, & ſic a Prælato Regulari fuit dimiſſu, & habitu ſpoliatus, caſus fuit delatus ad Sacram Congregationem, quæ declarauit, vt Epiſcopus cognoſceret de hac cauſa. Ergo ſic videtur dicendum in caſu a nobis poſito, cum videatur ſimilis; nam ille Religioſus, qui prius profeſſus erat, & veluti obligatus vni religioni, & cum ea vxoratus iterum profeſſionem fecit, &c. Sed hoc non obſtante,

Reſpondendum eſt, eſſe caſum diuerſum; nam illa viri vxorati profeſſi cauſa eſt matrimonialis, & ſic ad Epiſcopum pertinet, non ad Prælatos Regulares, vt habetur per *caput Accedentibus de exceſſibus Prælatorum*, & per *cap. multorum 35. quæſt. 6.* cauſa autem profeſſionis ibi erat quid conſequens, & acceſſorium pendens a cauſa matrimoniali, & ſic iudicata cauſa matrimoniali remanebat deciſa cauſa profeſſionis iuxta Regulam *acceſſorium de regulis Iuris*. At in caſu noſtro poſita cauſa non erat matrimonialis, ſed ſolius profeſsionis Religioſæ, & cum

circumſtantia tali, quæ facit cauſam non pertinere ad Epiſcopum.

An etiam Prælati Regulares poſſint, & debeant reclamare coram Ordinario dum volunt nulliter profeſſum dimittere.

Dub. L.

SVMMARIVM.

1 *Rationes aliquæ afferuntur ob quas videtur dicendum, etiam a Prælatis reclamandum eſſe coram Ordinario.*

2 *In curia Romana agitata fuit hæc quæſtio, & pro vtraque parte doctæ exierunt allegationes.*

3 *Quod nequeat ex vi Concilij reclamare coram Ordinario Prælatus Regularis tenet auctor, & fundamenta ponuntur ob quæ huic ſententiæ adhæret.*

4 *Cum hæc reclamatio fieri poſſit coram Sacra Congregatione omnia inconuenientia, quæ poſſent ſequi, tolluntur.*

1 Affirmatiuè reſpondet abſolutè Bordonus *de reclamatione profeſſionis nullæ reſol.* 22. *quæres ſecundo in conſilijs.* probat varijs rationibus. Primò; Quia correlatiua non inducuntur ad imparia: & diſpoſitum in vno cenſetur diſpoſitum in alio, niſi lex diuerſimodè diſponat, de vno, ac de alio. Secundo, quia religio non debet eſſe inferioris conditionis. Tertio, quia licet hoc decretum reſpiciat bonum particulare profitentis; attamen
2 etiam reſpic bonum commune Religionis. Ergo quo iure poteſt religioſus particularis reclamare intrà religionem, & Religio contra ipſum. Deinde probat clariſſimè ex conſtitutione Vrbani VIII. quæ incipit. *Sanctiſſimus Dominus noſter* in illa enim formalia verba habentur. *Quod ſi aliqui contra formam præfactorum decretorum recepti, & profeſſi e religione infra quinquennium exire, vel ſuperiores extra eam reſpectiuè illos eiecere voluerint, vt tam ipſi profeſſi, quam ſuperiores teneantur iura, quæ ſibi fauore viſa fuerint prius deducere coram eadem Sacra Congregatione.*

2 Barboſa *parte* 3. *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 104. *num.* 15. dicit dubiam eſſe quæſtionem, de qua diſputatum fuit in curia Romana, adductis pro vtraque parte rationibus.

3 Ego potius negatiuę ſententiæ adhærerem, tum quia ex vi concilij tantum hæc facultas expreſsè conceditur profeſſo prætendenti profeſſionem inualidam. Tum quia Prælatus debet eſſe cõiudex in hac cauſa: quomodo ergo ſi reclamat coram Epiſcopo poterit eſſe cõiudex cũ ſit etiã pars. Deinde ex decreto adducto a Bordono clarè habetur reclamationem faciendam eſſe à Prælato coram Sacra Congregatione. Ergo quomodo ex ea colligit Bordonus poſſe Prælatos reclamare eodem modo, ac reclamat inualidè profeſſus; ſcilicet coram ordinario.

4 Nec ex hoc ſequeretur graue detrimentum religioni, nam reclamatio coram Sacra Congregatione fieri poteſt, & ſic omnia inconuenientia tolluntur.

An

An profeſſus reclamans ſi habitum dimiſſum reaſſumat poſſit audiri ab Ordinario. Dub. LI.

SVMMARIVM.

1 *Non videtur humanum denegare perpetuo audientiam ei, qui ob iuſtam cauſam dimiſit habitum.*

2 *Iura meritò negant audientiam ſpolianti donec ſpoliatus redeat in priſtinum.*

3 *Per Tridentinum ſolum punitur temeraria habitus dimiſſio.*

1 Reſpondeo affirmatiuè. Ita Riccius *par.* 4. *deciſ. dcciſ.* 48. *a num.* 10. Nauarrus *de Regularibus comment.* 4. *in finem num.* 78. Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *diſput.* 37. *num.* 4. Leſſius *de iuſtitia & iure lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 7. *num.*63. *verſ. notandum*; Quia non videtur humanum denegare perpetuo audientiam ei, qui iuſtam cauſam habet reclamandi ex ſola habitus dimiſſione, etiam ſi temeraria fuiſſet;
2 Tum quia mens Concilij ſtatuentis hanc denegationem audientiæ videtur eſſe, vt conſulatur ſpolio Religionis, ob quod iura denegant, & merito audientiam ſpolianti, donec ſpoliatus redeat in priſtinum ſtatum, & poſſeſſionem, reſtituto ergo Monaſterio ad ſuam priſtinam poſſeſſionē, iam debet dari audientia.

3 Sed quæres hic; an ſi quis dimitat habitum iuſta ex cauſa; vel quia impeditur recurrere ad Superiores; vel alia de cauſa, tunc cum habitu dimiſſo poſſit reclamans audiri.

Reſpondeo affirmatiuè; quia per Concilium punitur ſolum temeraria habitus dimmiſſio, & taliter ſi ſpoliās non debet audiri. Secus dum adeſt iuſta cauſa, &c. Ita communiter Doctores. Vide Riccium ſupracitatum, & apud ipſum videbis Nauarrum, Azorium, Sanchez.

An Profeſſio Monialis facta abſque præuio examine Epiſcopi ſit valida. Dub. LII.

SVMMARIVM.

1 *Profeſſio Monialis ſine præuio Epiſcopi examine facta valida eſt.*

2 *Si ommittantur in matrimonio denunciationes tenet tamen matrimonium.*

3 *Quando requiritur iuriſdictio in agente, ſi talis actus fiat ab agente, qui non habet iuriſdictionem, actus eſt nullus.*

4 *Lex, quæ eſt à ſupremo Principe, & dicit, ſi taliter fit actus irritus ſit, tunc irritus verè eſt, ſecus ſi lex ſit ab alio.*

5 *Quando lex non exprimit irritationem, ſed ponit verba* nullo modo *fiat actus tenet.*

6 *Quando lex præſcribit formam ſeruandam in actu faciendo, & ſimul dat denuo poteſtatem faciendi, tunc videtur annullare actum prius factum.*

7 *Actus eſt validus licet illicitus quando lex nullum verbum ponit irritans.*

8 *Tridentinum quando vult annullare profeſſionem ſolet hoc exprimere.*

1 Conclnſio. Illa profeſſio ſine præuio examine facta eſt valida. Ita

Sanchez *lib.5.in Decalog.citat.a Portel. part.2. de caſuum caſu* 64. Ratio principalis eſt; quia Concilium ibi non irritat huiuſmodi profeſſionem: quidquid ſit de peccato, & de pęna Abbatiſſæ, ſic Sanchez, qui dat aliud exemplum *lib.3.de matrimonio diſput.*5. Concilium Tridentinnm *ſeſſ.*24. *capit.* 10. de matrimonio iubet, matrimonium non celebrari a Parrocho ſine præuijs denunciationibus; & tamen ſi omittantur denunciationes, validum eſt matrimonium. Portel.latius explicat,& validius meo iudicio probat hanç ſententiam.

3 Aduertit Primo, quando, vt aliquis actus fiat, requiritur iuriſdictio in agente, ſi talis iuriſdictio deſit, actus eſt nullus; ſecus ſi adſit talis iuriſdictio:exemplum eſt. Præcipit Eccleſia, vt confeſſor non audiat ſine approbatione confeſſiones, ſi omiſſa tali approbatione audiat,erunt irritæ confeſſiones.

4 Notat Secundo, ſi lex prohibens actum dicat,ſi ſecus factum ſit,irritus ſit talis actus, iam tunc ſine difficultate, & dubio nullus eſt actus, & hoc verum eſt dum prohibens tales actus ſine poſitis conditionibus, eſt ſupremus Princeps;nam ſi *v.g.* Aliqua religio faceret ſtatutum, quod profeſſio taliter facta eſſet nulla, & hæc profeſſio per ius commune eſſet valida; ſtatutum religionis nihil officeret profeſſioni (intelligo niſi tale ſtatutum eſſet confirmatum a Summo Pontifice) cum religio ſit legiſlator quidam inferior.

5 Notat Tertio, quando lex nihil dicit expreſsè de irritatione, ſed tantum ponat verba rigoroſa indicantia nullitatem, vt ſi dicat nullatenus, nullo modo fiat non poſſit fieri. Hæc omnia verba: quidquid dicunt aliqui DD. de *ly nullatenus*, quod ſcilicet actus factus ſit nullus;actus tenet.

6 Notat Quarto, quando lex præſcribit formam ſeruandam in actu faciendo, & ſimul dat denuò poteſtatem faciendi actum, tunc videtur anullare actum prius factum, quando vero iam ſupponit poteſtatem in faciente,& ſolum requirit talem ſolemnitatem; Iam tunc eſt ſolemnitas accidentalis. Ita Suarez *cap.*31. *de legibus num.*9. Vide ipſum, habet enim plura exempla.

7 Notat Quinto, quando lex nullum ponit verbum irritans, tunc actus eſt validus; etiam ſi ſit illicitus; Quando enim Principes, & Summi Pontifices in ſuis Bullis contra profeſſionem criminoſorum, & illegitimorum, volunt illam irritam reddere ponunt particulam irritantem, ſic fecit Sixtus V.in ſuis Bullis. Vnde quando non ponunt hæc verba irritantia, iam factum contra legem tenet; eſſet enim nimis oneroſum, omnes actus factos contra legem irritare, & ſic redeundo ad caſum poſitum.

8 Dico talem profeſſionem Monialis eſſe validam, non obſtante prohibitione Tridentini; Quia per notata: Abbatiſſæ erat iuriſdictio admittendi ad profeſſionem talem monialem. Secundo etiam ſi Concilium mandet, ne profeſſio monialis fiat ſine præuio Epiſcopi examine,attamen nō annullat profeſſionem ſic factam, ſicut fecit *cap.*15. *eiuſdem ſeſſ.* dum annullauit profeſſionem regularis factam ante decimum ſextum annum, & ante annum integrum Nouitiatus, dum dicit, *profeſſio autem antea facta ſit*

nulla

nulla, nullamque inducat obligationem alicuius Regulæ vel Religionis, vel ordinis obſeruantiam', Ergo in caſu poſito non intendit anullare talem profeſſionem. Alia addit Portel. *loco ſuprà.*

An Epiſcopus poſſit excommunicare Prælatos & Moniales exemptas quæ admittunt ad profeſſionem nouitiam quę Sponſalia contrahaxerat nec fuit examinata. Dub. LIIII.

SVMMARIVM.

1 *Caſus aſſignantur in quibus per Tridentinum poteſt Epiſcopus per cenſuras procedere in Regulares.*

2 *Aſſertur declaratio Sacræ Congregationis per quam multi Doctores, docent poſſe ab Epiſcopo in dicto caſu excommunicari Moniales.*

3 *Negatiuè reſpondet Author.*

1 NEgatiuè reſpondet Sanchez *lib. 7. de Matrimonio diſp. 33. num.* 21. citat multos Doctores, & multa iura. Ratio Fundamentalis eſt; quia Religioſi habent priuilegium, ne poſſint excommunicari, vt ſæpè alibi. Et quando Concilium vult dare hanc facultatem ſolet exprimere, vt facit in tribus caſibus 1. Quando nouitij, vel nouitiæ exeunt e Monaſterio. Epiſcopus poteſt per cenſuras cogere Prælatos vt omnia accepta a dictis nouitijs reſtituant. 2. vt poſſint cogere Moniales, vt ſeruent clauſuram 3. vt poſſint Epiſcopi per cenſuras coercere Regulares, ne in oratorijs priuatis celebrent; at in caſu poſito non datur hęc facultas; Ergò.

2 Affirmatiuè reſpondet Portel. *Tom. 1. Caſuum Parte 1. Caſu 9.* Et monetur ex declaratione quadam DD. Cardinalium, quam dicit, & teſtatur afferre Farinacium *in ſuo libro Deciſionum, & declarationum Cardinalium*. eſt tenoris ſequentis.

Moniales, & ſuperiores poteſt idem Ordinarius coercere non ſolum pœnis a Concilio Tridentino ſtatutis, & præſcriptis, ſed etiam Eccleſiaſticis cenſuris, & alijs iuris remedijs non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, At non obſtante, & cæt.

3 Sit Concluſio cum 1. ſententia nã etiam ſi eſſet talis declaratio, attamen vim obligatoriam non habet; quia non eſt in forma authentica, quæ requiritur ex decreto Vrbani VIII. Vide Portel. 2. *Parte Caſuum* in indice Verb. *Decreta*, & *declaratio*. 2. deberet anullari priuilegium, quod habent Regulares, ne poſſint excommunicari.

An Epiſcopus poſsi cogere Regulares, vt dent ſua bona Religioſo dimmiſſo per diſpenſationem Pontificiam, ſtante profeſsione valida. Dub. LV.

SVMMARIVM.

1 *Rationes per quas Epiſcopus nequit in dicto caſu cogere Regulares adducuntur.*

2 *Epiſcopus qui prius profeſſus Regularis erat recuperat ius ſuccedendi in ſua legitima; non tamen hoc officit ſententiæ negatiuæ.*

1 NEgatiuè reſpondet Bordonus. *de Reclamatione quæſt.* 42. & adducit

ducit multas rationes pro hoc. 1. quia ex decreto Concilij habetur, quod ſecuta profeſsione ſuum ſortiatur effectum renunciatio. 2. quia diſpenſatio ſtrictè eſt interpretanda, & ſi aliquid operatur ſufficit. 3. quia licet renunciatio ſit intuitu religionis ſeù profeſsionis, & conſequenter illi acceſſoria, eſt tamen acceſſoria ſeparabilis, & ſic non ſequitur naturam principalis.

2 Nec obſtat contra hanc ſententiã deciſio ſub die 11. Ian. 1631. ex Aldano, *in ſuo compendi. canon. Reſol. lib. 2. tit 9. num.* 10. apud Barboſam, *ad cap. 16. Seſſ. 25. num.* 19. quod profeſſus Epiſcopus factus recuperat ius ſuccedendi in legitima renuntiata ad fauorem tamen ſuæ Eccleſiæ, quia non diſpenſatur vt in caſu noſtro, Vide citatum Portel; & etiam Nauarrum, *conſil.* 82.

An Epiſcopi licentia requiratur vt licitè coniuges profeſsionem faciant. Dub. LVI.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudine introductum eſt, vt talis licentia non petatur.*

2 *Secundum aliquos caput*, ſi vir & vxor. *intelligitur de coniugatis, qui monaſterium volunt conſtruere, ſed non bene ſic intelligitur.*

3 *Per Epiſcopi conſcientiam intelligitur Epiſcopi ſcientia.*

4 *Nec vt validè talis profeſſio emittatur requiritur Epiſcopi licentia.*

1 SAnchez non requiri ad hoc licentiam affirmat *Diſput. 32. lib. 7. de Impedimentis num.* 3. & pro ſe plures alios adducit, probat, quia iam conſuetudine introductum eſt, vt ea licentia non petatur, & hanc rationem dant Ioannes Andrea, & Cardinalis relati ab ipſomet Sanchez, & a Barboſa, *in Collectan. ſuper hoc caput*, qui ad verbum, Sanchez tranſcribit.

Quod ſi obiicias, *in cap. vir, & vxor 27. quæſt.* 2. habetur ſic, *Si vir & vxor diuertere pro ſola Religioſa inter ſe conſenſerint, vita nullatenus ſine Epiſcopi conſciẽtia fiat.* Ergo epiſcopi licẽtia requirit ad hoc, vt licite profiteri poſsint.

2 Reſpondet Sanchez cum alijs, dictum *caput* loqui de coniugatis, qui monaſterium volunt conſtruere; vt ibi profiteantur. Sed hæc reſponſio non placet, quia *dictum caput* nihil habet de monaſterij ædificatione; vt patet legenti; ibi enim formalia verba habentur, quæ retulimus, ex quibus non video fieri mentionem mo-

3 naſterii conſtruendi. Reſpondetur ergò 2. ex vi canonis non requiri Epiſcopi licentiam, ſed conſcientiam, ideſt ſcientiam huius facti, vt dicunt verba. Deinde non inducunt dicta verba præceptum, ſed tantum de honeſtate deſideratur Epiſcopi licentia, vt docent ſuper dictum caput Archidiaconus *num. p. ſuper verbo fiat.* Bellamera *num. vnico* Ioannes Andreas *cap. 1. num.* 1. Cardinalis *quæſt. 2. de conuerſione coniugum*, & alii apud Sanchez *loco ſupra citato*. Vnde.

4 Collige ex poſita ſententia; multo minus requiri Epiſcopi licentiam, vt validè coniuges profeſsionem faciant. Contrà Maiolum, *lib. 1. de Irregularitate cap. 4. num 5. & 7.* & Guiglielmum Vorrilogum, *in 4. diſt.* 32. fauent tamen Sanchez *diſput. 32. lib. 7. De impedimentis num.* 3. Archidiaco-

diaconus, Bellamera, Turrecremat. Ioannes Andreas,& alij apud dictum Sanchez; & ex Theologis Scotus, *in 4.diſt.32.*& prob.quia in dicto capite *ſi vir, & vxor,* vbi videtur ea licentia 1
requiri non inualidatur profeſſio 2.in capite 1. *de conuerſione coniugum* dicitur; Virum qui ignorante Epiſcopo profeſſionem emiſit non eſſe reuocandum; ſi vxor vouerit caſtitatem. Ergo ad validitatem profeſſionis non 2
requiritur talis licentia Epiſcopi.

An Coniux profeſſus, qui tamen poteſt reuocari propria authoritate exire poſſit, ſine Epiſcopi licentia, & reuocatione. Dub. LVII.

SVMMARIVM.

1 *Pro affirmatiua ſententia Doctores referuntur.*
2 *Doctores qui negant citantur.*
3 *Ob quas cauſas poſſit coniux profeſſus a Religione reuocari.*
4 *Cum alter coniux eſt profeſſus ſine licentia alterius,tunc non debet expectare reuocationem,ſed poteſt exire.*
5 *Non præſumitur conſenſus alterius coniugis dum non reuocat.*
6 *Nec etiam ſi poſtea coniux manens in ſæculo det conſenſum valida remanet profeſſio.*
7 *Profeſſio coniugis ſi valida ſit, non ſeruatis tamen, quæ iura præſcribunt, poteſt tunc reuocari,ſed non propria auctoritate exire.*
8 *Coniux perſiſtens in religione non peccat, licet peccauerit dum ſine debita forma intrauit in eam.*
9 *Quando coniux profeſſus poteſt reuocari,Epiſcopi auctoritas requiritur, vt reuocetur, & quare.*
10 *Sunt tamen Doctores qui oppoſitum docent.*

Affirmatiuè apud Sanchez reſpondent aliqui,& ſunt Innocētius in c. *quidam nu. 5. de conuerſione coniugum* Turrecremat. Ioannes Andreas, & idem ſuſtinet Bartholomæus a S. Fauſto *de religioſo ſtatu qu.* 78. Negatiuè reſpondent Ipſe Sanchez *lib.7.de Matrimonio diſput.33.numer.*15. Nauarrus *lib.3.tit.de conuerſione coniugum* conſ.6. numer.3. & 4. Henriquez *lib.11.de matrimonio cap.5. nu.*10.Emanuel Sà *verb. Religio num.* 32.Rodericus *part.1.ſummæ cap.*238. *num.*3. Vega *2.tom.cap.34.caſ.*104. & Bartholomæus a S. Fauſto *de Religioſo ſtatu quæſt.*73. qui nec ſibi contrarius eſt;vt patebit. Ad maiorem ergo rei explicationem, & claritatem debeo aliquid ſupponere.

3 Profeſſus poteſt reuocari multis de cauſis à Religione (puta ſi coniux alter manens in ſæculo nullum emiſit votum, & eſt periculum incontinentiæ; vel quia abſque licentia alterius coniugis profeſſionem emiſit, & alijs ſimilibus cauſis) ſit, ergo

4 Prima Concluſio; quando alter coniux profeſſus eſt ſine licentia alterius, tunc propria auctoritate poteſt exire, nec debet expectare reuocationem. Ita Bartholomæus a Sancto Fauſto *de ſtatu Religioſo quæſt.*78 & ratio eſt; quia iſte peccauit contra iuſtitiam, cum corpus, cuius non erat Dominus in Religionis dominium tranſtulerit. Ergo ſtatim tenetur illud coniugi ſpoliato reſtituere, ac proinde poterit hic propria auctoritate exire, & tenebitur ſi commode po-

poterit; vt colligitur *ex cap. accedens de conuerſati, & ex cap. 23. quæſtion. 5. vbi gloſſa* dicit, videri ex illo textu cõiugi integrum eſſe, dum profeſſus eſt abſque alterius licentia exire propria auctoritate.

5 Dices; dum alter coniux manens in ſæculo non repetit, præſumitur adeſſe conſenſus. Reſpondeo non præſumi talem conſenſum, cum poſſit etiam præſumi non reuocare cauſa vitandæ litis, aut ignorantia iuris, aut timore aliquo. Deinde ſola eius voluntas nõ ſufficit ad licitum ingreſſum alterius; ſed requiritur votum perpetuæ caſtitatis in permanente in ſæculo, vt ait Bartholomæus a Sancto Fauſto *loco ſupra*. Quod tamen non placet, nam licet voluntas ſola non ſufficiat ad licitum ingreſſum, ſufficit tamen ad validum ingreſſum, & validam profeſſionem, vt ſupponunt, & docent communiter
6 Doctores. Adderem ergo, quod idem a Sancto Fauſto docet *de ſtatu Religioſo quæſt. 79.* ſcilicet etiam ſi poſtea det conſenſum alter coniux manens in ſæculo; attamen non per hoc reddi validam profeſſionem alterius, niſi de nouo ſuam profeſſionem ratificet profeſſus: Quidquid dicat Henriquez *lib. 11. de matrimonio cap. 6.* Vnde licet poſtea præſumatur conſenſus ex eo, quod manens in ſæculo non repetat, nihil refert.

7 Concluſio; quando coniux profeſſus validè fuit profeſſus poteſt tamen reuocari; quia non ſeruauit in tali actu, quæ iura obſeruari præſcribunt; ſed non poteſt propria auctoritate exire. Ita omnes Doctores citati pro affirmatiua ſententia; & ſic puto, conciliandos eſſe Doctores, qui in hoc videntur contrarij. Ratio eſt; quia talis coniux verè eſt profeſſus, & tenetur ad obedientiam. Vnde non poteſt propria auctoritate aliquid facere. Secundo iam ceſſit iuri ſuo, & conſequenter donec alter manens in ſæculo repetat, non poterit exire.

8 Nec obijcias perſiſtens in religione eſt in peccato, ergo poteſt ad hoc euitandum propria auctoritate exire; nam nego antecedens, ingrediens enim religionem ſine debitis requiſitis peccauit quidem; attamen poſt perſiſtendo in religione non peccat, nec amplius eſt ſui iuris. Sic habens votum perpetuæ caſtitatis peccat quidem, dum matrimonium contrahit, attamen poſt contractum, dum in eo perſiſtit, non peccat: imò peccaret ſi ab eo diſcederet

9 3. Concluſio; qñ coniux eſt profeſſus, & põt reuocari, tunc Epiſcopi auctoritas requiritur, vt reuocetur. Ratio eſt, quia Epiſcopus debet videre; an periculum incontinentiæ ſit in coiuge remanente in ſæculo. Ita Sanctarellus *variarum reſolutionum quæſt. 21.* Aſtenſis *in Summ. part. 2. libr. 8. tit. 11. art. 10. quæſt. 11.* Roſſella *verb. impedimentum* Sylueſter verb. *Matrimonium 8. quæſt. 12. dict. 4.* Angelus Tabiena, & alij, quos citat dictus Sanctarellus. adde etiam Bartholomæum a Sancto Fauſto *de Religioſo ſtatu quæſt. 73.* Vegam *tom. 2. Summ. capit. 39. caſu 104.* Sanchez *diſput. 33. lib. 7. de impedimentis num. 18.* qui tamen dat aliam rationem; ex eo ſcilicet, quod vxor facultatem conceſſerit; Vnde ceſſit iuri ſuo, quod in coniugem habebat, & conſequenter non habet in eum ſe ſola actionem aliquam.

10 Oppoſitum docent tamen Aſtenſis

Digitized by Google

ſis, Gabriel. Guillielmus. Vorlinguis Palacios, Maiolus, & alij quos congerit Sanchez. *loco ſupra*.

An Epiſcopus poſsit reuocare è Monaſterio profeſſum coniugem, vt reſtituatur alteri coniugi manenti in ſæculo cum voto caſtitatis cum periculo incontinentiæ. Dub. LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Doctorum circa hoc ſententiæ referuntur.*

2 *Epiſcopus non poteſt reuocare coniugem profeſſum, etiam ſi alter manens in ſæculo cum voto ſit in periculo incontinentiæ.*

3 *Profeſſio coniugis, cuius ſocius remanet in ſæculo cum voto & cæt. valida eſt, licet non fuerit licita.*

4 *In voto ſolemni nequit Epiſcopus diſpenſare licet poſſit in voto ſimplici caſtitatis ob periculū incontinentiæ.*

5 *Manens in ſæculo cum voto & cæt. facit id quod iura requirunt ad validitatem profeſſionis.*

1 Affirmatiuè reſpondet Hériquez *lib. 11. de Matrimonio cap. 8. nu. 9.* Ita etiam Hoſtienſis *in Summ. num. de Conuerſatione coniugum.*

Negatiuè docent plures alij. Bartholomeus a S. Fauſto, *lib. 5 de Religioſo ſtato, quæſt. 71.* Siluelter *Verb. Matrimonium 8. quæſt. 12.* Tabiena *Verb. Matrimonium 1. quæſt. 3.* Roſella. *Verb. Impediment. 11.* Nauarus *lib. 3. Conſil. Tit. de conuerſatione coniugum conſil. 14. num. 4.* Azzorius *lib. 12. cap. 1. Quæſt. 6.* Sanchez. *lib. 7. de matrimonio diſputatio. 33.*

2 Concluſio; Epiſcopus non poteſt reuocare coniugem profeſſum, dum alter manet in ſeculo cum voto caſtitatis; etiam ſi periculum ſit incontinentiæ. Prob. ex cap. *Preterea de conuerſione coniugatorum lib. 3. Decretalium* per hęc verba. *Niſi vxor ad Religionem tranſierit aut perpetuò caſtitatem ſeruare promiſerit, vir poteſt, & debet de Monaſterio reuocari.* Ergò ſi adſit votum caſtitatis manente in ſæculo, iam non poterit alter profeſſus reuocari.

Nec obſtat *caput cum ſis eodem titulo.* Vbi habetur; *Auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne in Epiſcopatu tuo virum, vel vxorem, niſi vterque ad Religionem migrauerit tranſire permittas,* Ergo manente vno in ſæculo, qui ſcilicet periculum incontinentiæ ſubeat, iam profeſſio alterius erit inualida, & ſic poterit reuocari.

3 Reſpondeo enim, & ita etiam Reſpondet Bartholomęus a S. Fauſto, profeſſionem tali pacto factam coniuge iuuene ſcilicet in ſæculo manente cum voto, & cæt. non approbari vt licitam, benè tamen, vt validam, multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur. Idem reſpondet Sanchez, & docet congerens plures alios doctores idem ſentientes.

4 Ad Fundamentum Henriquez; quod tale eſt; Epiſcopus poteſt diſpenſare ob periculum incontinentię in caſu magnæ neceſſitatis in voto caſtitatis. Ergò poteſt diſpenſare in voto coniugis profeſſi, & ſic reuocare illum. Reſpondeo, nullo pacto poſſe Epiſcopum in voto ſolemni, hoc autem votum profeſſi coniugis eſt ſolemne.

5 Dicos

5 Dices; & eſt obiectio Hoſtienſis *in Summ. Tit. de Conuerſatione Coniugum num.* 8 in ſæculo manens non fecit, quod iura requirunt ad alterius profeſsionem, nam debebat etiam ipſe profiteri ratione iuuentutis.

Reſpondeo, non fecit, quod iura ſtatuunt ad validitatem profeſsionis nego; ad hoc vt licitè fiat, concedo.

An Epiſcopus poſsit reuocare profeſſum coniugem, quando manens in ſeculo nullum emiſit votum. Dub. LVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor circa hoc Doctorum ſententiæ adducuntur.*

2 *Semper poteſt Epiſcopus coniugem profeſſum reuocare, altero manente in ſæculo ſine voto.*

3 *Non quia profeſſio eſt valida tollitur reuocationi locus.*

4 *Cogendus eſt manens in ſæculo ingredi religionem, ſi profeſſum coniugem nolit reuocari.*

5 *Non ſunt inſeparabilia hæc duo dare licentiam coniugi pro ingreſſu Religionis & vouere caſtitatem.*

QVatuor ſententias refert Sanchez circa hoc, *diſput.* 33. *lib.* 7. *de Impedimentis*.

Prima negat reuocandum fore coniugem, ſed compellendum eſſe manentem in ſæculo caſtè viuere. Ità quidem antiqui, quos refert Gloſs. *In fine capitis p. Præterea de Conuerſione coniungum.* Ità etiam Durandus *in* 4. 4 *Diſt.* 32. *quæſt.* 2. *num.* 6.

Secunda Admittit abſolutè reuocationem. Ita Innocentius Cardinalis, Henricus, Palacios, & plures alij, quos refert Sanchez. *loco ſuprà*.

Tertia Sententia cum. 1. coincidit; nam dicit compellendum eſſe coniugem manentem in ſæculo ad religionis ingreſſum, & ſic negat alterum eſſe reuocandum. Ita Hugo, Hoſtienſis, Goffredus, & alij relati ab eodem Sanchez.

Quarta procedit cũ diſtinctione, quæ talis eſt, vel manens in ſæculo ſciebat ius diſponens alterum non poſſe profiteri, niſi ipſe caſtitatem non voueret, vel neſciebat hoc ius, ſi primũ iam non poteſt profeſſus reuocari, ſi 2. poteſt. Ità ipſe Sanchez; & Bartholomæus a S. Fauſto, qui plures alios pro hac ſententia citat doctores. ſit ergo.

2 Concluſio, ſemper poterit Epiſcopus coniugem profeſſum reuocare, altero manente in ſæculo ſine voto. Prob. 1. ex *cap.* 1. *Præterea de conuerſione coniugum & cæt.* vbi abſolutè habetur. *Niſi vxor ad Religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſeruare permiſerit vir poteſt, & debet de Monaſterio reuocari*. 2. probatur negatiuè euertendo ſilicet fundamenta aliarum opinionum.

3 Ad Fundamentum opinionis negantis poſſe reuocari, quia ſcilicet profeſsio valida fuit, cum fuetit facta cum licentia alterius manentis in ſæculo ſine voto. Reſpondeo, validam quidem fuiſſe profeſsionem, attamẽ non per hoc locus tollitur reuocationi, nam ſtante etiam profeſsione valida, poteſt profeſſus reuocari.

Ad Fundamentũ Secundæ Sententiæ

tiæ aſſerentis; cogendum eſſe manentem in ſæculo ad religionis ingreſſum, vel ad votum, & conſequenter non eſſe locum reuocationi ex cap. *Qui vxorem ſuam &c cat.* 2. *Parte decreti cauſa.* 3.

Reſpondeo, cogendum eſſe ad Religionis ingreſſum, ſi reuocari coniugē noluerit, & ità tenent aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Gloſſa ſupra *Caput qui vxorem* fundamentum eſt, quia ſicut ad contrahendum matrimonium requiritur expreſſus conſenſus, ſic ad ſeparationem.

5 Ad Fundamentum 4. Sententię, quod tale eſt. qui dat licentiam ſuo coniugi profitendi, tacitè videtur vouere caſtitatem, quod requiritur ad valorem irreuocabilem ingreſſus alterius. Reſpondeo, non eſſe adeo connexa hæc duo, & dare licentiam alteri coniugi, vt profiteatur; & vouere caſtitatem, vt ſeparari nequeant; nam bene poteſt manens in ſæculo dare licentiam alteri, vt voueat, in religione abſque eo quod ipſe poſtea faciat votum, illa ergo licentia operabitur, vt profeſſio valida ſit, non tamen faciet, quod ſit irreuocabilis, coniux profeſſus; quia poteſt ſtare valida profeſſio cum reuocabilitate.

An Epiſcopus poſſit procedere contra Regulares, qui iniuſtè detinent coiugem profeſſum. Dub. LX.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Epiſcopus procedere in Regulares qui detinent iniuſtè coniugem profeſſum, & quare.*

2 *An vero poſſit procedere cenſuris opinio pro vtraque parte eſt quod nequeat, aſſerit communior.*

3 *Sunt aliæ pænæ, etiam ablatis cenſuris, quibus Epiſcopus in Regulares procedere poteſt.*

1 AFfirmatiuè Reſpondet Bordonus *de exemptione & ſubiectione Epiſcopis Reſol.* 7. *num.* 109. Sanchez. *lib.* 7. *de Impedimentis diſput.* 33. *num.* 21. Salcedo *in additionibus ad practicam Bernardi Diaz. cap.* 3. *littera A.* §. *pumre.* Royas *de Hæreticis* 1. *parte nu.* 155. & alij: ſit igitur

Concluſio; poteſt Epiſcopus procedere cōtra Regulares impediētes &cęt. Prob. quia in hoc caſu nō agitur de Religionis priuilegijs; ſed de matrimonij inſtauratione, quod ordinarij propriū eſt, 2. Ordinario cōpetit ius contra extraneos, & exemptos impedientes, & perturbantes ſuam iuriſdictionem hoc eſt in caſu noſtro Ergo.

Sed difficultas eſt; an poſſit procedere cenſuris, & alijs penis ſpiritualibus.

Affirmatiuè reſpondet obſolutè Salcedo relatus a Sanchez *loco ſupra num.* 22. *ſed.*

2 Negatiue communior ſententia docet; Et præcipuè Cokier, *Parte* 2. *quæſt.* 45. *num.* 122. ponam hic eius verba; nam ex eis adequatè ſoluitur dubium. *Epiſcopus poteſt excommunicare, & ſuſpendere exemptos impedientes reuocationem coniugis e monaſterio exempto, ſi iſte coniux non fuerit validè profeſſus, puta ſine licentia alterius coniugis, vel illius in ſæculo manentis nullum ſit votum continentiæ, aut ſaltem ſit temporale, niſi tamen exempti priuilegium*

habeant

habeant ne poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, quale habent mendicantes; vt conſtat ex eorum compendio Verb. exemptio numer. 9. & Societas Ieſu vt conſtat ex Bulla Pauli III. ipſi conceſſa ann. 1549. *& Itá in terminis reſoluit Thomas Sanchez eiuſdem ſocietatis Doctor eximius Trac. de Matrimonio lib. 7. diſp.* 33. *num.* 21. *& ratio eſt quod in propria ſpecie non agitur de Religionis priuilegijs, aut de ſtatu Religionum, ſed de matrimonij inſtauratione, coniugiſque reuocationem, qui minus legitimè ſit profeſſus; quod Ordinarij proprium eſt cap.* 1. *de Conuerſatione Coniug. Denique quia ordinario competit omnimoda iuriſdictio contra extraneos, & exemptos impedientes ſuam Iuriſdictionem Innocent. in caput Dilectus*, & confirmatur concluſio, quia quando concilium Tridentinum dat facultatem Epiſcopo fulminandi cenſuras in Regulares, ſolet exprimere, & patet *ex capite primo de priuilegijs in 6.* vbi habentur talia verba. *In eos autem, quibus nec interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam, valeant a Sede Apoſtolica eſt indultum ſicut ſunt religioſi quamplures, in quorum priuilegijs continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, monaſteriorum monachos pro vlla cauſa: vlloue loco interdicere ſuſpendere, vel excommunicare præſumat.* Stat ergò Epiſcopum habere iuriſdictionem in exemptos, & tamen non poſſe illos cenſuris ligare.

Nec obſtat, quod ſit fruſtanea cogendi poteſtas; nam aliæ pænæ ſunt quibus vti poteſt; etiam ſi vti nequeat cenſuris.

An Clericus, vel alius qui emiſit votum Religionis poſſit cogi ab Epiſcopo, ad executionem voti. Dub. LXI.

SVMMARIVM.

1 *Ferro Manrique putat ad Epiſcopum pertinere, ſic vouentem cogere ad executionem voti.*

2 *Rationes tamen pro contraria ſententia validæ ſunt.*

1 DVbium de Clerico mouet Ferro Manrique. *Part.* 1. *Quaſt.* 103. ſed de Laico nec verbum quidem dicit. Quod autem Iudex Eccleſiaſticus poſſit cogere vouentem, ad ſeruandum votum, habetur per Cap. *Tuas de voto* & per, *Cap. ſi Iudex laicus de Sent. excommunication. in* 6o. Couaruuias *Tract. qq. cap.* 33. *num.* 1. Et verè dum votum publicum eſt, nec exequitur a vouente; tunc ad Iudicẽ eccleſiaſticũ ſpectat, talẽ cauſam cognoſcere, ſed aduertendum eſt, hoc debere eſſe ſine cauſa, ideſt quandò ſine cauſa votum non exequitur: & ſic dum agit Ferro Manrique, *quaſt.* 103. *Parte* 1. an emittens votum Religionis teneatur, & poſſit cogi ad ſeruandum votum dicit, poſſe cogi, ſi ſine cauſa non vult votum adimplere: quando autem adeſt cauſa, iam non debet ſe Epiſcopus in hoc ingerere, Hoc tamen non obſtante.

2 Ex noſtris vir huius litteraturæ verſatiſſimus tenet, non poſſe ſic vouentem cogi ad exequendum votum, & hoc non ſolum ab Epiſcopo ſed nec ab vllo alio. Mouetur; quia emiſ-

Digitized by Google

miſſio huius voti eſt tantũ ex cõſilio, non ex præcepto. Secundo, quia eius violatio alteri præiudicium non affert. Tertio, quia vnuſquiſque in ſtatu vitæ deligendo eſt Dominus ſui ipſius; ergo tale votum emittens non eſt ſpoliatus tali iure. Quarto, ſtatus religionis eſt talis conditionis, vt non poſſit ei ſatisfieri, niſi quis ſpontè, & ex interno affectu illum colat, & ſeruet. Ergo ſemper requiritur ſpontanea electio, non coactio, quod cõtingeret, ſi poſſet Epiſcopus cogere vouentem ad perſoluendum votum emiſſum. Quinto hæc coactio (ſi daretur) eſſet in pœnam propter culpam non adimplendi votum, ſed eſſe pænam repugnat ſtatui religioſo, qui non poteſt habere rationem pænæ, cum liberam requirat electionem, ergo: ſed à priori ſententia recedendum non eſt; tum ob Doctores, qui communiter eam ſequuntur. Ita apud Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 11.*num.*19 Gloſſ.in cap. *Porrectum in fine* de Regul. Innocent. *cap. penultimo verſ. conſulimus de voto* Angel. *verb. Votum* 3. *numero* 26. *Syluest. verb. Votum* 2 *quæſtio.* 19. Caietan. 22. *quæſt. vltima art.* 3. *dub.* 1. & alij plures apud dictum Sanchez, & deſumitur ex cap. *ex parte de Cenſibus*, qui omnes veniunt ad caſum poſitum de vouente religionem.

Nec obſtat, quod ingreſsus Religionis ſummè liber eſse debeat; vnde videtur non poſse cogi vouentem ad adimplendum tale votum; nam per inſtantiam reſpondeo eſse liberè, matrimonium debet contrahi, & tamen poſt ſponſalia, ſi quis ſine cauſa reſiliat poteſt à iudice eccleſiaſtico cogi ad matrimonium pænis, & alijs iuris remedijs; vt patet per c. *ex litteris de Sponſalibus* 2. (Quod tamen non eſt intelligendum finaliter cum matrimonium eſse non poſſit ſine conſenſu eorum, qui coniungendi ſunt,) vt benè notat Gloſs. *ver. Compellas ibi*; ſed quia facit, quod poteſt per pænas, cenſuras, & alia iuris remedia, vt renuens promiſsa præſtet. Sic ergo à pari in caſu noſtro cogit Eccleſia vouentem, vt liberè votum præſtet.

Nec obſtat ſecundo, Votum hoc non adimplere non eſt in damnum alicuius, ergo non poteſt cogi vouens ad executionem; Nam ratio fundamentalis, per quam iudex Eccleſiaſticus poteſt cogere ad adimplendum votum eſt, vt notat Sanchez, *dict. lib.* 4. *cap.* 11. ne ſacrilegia committantur, & ſimilia delicta enormia vnde parum refert, quod non adimplere votum nullum cauſet damnum tertio, & cæt. Hæc eſt opinio communis. Ego tamen puto non poſse vouentem religionem cogi ab Epiſcopo ad ingreſsum ob peculiarem rationem, vide *c. quo ad varia* ibi habes melius, & fuſius ſolutum dubium.

F QVO

QVO AD ORDINES
Cap. IIII.

An Regulares proprium habeant Epiſcopum, quo ad Ordinationes, & quis nam ſit.
Dub. LXII.

SVMMARIVM.

1 *Locus Tridentini adducitur in quo circa ordinationes Regularium, quid agendum ſit ſtatuitur.*
2 *In Monaſterijs nullius diaceſis, in quo Abbates, vel ſimiles habent iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, a quo ſint Regulares ordinandi.*
3 *Adeſt modo decretum Clementis VIII. quod omnino ſeruandum eſt circa Regularium ordinationem.*
4 *Proprius Antiſtes Regularium a quo debent ordinari, eſt Epiſcopus ille, in cuius Diaceſi Monaſterium ſitum eſt.*
5 *Mutatio frequens Regularium de vno Monaſterio, in alium non obſtat, quin ab Epiſcopo loci debeant Regulares ordinari.*
6 *Notabilis Zipai opinio refertur.*

1 CERTVM eſt, proprium adeſſe Epiſcopum, qui Regulares ordinare debet, patet hoc per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 8.* vbi habetur, *vnusquiſque autem a proprio Epiſcopo, quod ſi quis ab alio promoueri petat nullatenus id ei etiam cuiuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij pretextu etiam ſtatutis temporibus permittatur niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur.* & per idem Concilium *eadem ſeſſ. cap. 10.* ſic *Abbatibus ac alijs quibuſcũque quamtumuis exemptis non liceat in poſterum intra fines alicuius diaceſis conſiſtentibus, etiam ſi nullius diaceſis, vel exempti eſſe dicentur cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre, nec ipſi Abbates, ac alij exempti, aut collegia, vel capitula quacumque, etiam Eccleſiarum Cathedralium litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab alijs ordinentur concedere; ſed horum omnium ordinatio ſeruatis omnibus, qua in huius Sanctæ Synodi decretis continentur ad Epiſcopos intra quorum diaceſis fines exiſtunt pertineat non obſtantibus quibuſuis, priuilegijs præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, & cæt.* per hæc igitur decreta integram ordinandi poteſtatem pęnes Diœceſanos Epiſcopos eſ-
2 ſe clarè colligitur: præterquam fortè in Monaſterijs, quorum Abbates quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habent, & hoc reſpectu ſubditorum; nam reſpectu externorum ſine licentia Dięceſani nequit Abbas ordinare. Adeſt demum circa hoc decretum de mandato Summi Domini noſtri Papę
3 Clementis VIII. quod paſſim a Doctoribus fertur, quo interdicitur Regularibus, ne extra Dięceſim pro ordinibus recipiendis proficiſcantur, quando ad manum eſt Diæceſanus, qui ordines eis conferre poteſt, motiua huius decreti, & aliorum circa hanc materiam, & fines harum legum ſi vis videre; lege doctum, & eru-

eruditum virum Franciſcum Hallier. *de Sacris electionibus, & ordinationibus art.* 8. *quibus ius ſit ordinandi Clericos per totum*; nos enim hic breuitati ſtudemus. A proprio ergo Antiſtite vnuſquiſque etiam Regulares debent ordinari. Sed quisnam eſt proprius Antiſtes?

4 Reſpondeo eſſe Epiſcopum illum in cuius diœceſi Monaſterium ſitum eſt, iam quaſi remanet probatum ex dictis, ſed melius, & clarius probatur ſic; quia Epiſcopus a quo, quis ordinari poteſt, triplex tantum eſt, originis, beneficij, & domicilij. Epiſcopo originis Regulares ſubijcere minime conſentaneum fuit; tum quod cum mundo mortui dicantur, originis in hunc mundum meminiſſe non debent; tum quod Regulares ſint apud quos conſilium iſtud diuinum, egrediendi de domo ſua, de terra ſua, de cognatione ſua maximè habetur in vſu, qui nempè à patria ſua ſæpè longè habitant. Nec epiſcopus beneficij poteſt eos ordinare, nec debet rationabiliter, cum Regulares, vt plurimum iure communi beneficij inhabiles ſint, illi autem, qui beneficia habent, vt ſunt ſæpè Canonici Regulares poſſunt ab epiſcopo beneficij ordinari. Ita ſuſtinet citatus Hallier: reſtat ergo, poſſint ordinari ab epiſcopo domicilij; domicilium autem nullum aliud habent Regulares, quam monaſterium a quo eis ſine licentia diſcedere non licet: quo circa non niſi ab epiſcopo in cuius diœceſi monaſterium ſitum eſt poterunt ordinari Regulares. Deinde hoc antiqua praxis demonſtrat, iuxta quam, & Clerici, & Monachi ſpeciali iure, & pluſquam laici ſubdebantur epiſcopis Monaſteriorum teſte citato Hallier.

5 Quod ſi dicas ob frequentes Regularium mutationes de vno conuentu ad alium, difficile eſt epiſcopo loci Monaſterij vitam, & mores eorum cognoſcere, ergo non adeo rationi conſentaneum eſt, ab illo epiſcopo debere ordinari.

Reſpondet Hallier benè fuiſſe ob hoc ſtatutum à *Concilio Prouinciali Mediolanenſi* 4. ſub D. Carolo, cum, qui a ſua Diœceſi, vel Monaſterio diutius abfuiſſet, præter litteras ſuperioris ſui, alias quoque eius apud quem proximè antea fuiſſet debere deferre. Sed hæc difficultas reſpectu omnium epiſcoporum habet locum, ſiue originis, ſiue beneficij, & cæt. Vnde reſpondeo DD. epiſcopos contentos debere eſſe atteſtatione Superioris Monaſterij, in quo degit Regularis ordinandus, nec dum agitur de moribus, & vita Regularium, qui ad ordines accedunt nimis ſolliciti eſſe debent, ſed ſe remittere eorum Prælatis, qui in hoc rationem reddere coram Deo in tremendo iudicio tenebuntur.

6 Scias tamen hic, apud Dianam 6. *part. tract.* 7. *reſolut.* 35. Zapæum docere non obſtante etiam decreto Clementis VIII. poſſe etiam hodie Regulares ordinari ab epiſcopo originis: infra circa finem huius capitis habes huius Doctoris fundamenta.

An Epiſcopus, in cuius Diæceſi ſitum eſt Monaſterium, debeat, & poſſit ordinare nouitios.
Dub. LXIII.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui dicunt iura ſtatuentia Regulares debere ordinari ab Epiſcopo Diæceſano, de his tantum Regularibus loqui, qui profeſſi ſunt.*
2 *Nouitij Regularium (ſi ordinentur) ab Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt monaſterium, debent ordinari.*

1 QVidquid ſit; an nouitij ſtante probationis anno poſſint ordinari, de quo modò non diſputo, dato quod poſſint, Duplex eſt ſententia. 1
Negatiuè reſpondent aliqui quos ſine nomine refert Halliar. *De electionibus, & ordinationibus. Quibus ius ſit ordinandi art.* 8. §. 3. Quia dum iura ſtatuentia Regulares debere ordinari ab epiſcopo Diæceſano Monaſterij de his ſolum Regularibus loquuntur, qui profeſſionem emiſerunt, (qui ſoli propriè Religioſi dici poſsunt,) & qui ſoli in Monaſterio domicilium habere dicuntur, quod & res Monaſterii ad ipſos ſolos ſpectent, & monaſterii habitationi ſoli obſtringātur.

2 Affirmatiuè tamen reſpondent apud eumdem Hallier. Ancharanus, Franchus, & alii, qui tale fundamentum habent. Monaſterium eſt nouitiis domicilium, cum in eo præſumantur velle perpetuò manere: ita autem voluntas ad conſtituendum domicilium ſufficit. Vtraque opinio probabilis eſt: tu ſequere quam vis.

An Epiſcopus inquirere poſſit de natalibus, ætate, & moribus Ordinandorum.
Dub. LXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondet ferè communis ſententia.*
2 *Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 5. de Reformatione non comprehendit Regulares.*
3 *Circa mores, ætatem, & ſimilia Regularium ordinandorum ſufficit teſtimonium ſuorum ſuperiorum.*

1 NEgatiuè reſpondet Campanilis Epiſcopus: vnde ipſius verba referam pro Regularibus *cap.* 12. *rubric.* 13. *Sed cum licentia (intellige ſuperiorum) ad manus Epiſcopi peruenit, ſuum non erit inquirere ſi nomine eiuſdem religioſi ordinari volentis, & deſiderium fuerit propoſitum in Eccleſia teſtimoniumque extet de illius natalibus moribus & vita a fide dignis, quæ in ordinādis omnibus inquirenda eſſet decernit Tridentina* 2 *Synodus in cap.* 5. *ſeſſ.* 23. *de reformat. Siquidem Congregatio Concilij cenſuit ad Regulares minimè extendi diſpoſitionem præfatam. In quibus ſatis ſit Epiſcopo teſtimonium habere ab ordinandorum Superioribus Regularibus affirmantibus, & atteſtantibus prædictos nullo requiſitorum indigere; eiuſque fidei ſtandum eſſe præterquam circa doctrinam, pro qua ſubijciuntur Epiſcoporum examini, quod etiam Henriquez teſtatur in ſua Summ. libro* 10. *cap.* 23. *Paragrapho* 4. *litt.* O.

Hæc

Hæc Campanilis, qui Epiſcopus erat, a quo diſcant Epiſcopi ſuam ſeueritatem circa regulares ordinandos auferre. Idem etiam docet alius doctus Epiſcopus, Hieronymus, Venerus, Leyua *in ſuo examine libr. 6. cap. 14. de ordine a regularibus ſuſcipiendo num. 3.* Vbi poſtquam dixit Regulares ordinandos debere omnino neceſſario ab
2 Epiſcopis examinari, cum hoc præcipiatur a Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 12. de reformati.* addit, *reliqua requiſita relinquuntur in conſcientia ſui ſuperioris, cum Epiſcopus non poſſit cognoſcere eius*
3 *conuerſationem præteritam. Bull. Sixti V. in fauorem Regularium vbi Summus Pontifex declarat regulares poſſe ordinari a quocumque antiſtite cum litteris ſuorum ſuperiorum, & Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 12. de reformat.*

An Epiſcopus poſſit ordinare regularem, qui linguam latinam non benè callet, & tantum ſcit legere.

Dub. LXV.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt Regulares ordinari ab Epiſcopo, etiam ſi linguam latinam non calleant; dummodo ſciant legere.*

2 *Concilium Tridentinum* ſeſſ. 23. cap. 11. *hoc relinquit arbitrio Epiſcopi.*

3 *In ordinatione maiorum Ordinum eſt diuerſa ratio.*

1 **A**Pud Dianam habes caſum *trat. 2. de dubijs regularium part. 3. reſolut 86.* & apud Marchinum *tract. 1. de Sacramento ordinis par. 5. cap 1.* apud quos varios alios Doctores videbis, & pro vtraque parte, ſit ergo breuiter.

Concluſio: Poſſunt Epiſcopi ordinare Regularem, etiam ſi linguam latinam non calleat, dummodo ſciat legere, vel canere. Ratio eſt, quia regularis degens in aliorum ſocietate fiet abſque dubio idoneus.

Nec obſtat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 11.* de reform. vbi habetur. *Minores ordines his, qui ſaltem linguam latinam intelligant per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur,* nam

Reſpondeo hoc arbitrio Epiſcopi relinqui, & non ſolum, quo ad interſtitia; ſed etiam quo ad ſcientiam, & aduertit Peyrinus concilium fauere huic ſententiæ alio in loco *ſeſſ. 12. de reformat. cap. 2.* vbi habetur, *ordinati nec diuina officia peragere, nec eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare.* Sed regulares, qui ſciunt legere, & canere, ſciunt diuina officia peragere Ergo contra hos non intendit concilium aliquid ſtatuere.

3 Aduerte hic, valere dictum in ordinatione minorum ordinum, nam in ordinatione maiorum, maior eſſe poteſt difficultas ob rationes, quas quilibet poteſt conſiderare. Vnde etiam in ordinatione in ſacris Epiſcopus poſſet minus litteratum Regularem ordinare, ob ſpem, quæ haberi poteſt de regulari, qui ob Congregationem virorum Doctorum, in qua viuit, poterit proficere, & cæt. Sed de hoc dubio cum communiter tractetur a Doctoribus ſatis dictum ſit. Vide Tamburinum, *tom 2. de iure Albatum diſputat. 2. quæſt. 21.*

An Epiſcopus poſſit ordinare Regulares ſine dimiſſorijs Prælatorum. Dub. LXVI.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi, & veritas opinionum refertur.*

2 *Epiſcopus non poteſt ordinare Regulares ſine dimiſſorijs ſuorum Prælatorum.*

3 *Non eſt munus Diœceſani, vt Diœceſanus eſt, dare dimiſſorias.*

4 *Ex eo quod Prælatus Regularis det dimiſſorias, non dat facultatem Epiſcopo ordinandi.*

5 *Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 10. loquitur tantum de clericis ſæcularibus.*

6 *Poſſunt Prælati dare dimiſſorias, oblatis, ſeu commiſſis ſuorum ordinum.*

7 *Suppoſita ſententia, quæ dicit ad Epiſcopum ſpectare dare dimiſſorias, ad quem Epiſcopum pertineat has dimiſſorias dare.*

1 RAtio dubitandi non eſt leuis, nam cū Concilium Tridentinū *ſeſſ. 23. cap. 8. de reformat.* dicat. *Quod ſi quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei etiam cuiuſuis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel priuilegij prætextu etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur*, ex his ergo videtur litteras eſſe dandas ordinando ab Ordinario, & Epiſcopo, & non à Prælato: Ob hanc rationem fuerunt aliqui Doctores, qui docuerunt has litteras dandas ſemper eſſe ab Epiſcopo, & conſequenter debent dicere poſſe ab Epiſcopis Regulares ordinari ſine literis dimiſſoriis Prælatorum Regularium; ſunt Filliucius *tom. 1. Moral. quæſt. tract. 9. cap. 4. q. 4.* Reginald. *in praxi fori Pænitentia, lib. 3. tract. 3. numer. 24.* relati à Tamburino *diſput. 25. tom. 1.* ſed apud Filliucium inuenire nō potui dictam doctrinam loco citato, & ſic nec conſtitutionem Gregorij XIII. quam circa hoc extare teſtantur aliqui.

Contrariam tamen ſententiam debemus modo ſine difficultate amplecti. Vnde Lezana *verb. Dimiſſoria* dicit eſſe mirum ab aliquibus priorem ſententiam adductam ſuſtineri, & hæc opinio ſeruatur in praxi, & docetur communiter a DD. Vide Tamburinum loco ſupracitato, qui plures alios citat, Naldum *verb. Ordo nu. 23.* Quaranta *in Summ. Bull. verb. Ordo in fine*, Petrum Ledeſmam *in Summ. tom. 1. de Sacramento Ordinis*, Molfeſium *in Summ. tom. 1. tract. 2. cap. 2. nu. 23.* & cum his

2 Dico: Epiſcopus nequit ordinare Regulares ſine dimiſſorijs ſuorum Prælatorum. Prob. ex eodem Concilio dicto *cap. 8.* dum ibi dicitur *niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur*, nomine ordinarij veniunt etiam Prælati Regulariū, vt docent plures Canoniſtæ: & ſunt Butri. Aret. Decius. Paris, Mandoſa *ad Regulas Cancellariæ Regul. 24. qu. 2. num. 4.* Cardinal. Imola, & alij apud Riccium *in praxi variarum reſolutio pro Epiſcopis reſol. 295.* ergo. Secundo extat decretum Clementis VIII. in quo præſcribit Regularibus modum dandi dictas dimiſſorias, quod adducit Tamburinus loco citato, & alij etiam. Tertio per Doctores contrariæ ſententiæ Patres Societatis Ieſu habent priuilegium, vt aci-

Digitized by Google

cipiant dimmiſſorias a ſuis Prælatis, ergò & alij Regulares qui communicant in priuilegiis. 4. quia litteræ dimiſſoriæ dantur ad teſtificandum bonos mores, & cæt. illius, qui ordinandus eſt. Sed Epiſcopus ordinariè non cognoſcit has qualitates in Regularibus, Ergo ad Prælatum ſpectat. 5. Demum ſunt pro hac noſtra ſententia. Caput *nullus Epiſcopus de tempore ordinandorum* & caput *quam ſit* & caput *nullus diſt.* 58. in quibus omnibus præcipitur, ne aliquis Monachus ſine teſtimonio, & conceſſione Abbatis promoueatur ad aliquem gradum in Eccleſia. Ergò clarè confirmata remanet poſita opinio: reſtat ergò nunc vt aliquibus obiectionibus reſpondeamus.

Obij. 1. dare dimmiſſorias pertinet ad Diæceſanum ratione legis diæceſanæ; ſed Prælatus non dicitur diæceſanus; Ergò ad eum non pertinet dare dimmiſſorias.

3 Reſpondeo: quidquid dicat Abbas in caput *Dilectus*: nullo pacto eſſe munus diæceſani, vt diæceſanus eſt dare dimmiſſorias. Ità *Gloſſ. in dictum caput*. Vndè aſsignat differentiam inter legem Iuriſdictionis, & legem Diçceſanam dicens, quod ad legem iuriſdictionis iſta pertinent, & ſimilia, datio curæ animarum, delictorum coerctio, Eccleſiarum conſecratio, altarium, & Virginum, confectio Chriſmatis, Ordinum collatio: ad legem autem diæceſanam ſpectat; vocatio ad Synodom; ad ſepulturas mortuorum, Carhedraticum, tertia vel quarta mortuariorum, quarta decimarum. Ecce ergò quomodò non ſit diçceſani (vt diæceſanus eſt) dare dimmiſſorias, ad quas potius lex iuriſdictionis requiritur.

Obij. 2. & mouetur obiectio a Riccio, qui tamen pro vtraq; parte adducit rationes, nec reſoluit in quam partem inclinet. Prælatus nequit ordinare. Ergò nec dimmiſſorias dare, per quas dat auctoritatem Epiſcopo ordinandi: ſine ipſis enim nequit ordinare; quod videtur abſurdum ex Regula illa communi. quod nemo plus iuris conferre poteſt in alium, quam habeat in ſe.

4 Reſpondeo nego, ex eo, quod Prelatus det dimmiſſorias ſubdito Regulari, quod det auctoritatem Epiſcopo ordinandi: dat quidem facultatē ſuo ſubdito, vt poſſit ordinari, & tollit impedimentum, quod habebat, ex quo per accidens nequit illum Epiſcopus ordinare 2. nec refert, quod Prælatus nequeat ordinare, nam extrinſecum quid eſt actui ordinationi dare dimmiſſorias, & patet clariſſimè. Dum Epiſcopus Diæceſanus mittit ſuos ſubditos ad alium Epiſcopum, qui dat dimmiſſorias, & non ordinet. Quod ſi dicas poteſt ordinare etiam ſi non ordinet, Reſpondeo ſtatim ſaltem illi Abbates poterunt dare dimmiſſorias, qui poſſunt ordinare, quod fortè non concedent aduerſarij.

Obij. 3. Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 23. *cap.* 10. Vbi dicitur, *nec ipſi Abbates & alij exempti, aut collegia & cæt. litteras dimmiſſorias aliquibus clericis ſæcularibus, vt ab alijs ordinentur concedant; Sed horum omnium ordinatio ad Epiſcopos intra quorum diæceſim exiſtant pertineat* 2. idem Concilium, *Seſſ.* 7. *cap.* 10. *per hæc verba Non liceat capitulis Eccleſiarum ſede vacante infrà annum a die vacationis, & ordinandi li-*

centiam, aut litteras dimmiſſorias, ſeu Reuerandas vt aliqui vocant & cæt. alicui concedere 3. *cap. nullus de Tempore Ordinand. in* 6. Vbi habetur, *Inferiores quoque Prælati religioſi, vel alij niſi eis, quod ſuos clericos, aut ſubditos & cæt.* Ergò ex his omnibus locis, iam clarè habetur ſolius Epiſcopi proprium eſſe litteras dimmiſſorias dare nouitijs. Ergò & cæt. apari.

5 Reſpondeo 1. Concilium *Seſſ.* 23. *cap.* 10. loqui, vt patet de clericis ſæcularibus, quorum nomine non veniunt nouitij 2. Concilium alio in loco *Seſſ.* 7. *cap.* 10. loqui de Capitulo ſede vacãte, at cum ſimus in re odioſa, iam non debet extendi ad Regulares nouitios. Deindè *Caput nullus* loqui tantum de Prælatis, qui non habent priuilegium mittendi ſuos ſubditos ad quem Epiſcopum voluerint, ſi qui ſunt tales. Vel melius iam fuiſſe reuocatum per Concilium Tridentinum in dicta *Seſſ.* 23. *cap.* 10. dum dicitur, *cuiquam qui regularis ſibi ſubditus non ſit*. Ergò concilium dat facultatem vt Prælati ſubditis dent huiuſmodi litteras, quod tamen in dicto capite nullus non conceditur, ſed prohibetur. Alias obiectiunculas videre potes apud Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 39. *num* 22. qui in hoc Epiſcopis fauet.

6 Nota hic obiter, quod dicit Lezana *Tom.* 4. *verb. Ordines Sacri*, Poſſe Prælatos dare dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos oblatis, ſeù commiſſis ſuorum ordinum.

7 Sed quæres, an ſuppoſita illa ſententia, quę docet ad Epiſcopum pertinere dare dimmiſſorias, hoc ſpectet ad Epiſcopũ loci vel Originis. Pertinere hoc ad Epiſcopũ originis docẽt Henriquez *de Ordine cap.* 23. *numer.* 3. *littera F*, Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. & *tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 16. *& alij, quos refert* Marchinus *tract.* 1. *de Sacrament. Ordinis cap.* 4. *num.* 14. ſed oppoſitum docent ipſe Marchinus *loco ſup.* Cucchus *lib.* 3. *Inſtitutionum maiorum tit.* 1. *num.* 94. *de Regularibus*, Sanchez *in præcepta Decalog. lib.* 6. *cap.* 10. & alij, quos vide apud dictum Marchinum, & hæc opinio magis probabilis eſt, & iuxta à nobis alibi dicta dum agebamus, ad quem Epiſcopum pertinet ordinare Regulares; nam Diœceſanus, & Ordinarius Regularium, ille eſt in cuius Diœceſi eſt monaſterium.

Quid Regularis ordinandus debeat afferre Epiſcopo ordinanti. Dub. LXVII.

SVMMARIVM.

1 *Debet ordinandus Regularis afferre litteras dimiſſorias à Superiore, quæ litteræ non debent eſſe vetuſtiores duobus menſibus, vel tribus à die Ordinationis.*

2 *Multa alia, quæ requirit Leyua Venerus referuntur.*

3 *Si tempus inter vnam ordinationem, & aliam requiſitum expletum non ſit, tunc debet Regularis afferre ſcriptum à ſuo ſuperiori, quo teſtatum fiat, vtile, ac neceſſarium Eccleſiæ ſuæ, Monaſteriove eſſe ſic cũ diſpẽſari.*

1 RESPONDET Laurettus de Franchis *in ſuis controuerſijs, & quæſtionibus pag. mihi* 75. Quod Regularis ordinandus afferre debet litteras di-

dimiſſorias à ſuperiore de ordine ſuſcipiendo, quo eorum quiſpiam ordinandus eſt. Quæ litteræ ne vetuſtiores ſint duobus menſibus, aut tribus à die quinta Ordinationis ſupputandis, niſi ob abſentiam ſuperioris, aliamue cauſam eas longiori tempore datas, & renouatas accipi, probariuè debere æſtimandum ſit, ſed hoc non video ſtatum in iure, & ſic nec video fundamentum Lauretti de Franchis. Inſuper vt habet iſte Doctor, debet afferre teſtimonium ſcriptum à Superiore ſuo, qui oſtendat eum vita, & moribus præditum eſſe, qui dignus ſit, vt illi ordini adſcribatur, quo is vult initiari. debet eſſe hoc teſtimonium non antiquius duobus menſibus, ſi verò diutius è Monaſterio abſuerit hoc teſtatum afferat à ſuperiori Monaſterij, in quo proximè commoratus eſt. Item debet afferre teſtificationem de Ordine, qui proximè præcedit iam ſuſcepto, & in hoc adeo rigoroſè procedit Hieronymus
2 Venerus Leyua *lib. 6. ſui examinis cap.* 14. *num.* 14. *&* 15. vt dicat. *Si aliquis babeat litteras ordinis Diaconatus, & non habeat litteras aliorum ordinum, Subdiaconatus ſcilicet, vel alterius ordinis minoris, Siue ſit Regularis, ſiue ſæcularis non poterit Epiſcopus ſecura conſcientia eum ordinare, quia in Ceremoniali Clementis VIII. dicitur examinentur de Ordine, in quo ſunt conſtituti, & id ſine litteris, vel teſtimonijs fieri non poteſt.* Imò paulò poſt addit. *Si aliquis Religioſus amittat litteras Epiſcopi, qui eum ordinauit de Epiſtola, & eius loco habeat teſtimonium in ſcriptis ſui Prouincialis, quod talis fuit ordinatus de Epiſtola tali die à tali Epiſcopo, & eam ſæpè ſæpius cantauit ſufficiet ne hoc, vt Epiſcopus tuta conſcientia eum ordinet de Euangelio? Non primo, quia de iure tenetur habere litteras ab Epiſcopo ordinante tamquam in cauſa graui, vt præcipitur in* cap. legum 2. quæſt. 1. *Secundo, quia iſte defectus de iure non ſuppletur per teſtimonium vnius, ſed per informationem aliquorum iuridicam cap. ſuper his de accuſation. Boerius deciſ. 171. num. 23. Tertio, quia Epiſcopus ordinans tenetur attendere ne quis per ſaltum promoueatur, & eſt competens iudex iſtius cauſæ cap. vnico de Clericis per ſaltum ordinat.* Ita Venerus qui nimis rigidus, & ſeuerus in hoc eſt, & ſine aliqua cauſa Prælatis Regularium fidem tollit, & hoc mordicus.

3 Inſuper ſi ſtatutum tempus a concilio Tridentino præſcriptum quod interiectum eſſe debet inter ſuſceptionem vnius, & alterius ordinis nondum expletum eſt, tunc afferat ſcriptum a ſuo ſuperiori, quo teſtatum fiat, vtile, ac neceſſarium Eccleſiæ ſuæ, Monaſteriouè eſſe ſecum diſpenſari ſuper eo interſtitio. Item afferat loco tituli teſtificationem in religione cum laude verſatum eſſe, & validæ profeſſionis. Ita Laurettus de Franchis loco ſupra, quę ex parte puto rationi conſentanea; non video tamen ita ad vnguem practicari; nam cum litteris dimiſſorijs ſolum ſuorum ſuperiorum video facilè a DD. Epiſcopis ordinari Regulares.

An

An Regularis Vltramontanus poſſit ab Epiſcopo Italo ordinari virtute ſolum dimmiſſoriarum Prælatorum. Dub. LXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia cum ſuis fundamentis adducitur.*
2 *Marchinus vt ſibi non cohærens arguitur.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Marchinus *de Sacramento ordinis par. 6. de litteris dimmiſſorialibus*, & ratio eſt; quia in decreto Vrbani VIII. quod incipit *ſecretis æternæ prouidentiæ conſilijs*, & cæt. non comprehenduntur regulares; quod cum pęnale ſit, nõ eſt extendendum vltra quod verba ſonant. Secundo quia dare dimiſſorias Regularibus pertinet ad Prælatos ordinis, vt diximus; Ergo nihil refert, quod nõ habeant dimiſſorias ab Epiſcopis. Demum circa Regulares illæ fraudes
2 regulariter eſſe non ſolent, quæ circa alios ſæculares. Ita Marchinus; qui tamen ſibi contrarius videtur dum *tract. 1. part. 5. cap. 3. num. 7.* dicit comprehendi etiam Regulares in materia ordinum, & in ſtatutis circa ordinandos etiam ſi non nominentur. Et ſic quando præcipitur, ne ordines extra ſtatuta tempora, ante legitimam ætatem, ſine litteris dimiſſorijs conferantur, æquè ſæcalares Clericos, ac Regulares includi.

An Epiſcopus, vel Prælatus proprius debeat dimiſſorias concedere, dum Regulares accedunt ad alienum Epiſcopum pro Ordinibus. Dub. LXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Doctores mouent tantum dubium in caſu communi, ad quem ſpectet dare dimiſſorias, non tamen dum proprius Diæceſanus non ordinat.*
2 *Etiam dum Diæceſanus non ordinat dare dimiſſorias ſpectat ad Prælatum Regularem.*
3 *Regulares examinandi ſunt ab Epiſcopo, qui ordines confert.*

1 CAſus practicabilis eſt, nam ſæpè Diœceſanus ordinationes non tenet, & Regulares coguntur adire alienum epiſcopum, pro ordinibus ſuſcipiendis. Tunc ergo poteſt dubitari, quinam debeat dimiſſorias concedere epiſcopus Diœceſanus, an Prælatus.

Mouet dubium Campanilis *rubric. 12. cap. 13. num. 36.* & affert duas Doctorum opiniones, quæ tamen tantum loquuntur in caſu communi ad quem ſcilicet ſpectet dare dimiſſorias abſolutè; an ad epiſcopum, an vero ad Prælatum Regularium, non autem loquuntur, quando epiſcopus proprius non ordinat, & Regulares accedunt ad alienum; in quo caſu eſt poſitum dubium: cum ſit maior ratio dubitandi, cum in eo videatur requiri etiam conſenſum Diœceſani, qui habet ius ordinandi. Attamen hoc non obſtante,

2 Re-

2 Reſpondeo ad ſolum Prælatum Regularem ſpectare tunc dare ſuis ſubditis Regularibus dimiſſorias. Ita citatus Campanilis, qui Epiſcopus erat, & probatur; quia nullum eſt diſcrimen inter hunc caſum, & caſum communem quãdo Epiſcopus proprius Diœceſis Monaſterij Ordinat. Vnde ſicut in hoc dimiſſorias dat Prælatus, ſic etiam dare debet in illo, & adeſt decretum Clementis VIII. quo clarè conſtat, generaliter dimiſſorias concedendas eſſe a Prælatis Regularibus, etiam quando accedunt ad epiſcopum alienum, dum proprius non ordinat, tenor decreti talis eſt. *De mandato D.N. Diuina prouidentia Clementis VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium ſuperioribus; vt de cætero obſeruent, & obſeruari faciant, quæ in decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini continentur. Congregatio Concilij cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit litteras dimmiſſorias concedere ad Epiſcopum tamen Diæceſanum nempè illius Monaſterij in cuius familia ab his, ad quos pertinet is Regularis poſitus fuerit, & ſi Diæceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit examinetur.* Vide quomodo ex poſito decreto ſoluta remaneat difficultas poſita, & etiam alia, quæ poſſet moueri; a quo ſcilicet epiſcopo debeat examinari in caſu tali; nam iuxta decretum patet examinandum eſſe ab eo, qui
3 ordines confert. Vnde non video quomodo ſtare poſſit, id quod docere videtur Ioannes Antonius Nouarius *in Summa Bulla de ordinandis Regularibus numer.* 2. ſcilicet ab Epiſcopo proprio tunc eſſe examinandos, ponam eius verba. *Et ſi Epiſcopus Diæceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes examinetur ab eo Epiſcopo, & ad alium dimittatur*: citat de hoc loquentes Piaſeccium *in praxi par.* 1. *c.* 1. *num.* 14. & Dianam noſtrum *tract.* 2. *reſol.* 15. *part.* 3. forte nam partem non citat. Sed in illo vbi agit de Regularibus inuenire non potui: legi quoque Piaſeccium loco citato, qui oppoſitum potius habet.

An Epiſcopus, qui non eſt proprius, dum ordinat Regulares preter litteras dimiſſorias Prælatorum, debeat habere inſtrumentum Curiæ Diœceſani. Dub. LXX.

S V M M A R I V M.

1 *Epiſcopus contentus eſſe debet atteſtatione, & teſtimonio Prælatorum Regularium.*

2 *In aliquibus Curijs Epiſcopalibus à perſonis ſuſpectis exigitur inſtrumentum Diæceſani.*

1 Ponam hic tantum verba Marchini *de Sacramento ord. trac.* 1. *part.* 6. *de litteris dimiſſorialibus cap.* 4. *numer.* 4. quæ talia ſunt. *Hinc deducitur* 1. *ad ordinationem Regularium ſufficere ſi in litteris dimiſſorijs Prælatus Religionis, ſiue conuentus teſtetur de abſentia diæceſana, vel quod nolit habere ordinationes, vt poſſit ab alio Epiſcopo ordinari, nec eſſe neceſſarium habere hac de re ex curia Epiſcopali inſtrumentum, vel fidem authenticam. Ratio eſt, quia S. Congregatio agens*

de

de requiſitis ad ordinationem Regularium non meminit huius requiſiti, & teſtimonium prælati Regularis eſt per ſe ſufficiẽs, & idoneum: non eſt tamen reprehendenda illorum conſuetudo, qui dictam fidem ad maiorem cautelam ab aliquibus perſonis ſuſpectis exigunt, ſine qua ab Ordinibus repellantur. Atque hunc eſſe ſtylum Curiæ Epiſcopalis Papienſis refert Iulius Cæſar Madius de ſacris ordinibus. Hęc Marchinus loco ſupra. Adde Peirinũ, *Tom. 2. Prælatorum quæſt. 3. cap. 7.* qui idem docet ſic dicens. *Epiſcopi ſtare tenentur atteſtationi Prælatorum Regularium, ut quid enim mandaret Papa; ut illam atteſtationem facerent ſi ea nihil erat profutura? Quare mihi nimis ſcrupuloſi viſi ſunt illi Epiſcopi qui præter illam Prælatorum atteſtationem volunt etiam atteſtationem Ordinarij Diœceſani gratis grauantes Regulares & cæt.* Hęc Peirinus.

An Epiſcopus poſſit examinare Regulares, qui ad ordines accedunt. Dub. LXXI.

SVMMARIVM.

1 *Ob multa priuilegia, quæ habuerunt Regulares a ſummis Pontificibus dubium habet locum.*

2 *Poſſunt Epiſcopi examinare Regulares qui ad ordines accedunt.*

3 *Doctores, qui docent ab Epiſcopo neceſſario eſſe examinandos Regulares, arguuntur.*

4 *Prælatis Regularibus uti perſonis grauiſſimis credendum eſt.*

1 SVperfluum videbitur aliquibus fortè hoc dubium, cum praxis nos doceat non ſolum poſſe, ſed hoc ordinariè a DD. Epiſcopis fieri; attamen cum noſtri inſtituti ſit benè conſiderare exemptionem Regularium ab Ordinario, hic ſolam ponemus rationem dubitandi.

Dico ergo extant plurima priuilegia, vt teſtantur graues Doctores, per quæ conceditur Regularibus, ne examinẽtur, ſic Eugenius 4. conceſſit Monachis S. Benedicti, & poſt concilium Gregorius XIII. conceſſit hoc Societati Ieſu, vt habes, apud Marchinum. *Trac. 1. de Sacramento Ordin. Part. 6. cap. 4.* ſed his non obſtantibus ſit.

2 Cõcluſio: Poteſt Epiſcopus examinare Regulares ad ordines accedẽtes. Quia illa priuilegia iam ſunt renocata, & illud Gregorij XIII. præcipuè abrogatum fuit per Sixtum V. *In Extrauag.* quæ incipit. *Sanctum & Salutare*, & demum per declarationem Sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. in qua habentur hæc verba. *Dum tamen ab eo Epiſcopo qui ordines contulerit examinentur, quo ad doctrinam*, quam declarationem habes apud multos Doctores. ſed præcipuè apud Quaranta, *Verb. Ordo propè finem*, §. *Quantum ad Regulares.* Deindè verba concilij *ſeſſ. 23. cap. 12.* ſunt clara, dum dicunt. *Regulares quoque, & in minori ætate nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuſcumque quo ad hoc penitus excluſis.* ex quibus

3 Aliqui doctores putant non ſolum poſſe Epiſcopum examinare Regulares, ſed debere hoc facere, nec poſſe ſine examine illos ordinare. Ita Hieronymus Venerus Leyua. *In ſuo examine Epiſcopum lib. 6. cap. 14 num. 25.* di

25.dicens in hoc Regulares pares factos eſſe cum ſæcularibus. Sed hæc ſententia mihi non placet, ſicut nec multis alis;nam bene poſſunt Epiſcopi ommittere examen Regularium, conformando ſuam conſcientiam cũ conſcientia Prelatorum atteſtantium de ſubditorum ſufficientia. Ità Villalobos *in Summ.* tom.*p.trac.*11.*difficult.* 14.*num.* 5.& Portel ſupra verb. *Ordines Sacri in additione num.* 11. Villalobos autem ità habet. *Mas bien podian paſſar los Obiſpos con el examen de los Prelados teniendo dellos buen conçepto quanto a eſto, que como los cometen a vn examinador tambien los pueden cometer a vn Pralado*, & benè probat
4 hoc Peirinus, *Tom.* 2. *de Pralatis quæſt.* 3. *cap.* 7. 1. Quia Prælati ſunt perſonę grauiſſimæ. Vndè eis bene credi poteſt. cap. *Mobiliſſimus diſt.*97. 2. Quia Concilium Tridentinum eadem *ſeſſ. cap.* 15.arbitrio Epiſcopi remittit; an fuerit neceſſarium, nec ne examinare Sacerdotes pro Confeſſionibus audiendis, & iudicare an ſine examine æſtimari poſſint idonei. Ergo eodem modo hic debemus dicere, in quo ſcientia forte minus eſt neceſſaria.

An Dum Epiſcopus ponit alium, qui vice ſua ordinet, poſſint Regulares a quolibet Epiſcopo ordinari
Dub. LXXII.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt Regulares non ordinante Diæceſano, a quo voluerint Epiſcopo ordinari.*

2 *Quando Epiſcopus dat facultatem clerico ſubdito, ordines recipiendi a quocumque Epiſcopo in propria Diæceſi reſidente tunc non extenditur hæc facultas vt recipiat ordines, a quocumque qui in aliena Diæceſi ordinet.*

3 *Quomodo intelligitur axioma illud, qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur.*

4 *In Hiſpania, Decretum Clementis VIII. quo ſtatuitur; Regulares, ordinandos eſſe ab Epiſcopo Diæceſano; non habet vim.*

1 Reſpondeo poſſe tunc ordinari a quocumque Epiſcopo. Ita Peirinus *Tom.* 2. *de Pralatis cap.* 8. *quæſt.* 3. *num.* 8. Ratio eſt; quia cum hæc obligatio inducta a Regularibus, vt ordinentur a proprio Epiſcopo diæceſis, in qua degunt, ſit contra eorum priuilegia, ſtrictè eſt interpretanda, & accipienda. Ità ſilicet quod teneãtur ſolum ordinari ab Epiſcopo Diæceſis immediatè: non autem per alium qui loco illius confert ordines.

2 2.quando Epiſcopus dat licentiam ſuo clerico ſubdito ordines recipiendi a quocumque Epiſcopo in propria Diæceſi reſidente tunc non extenditur hæc facultas ad recipiendos ordines ab Epiſcopo, qui in aliena Diçceſi ordinet, cum licentia etiam proprij Epiſcopi; quia licentia extenditur tantum ad ſuſcipiendos ordines ab Epiſcopo immediatè conferente ordines in propria Diæceſi, & tamen ſumus in fauorabilibus. Ergo a fortiori in odioſis, in quibus modò ſumus, debemus reſtringere dicentes obligari tantum Regulares ad recipiendum ordines a proprio Diæceſano

ſano immediatè, non autem ab alio, etiam ſi in propria Diæceſi de licentia Diæceſani ordinet.

Obij. facere per ſe ipsũ videtur, qui per alium facit, ergo & cæt. & ſic tenebuntur Regulares ab eo, quem pro ſe ſubmittit Epiſcopus proprius ordinari.

3 Reſpondeo Axioma illud limitari, vt vult Barboſa, nec intelligi quando perſona eligitur; at in hoc caſu eligitur perſona ordinarij. Ergò non valet.

4 Scias hic obiter decretum illud Clementis VIII. quo ſtatuitur, ne Regulares ordinari poſſint niſi a proprio Diæceſis Epiſcoſo in Hiſpania non eſſe acceptatum, vt teſtatur Portel. *In dubijs Regularium verb. Ordines ſacri num. 2.*

Quis nam epiſcopus debeat ordinare Regulares nullius Diæceſis.
Dub. LXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Per Sacram Congregationem ad Epiſcopum viciniorem mittendi ſunt, Regulares nullius Diaceſis dum volunt ordinari.*

2 *Non poſſunt Regulares data opera expectare tempus, quo vicinior Epiſcopus non ordinet, vt alio mittant ſuos ſubditos pro ordinatione.*

3 *Epiſcopus vicinior dicitur qui magis vicinam habet cathedralem.*

1 CIrca hoc referam ad verbum Reſponſum Sacræ Congregationis datum menſe *Decembri* 1619. quod refert noſter Naldus verb. *Ordo.* & talia ſunt verba. *Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterijs nullius diæceſis huiuſmodi dimmiſſorias concedendas eſſe a Epiſcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo Diæceſano ſuperius præſcripta ſunt.* Vnde ſi hic Epiſcopus vicinior non ordinet in dimmiſſorijs cauſa explicanda eſt, ob quam ad alterum Epiſcopum mittitur ordinandus.

2 Vnde nequibunt Prælati Regulares data opera expectare tempus quo hic Epiſcopus vicinior non ordinet, vt alio mittat ſubditos ſuos Regulares ordinandos. Demum vicinior hic Epiſcopus vt Diæceſanus reputandus eſt; & hoc iuxta huius Sacræ Congregationis reſponſum.

3 Quæres hic, qui nam dicatur Epiſcopus vicinior? Reſpondeo non eſſe illum, qui contiguam magis habet ſuam diæceſim, ſed eum qui magis vicinam habet Cathedralem. Ita Naldus *loco ſupra*, & Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullarum de ordinandis Regularibus num. 3.*

An epiſcopus poſſit ordinare Regulares, qui irritam profeſſionem emiſerunt, dum reclamant.
Dub. LXXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſunt Regulares reclamantes pro inualida profeſſione ab Epiſcopo ordinari.*

2 *Conſtitutio Pij V. quæ incipit* Romanus Pontifex 1568. *comprehendit etiam illos, qui irritam profeſſionem emiſerunt.*

3 *Nec illi Regulares poteſt ordo conferri,*

Digitized by Google

qui dubius eſt de ſua profeſſione, & actualiter reclamat.

4 *Dubius de homicidio facto in ſententia aliquorum non eſt irregularis.*

5 *Pœna in quam incidit Epiſcopus ordinans ſic profeſſum, refertur: vbi etiam, de pœnis in quas incidit ſic ordinatus.*

1 NEgatiuè reſpondent Garzias *de beneficijs par.2. cap.5. nu.12.* Barboſa *allegat. 19. nu.6.* & alii communiter, & hoc eſt certum, ſi ille nulliter profeſsus nullum habeat patrimonium, aut beneficium; nam ſi habeat poteſt tunc epiſcopus eum ordinare, vt docet Bonacin. *tract. de clauſura quæſt.2. punc.10. difficult.5. n.4.* & probatur hæc opinio; quia licet per Concilium Trident. nihil de Regulari ſtatutum ſit *ſeſſ.22. de reformat. cap.2.* Attamen poſtea Pius V. In ſua conſtitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex* ædita 1568. comprehendit etiam Regulares, & determinat nullo pacto poſſe ordinari Regulares illos, qui non ſunt profeſſi religionis pretextu, vt patet legenti verba conſtitutionis.

2 Quod ſi dicas per dictam conſtitutionem tantum prohibetur epiſcopis, ne ordinent in ſacris Religioſos, qui profeſſionem non emiſerunt; et nihil dicit de illis, qui quidem emiſerunt, ſed irritam. Reſpondeo etiam ad hos extendi conſtitutionem dictã; nam currit eadem prorſus ratio, & extendi docent Doctores communiter. Vide Barboſam in Concilium loco citato, qui multos congerit, & Garziam *de beneficijs part.2. cap.5. nu.12.* Theſaurum *p.2. verb. ordines c.11.*

3 Sed difficultas maior eſſe poteſt; an epiſcopus poſſit conferre ordines illi Regulari, qui in dubio eſt; an ſua profeſſio fuerit valida, & reclamat actualiter. Negatiuè reſpondet Garzias, & affert circa hoc *loco ſupra* deciſionem Rotæ Romanæ: probat *ex cap. ad audientiam de homicidio* citat etiam Nauarrum *in manual. cap.27. nu.*

4 *284.* vera hæc ſententia, ſed ratio, quã deſſumit *ex cap. ad audientiam* non probat; nam in illo capite agitur de dubio in homicidio facto, in quo licet ſecundum communem opinionem dubius cenſeri debet irregularis; attamen aliqui negant, & explicant illum textum. Vnde ex illo etiam poſſet contraria ſententia defendi.

5 Quæres hic obiter; quas pęnas incurrat epiſcopus, qui ordinat huiuſmodi Regulares non profeſſos reſpondeo incidere in pœnam ſuſpenſionis a collatione talium ordinum. Ita in conſtitutione dicta Pij V. ſi vis autem ſcire pænas in quas incidit ſic ordinatus. Vide Theſaurum *part.2. de pœnis cap 11.* Bordonus *de ratificanda profeſſione cap.6.* qui ait nullam incurrere pænam, quia Concilium innouat tantum penam, quæ eſt in capite *cum ſecundum de præbendis*, quæ eſt ſolum contra ordinantem. Ita multi apud Barboſam ad dictum *caput ſecundum num.72.*

An Regulares eiecti poſſint ordinari, & a quo Epiſcopo. Dub. LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Regulares eiecti nequeũt ordinari, quia cui vetita eſt functio ordinis, etiam ſuſceptio.*

2 Dum

2 *Dum tamen eiecti diſpenſantur, ſunt ordinandi ab Epiſcopo originis.*

3 *Nemo ſe liberare poteſt à ciuilitate cauſata à natura, eique renunciare.*

4 *Regulares eiecti ordinandi ſunt titulo aliquorum redditu um ab Epiſcopo aſſignatorum.*

1 RESpondeo Regulares eiecti nequeunt ordinari. Ita communiter Doctores Lezana *in Summ.* verb. *eiecti à Regulares nu.* 4. Ratio eſt; quia cui vetita eſt functio Ordinis, vetita etiam eſt illius ſuſceptio, cum Ordines ſuſcipiantur, vt exerceantur. Eiectis autem prohibita eſt functio ordinis ex Decreto Sacræ Congregationis vbi habetur, *ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum*. Tum quia iſti eiecti ſunt irregulares, quia infames, ſaltem infamia facti, vtpotè eiecti nō ſolum propter grauia delicta, ſed propter incorrigibilitatem. Ergo nequeunt ordinari.

Sed dato caſu, quo tales eiecti diſpenſentur: quærendum eſt à quo Epiſcopo debeant ordinari.

2 Reſpondeo ordinandos eſſe ab Epiſcopo ſuæ originis. Ita Ioannes Maria Nouarius *in practicis concluſionibus iuris noui Pontificij de ordinibus pag. mihi* 218. *nu.* 7. Lezana *in Summa verb. eiecti n.* 5. apud quem habes Sanchez, Nauarrum, & Barboſam idem ſuſtinentes, fauent etiam Riccius *in ſua praxi par.* 2. *reſol.* 257. *n.* 4. Vgolinus *de poteſtate Epiſcopi cap.* 26. §. 1. *num.* 6. Fundamentum eſt, quia non amiſerunt originis ſubiectionem cum ſit à natura. Vnde eiecti ſe debent præſentare Epiſcopo Originis, vel de eius licentia alteri; vt probat doctè Nauarrus *in Comment.* 2. *de Regularibus*. Inſuper nemo ſe liberare poteſt à ciuilitate cauſata à natura, & ei renunciare. Vnde dicunt Iuriſperiti; quod licet filius ſequatur patris originem, quo ad honores, munera, & cæt. non tamen amittit propriam originem loci, vbi fuit natus; quæ nec perditur, etiam ſi per mille annos, extra originis domicilium ſteterit. Bart. *in l. quæſitum in princip. ff. de leg.* 3. Soccin. *conſ.* 35. & alij apud citatum Ioannem Mariam Nouarium.

4 Sed petes hic, quo titulo debent iſti eiecti ordinari? Reſpondeo non debere ordinari titulo Religionis, cū ab ea ſint expulſi, nec ab ea debeant ſuſtentari, nec titulo patrimonij proprij, cum illius non ſint capaces ratione voti paupertatis emiſſi. Ergo ſunt ordinandi titulo aliquorum redditu um ab epiſcopo deſignatorum; qui ſint in proprietate Eccleſiæ, vel epiſcopi; aſſignati tamen, quo ad vſum dictis eiectis. Ita Lezana *verb. eiecti num.* 6. & Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæſt.* 30. *art.* 24.

An Epiſcopus poſſit ordinare Regulares ante debitam ætatem.
Dub. LXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Dubium procedit in foro conſcientiæ, nam priuilegium, quod poſſent Regulares ordinari ante debitam ætatem, quo ad forum externum ſuit abrogatum.*

2 *Opiniones Doctorū circa hoc referūtur.*

3 *Controuerſum eſt an Regulares in foro conſcientiæ poſſint vti priuilegijs, quæ fuerunt reuocata per Concilium Tridentinum.*

4 *Autho-*

4 *Authoris opinio exponitur.*
5 *Fundamentũ aſſerentiũ, vti poſſe Regulares priuilegijs in foro conſcientiæ euertitur.*

1 POſt Concilium Tridentinum omnes fere reſpondent non poſſe Regulares ordinari ante debitam, & completam ætatem, & hoc in foro externo; nam licet haberent priuilegium, vt poſſent ordinari ante debitam ætatem; hoc tamen per concilium fuit reuocatum. Sed difficultas eſt; an in foro ſaltem conſcientiæ poſſint Regulares etiam poſt Concilium ordinari ante expletam ætatem; quæ requiritur, & conſequenter; an Epiſcopus poſſit hoc ſciens in foro conſcientiæ eos ordinare.

2 Affirmatiuè reſpondet Sorbus *in compendio priuilegiorum Mendicantium tit. diſpenſatio num.* 5. & apud Dianam, *part.* 3 *trac.* 2. *de dubijs regul. reſolut.* 56. Emanuel Sa *verb. Religio num.* 56.

Negatiuè tamen reſpondet communior ſententia *Vaſquez in* 3. *parte diſput.* 246. *cap.* 4. *num.* 43. Marchinu, *de Sacramento ordinis trac.* 1. *part.* 5. *cap.* 2. *num.* 9 Portel. *in dubijs Regularium verb. priuilegij ceſſatio* Frater Ioannes a Cruce, Ludouicus Lopez, quos citat dictus Portel.

3 Noto ergo 1. pro reſolutione difficultatis, totum dubium ex illa quæſtione dependere; an Regulares poſſint in foro conſcientiæ, vti priuilegijs, quæ ſunt reuocata per Tridentinum, in qua duplex quoque eſt Doctorum ſententia, vt videre potes apud Dianam *reſolut.* 59. *tract.* 2. *part.* 3. hoc poſito ſit.

4 Concluſio; Regulares nequeunt vti nec in foro conſcientiæ priuilegijs reuocatis a Concilio Tridentino. Ergo nec ordinari ab Epiſcopo ante legitimam ætatem. Hanc concluſionem defendunt omnes illi Doctores relati pro negatiua ſententia ſuprà; & ex eis, qui affirmatiuam, Emanuel Sà *verb. Religio vt ſupra num* 56. vt refert Diana loco ſupra, qui etiam eſt pro hac ſententia quidquid dicant multi Doctores. Probatur antecedens negatiuè; nam nullo modo probatur ſolum reuocate Tridentinum pro foro externo priuilegia Regularium, dum ea reuocat. Imò potius ſuadetur poſitiuè, ſaltem cum congruentia contrarium; nam ad quid ſolum reuocare pro foro externo illa priuilegia? hoc eſſet dare anſam multis quæſtionibus, & litibus, nec bonum regimen introduceretur, vt intendit Sanctum Concilium. Ergò licet ante Concilium habuiſſent tale priuilegium Regulares, vt poſſent ordinari ante legitimam ætatem, iam fuit reuocatum per Tridentinum, & ſic non poſſunt illo vti, nec in foro conſcientiæ; & patet ex verbis Concilij *ſeſſ.* 23. *cap* 13. *in fine de reformati.* quæ talia ſunt. *Regulares quoque nec ſine diligenti Epiſcopi examine, nec in minori ætate ordinentur quibuſcumque priuilegijs, quo ad hoc pænitus excluſis*, ecce quomodo pœnitus excludat circa hoc Regularium priuilegia, quod quaſi eſt dicere, & in foro conſcientiæ, & in foro externo.

5 Quod ſi dicas, (& hoc eſt fundamentum aduerſariorum) non poſſunt vti Regulares in foro conſcientiæ priuilegijs, quæ ſunt reuocata a Tridentino, quia Tridentinum reuocauerit ea ſolum quo ad forum externum; ſed quia hoc eis poſt Concilium con-

ceſſit Pius V. vt volunt multi Doctores, vt teſtantur Henriquez *lib. 7. de pænitentia tom. 1. cap. 24. ad finem cum Gloſ. littera K.*

Reſpondeo primo. Illam conceſſionem Pij Quinti fuiſſe datam viuo vocis oraculo, vnde iam modo non valet. 2. fuiſſe reuocatam omnino a Gregorio XIII. etiam ne valeret in foro conſcientiæ, & patet clarè nam conceſſio Pij V. erat quod vterentur priuilegij in foro conſcientiæ. Ergo ſi hanc reuocauit, vt volunt Doctores etiam contrariæ ſententiæ vtique reuocauit pro foro conſcientiæ. Adde nec conſtare bene de tali conceſſione cum tamen bene conſtet de reuocatione, & ſic concludo nec per priuilegia anteriora, nec per poſteriora Concilio poſſe Regulares ordinari ab Epiſcopo ante debitam ætatem.

An Epiſcopi poſſint Ordines conferre in Eccleſiis Regularium ipſis inuitis. Dub. LXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Doctorum eſt pro vtraq; parte.*
2 *Non poſſunt Epiſcopi in Eccleſijs Regularium ipſis inuitis ordinare.*
3 *Actus ordinandi non ſolum eſt Pontificalis dignitatis, ſed habet admixtam iuriſdictionem.*
4 *Contra Bordonum ad hominem arguitur.*
5 *Si Epiſcopus in aliena Diæceſi etiam cum licentia Diæceſani nequit ordinare in Eccleſijs Regularium ipſis inuitis, ſic nec in propria Diæceſi.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Bordonus *reſolut. 7. quæſt. 31.* qui hoc colligit *ex clement. 2. de priuilegijs*, & dat rationem. quia ordinare eſt actus poteſtatis Pontificalis. Ergo ſicut poteſt Pontificalia exercere, ita & ordines.

Negatiuè tamen reſpondent ferè communiter Doctores. Ioannes Antonius Nonarius *in Summ. Bullarum de Baldachino num. 6.* qui citat Ancharanum, Cardinalem, Vitalinum, & Dianam *par. 3. trac. 2. reſol. 109.* qui ſic habet, *non poſſunt tamen propter hoc,* ſcilicet propter Pontificalium exercitium, *in dictis* Regularium *Eccleſijs, ea quæ iuriſdictionem dicunt exercere, vt chriſmare, ordinare, confirmare, degradare.* Sit ergo.

2 Concluſio nequeunt Epiſcopi in Eccleſijs Regularium ipſis inuitis ordinare. Probatur, *ex Clementina Archiepiſcopo de priuilegijs* ex qua Bordonus ſumit fundamentum pro ſua ſententia; nam ibi habetur, vt poſſit Epiſcopus in locis exemptis, Populo benedicere, audire Diuina Officia, & ea celebrare, & in ſua præſentia facere celebrari, ita tamen quod prætextu conceſſionis huiuſmodi in talibus locis exemptis nullam aliam iuriſdictionem exerceat. Ergo cum exprimat, quid poſſit facere Epiſcopus in locis exemptis, & indiuidualiter, nec dicat quod poſſit ordinare, iam non video quomodo ex tali loco ſententiam contrariam colligat Bordonus.

Sed dicet. Quia implicitè hoc Epiſcopis cōceditur, dum per illum textum conceditur, quod Pontificalia poſſit exercere, nam actus Pontificalis poteſtatis eſt ordinare.

3 Reſpondeo, non ſolum eſſe actum Pontificalis poteſtatis ordinare, ſed habere admixtam iuriſdictionem aliquam, vt volunt Doctores citati pro no-

no-

Digitized by Google

noſtra ſententia, quod tamen non video quomodo probent. Vnde ſecundo reſpondeo per illum textum non haberi, quod omnia Pontificalia poſſit exercere. Sed quod in Pontificalibus celebret.

4 Deinde confirmo ſententiam poſitam ad hominem contra Bordonum *reſolut.*7. *de exemptione, & ſubiectione num.* 108. Vbi quærit an Epiſcopus in aliena Diœceſi poſſit ordinare in Eccleſia Regularium exempta ſine licentia Prælati Regularium, & reſpondet negatiuè, vt reſpondent etiam Riccius *in praxi Epiſcoporum* 1. *par. reſolut.* 495. *in notabilibus de Epiſcopis*, Barboſa *ſeſſ. 6. cap.* 5. *Concilij Tridentini*. Ergo ſi in hoc caſu non poteſt, cur in noſtro poſito poterit? non video diſparem rationem.

5 Quod ſi dicas eſt diſparitas, quia in primo eſt, & ſupponitur Epiſcopus in propria Diœceſi in locis ibi exemptis, in ſecundo extra propriam. Reſpondeo nec hoc eſſe diſcrimen, nam licet in ſecundo caſu ſit extra propriam Diœceſim: attamen, vt ſupponitur, iam habet facultatem ab Epiſcopo illius Diæceſis ordines conferendi in ſua Diæceſi, ad quid ergo requiritur licentia Prælati Regularium cum totum id, quod facere poteſt Epiſcopus Diœceſanus. Regularium poſſit facere ille exterus Epiſcopus? non video ergo quomodo ſtare poſſit affirmatio in vno caſu, & negatio in altero. Scio adduci à Doctoribus pro hoc vltimo caſu adducto declarationes. Sed non vidi relatas ad verbum, vt ſæpè ſolent Doctores referre. Vnde non me mouent ad cognoſcendum diſcrimen inter hūc caſum, & noſtrum.

An Regulares poſſint in ſuis domibus ordinari ſine licentia Diœceſani, quando Diœceſanus non ordinat. Dub. LXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Per conſtitutionem Gregorij XIII.* In Tantam *reducta fuit ad terminos Concilij Tridentini conſtitutio Pij V.* & ſi *Mendicantium.*

2 *Regulares etiam modo poſſunt ordinari in proprijs domibus Diæceſano nō ordinante, & quare hoc.*

3 *Licet Regulares modo debent à proprio Diæceſano ordinari, attamen non per hoc tollitur, quod nequeant ordinari in proprijs domibus, ſi Diæceſanus non ordinet.*

4 *Vnde ſi Diæceſanus ordinationes non teneat, vel quia abſens eſt, vel quia non vult, à quolibet Epiſcopo poſſunt Regulares ordinari.*

5 *Dum dicitur, Epiſcopum non poſſe ordinare in loco exempto ſine licentia Ordinarij hoc valet de iure: non vero ſi conſiderentur priuilegia.*

1 Habes etiam infra ſolutum præſens dubium.

Negatiuè reſpondent Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 4. *num.* 61. Miranda *in manuali Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 3. Fundamentum illorum eſt; quia & ſi per Conſtitutionem Pij V. *& ſi Mendicantium* videatur hoc Regularibus concedi; attamen poſtea Gregorius XIII. in ſua conſtitutione *In tantā* reduxit ad terminos Concilij Tridentini dictam conſtitutionem. Sed hoc non obſtante,

Digitized by Google

2 Dicerem probabiliter Regulares etiam modo ordinari in proprijs Eccleſijs ſine licentia Diæceſani,& probatur ex conſtitutione illa Pij V. *& ſi Mendicantium* §.7. vbi habetur,*ſeſſ.vero 23.c.8. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens in Regularibus locum non habere omnino declaramus.Ita quod Fratres huiuſmodi præfatos, etiam ſacros ordines à quolibet Antiſtite,gratiã, & communionẽ Apoſtolicæ Sedis habẽte Ordinarij loci minimè requiſita licentia in locis,ſeu domibus fratrum huiuſmodi, aut alibi recipere poſſint*,nec talis conceſſio, quo ad hoc ſcilicet,quod in domibus Regularium ordinare poſſint in dicto caſu Epiſcopi,fuit reuocata per Gregorium XIII. in ſua *In tanta*; nam hæc Gregorij Conſtitutio nõ abrogat Cõſtitutionem Pij, *Et ſi mendicantium* abſolutè,ſed tantum, prout contradicit Concilio Tridentino, & hoc tantum illis locis Concilij vbi adeſt clauſula derogatiua priuilegiorum, vt tradit Lezana doctus, & acuratus Scriptor *tom.* 2. dum agit *de Confraternitatibus*.

3 Deinde confirmatur reſponſum, duo in hac re ſunt conſideranda, & quod Regulares debeant à proprio Diæceſano ordinari, & quod in cænobijs proprijs poſſint. Primum eſt & modo in robore ſtat per decretum de mandato Clementis VIII. æditum. At ſecundum non video derogatum, cum nec Concilium Tridẽtinum hoc prohibeat,& conſequenter nec abrogantur priuilegia, quæ circa hoc habent Regulares per illam conſtitutionem Gregorij *In tanta*.

4 Vnde quando Diæceſanus ordinationes non tenet, vel quia abſens eſt, vel quia non vult à quolibet Epiſcopo,poterunt in ſuis Eccleſiis ordinari etiã ſine licentia Ordinarii loci,nec in hoc video prohibitionem.

Obiicies:Epiſcopus alienus, vt cõferat ordines in loco exempto nõ ſolum debet habere licentiam ſuperioris loci exempti, ſed Epiſcopi loci, in quo eſt ſitus locus exemptos. Ergo Regulares non poterunt ordinari in ſuis Eccleſiis ſine licentia proprii Epiſcopi. Antecedens tradunt,& ſuſtinent Molfeſius noſter *in Summ. Theologiæ tract.* 2. *c.* 2.*n.*12. Riccius *in praxi fori Eccleſiaſtici reſol.* 495. *in notabilibus de materia Epiſcopi* Galett *in Margarita caſuũ Conſcientiæ verb. Epiſcopus pag.* 100. Barboſa *p.* 2. *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 6. qui Doctores teſtantur ita fuiſſe deciſum, ſed

5 Reſpondeo tranſeat antecedens, nego conſequentiam;nam Regulares habent hoc priuilegium, quod eſt adhuc in ſuo robore, vt poſſint ordinari in ſuis domibus,&c. deciſiones autẽ, quę ſunt circa hoc,quod ſcilicet Epiſcopus in locis exemptis nequeat ordinare ſine licentia Ordinarii loci non reſpiciunt, nec conſiderant priuilegium, vnde nec ſunt contra nos.

An Epiſcopi Diæceſani conſenſus, & dimiſſoriæ ſufficiant, vt Abbates, qui poſſunt ordinare,ordinent non ſubditos. Dub. LXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Locus Tridentini adducitur,ex quo videtur Abbatibus denegata facultas ordinandi non ſubditos.*

2 *Quod ſufficiant litteræ dimiſſoriæ ordinariorũ ad hoc, vt Abbates ordinare poſſint non ſubditos docent aliqui.*

3 *Et*

3 *Et per hos adhuc Decretum Tridentini* ſeſſ.23. cap.10. *aliquid operatur*.
4 *Authoris opinio ponitur, & probatur*.
5 *Notabilis doctrina, de derogatione priuilegij incluſi in corpore iuris, ad quod derogandum contra communem minus forte requiritur, quam ad derogandum priuilegium extra*.
6 *Iam modo ferè ſine dubio dicendum eſt non poſſe ordines conferri non ſubditis, & cæt.*

1 EX concilio Tridentino mouetur hoc dubium, dum enim *ſeſſ.*23. *cap.*10. dicit ſic *Abbatibus, aut quibuſcumque quantumuis exemptis non liceat in poſterum intrà fines alicuius Diæceſis conſiſtentibus etiam ſi nullius diæceſis, vel exempti eſſe dicentur, cuiquam, qui Regularis ſibi ſubditus nõ ſit, tonſuram, vel minors ordines conferre*; ergo ex hoc dicunt multi nequeunt Abbates ordinare non ſubditum, etiam cum conſenſu, & licentia Epiſcopi, cui ille ordinandus ſubditur. Ita clarè habet deciſum Seraphinus *in ſuis Romanæ Rotæ deciſionibus deciſ.*985. cui alij plures Doctores adhærent, quos videre potes apud Lezanam *in Summa verb.ordo*. Quo non obſtante.

2 Dicunt aliqui poſſunt Abbates conferre minores ordines, & alios, ſi quos poſſunt, etiam ſæcularibus ſibi non ſubditis, cum litteris dimiſſorijs ſuorum Epiſcoporum, & Prelatorum. Vnde Epiſcopi licentia, & conſenſus in hoc ſufficit. Ita Tamburinus *de iure Abbatum tom.*2. *quæſ.*7. *diſput.*2. vbi alios plures id etiam docentes congerit; item Ioannes Baptiſta Tiberius *cap.*7. *de ſubiectione Epiſcopo ordinanti quæſt.*48. & probatur. Primo plurimis declarationibus Sacræ Congregationis, quas adducit Tamburinus. Secundo, quia de iure communi antiquo hoc competit Abbatibus, nec Concilium Tridentinum hanc ab eis ademit facultatem per illa verba ſupra adducta, nam in eis nulla fit mentio de conſenſu, & licentia ordinarij, ergo relinquendi ſunt dicti Prælati in ſua poſſeſſione.

Sed obijcit D. Seraphinus loco ſupra, (& eſt maior difficultas, quæ fieri poſſit) ſi eſſet hæc doctrina vera, ſequeretur decretum Concilij eſſe ſuperfluum; nam antea etiam cum dimiſſorijs, & conſenſu poterant dicti Abbates, & Prælati ordinare. Ergo ſi aliquid debet operari, hoc decretum vtique debet operari, quod nec cum dimiſſorijs poſſint dicti Abbates ordinare.

3 Reſpondetur decretum Concilij adhuc de nouo aliquid operari, & ponere, & eſt quod præter dimiſſorias ordinarij ordinandi, debeat Abbas etiam habere conſenſum Epiſcopi illius loci, & Diæceſis in qua ordines confert. Et ſic ſi prius ante Concilium cum ſolis dimiſſorijs poterant Abbates ordinare, qui ad eos accedebant, modò poſt Concilium hoc non ſufficit. Ita reſpondet citatus Tiberius, qui dicit idem reſponſum dari a Suarez *tom.*4. *de Religione trac.*8. *lib.*2. *cap.*29. *num.*21. quo non obſtante.

4 Dico poſt Concilium nequeunt Abbates ordinare nõ ſubditos, etiam cum dimiſſorijs, & cæt. Moueor quia in ſupra citato loco Concilij habetur, *etiam ſi nullius diæceſis ſint, vel exempti eſſe dicantur*; Ergo dico ipſe, ſi decretum Concilij debet aliquid de nouo operari, debet hoc eſſe, quod nec

cum dimiſſorijs poſſint ordinari non ſubditi ab Abbatibus, nã illud, quod per Tiberium de nouo operatur, clarè patet non poſſe operari, nam cum Abbates ſunt nullius diœceſis, quomodo Diœceſani, qui non eſt, conſenſus requiretur, vt poſſint dicti Abbates ordinare?

Declarationes autem, quas adducunt aduerſarij, vel certę adeo non ſunt, vel ſi certæ doctrinales, & vt tales recipiendæ.

Sed obijciunt adhuc aduerſarii, (& ob hanc obiectionẽ Sanchez docet etiam poſt Concilium poſſe Abbates cum dimiſſoriis, &c. ordinare non ſubditos, *lib.7. opuſc. tom.2. dub.* 19 *num* 20.) Priuilegium, quod habent Abbates conferendi ordines nõ fuit derogatum à Concilio Trident. ergo: probatur antecedens, illud priuilegium eſt inſertum in corpore iuris, *cap. quoniam diſtinct. 69.* At reuocatio generica Concilii non ſufficit, niſi in ſpecie fiat eorum derogatio his verbis, *non obſtante aliqua lege, conſtitut. etiam à Conc. generali ſtatuta*, vt colligitur ex multis textibus, ex *cap. ex parte*, ex capite *vltimo de Cappellis Monachor. cap. eam te de ætate, & qualit. cap. nonnulli de reſcriptis*, ergo cum Concilium expreſsè non reuocet hoc priuilegium Abbates adhuc poterunt ordinare non ſubditos, &c.

5 Reſpondeo ex doctrina deſumpta à Ioanne Sancio *in Selectis diſputat.* 48. *num.* 8. ad derogandum priuilegium incluſum in corpore iuris opus non eſſe, de illo fieri expreſſam mentionẽ, quando lex poſt illud editur omnino contraria; cum priuilegium inſertum in corpore iuris, non tam habeat naturam priuilegij, quam legis. Vnde ſicut lex contraria poſterior abrogat priorem, ſic etiam lex poſterior contraria priuilegium incluſum in corpore iuris. Vide dictum Sancium ſi cupis videre pulchrè, & doctè hanc doctrinam confirmatam loco citato *a num. 8. vſque ad* 10. Vbi contra communem ferè concludit, minus requiri ad derogationem priuilegii incluſi in corpore iuris, quam alterius non incluſi.

6 Poſt hæc ſcripta vidi Dianam 7. *p. tract.* 11. *reſolut.* 42. de hac quæſtione agentem, & noſtræ ſententiæ fauentem ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii 1641. confirmata ab Vrbano VIII. Vide ipſum.

An epiſcopus poſſit ordinare Regularem, quem ſcit non eſſe profeſſum, videt tamen accedere ad Ordines. Dub. LXXX.

SVMMARIVM.

1 *Communis ſententia docet non poſſe ab Epiſcopo ſic profeſſum Regularem ordinari.*

2 *Singularis Authoris circa hoc opinio aſſertur, & probatur.*

3 *Sufficit ad hoc, vt ordinari poſſit iſte Regularis, quod profeſſio valeat in foro externo.*

1 Simile dubium habes ſuperius; ſed diuerſum re vera eſt à propoſito; nam ibi agitur de Regulari reclamãte, hic vero de illo, qui nullitèr profeſſus eſt, ſed tamen non reclamat.

Communiter ergo reſpondebunt Doctores non poſſe ab epiſcopo ordinari ex Bulla Pii V. quæ incipit *Ro-*

manus

manus Pontifex per hæc verba. *Sanè cū non deceat Diuino miniſterio adſcriptos cū ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, à Sacro Concilio Tridentino inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus ſæcularis, quamuis alias moribus, & ſcientia, & ætate eſſet idoneus ad ſacros ordines promoueretur, niſi prius legitime conſtaret, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficeret pacificè poſſidere, vel alias ordinari non poſſet, niſi iuxta decreti ab ipſo Concilio deſuper editi formã, & tenorem, cum autem in huiuſmodi decreto religioſorũ Clericorum mentio nõ facta fuerit, ac propterea nonnulli, vt moleſtè accepimus, cæterorum Ordinum Religioſi, ſeu Canonici, vel Clerici intra clauſtra Monaſteriorum, ſeu domorum more Regularium in communi viuentes, qui numquam, ſeu ad certum tempus profeſſionem emittunt Religionis prætextu abſque titulo ſufficientis beneficij, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad ſacros ordines ſe promoueri prætendunt, & a nonnullis Epiſcopis paſſim promouentur: Atque inde plerumque illud inconueniens proueniat, vt ſic promoti, & a Clauſtro exeuntes, & per ſæculum vagantes, vel mendicare, vel ſordidum quæſtum exercere, non ſine ipſorum dedecore, ac ordinis vilipendio, & quamplurimorum Chriſtifidelium ſcandalo cogantur:*

Nos, qui ſingulorum miniſtrorum Dei honorem, & decus, quantum in nobis eſt, ſinceris exoptamus affectibus motu proprio, & cæt. decretum prædictum de Clericis ſæcularibus loquens ad omnes, & ſingulos etiam cuiuſcumque ordinis Clericos Religioſos non profeſſos extendimus, & ampliamus, & cæt. ex qua conſtitutione clarè patet non poſſe Epiſcopos ordinare Regulares, qui tacitam profeſſionem fecerunt. Sed hoc non obſtante.

2 Dico poſſunt Epiſcopi ordinare in ſacris Regulares illos, qui nullam profeſſionem emiſerunt ſi accedant cum conſenſu Prælatorum ad ordines. Probo dictum ex illa doctrina, quam tradunt multi Doctores; ſcilicet ordines ſacros inducere in Regulari tacitam profeſſionem. Hanc tradunt præcipuè Lezana. *verb. profeſſio*, & Ioannes Maria Nouarius *in lucerna Regularium eodem verbo profeſſio n. 23.* qui adducunt declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium ſuprà Epiſcopos, & Regulares. *In vna Beneuentana* 20. *Decembris* 1619. in hæc verba. *Cum Frater Andreas, Tonſetus in Religione per Octennium permanſiſſet, abſque eo, quod profeſſionem emiſiſſet, dicto autem tempore Patre Magiſtro Curiano inſtante ſacros ordines ſuſcipiſſet petijt poſtea facultatem habitum dimittendi ſibi concedi Sacra autem Congregatio reſpondit, quod ſuſceptio ordinum profeſſionem tacitam inducit*, & cum fundamento certè ſic fuit deciſum, nam ſuſceptio Sacrorum Ordinum ad titulum paupertatis eſt actus proprius profeſſorum. Adde, quod adeſt conceſſio Iulij II. Auguſtinianis facta. In qua habetur, quod quicumque Nouitius promouetur ad Sacros Ordines debet haberi pro profeſſo. Ita Caſſarubeus *in compendio Priuilegiorum Mendicantium verb. Nouitius nu.* 24. & Corduba ibidem *in annotationibus*, ex hac ergo Doctrina ſic ipſe firmo meam concluſionem. Tota ratio per quam Bulla Pij V. prohibet nulliter profeſſos ordinari in ſacris eſt, ne ſic ordinetur aliquis, ſine debito titulo; ſed hic adeſt verus titulus, eſt enim verè

profeſſus talis Regularis, ergo.

Neque dicas hoc valet tantum in foro externo, non autem in interno, nam ille Regularis non habuit animum profitendi, licet per illum actum cenſeatur profeſſus.

3 Nam reſpondeo, ad hoc, vt poſſit ſic profeſſus ordinari, ſufficere, quod profeſſio valeat in foro externo; nam tunc iam ceſſat ratio bullæ, quæ erat, ne quis ſine titulo ordinaretur, & poſtea egreſſus cogeretur mendicare; ſed hic profeſſus ordinatus in ſacris iam non cogitur mendicare, cum iam teneatur perſeuerare in Religione nec poſſit reclamare; ſicut nequit reclamare, qui tacitam emiſit profeſſionem. Ergo ceſſat ratio Bullæ, & ſic prohibitio. Nota Lector hanc ſententiam, illam enim non inuenies paſſim apud Doctores. Vnde non eſt mirum fere communiter docere ſtando in Bulla Pij V. non poſſe Regulares nulliter profeſſos in ſacris ordinari.

An Epiſcopus debeat diſpenſare cum Regularibus ſuper interſtitijs. Dub. LXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Cum Concilium vniuerſaliter dicunt diſpenſationem ſuper interſtitia ad Epiſcopum pertinere: Hinc eſt, quod etiam reſpectu Regularium dicant multi dandam eſſe diſpenſationem ab Epiſcopo.*

2 *Prælati Regulares poſſunt, & debent dare huiuſmodi diſpenſationem, non autem Epiſcopi.*

3 *Epiſcopus licet poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, adhuc tamen non poteſt cum illo diſpenſare in interſtitijs.*

4 *Etiam ſi ex vi Concilij hoc munus pertineret ad Epiſcopum, attamen ex vi priuilegij hoc competeret etiam Prælatis Regularibus.*

5 *Nec de tali priuilegio poteſt rationabiliter conqueri Epiſcopus.*

6 *Etiam in illa ſententia, quæ docet ad Epiſcopum pertinere dare talem diſpenſationem Regularibus, adhuc debent Epiſcopi ſtare atteſtationi Prælatorum.*

7 *Quæritur; an in aliquam incidat pænam ordinatus ſine diſpenſatione ſuper interſtitia.*

1 EX Concilio Tridentino. *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 11. conſtat talem diſpenſationem ſpectare ad Epiſcopum. Ità communiter docent Tamburinus, *de Iure Abbatum Tom.* 2. *diſput.* 2. *quæſt.* 33. *per totam* Lezana *Verb. Interſtitia num.* 1. cum verò Concilium nihil dicat de Regularibus; Hinc eſt quod habere locum etiã reſpectum regularium multi dicant, quorum magnam cateruam videre poteſt apud Tamburinum *Tom.* 2. *De Iure Abbatum. Quæſt.* 24. *per totum* & apud Lezanã *de Obligationibus Religioſorum cap.* 14. *num.* 15.

2 Dico tamen Prælati Regulares poſſunt dare huiuſmodi diſpenſationem; immò debent dare, non vero Epiſcopi. Quod poſſint multi tenent præcipuè Suarez *Tom.* 4. *de Religion. Trac.* 8. *cap.* 12. *num.* 21. & ratio eſt, quia dum Concilium dicit pertinere hoc munus ad ordinarium, nomine ordinarij venit reſpectu Regularium etiam Prælatus, qui habet iuriſdictionem

nem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos. Sic concilium dum loquitur *cap. 8. ſeſſ. 23.* de dimmiſſorijs dandis illis, qui debent ad ordines promoueri, dicit hoc pertinere ad Ordinariũ: & tamen per multos Doctores pertinet hoc ad Prælatum reſpectu Regularium, cum veniat nomine Ordinarij. Ità Nauarrus, Henriquez, & alij apud dictum Lezanam *eodem loco.* Ergò idem dicendum in caſu poſito. Quod autem Prælati ſoli Regularium debeant in hoc diſpenſare probo ſic (et validè meo iudicio) Epiſcopus li-
3 cet poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, nequit tamen cum eo diſpenſare in interſtitijs, vt vult Marchinus. *Trac. p. Parte 7. cap. 4.* quia talis diſpenſatio requirit vtilitatem Eccleſiæ: non poteſt autem Epiſcopus, iudicare de vtilitate, & neceſſitate alienæ Eccleſiæ. Ergo, ſic a pari Epiſcopus non poterit iudicare de vtilitate, & neceſſitate Eccleſiæ Regularium: & ſic nec poterit in interſtitijs diſpenſare.

Obijciunt contra poſitam opinionem declarationem Sacræ Congregationis, quæ ita determinauit, ſcilicet ſpectare ad Epiſcopum dare talem diſpenſationem; ipſam habet Lezana *loco ſupra,* & Tamburinus etiam *loco citato.*

Reſpondeo adeſſe etiam contrarias declarationes, vt videri poteſt apud Suarez loco ſuprà. Deindè tales Declarationes vt plurimũ ſunt Doctrinales, vt tradit Marchinus *de Ordine p. cap. 12. num. 16.* qui refert multos doctores de his declarationibus, & de earum obligatione loquentes.

4 Vndè concludo ex vi concilii non ſpectare hoc munus ad Epiſcopum abſolutè, & reſpectu omnium. Sed dato etiam, quod ex vi concilii hoc munus ad Epiſcopum pertineret, nihil officeret, nam ex vi priuilegii poſſunt Regulares talem diſpenſationẽ concedere: ſic conceſſit Societati Ieſu Gregorius XIII. Clemens VIII. Patribus S. Ioannis Euangeliſtæ Portugalliæ, quæ priuilegia referunt Portel Verb. *Ordines Sacri* & Tamburinus *loco ſupra*, aliique plures.

5 Quod ſi dicas hoc priuilegium, cum ſit in præiudicium Epiſcoporum ſtrictè eſt interpretandum Ergò parum aut nihil operabitur. Reſpondeo non eſſe in prẹiudicium, cum nõ tollat eis auctoritatem dandi hanc diſpenſationem, ſed etiam concedat alii. De quo rationabiliter non poteſt conqueri Epiſcopus.

6 Et Aduerte hic, quod in illa ſententia, quæ docet talem diſpenſationem pertinere ad Epiſcopum, attamen debet Epiſcopus ſtare, atteſtationi Prælatorum, qua ſignificatur talem diſpenſationem in interſtitiis eſſe vtilem, & neceſſariam Eccleſiæ, nec poſſe recuſari ſine rationabili cauſa. Ità Molfeſius *in Summ. Trac. p. cap. 1. num. 56.*

7 Sed quæret hic obiter aliquis; quã pẹnam incurrat ordinatus ſine interſtitiis. Suarez, Bonacina, & Diana, quos refert Lezana Verb. *Interſtitia. num. 3.* putant nullam incurrere pẹnam ex vi concilii, & verum eſt. Attamen vt notat Idem Lezana ex Bulla Pii II. quę incipit *Cum ex Sacrorum* incidunt in ſuſpenſionem cum in ea ſtatuerit ſuſpenſionem contra eos, qui abſque diſpenſatione canonica ad aliquem ex ſacris ordinibus ſe fecerint promoueri, & Clemens VIII.

hanc

hanc Bullam Pii II. confirmauit. Vide dictum Lezanam, qui te vocat ad videndum Henriquez. *in Summ. lib. 6. cap. 10.*

An Epiſcopus poſſit ordinare Regulares extra tempora. Dub. LXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Pro affirmatiua ſententia adducuntur multi Doctores.*

2 *Sed cum multis alijs negatiuè reſpondet Author.*

3 *Quomodo intelligatur Tridentinum, dum præcipit Regularibus, vt omnia, & ſingula in ſuis decretis contenta obſeruent non obſtantibus & cæt.*

4 *Priuilegia, quæ conceduntur alicui Religioni cum clauſula, quod nequeant communicari, an ad huc poſſint communicari.*

1 NEgatiuè reſpondet *Vazquez in 3. Partem tom. 3. Diſput. 246. cap. 5. num. 5.* Suarez *de Legibus lib. 8. cap. 17. num. 9.* Lezana *Tom. p. cap 14. numer. 19.* quam ſententiam habes etiam apud Dianam noſtrum 3. *parte Trac. 2. Reſol. 31.*

2 Affirmatiuè tamen reſpondent. Villalobos *in Summ. Tom p. Trac. 11. diffcultate 13.* Homobonus *de examine Eccleſiæ tom. 1. Trac. 2. cap. 1. quæſt. 3.* Barboſa de *Poteſtate Epiſcopi Allegati 4. numer. 65.* quos relatos habes apud Nouarium *in Lucerna Verb. Ordonum 12.* Marchinus *Parte 7. Trac. p. cap. 7.* ſic dicens. *Poſſunt Epiſcopi abſque ſcrupulo ordinare Regulares extra tempora virtute ſuorum priuilegiorum; etenim priuilegium iſtud, fuit conceſſum 1. mendicantibus, & poſtea a Clemente VIII. abſque limitatione confirmatum, conſequenter derogaſſe videtur Tridentino, atque ſic dicunt Rodriquez tom. 1. qq. Regularium quæſt. 55. art. 17. Barboſa de Officio Epiſcopi Allegat. 17 num. 7. part. 2. noſter Homobonus Portellus dicens ſic practicari Verb. Ordines ſacri num. 4.* Ita Marchinus, qui etiam alia adducit priuilegia: & huic ſententię ego ad hærco. ſed

Obiicit Lezana. Concilium Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 22.* pręcipit Regularibus, vt omnia, & ſingula in ſuis decretis contenta obſeruent, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, & cęt. Ergò hoc etiam obſeruare debent, ne ſcilicet ordinentur extrà tempora.

3 Reſpondeo quidquid ſit de illo loco Concilii quod poteſt intelligi de obſeruantia illorum decretorum concilii, quę continentur in illo capite, & ita vult *CoKier parte 2. quæſt. 54. numer. 9.* dum dicit illum locum Concilii derogare Priuilegijs Regularium aduerſantibus canonibus *in ſeſſ. 25.* comprehenſis, non autem aliis canonibus. Sed eſto loquatur indefinitè de omnibus; Reſpondeo loqui non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis antecedentibus dicta decreta, non autem de aliis ſubſequentibus qualia ſunt hæc habita in hac materia a Pontificibus poſterioribus Concilio.

Obii. 2. Priuilegium, quod circa hoc habet Societas Ieſu eſt tale, quod non poſſit aliis communicari. Ergo alii Regulares communiter illo non gaudent.

4 Re-

4 Reſpondeo 1. poſt Gregorium XIII. alios Pontifices ita conceſſiſſe priuilegia Societatis aliis Religionibus, vt gaudeant omnibus ſocietati conceſſis abſque vlla limitatione. Vndè lege Dianam *Parte* 3. *de Dubiꝫ Regulari Trac.* 2. *Reſol.* 31. 2. eſto quod hoc priuilegium ſit proprium Societatis, incommunicabile aliis: Attamē ſunt alia priuilegia circà hoc virtute quorum poſſunt ordinari extra tempora; teſte Portel, & etiam id referente Lezana *locis ſuprà* & in Bulla Pii V. quę incipit *Circumſpecta* hęc conceſſio fit Capellanis Santi Ioannis Hieroſolymitani; verba ſunt hęc, ***Nec non exemptionem & liberationem. Ita quod Magiſtri baiulorum, & dicti Hoſpitalis Cappellani a quocumque Catholico Antiſtite ſub Romanæ Sedis obedientia conſtitutos, ſacros ordines etiam extra tempora a iure ſtatuta tribus diebus feſtiuis ſuſcipere & cæt.*** quo priuilegio fruuntur omnes alię ferè Religiones.

An Capitulum ſede Vacante poſſit dare facultatem alicui Epiſcopo, vt ordinet Regulares. Dub. LXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Rationes, ob quas videtur denegata Capitulo ſede vacante talis facultas, referuntur.*
2 *Quod poſſit dare talem facultatem tenendum eſt.*
3 *Quando duæ res ſunt diſtinctæ, & diſparatæ vna ſine alia fieri poteſt.*
4 *Dare licentiam ordinandi, & dare dimmiſſorias ſunt res diuerſæ.*
5 *Prohibitio Concili, ne Capitulum ſede vacante det dimmiſſorias ſolum intelligitur, quo ad Clericos ſæculares ſubditos.*
6 *Argumentis in contrarium ſatiſfit.*

1 Videtur primo Capitulum ſede vacante non poſſe dare hanc facultatem, quià Concilium Tridentinum *Seſſ.* 7. *cap.* 10. habet, ***non liceat capitulis Eccleſiarum ſede vacante infrà annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimmiſſorias ſeù reuerendas, vt aliqui vocant, concedere: ſi ſecus fiat Capitulum contrauenıens eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto***, Quæ licentia ordinandi videtur eſſe licentia actiua, ideſt vt non poſſit vllus Epiſcopus ſede vacante aliquem ordinem cōferre niſi modo ibi pręcripto, ſcilicet, ratione beneficii. Secundo, Quia illud decretum eſt generale generaliter loquens, vt patet, & generaliter prohibet ordinari intrà annum ſedis Vacantis. Sed Regularis nequit regulariter ordinari ratione beneficii; ergò etiam ipſi comprehenduntur. Hanc partem negatiuam ſuſtinet Raguc. *de voce Canonica. quæſt.* 39. *num.* 4. apud Barboſam *de Iure Eccleſiaſtico de Capitulo cap.* 32. *num.* 121. quo non obſtante.

2 Affirmatiuè reſpondeo cum Portel. *tom.* 2. *caſuum caſ.* 71. per totum, & antequam probem, ſuppono locum Tridentini citatum continere duo: videlicet, ne dictum capitulum ſede vacante, det licentiam ordinandi, & ne det dimiſſorias, ſeu reuerendas, & hæc vt volunt Azorius *tom.* 2. *lib.* 3. *capit.* 38. *q.* 10. Zerola 1. *parte praxis Epiſcopalis verb. capitulum num.* 1. Henriquez *tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 22. *num.* 3. relati a Portel. vnam tantum rem ſignificant, videlicet dare dimiſſorias ſcriptas.

ptas. Vnde hi Doctores ſolum dicunt quod capitulum ſede vacante non poteſt dare litteras dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos. Probatur ergo
3 hoc poſito reſponſio. Quando duæ res ſunt diſtinctæ, & diſparatæ vna poteſt ſine altera fieri; ſic alibi dicemus Religioſos poſſe Euchariſtiam miniſtrare in priuatis oratorijs, etiam ſi in illis miſſam nequeant celebrare, quia miniſtrare Euchariſtiam, & celebrare ſunt res diſparatæ; Sed dare dimiſſorias, & licentiam ordinandi ſunt res diuerſæ; Ergo vnam poteſt concedere capitulum, & non aliam, & confirmatur nam Religioſus non habet litteras dimiſſorias a capitulo, ſed a ſuo Prælato, vt diximus. Ergo etiam ſi ſæcularis nequeat ordinari cū nec a capitulo poſſit habere tales litteras, hoc tamen non valet in Regu-
4 laribus. Quod autem ſint res diuerſæ dare licentiam ordinandi, & dare dimiſſorias, in quo poteſt eſſe dubitatio probatur, nam capitulum dans licentiam Epiſcopo hoſpiti etiam titulari, vt conferat ordines in Diœceſi, quod alienus Epiſcopus facere non poteſt, dat ei hanc auctoritatem, non tamen per hoc dat dimiſſorias ſubditis, vt poſſint ordinari, quia dare licentiam ordinandi actiuè, eſt quid diuerſum à conceſſione dimiſſoriarum pro ordinandis. Concilium ergo, quod negauit Capitulo ne daret dimiſſorias, non negauit illi poſſe dare facultatem, vt Epiſcopus exterus exerceat pontificalia in
7 Ciuitatis Sedis vacantis. Deinde prohibitio Concilij, ne Capitulum ſede vacante det dimiſſorias ſolum intelligitur, quo ad Clericos ſæculares ſubditos capituli, vt expreſsè docet Henriquez *cap. 22. num. 3.* fauet Deciſio Sacræ Congregationis, quam referunt, & Marzilla, & Farinacius *in ſuis deciſionum, & declarationum libris*, quæ ſic habet. *Capitulum ſede vacante poteſt concedere licentiam extero Epiſcopo exercendi Pontificalia in eorum Eccleſia, & ordines conferendi tam Clericis illius Diœceſis, quam exteris habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum iuxta tamen formam huius decreti.* Ecce quomodo prohibitio illa Tridentini, quo ad ordines conferendos intra annum vacationis, ſolum loquatur de Clericis: non veniunt autem Religioſi nomine Clerici in odioſis.

6 Ad argumenta in contrarium patet ex dictis, nam quando Concilium dicit ne Capitulum det licentiam ordinandi loquitur de licentia paſſiua. Ideſt ne det ſubditis dimiſſorias, vt ordinentur, non autem de licentia actiua, ne ſcilicet Epiſcopus exterus non ordinet. Ad ſecundum reſpondeo Concilium ibi diſtinguere, & loqui tantum de ſubditis, vt patet, non autem de Religioſis. Poſt hæc ſcripta vidi Emanuel Themudo à Fonſeca, qui idem docet, *deciſ. 89.*

An ad Epiſcopum pertineat in dubio declarare defectum corporis vitiati, ob quem Regularis nequit ad ordines promoueri.

Dub. LXXXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ Doctorum circa hoc contrariæ referuntur.*

2 *Auctor nititur eas concordare, & quomodo.*

3 *Dum*

Digitized by Google

3 *Dum eſt dubium; an ſit impedimentum dirimens matrimoni,um non ſpectat ad Epiſcopum decidere, an ſit vere impedimentum vel non, & an opus ſit diſpenſatione, vel non.*

4 *Quomodo explicari debeat caput* cum de tua electione de corpore vitiatis.

5 *Nec ad Epiſcopum pertinet neceſſario etiam reſpectu ordinandorum ſæcularium Clericorum hanc declarationem facere.*

1 NEgatiue reſpondent Angelus *verb. corpore vitiatus* Lezana *verb. irregularitas nu.* 12. Suarez tom. 5. *in 3. part. diſput.* 51. *ſec.* 2. *num.* 16. Auila *de cenſuris diſput.* 3. *dub.* 2. *part.* 7. Laiman *cap.* 7. *num.* 6. & alij apud dictum Lezanam. Fundamentum eſt, quia Regulares in hoc ſubduntur ſuis Prælatis, a quibus dimiſſorias accipiunt. Inſuper iſti Prælati habent in eos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

Affirmatiuè tamen reſpōdent Riccius *in praxi variarum reſolut. reſol.* 271. *num.* 3. & Rodericus *in qq. regul. quæſtion.* 24. *art.* 4. Ratio eſt, quia licet Regulares Prælati habeant auctoritatē quaſi Epiſcopalē in ſuos ſubditos quantum ad abſoluendū, & ligādum in foro interiori, & exteriori; attamen reſpectu ordinum non habent hāc auctoritatem, & iuriſdictionem. Deinde non videtur cōſonum, quod qui non habent auctoritatem ordinādi, habeant poteſtatem iudicandi, an ordinandus ſit irregularis ob defectū corporis vitiati, quando res eſt in dubio. Vnde in hac ſententia habes reſolutum dubium, ad quemnam ſpectet declarare deformitatem, & cæt. quando Regulares ordinantur à ſuis Prælatis puta Abbatibus, ſpectabit enim tunc ad ordinantem ob rationem adductam.

2 Sed ego in propoſita difficultate vtramque ſimul opinionem volo amplecti, & dico; & ad Epiſcopum, & ad Prælatum ſpectare talem declarationem. Immo ad quemlibet virum prudentem, & moueor ex doctrina Sanchez *lib.* 7. *de diſpenſationibus diſput.* 6. *nu.* 18. dum agit de dubio in impedimento dirimente, antequam contrahatur matrimonium. Vbi ſic habet. *Quarto infertur non omnino admittendum eſſe, quod ait Emanuel Sa verb. diſpenſatio num.* 1. *vbi docet in dubio an res indigeat diſpenſatione poſſe Epiſcopum iuxta quorumdam probabilem opinionem declarare non deſiderari diſpenſationem, vel ad cautelam diſpenſare; Sed ſic diſtinguendum exiſtimo, ſi omninò res ſit dubia, an interueniet impedimentum nec nulla opus eſt diſpenſatione. Quia in hoc dubio præſumptio eſt pro libertate ad contrahendum. Atque poſſet tunc Epiſcopus gratia tollendi ſcandali declarare non eſſe opus diſpenſatione, vel ad cautelam diſpenſare. Sed credo hanc non eſſe veram diſpenſationem, & ideo ſi poſtea inito matrimonio conſtaret impedimentum dirimens, alia diſpenſatio Pontificis quærenda eſſet. Quia nullibi inuenio poſſe Epiſcopum diſpenſare in hoc dubio in impedimentis dirimentibus, ſed eſt quædam prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus facere poteſt.*

3 Hæc Sanchez, ex quibus à pari licet argumentari; nam ſicut in dubio impedimenti dirimentis matrimonium, quod nequit Epiſcopus diſpenſare, non eſt ſolius Epiſcopi declarare dubium, & ponere, vel tollere, & negare impedimentum, ſed hoc ſpectabit etiam ad quemlibet virum pru-

prudentem. Ita in caſu noſtro, vt patet conſideranti. Vnde non video qua ratione tanti faciant Doctores prepoſitam difficultatem. Declarare ergò huiuſmodi defectum & poterit Prælatus Regularis; qui dat dimmiſſorias, & Epiſcopus etiam qui ordinat; nam Prælatus quomodo dabit dimmiſſorias, niſi hoc dubium a ſe tollat? & Epiſcopus quomodo ordinabit ſin dubium ablatum non iudicet? ad vtrumque ergò pertinebit talis declaratio, nec ordinabitur Regularis ſi diſcrepent inter ſe, & Prælatus, & Epiſcopus.

Quod ſi obijcias, pro Epiſcopo. *cap. cum de tua electione de corpore vitiatis*, habetur Epiſcopum debere declarare, & determinare quid agendum ſit cum deformi in corpore (puta ob oculum maculatum) ergò iam clarè patet Epiſcopum in huiuſmodi dubio eſſe iudicem delegatum, qui declarare debet, & cæt.

4 Reſpondeo nihil contra nos ſtatuere dictum caput; nam vt inquit Auila *Parte 7. diſput. 3. Dub. 2.* Ibi fuit Pontifex rogatus, vt determinaret de quodam electo in epiſcopum, qui maculam in oculo deformem habebat: & ideò Pontifex iudicium remittit huius rei Archiepiſcopo. Vnde reſpectu tantum promoti ad epiſcopatum habet aliquam vim dictus textus, non autem reſpectu aliorum & ſic

5 Audeo magis ampliare meum dictum, & dico nec reſpectu ſæculariũ pertinere neceſſario hanc declarationem ad epiſcopum. Vnde ſi epiſcopus Clericum iudicaret deformẽ, & vir alius prudens eum declararet ſine deformitate, epiſcopus poſſet ſtare tali atteſtationi, & declarationi & non teneretur tamen, & ſic dico caſum eſſe ſatis Methaphiſicum; nam niſi epiſcopi conſenſus adueniat atteſtationi, quid proderit ordinando?

An ab Epiſcopo debeat diſpenſari, vt promoueatur ad ordines Regularis modicè corpore vitiatus. Dub. LXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Auctoritas Epiſcopi ad talem diſpenſationem requiritur ſecundum aliquos.*

2 *Defectus corporis, qui vſum congruum ordinum non impedit, non inducit irregularitatem.*

3 *Etiam ſi modicè corpore vitiatus indigeat diſpenſatione, cum Religioſo debet diſpenſare Prælatus proprius; qui habet ex priuilegio facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus cum ſuis ſubditis, exceptis tribus.*

1 Caſum ponit in terminis Vuameſius *in ſuis Conſilijs, conſil. 36. tom. 1.* & ponam eius verba: codex enim non adeo tibi frequens erit. *Sed; an id fieri debeat mediante diſpenſatione controuerſum eſt, ſunt enim qui Alexandri III. Papæ de hac reſcriptum in dictum caput 2. accipiunt: Alij ad diſpenſationem hominis id referunt, ſed diſceptant, a quo homine huiuſmodi diſpenſatio peti, & obtineri debeat. Quidam a ſolo Papa ſuper hoc vitio diſpenſari poſſe, Innocenti. in caput 2. de corpore vitiatis. Alij etiam Epiſcopis eius rei poteſtatem attribuunt,*

Ioan-

Digitized by Google

Ioannes Andreas; ſi deformitas corporis ex huiuſmodi vitio non ſit magna. Vnde non poſſit generare magnum ſcandalum, quia nuſquam inuenitur huiuſmodi caſus, ſpecialiter reſeruatus diſpenſationi Apoſtolicæ. Atque ita ſe conſultis, pluribus notabilibus uiris. concluſiſſe, & obſeruaſſe tradit Bellamera Epiſcopus Auenionenſis. Quod etiam maiorem habet rationem ne ob leue vitium cum grauibus ſumptibus neceſsè ſit adire Sedem Apoſtolicam ex prouincijs præſertim Vltra montanis. Vt nec pro leui manuum iniectione quis ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutione mitti debeat. Cum igitur in hoc Religioſo omnia hæc concurrant, hoc eſt modicum vitium tolerabile, ſeù non horrida deformitas, merito debet ſaltem diſpenſatiuè, & auctoritate Epiſcopali, etiam ad Ordinem Sacerdotalem promoueri. Hæc Vuameſius, qui videtur in dicto caſu requirere auctoritatem Epiſcopi diſpenſationem ad ordinandum talem Regularem. ſed

2 Dico 1. defectus corporis qui nec vſum congruum ordinum impedit, nec deformitatem notabilem generat, nullo modo inducit irregularitatem, & conſequenter nec epiſcopi diſpenſatio requiritur, dictum ſuſtinet Sotus, *in 4. diſputat 25. quæſt. 3. art. 3.* Toletus. *cap. 63. num. 4.* Auila de cenſuris. *parte 7. diſput. 3. dub. 1.* Lezana. *Verb. Irregularitas num. 15.* & probatur negatiuè quia ſcilicet hoc non probatur; nec adeſt fundamentum ad hoc aſſerendum.

3 Dico 2. Dato quod modicè corpore vitiatus indigeat diſpenſatione, cum Religioſo debet diſpenſare Prælatus proprius: Quia Prælati Regulares habent priuilegium diſpenſandi cum ſuis ſubditis, in omnibus irregularitatibus tribus exceptis Homicidij voluntarij, mutilationis membrorū, & bigamiæ. Vide circa hoc priuilegiū Lezanam *tom. 1. cap. 18. numer. 40.* Bordonum *in cōſilijs Regulari. Reſolut. 11. num.* 7. Deinde in his, in quibus diſpenſare poteſt Epiſcopus etiam poteſt diſpenſare Prælatus, cum ſuis ſubditis Regularibus.

An excommunicatio lata ab epiſcopo contra ſuſcipientes ordines, liget Regulares. Dub. LXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Legari etiam Regulares tali excommunicatione docent aliqui.*
2 *Authoris opinio negatiua adducitur.*
3 *Abſolutio data ab Epiſcopo accedentibus ad Ordines cum defectibus, etiam Regularibus prodeſt.*
4 *DD. Epiſcopi potius abſolutionem debent dare omnibus accedentibus ad ordines cum defectibus, & cæt. quam excommunicationem contra eos imponere.*

1 Affirmatiuè reſpondet Peirinus *in Conſtitutionem primam. Iulij 2. §. 18.* idem ſuſtinent Lezana *Tom. p. cap. 14. & in ſumm. Verb. Ordo* Bordonus *Reſol. 7. num. 107.* Fundamentum quo vtitur Peirinus eſt, Quia licet epiſcopus non habeat iuriſdictionem in Regulares; attamen cum Canones, & Pontificię conſtitutiones prohibeant ne ordines recipiantur, niſi ab habentibus debitas, & requiſitas conditiones: hinc eſt quod epiſcopus poſſit adiuuando Canones,

pœnas

pęnas aliquas de nouo imponere per Doctrinam Panormitani, Innocentij, & aliorum apud ipſum Peirinum.

2 Hęc tamen ſententia, niſi adducat aliam rationem, non placet, nam licet verum ſit epiſcopos poſſe roborare, & nouam pęnam iniungere iuri communi, vt probat doctè Chartarius *decis.* 20. *num.* 130. citando ad hoc plures canoniſtas, afferens exemplum de feſtorum obſeruatione, pro qua poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus nouam pænam iniungere, & adiuuare, vt ità dicam ius pontificium; attamē ex hoc non video, quomodò talis pęna liget etiam Regulares; nam ſicuti nemo dicet quod talis pæna liget non ſubditos epiſcopi, & homines alterius Diœceſis: Quomodo Regulares obligare poterit, qui ſubditi non ſunt & exiſtentibus extrà Diœceſim comparantur? niſi ergò aliam rationem adducant, non adhæreo huic ſententiæ, ſed contrariam amplector.

3 Sed quæres hic; an abſolutio data ab epiſcopo accedentibus ad ordines, cum defectibus ob quos in cenſuras incidant, proſit etiam Regularibus. Reſpondeo prodeſſe. Ità Peirinus *in citatam Conſtitutionem Iulij* 2. §. 18. *num.* 43. Henriquez *lib.* 10. *de Sacramento Ordinis. cap.* 20. *num.* 2. Silueſter *Verb. Irregularitas quæſt.* 9. *nu.* 11. & habetur ex *capite Præterea de officio delegati* ratio eſt, quia dum cum licentia Prælati accedunt Regulares ad ordines videntur accedere cum omnibus requiſitis, vt rectè fiat ordinatio, & expediatur talis operatio. Et aduertant hic DD. Epiſcopi, potius debere illos, qui accedunt cum aliquo impedimento abſoluere, quam ſua pæna excommunicationis latæ ſententię prohibere, ne quis ordinetur cum tali impedimento. Ità Diana cum alijs *parte* 5. *tract.* 13. *reſol.* 66.

An Epiſcopus poſſit in vna, & eadem die Regularibus duos ſacros ordines conferre.
Dub. LXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Quæ Fundamenta videantur ſuadere Epiſcopum poſſe Regularibus vna, & eadem die duos ſacros ordines conferre.*
2 *Non poteſt tamen hoc facere Epiſcopus.*
3 *Difficultas grauis reſoluitur.*

1 Apud Mirandam *Tom.* 1. *in Manuali Prælator. quæſt.* 38. *art.* 5. habes dubium in terminis.

Quod poſſit epiſcopus conferre Regularibus vna eadem die duos ordines ſacro ſuadere videntur hęc, 1. Eugenius IV. conceſſit Monachis S. Benedicti pręſentibus, & futuris, vt omnes etiam ſacros ordines, vna, & eadem die ſuſcipere poſſint, & quilibet epiſcopus illos ſibi conferre, 2. Quia minores ordines omnes conferri poſſunt vna die etiam poſt Concilium, vt tradit Nauarr. *in Manual. cap.* 25. *num.* 71. & *cap.* 27 *num.* 241. 3. & eſt validiſſima ratio: Sixtus V. in ſua Conſtitutione, quam fecit contrà male promotos licet graues pęnas proponat contra Prelatos, qui quempiam ordinauerint, non ſeruatis temporum interſtitijs, aut vna, & eadem die, ſeu continuatis diebus pluribus

ſacris

Sacris ordinibus addidit tamen; ſi hoc fecerit ſine rationabili cauſa: ergo ſupponit potuiſſe hoc facere cum cauſa rationabili, & maximè reſpectu Regularium, qui ad hoc habent priuilegium ſpeciale, His tamen non obſtantibus.

2 Dico cum citato Miranda *loco ſupra* non poſſe Epiſcopum ordinare Regulares ordinibus ſacris, vna, & eadem die. Probatur clariſſimè ex Concilio Tridentino *ſeſſ.23. capit.13.* dum dicitur *duo ſacri ordines non in eadem die etiam Regularibus conferantur priuilegijs, ac indultis quibuſcumque conceſſis in contrarium non obſtantibus*, nihil potuit dici clarius, ad firmandam dictam ſententiam.

3 Sed difficultas eſt in ſoluenda obiectione ex ordinatione Sixti V. adducta ſupra, quę poſterior eſt Tridentino, & ſic videtur abrogare Tridentinum: per tale priuilegium dicitur, quod ſine cauſa ordinantes vna, & eadem die Regulares, vel alios incidant in illas graues pænas, quas habet ibi. Ergo a contrario dum facit hoc cum cauſa nullas incidet in pœnas, & licitè faciet.

Reſpondet Miranda nec per dictam conſtitutionem Sixti V. derogari Tridentino, quia iuxta communem iuris Regulam ius nouum numquam derogat antiquo, niſi id expreſsè dicat; at ius antiquum habet, quod nec cum rationabili cauſa hoc fieri poſſit, ſcilicet poſſint conferri eadem die ſacros Ordines, ergo ius nouum cõtrarium debuit exprimere, probatur autem, quod ius antiquum etiam cum rationabili cauſa neget, & prohibeat conferri ordines Sacros eadem die: ſic in capit. *cum dilectus de temp. ordinand.* habetur, quod quidam Archiepiſcopus, non potuit in hoc diſpenſare cum quodam electo in Epiſcopum vt ſcilicet in vna, & eadem die duo Sacri Ordines ſibi conferrentur, & quia certus Epiſcopus hoc fecit ſuſpendi iubetur: ecce quomodo ius antiquum hoc habeat: & ſic per ius nouum nequit abrogari ſine expreſſa mentione. Ita Miranda, quæ tamen reſponſio non adequatè placet, nam ius nouum etiam ſine expreſſa mentione iuris antiqni dum contrarium eſt antiquo, illud irritat, placet ergo magis reſponſio Marchini *de Sacramento ordinis trac.1. par.7. cap.1. propoſitione prima*: ſcilicet in dicta conſtitutione Sixti V. particulam illam ſine rationabili cauſa non eſſe referendam ad plures ordines Sacros eadem die eidem conferendos, ſed ad diſpenſandum ab interſtitijs, & de his aſſerit Summus Pontifex non ſine rationabili cauſa plures Ordines Sacros ante elapſum tempus eidem conferendos eſſe. Vnde remanet in ſuo robore Tridentinum.

An Epiſcopus poſſit ordinare ad Diaconatum Regularem, qui habet ſolum teſtimonium ſuorum Prælatorum, quod ſit ordinatus ad Subdiaconatum non autem litteras Epiſcopi, qui ordinauit, & idem dic de alijs ordinibus.

Dub. LXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Nimis rigidè procedit in hoc Venerus*

Leyua in ſuo examine.

2 *Sententia ergo contraria, quæ fauet Regularibus rationibus firmatur.*

1 NImis ſcrupuloſus eſt in hac re Venerus Leyua *lib.6.cap.14. ſui examinis numer.* 15. hic adducam eius verba: *ſi aliquis religioſus omittat litteras Epiſcopi, qui eum ordinauit de Epiſtola, & eius loco habeat teſtimonium in ſcriptis ſui prouincialis, quod talis fuit ordinatus de Epiſtola tali die, tali Epiſcopo, & eam ſæpè ſæpius cantauit ſufficiet ne hoc, vt Epiſcopus tuta conſcientia eum ordinet de Euangelio? Non; primo quia de iure tenetur habere litteras ordinis ab Epiſcopo ordinante tamquam in cauſa graui, vt præcipitur in c.legum 2.quæſt.1. Quia iſte defectus de iure non ſuppletur per teſtimonium vnius, ſed per informationem aliquorum iuridicam capit. ſuper his de accuſat. Bocr. deciſ.171.n.23. tertio, quia Epiſcopus ordinans tenetur attendere, ne quis per ſaltum promoueatur, & eſt competens iudex iſtius cauſæ cap. vnico de cler. per ſaltum promoto. Nec obſtat ſi quis dicat, quod Bulla Sixti V. in fauorem Regularium dat facultatem ſuperioribus ordinum vt de moribus, & natalibus ſuos approbent, & relinquit, quod Epiſcopus approbet Religioſos de ſcientia, primo, quia in dicta bulla non continetur hæc facultas, vt ſuperior ſuppleat litteras Epiſcopi ordinantis, ſicut non continetur, vt diſpenſet interſtitia, & cum tit. in diminutionem iuriſdictionis ordinariæ data a Concilio Tridentino non debet extendi ad rem in Bulla non contentam ex regul.iuris: ſecundo dicta Bulla conceſſa fuit ſuperioribus Religionum ſolum ad approbandos ſuos ſubditos in his rebus in quibus ordinarius non poteſt* habere noticiam, ſicut ſunt mores, & vita præterita, *tertio ad derogandum ius; quod competit Epiſcopo ratione ſui officij, & ratione Concilij Trident. requiritur expreſſa mentio, quæ in dicta Bulla non habetur, neque militat ratio quare debeat derogari, quia melius poſſet ſuperior Religionum approbare de ſcientia ſuum ſubditum, quod poteſt illi per examen conſtare, quam dare fidem, quod ordinatus ſit de Epiſtola, cum ipſe præſens non fuerit ad eius ordinationem.* & ſequitur, *ſi quis amittat litteras ordinis inferioris, vel relinquat domi, & facilè eas recuperare non poſſit, quid debet agere, vt promoueatur? Reſpondetur cum matura deliberatione recurrendum eſt ad remedia iuris in caſibus, in quibus res non apparet, & cæt.* Hæc Venerus citatus, quæ tamen nimis rigida, & merito videntur pluribus Doctoribus, &
2 præcipuè Marchino *de Sacramento ordinis tract.1.part.6. capit.5.* Quia litteræ teſtimoniales Superiorum, tam plenam fidem faciunt, ac ſi eſſent publica inſtrumenta, ita vt Epiſcopus ordinans iis fidem dare non ſolum poſſit, ſed debeat, vt tradit Abbas in cap. *tua nos de Clericis Peregrinis nu.3.* Maſcardus etiam fauet *de probationibus concluſ.*1145. qui adducit etiam Franc. *in d. capit. tua nos* Deinde ferè incredibile eſt, Prælatos Regulares velle publicis litteris ſuo ſigillo munitis rem falſam atteſtari. Vnde concludit dictus Marchinus. *Ex quibus ſatis apparet inſtrumenta illa ſuſcepti ordinis eſſe quidem accipienda: ſi tamen caſus contingat ordinandum ea ſecum non detuliſſe non proinde eſſe ab ordinatione repellendum, ſi hac de re litteras teſtimoniales ſui Prælati omni falſitatis ſuſpicione carentes oſtendat. Quare mirari ſatis non poſſum rigidam nimium nonnullorum Epiſcoporum examinationem erga*

Re-

Regulares ordinandos non ſolum de ſcientia, ſed etiam de alijs requiſitis; cum tamen in ſalute animarum procuranda nullos habeãt meliores, aut efficaciores coadiutores. Quam calamitatem etiam in Hiſpania vigentem deplorare non deſinit Rodriquez tom. 1. qq. Regul. quæſt.24. art. 7. in fine. Ita Marchinus, quæ, quam rationabilia ſint conſideret iuſtus Lector.

An Regulares modo non obſtante Decreto Clementis VIII. poſſint ab Epiſcopo originis ordinari. Dub. LXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quilibet ſtando in iure antiquo poteſt ordinari, ab Epiſcopo Originis, Domicilij, & beneficij.*

2 *Notabilis opinio, quod Regulares etiã hodie poſſint ordinari ab Epiſcopo originis, & eius Fundamenta ponuntur.*

1 Est res clara, ſi ſtemus in iure cõmuni antiquo, cap. *cum nullus de tempor. ordinand.* ab Epiſcopo originis, domicilij, & beneficii poſſe quẽlibet ordinari, quod etiam valet in Religioſis, vt habetur dicto cap. §. *Religioſi*, ſed modo poſt decretum Clementis VIII. quod habes relatum à Piaſeccio *in praxi Epiſcopal. cap. 1 nu. 14.* Quaranta *in Summ. bullar. verb. Ordo ſub fines*, videtur Regularibus limitata facultas recipiendi ordines, niſi ab Epiſcopo Diœceſano, ſcilicet illius monaſterii, in quo degit ordinandus Regularis aſſignatus à ſuis ſuperioribus, Hoc tamen decreto non obſtante.

2 Franciſcus Zipæus doctus, ſed obſcurus doctor *in ſuis conſultationibus Canonicis lib. 1. conſultatione 3.* docet adhuc poſſe ab epiſcopo originis ordinari Regulares, conatur probare variis rationibus ſuam ſentẽtiam; ſed eius fundamentum puto eſſe hoc (dixi puto,) nam nimis certè obſcurè ſcribit hic auctor, & maximè dicta conſultatione: eſt ergo eius Fundamentum; per dictum decretum Clementis VIII. tollitur, & coarctatur priuilegium, quod habebãt ante Regulares, vt poſſent ordinari à quocũque Epiſcopo, ad cuius diœceſim nauigantes, itinerantes, tranſeuntes appuliſſent, tale fuit priuilegium, quod conceſſit Minoribus Clemens Quartus, limitatur ergo hæc facultas Regularibus, quibus imponitur, vt ordines recipiant à Diœceſano Monaſterij, in quo de familia degunt; non tollitur tamen quod habent à iure communi ſcilicet, quod poſſint ordinari ab Epiſcopo originis, & natiuitatis, ſic etiam dicto citato cap. *cum nullus* §. *Religioſi* ſtatuitur, quod Religioſi ordinentur à locorum Diœceſanis quamdiu morantur in ipſis prioratibus, ſeu ipſis familijs, permittitur tamen ibi ordinari ab Epiſcopis originis, & nouitatis, ſic etiam tale decretum hoc non aufert; ſed permittit etiã, cũ alludat dicto §. *Religioſi* cum ergo vitanda ſit iurium correctio, nec per hoc vltimum decretum abrogetur, quod eſt de iure communi ſcilicet Regulares ordinari poſſe ab Epiſcopo originis; dicendum eſt, inquit Lipæus, quod etiam hodie poſſint à

talibus Epiſcopis originis ordinari: vnde ſi habet dictus Doctor, *atque ita concludimus regularem etiam hodie poſſe ab Epiſcopo originis ordinari, nec id à Concilio Tridentino prohiberi, neque à ſupradicto decreto, neque vſu contrario hic abrogatum eſſe*. Ita Lipæus.

Hanc ego ſententiam non audeo reprobare, ſed praxim in contrarium video, quæ optimè ſolet leges interpretari.

An Epiſcopus hoſpes in aliena Diæceſi poſſit ordinare Regulares ſine licentia Diæceſani quando non ordinat, vel quando mortuus eſt ſine licentia Capituli.

Dub. XC.

SVMMARIVM.

1 *Rationes, quæ mouent ad affirmandum ponuntur.*

2 *Communior ſententia negat.*

3 *Capitulum Sede uacante quomodo ſuccedat Epiſcopo.*

4 *Quomodo intelligitur, quod gratia non expirat morte concedentis.*

5 *Authori probabilis etiam videtur opinio, quæ docet Epiſcopum hoſpitem, etiam ſine licentia Ordinarij poſſe Regularibus ordines conferre.*

6 *Priuilegia, quæ habent circa hoc Regulares, etiam poſt Concilium fuerunt à diuerſis ſummis Pontificibus confirmata.*

7 *Verba Concilij cuiuſuis priuilegij prætextu, quomodo intelligenda.*

8 *Decretum Clementis VIII. dum dicit Regulares eſſe ordinandos neceſſario à Diæceſano, intelligitur dum Diæceſanus ordinat: ſecus dum ordinationes non tenet.*

1 Prima facie videtur, quod poſſit; quia Religioſi habent priuilegium ſaltem per viam communicationis ex priuilegio ſpecialiter conceſſo Benedictinis vide *compendium Mendicantium* verb. *Ordines Sacri* §. 10. vbi Summus Pntifex concedit, & eſt Eugenius IV. licentiam, vt poſſint ordinari a quocumque Antiſtite, & ait. Epiſcopos poſſe eos ordinare intra ſepta Monaſteriorum, abſque alia licentia, & contradictione Diæceſani, & nulla examinatione præmiſſa, quo priuilegio gaudent omnes alij ferè Regulares. Igitur videtur dicendum poſſe Regulares ordinari a quocumque Epiſcopo ſede vacante etiam ſine facultate Capituli.

2 Negat tamen communiter Doctorum ſententia hodie poſſe Regulares ordinari in proprijs etiam Monaſterijs ſine licentia Epiſcopi Diæceſani, & conſequenter ſine facultate capituli Sede vacante: eſt expreſſe concluſio in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 5. de reformatione*, vbi dicitur. *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius diæceſi exercere niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas.*

3 Quod ſi obijcias in Concilio dicitur, quod nequeant Epiſcopi ſine licentia Ordinarij, & Diæceſani ordinare in aliena Diæceſi, ergo poterit ſine licentia Capituli: Reſpondeo, & ita reſpondet Emanuel Themudo. a Fonſeca *deciſio.* 88 *num.* 6. Capitulum Sede vacante eſſe ordinarium loci; ſuccedit enim in poteſtate iuriſdictionali Epiſcopi, at dare huiuſmodi licen-

licentiam,pertinet ad poteſtatem iuriſdictionalem, ergo. Quod autẽ capitulum ſede vacante ſuccedat in iuriſdictionalibus iam dicimus nos *cap. quo ad varia*.

Priuilegium autem quod ſupra adduximus non obſtat;nam fuit conceſſum ante Tridentinũ: Concilium autem abrogat dictum priuilegium, dum ait *cuiuſuis priuilegij prætextu*, & idem dicendum eſt de quocumque alio priuilegio conceſſo Religioſis ad recipiendum ordines a quocumque Epiſcopo, quia ſemper debet intelligi dummodo talis Egiſcopus ſit in propria diæceſi, & dum eſt in aliena ſi id faciat de licentia Diæceſani non enim Princeps concedit priuilegium cum præiudicio tertij,vt tradunt Doctores communiter.Suarius *de legibus lib.8.cap.22.num.14.& eodem libr.cap. 28.nu.10.* ſed magnum præiudicium fieret Epiſcopo, & capitulo ſede vacante, ſi a quocumque Epiſcopo, ex priuilegio poſſent ordinari Regulares ſine eorum facultate. Ergo

4 Sed aduerte hic, quod ſi Epiſcopus hoſpes haberet facultatem ab Epiſcopo Diæceſano viuo, ſi capitulum non reuocaret huiuſmodi licentiam; poſſet tunc ille Epiſcopus exterus ordinare in tali Diæceſi: gratia enim non expirat morte concedentis, vt probat Sanchez *de Matrimonio libr. 8.diſput.28.num.64.& num.83.*& hoc intelligitur quando gratia eſt abſoluta, & ſine limitatione temporis, ſic adducit exemplum Sanchez loco ſupra,licentia data Petro v.g.vt ordines ſuſcipiat mortuo Epiſcopo non expirat, neque expirat ſi epiſcopus ad alium epiſcopatum trãsferatur. Imò nec gratia data a capitulo ſede vacante, quam poterat tunc dare expirat adueniente nouo epiſcopo,& hæc doctrina etiam applicatur epiſcopo titulari,non enim eſt diſparitas, hanc tamen licentiam poteſt capitulum ſede vacante reuocare,cum iuriſdictionem ordinariam habeat, & ſuccedat in iuriſdictionalibus epiſcopo. Hæc omnia procedunt iuxta ſententiam hanc negatiuam.

5 Affirmatiua tamen opinio mihi etiam probabilis videtur,& habere optima fundamenta, quæ ſunt priuilegia Regularium; Priuilegium conceſſum Religioni Sancti Ioannis Hyeroſolimitani a Pio IV. in Bulla, quæ incipit *Circumſpecta*, in qua dicitur *nec non exemptionem ,& liberationem. Ita quod Magiſtri baiulorum Priorum, & dicti Hoſpitalis Cappellani a quocumque catholico Antiſtite ſub Romanæ ſedis obedientia conſtituti ſacros ordines etiam extra tempora a iure ſtatuta tribus diebus feſtiuis ſuſcipere, & in quibuſuis* tam ſæcularium, quam Regularium *Eccleſijs*.

Quod ſi dicas hoc priuilegium fuit ante Tridentinum: ergo iam non valet,cum fuerit per dictum Concilium abrogatum.

6 Reſpondeo fuiſſe poſtea confirmatũ a Pio V. in ſua conſtitutione, quæ incipit *& ſi cuncta* Dat.Romæ 29.*Nouemb. anno* 1568. & a Greg. XIII. in Conſtitutione, quæ incipit *quo magis*, & a Sixto V. in ſua, quæ incipit, *& ſi* et a Gregor.XIIII. in ſua *quanta Chriſtiana*, & a Clemente VIII.in illa,quæ incipit *Paſtoralis*. Addit etiam Lezana tale priuilegium conceſſum Patribus Sancti Ioannis Euangeliſtæ Portugalliæ, vt teſtatur Portel. verb. *Ordines Sacri*,qui Doctor affirmat ſe vi-

diſſe priuilegia dictæ Religionis. 2. non video quomodo colligant aduerſarij abrogatum fuiſſe hoc priuilegium a Tridentino loco ſupra, quia certum eſt quotieſcunque Tridentinum abrogat priuilegia Regularium ſolere expreſſe abrogare. Vnde quando expreſſe non abrogat non debent præſumi abrogata, vt docet Cokier, *2.par.quæſt.*54.*nu.*2. *de iuriſdictione ordiuarij in exemptos*, ſed in illo loco concilij abrogata non fuerunt priuilegia Regularium, ergo.

7 Inſtabis: abrogata non fuerunt per illa verba *cuiuſuis priuilegij prætextu* reſpondeo hoc intelligi de priuilegijs, quæ habebant epiſcopi ipſi, non autem Regulares, vt patet bene conſideranti ſuper quem cadant illa verba. Vnde concludo, & per priuilegia data ante Concilium, & per illa data poſt poſſe abſq; ſcrupulo a quolibet epiſcopo ordinari Regulares in qualibet Eccleſia ſine Diæceſani licentia.

8 Vrgebis adhuc per decretum Clementis VIII. quod eſt in ſuo robore Regulares hodie nequeunt ordinari a quocumque epiſcopo; ſed ſolum ab Ordinario loci, in quo degũt: ergo ſicut in hoc fuerunt ablata eorum priuilegia; ſic etiam in alijs, & conſequenter in hoc, quod nequeant in eorum eccleſijs ordinari ab alienis epiſcopis ſine licentia Diæceſani.

Reſpondeo concedo in illo reuocata fuiſſe priuilegia, non autem in hoc, vt patet ex verbis decreti, quod videre potes apud Tamburinum *tom. 2. de iure Abbatum diſput.2.quæſt.*18.& ſic quando Diæceſanus non ordinat iam poterunt ordinari, & à quocumque, & in quacumque eccleſia: quid quid dicãt multi, & fere communiter Doctores, Miranda præcipuè in ſuo *Manuali Prælatorum tom.*1. *quæſtio.*38. *art.*3. Secus quando Diæceſanus ordinat, quod maximè aduertat lector ne in errorem cadat, dum ſuperius videt propoſitionem ſine hac limitatione.

QVO AD CELEBRATIONEM Miſſarum. Cap. V.

Quid Epiſcopus poſſit in Regulares, quo ad celebrationem Miſſarum in Oratoriis priuatis. Dub. XCI.

SVMMARIVM.

1 *In Oratorijs, quæ ſunt in Monaſterijs Regularium, poſſunt Regulares celebrare ſine licentia Epiſcopi.*
2 *Quod extende etiam ſi dicta Oratoria ſint in grangijs, ſeu prædijs Monaſteriorum, vbi poſſunt dicta oratoria ſine Epiſcopi licentia erigi.*
3 *In dictis Oratorijs etiam alij Sacerdotes ſæculares celebrare poſſunt.*
4 *Facultas erigendi Oratorium eſt facultas intuitu religionis conceſſa, facultas autem celebrandi, eſt ratione loci.*
5 *In Oratorijs priuatis poſitis in domibus ſæcularium; an poſſint celebrare Regulares ſine facultate Epiſcopi, controuerſum eſt apud Doctores.*
6 *Priuilegia Regularium ordinariè accipi debent ſine præiudicio Eccleſiæ Parrochialis, quod præiudicium circa tria conſiſtit.*
7 *Opinio authoris notatu digna exponitur.*
8 *Declaratio quædam ſacræ Congregationis,*

tionis, quæ hodie ſeruanda eſt refertur ad verbum.

9 *Ex rationabili cauſa poteſt per aliquas vices Epiſcopus concedere facultatem celebrandi in dictis Oratorijs, extra Eccleſiam.*

10 *Aſſignantur cauſæ rationabiles.*

11 *Regulares in altari portatili poſſunt celebrare.*

1 Reſpondeo, vel loquimur de Oratoriis priuatis in eorum Monaſteriis poſitis, vel de Oratoriis priuatis in domibus ſæcularium. Si de primis ſit ſermo.

Dico: poſſunt Regulares ſine licẽtia Epiſcopi in eis celebrare. Ita Lezana *tom.* 1. *Summ. cap.* 21. *numer.* 14. & hoc clarè patet; Quia habent in hoc priuilegia, quæ non fuerunt derogata per Tridentinum *ſeſſ.* 22 *in decret. de Obſeru. & Vitan. in celebratione Miſſarum*: cum ibi tantum dicatur, *ne in priuatis domibus, &c.* Monaſteria autem non ſunt priuatæ domus, nec extra Eccleſiam, cum veniant etiam clauſtra Religioſorum nomine Eccleſiæ *per cap. Abbati §. hac autem diſt.* 54. & per caput *Alma mater de ſententia excommunicationis*. Adeſt etiam priuilegium Gregorii XIII. Societati Ieſu conceſſum relatum à Lezana *loco citato*, quo fruuntur communicantes in priuilegiis.

2 Immo etiam in grangiis Monaſteriorum, ſeu in prædiis ipſorum recreationis gratia factis poſſunt erigi huiuſmodi Oratoria ſine licentia Epiſcopi. Ita Lezana *num.* 15. Rodriquez apud ipſum, & alii, non obſtante dicto loco Concilii, & hoc per priuilegia.

3 Et ſcias in dictis Oratoriis etiam poterunt alii Sacerdotes non Regulares celebrare. Ita Paſqaligus *deciſ.* 180 qui citat Suarez 3.*p. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 3. *verb. quarta exceptio* Fagundez *de præceptis Eccleſiæ par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 17. Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 27. *num.* 2. Fauſto *de Eucharistia lib.* 2. *de ſacrificio Miſſæ quæſt.* 171. Ratio eſt; quia huiuſmodi priuilegiũ eſt priuilegium loci, & ſic commune omnibus accedentibus ad illum locum.

4 Nec obſtat, quod dictum priuilegium ſit conceſſum Religioni intuitu ipſius Religionis, quia duo conſideranda ſunt in huiuſmodi priuilegio, & facultas erigendi Oratorium, & hoc eſt priuilegium conceſſum intuitu Religionis, alia eſt facultas conceſſa celebrandi in dictis Oratoriis, ſeu Cappellis, & hæc eſt localis, qua omnes accedentes ad dicta Oratoria fruuntur.

Si autem ſit ſermo de Oratoriis erectis, & poſitis in domibus ſæcularium.

5 Negatiuè reſpondent multi, & præcipuè Miranda *tom.* 1. *q.* 40. *art.* 9. qui citat pro ſe Suarez, ſed hæc ſententia non videtur negare abſolutè, ſed tantum in foro externo. Quia Pius Quintus confirmauit omnia priuilegia in foro conſcientiæ Regularibus conceſſa preſertim Minoribus, vt volunt multi.

Affirmatiuè autem reſpondent Petrus de Ledeſma 1.*par. Summæ cap.* 20. *de Eucharistia* Ioannes a Cruce *in ſua Epitome priuilegiorum lib.* 2. *cap.* 5. Rodriquez *in addit. ad ſummam tom.* 3.

Digitized by Google

cap.19. num 3. Portel. *verb. Altare* Lezana in Summ. *verb. Altare num. 13.* Et hi omnes docent, id etiam licere hodie Regularibus, ſed Epiſcopo nõ contradicente; nam ſi contradicat nõ poterunt. Et fundamentum eſt, quia hoc non fuit reuocatum per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. citata.* Ibi enim non interdicitur Regularibus vti ſuis priuilegiis, ſed tantum præcipitur epiſcopis ne hoc permittãt per hæc verba. *Neuè patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad Diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eis ordinarijs deſignanda, & viſitanda Sanctum hoc Sacrificium a ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi.* Ergo ſi epiſcopi hoc permittant, nec contradicant, poterunt vti ſuis priuilegiis Regulares, quæ priuilegia refert Rodriquez *tom. 1. quæſt. 43. art. 4.*

6 Sed aduerte hoc priuilegium ſemper deberi accipi ſine præiudicio eccleſiæ Parrochialis; præiudicium autem eccleſiæ Parrochialis circa tria conſiſtit, circa oblationes, Decimas, & primitias.

7 Dico tamen. Hæc ſecunda ſententia affirmatiua mihi non placet in eo, quod dicit ſcilicet permiſſionem epiſcopi, quo ad hoc requiri, nec poſſe Regulares illo contradicente celebrare. &c. mihi inquam diſplicet nã non video, ad quid in hoc anctoritas, et poteſtas epiſcopi requiratur modo, poſt declarationem Sacræ Congregationis, quam referunt Naldus *verb. Miſſa num. 31.* et Paſqualigus deciſ. 165. *quæ eſt tenoris ſequentis.*

8 *Perilluſtris, ac Reuerendiſſime Domine, vt frater. Sacra Cardinalium Congregatio Concilij Tridentini interpretum optimis innixa rationibus ſæpiſſimè reſponderit celebrandi licentias in priuatis Oratorijs non niſi à Sede Apoſtolica eſſe concedendas, compertum eſt tamen per plures Antiſtites eiuſdem Concilij verba in aliũ ſenſum detorquentes, paſſim illas, ac nullo propè delectu impertiri. Qua quidem facultate, ne dum ipſi Pontificiam auctoritatem ſibi adſciſcunt; aliarumque Eccleſiarum, & frequentiam minuunt, & dignitatem; verumetiam, quod ſumme dolendum eſt; tremendum illud myſterium, quo nullum aliud opus adeo Sanctum, atque Diuinum à Chriſtifidelibus tractari poteſt, intra domeſticos parietes plerumque cum tanta irreuerentia peragitur, vt nihil fere inter prophanam, & Diuinam Domũ intereſſe videatur. Quod ſanè teterrimũ exemplum, vt de Chriſtiana Republica euellant, Illuſtriſſimi Patres Amplitudini tuæ cæteriſque Archiepiſcopis & Epiſcopis vniuerſis Sanctiſſimi Domini noſtri iuſſu ſignificandum duxerunt facultatem huiuſmodi licentiam dandi ipſius Concilij decreto vnicuique ademptum eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſeruatam. Proindeque amplitudini tuæ abſtinendum eſſe ab illis vtrumque tribuendis; ac ſi quas hactenus, vel à tuis anteceſſoribus, aut alias quoquo modo, quam ab ipſo Summo Põtifice cõceſſas repereris, nullas, atque irritas eſſe quamprimum decernas; atque enixè curandum, ne vlla ratio illarum in poſterum habeatur. Quam quidem Sacræ Congregationis atque adeo Sanctitatis ſuæ voluntatem libenter amplitudo tua perficiet harumque litterarum exempla in acta publica primo quoque referendum, ac deinde ad ſingulos iſtius prouinciæ Epiſcopos; & cæt.* Quod decretum non ſolum eſt declaratiuum, & interpretatiuum Concilij Tridentini, ſed etiam eſt lex, & ſic habet vim

obli-

obligandi. Si ergo per hoc decretum tollitur facultas epiſcopis, & ſedi Apoſtolicæ reſeruatur, quid refert ſi epiſcopus contradicat, vel non contradicat? Poterunt ergo Regulares ſi habent circa hoc priuilegia, quæ ob teſtimonium tot Doctorum puto habere, etiam ſi epiſcopus contradicat celebrare in oratorijs, & cæt. Ita Lezana *eodem verb. ſupra num.* 16. qui dicit non eſſe recipiendos Rodriquez & Portell. oppoſitum iudicantes.

9 Et ſcias hic obiter poſſe epiſcopum etiam poſt Concilium Tridentinum, & decretum S. Congregationis editum iuſſu Pauli V. concedere licentiam celebrandi in priuatis oratorijs, et extrà eccleſiam ex aliqua rationabili cauſa, quæ etiam eſt qualitas perſonæ, et hoc per aliquot vices (puta per duas,) et ratio eſt, quia Concilium dicta *ſeſſ.* 22. ſolum prohibet ordinarias licentias, cum intendat tollere abuſus; qui ſolent ex huiuſmodi continuis licentiis oriri, ſic Paſqualigus noſter *deciſ.* 171.

10 Quæ autem ſit rationabilis cauſa habes ex dicto Paſqualigo ſcilicet omnem illam, ob quam non eſt egreſſio è domo licita, ex quocumque capite hoc proueniat: dummodo talis cauſa per notabile tempus duret, aut coincidat cum aliqua principaliter ſolemnitate, tempus autem notabile eſt tempus vnius menſis, vt vult Paſqualigus *deciſ.* 167.

11 Sed quæres hic an Regulares poſſint hoc etiã facere in altari portatili. Reſpõdeo, priuilegia, quæ habẽt Regulares eſſe circa hoc expreſsè, vt referunt Portel. *verb. Altare num.* 1. ex quo à fortiori deducitur habere priuilegia etiam celebrandi in Oratoris priuatis.

An Regulares poſſint in oratorijs priuatę domus diuino tantum cultui dedicatis celebrare cum licentia Epiſcopi. Dub. LXXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Cum oratoria ſunt Diuino cultui dedicata, tunc poteſt Epiſcopus darè facultatem in eis celebrandi.*

2 *In oratorijs priuatæ domus nequit epiſcopus dare facultatem celebrandi; & quare.*

3 *Illa dicuntur oratoria dedicata culti Diuino, quæ omnibus communia ſunt.*

4 *Sententia, quę affirmat poſſe Epiſcopum dare talem facultatem celebrandi in oratorijs priuatæ domus, iam non poteſt ſubſiſtere modò, poſt declarationem Sacræ Congregationis.*

1 Dubium hoc potius ad Epiſcopi poteſtatem cognoſcendam pertinet, quam ad poteſtatem, quã habet in Regulares & eſt commune etiam pro omnibus ſacerdotibus, hic tamen volui illud conſiderare ob peculiarem difficultatem quam notat Paſqualigus *in ſuis moralibus Deciſio.* 165. & ratio dubitandi eſt, quia cum Concilium dicat, ne epiſcopus concedat facultatem celebrandi extra eccleſiam, aut extra oratoria Diuino culti dedicata ab ipſis epiſcopis viſitanda, iam videtur poſſe dare hanc facultatem, cum dicta oratoria ſunt Diuino cultui dedicata.

2 Affir-

2 Affirmatiuè ergò reſpondent Zerola *p. Parte Praxis. Verb. Miſſa ad primum principale Concluſ.* 5. qui teſtatur in hoc adeſſe Sacræ Congregationis declarationes. Henriquez *lib.* 19. *de Miſſa cap.* 27. *num.* 1. Beia *Parte Quarta Caſuum Conſcientiæ Caſ.* 13. *verſicul. Tertio dico* Rodriquez. *Tom.* 1. *qq. quæſt.* 13. *art.* 6. Suarez. 3. *Parte tom.* 3. *Diſput.* 81. *ſec.* 3. qui tamen ſe expreſſe non declarat Coninck. *de Sacrament. quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 226. Guttierez *lib.* 1. *Canon. quæſtionum cap.* 30. *num.* 28. Quaranta *verb. Miſſa* Laiman *lib.* 5. *Theolog. Trac.* 5. *cap.* 5. *numer.* 4. Sà verb. *Miſſa numer.* 20.

Negatiuè reſpōdet tamen Paſqualigus, loco ſupra citato; quia dum Concilium dicit, ne epiſcopus det licentiam celebrandi extra oratoria Diuino cultui dicata, & viſitanda ab epiſcopis, nequit hoc intelligi de oratorijs priuatis. Tum quia hæc non ſubſunt viſitationi Epiſcopi, nam licet viſitentur, quando primò conceditur licentia non tamen continuat iuriſdictio epiſcopi ad illa viſitanda; Tum quia oratorium non cenſetur dicatum Diuino cultui, niſi ſit publicum: quia cultus Diuinus ex natura ſua eſt publicus, & communis omnibus. Vndè non poteſt Oratorium dici dicatū Diuino cultui, niſi in ipſo talis cultus exerceri poſſit, eo modo, quo ex natura ſua exigit exerceri.

3 Nec obſtat, vt optimè dicit Paſqualigus quod etiam cultus priuatus ſit Diuinus, quia ex hoc ſolum fit, quod oratorium ſit dicatum cultui priuato Diuino, quod non ſufficit quod ſit abſolutè dicatū cultui Diuino: Concilium autem vult, quod ſit dicatum cultui Diuino, ita vt ſit cōmune omnibus, ſicut omnes ius habent ad cultum Diuinum; Hæc Paſqualigus. quę mihi valdè placent. quibus tantum adderem oppoſitam ſententiam modo non poſſe ſubſiſtere ob declarationem ſupra adductam quam refert Naldus, *Verb. Miſſa nu.* 31. & quę fuit directa Archiepiſcopo Bononienſi data *die* 10. *Martij anni* 1615. Vnde concludo Epiſcopum iā darè non poſse talem facultatem, & conſequenter, nec cum illa, quę nulla eſt: poſſe Regulares celebrare & cęt. in oratorijs priuatis: contraria autem ſententia de iure communi vim habet, per ius autem nouiſſimum ſtare non poteſt.

An Regulares infirmi in domibus ſęcularium poſſint facere celebrare, vbi iacent, & degunt ſine licentia Epiſcopi. Dub. LXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Non requiritur licentia Ordinarij, & Epiſcopi ad hoc vt Regulares faciant celebrare miſſam in domo ſæcularium dum infirmi ſunt.*

2 *Priuilegium perſonale affixum eſt perſonæ, non loco.*

3 *Hoc priuilegio gaudent Moniales per communicationem.*

1 IAm diximus poſſe Regulares in ſuis Monaſterijs, vbicumque voluerint erigere altare, & ibi celebrare, & facere celebrare; etiā ſine facultate Epiſcopi, modo diuerſimodè pro-

procedit dubium, cum agamus, de celebratione in domibus ſecularium, ad quam videtur requiri licentia Epiſcopi.

Affirmatiuè Reſpondeo ego; & ita reſpondet Paſqualigus *in ſuis decıſio. Decıſ.* 177. & ratio eſt quia Priuilegium, quod habent Regulares, ex Pio IV. per communicationem priuilegiorũ Canonicorum Regularium Lateranenſium *ſub die* 18. *Maij anno* 1565. eſt cum ampliſſimis clauſulis derogatorijs; etiam conſtitutionum ęditarum in Concilijs generalibus, nec vlla requiritur Ordinario-
2 rum licentia. Deinde eſt priuilegium perſonale, non eſt affixum loco, ſed ſequitur perſonam, ita vt in quocumque loco illa ſit, poſſit illo vti. *ex capitul. Priuilegium de Regulis iuris in* 6.

3 Et nota hic aliqua obiter ad rem tamen noſtram, hoc priuilegio gaudere etiam Moniales, quę communicant in priuilegijs Regularium virorum, 2. non debere eſſe neceſſitatem, ſed ſufficere talem, quę prohibeat infirmum exire a cubiculo, & addit Idem Paſqualigus non debere in hoc ſcrupuloſè procedere, ſed poſſe hoc priuilegium ad praxim reduci, cum tota illa amplitudine, cum qua eſt conceſſum ne ſuperiores parciores ſint in admittend vſum priuilegii, quam Pontifex in concedendo. Ità tamen vt ſemper cum debita decentia fiat.

An Stante, quod Epiſcopus poſſit dare licentiam celebrãdi per aliquot vices in oratoriis, & cęt. tunc Regulares ab eo debeant illam petere, & obtinere. Dub. LXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi mouetur.*
2 *Tunc Regulares non debent petere licentiam ab Epiſcopo, vt in dictis oratorijs celebrent.*

1 Diximus ſuperius poſſe Epiſcopũ per duas vices ſaltem dare facultatem celebrandi extrà eccleſiam & extrà oratoria publica Diuino cultui dicata & cæt. Quia iam non facit in hoc contrà Tridentinum: cum ibi negetur hęc facultas epiſcopis ad tollendos abuſus, quod non contingit quando per paucas vices epiſcopus hoc concedit. Vndè cum ceſſet ratio Cõcilii, etiam ceſſat eius diſpoſitio in tali caſu: cum ergò Regulares, antè concilium habeant priuilegium celebrandi vbi voluerint in loco decenti tamen, quod priuilegium fuit reuocatum per cõcilium, vt vult ſententia probabilis. Hinc oritur difficultas; an ſi velint modò per duas vices celebrare in aliquo loco extra deputata, debeant petere facultatẽ ab epiſcopo, qui eam poteſt dare, quod dubium non vidi a Doctoribus conſideratum.

2 Reſpondeo tamen non debere Regulares & cęt. Quia ſicuti per concilium non tollitur hęc facultas epiſcopis, dandi ſcilicet per duas vices licentiam celebrandi, ſic nec tollitur priuilegium Regularibus conceſſum; quo

Digitized by Google

quo poſſunt per duas vices puta eo vti. Ergo ſicuti per illa priuilegia poterant prius celebrare vbicumque vellent, etiam ſine licentia Ordinarij, Sic modo per has duas vices, quia ſi tollitur priuilegium tollitur, quia eſt contrarium Tridentino; Sed in caſu poſito non eſt contrarium, cum Tridentinum tantum velit tollere continuatas licentias, non autem caſuales, & raras; vt ſupponimus eſſe in dubio poſito.

An Epiſcopus viſitare poſſit Regulares, ad videndum, an ſatisfecerint obligationibus Miſſarum. Dub. LXXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Opinio, & rationes, quæ dant facultatem Epiſcopis referuntur.*

2 *Omnino tamen neganda eſt DD. Epiſcopis talis facultas.*

1 Dubium hoc licet multos Doctores reuolnerim non vidi expreſsè, & in terminis tactum, niſi a ſolo Ferro Manrique. 1. *par. quæſtionum Vicarialium quæſt.* 63. *nu.* 6. qui ſic habet. *Quomodocumque tractetur de adimplenda teſtatoris voluntate, tam in Miſſis dicendis, quam in diſtribuendis legatis, ſiue in nominandis pauperibus diſpenſandisuè eleemoſynis, in his omnibus Regulares non eximuntur ab ordinario, imò illius viſitatione, ac iudicio tenentur. Sed in praxi parum viſitantur Miſſæ, quas Regulares ex fundatione Conuentus, ſeu Monaſterij perſoluunt, ſeu quarum ſtipendia vna cum redditibus Conuentuum recuperant, & accipiunt à ſæcularibus perſonis, quibus hac cura ſcilicet Miſſarum dicendarum ſit impoſita, non quia ad illas viſitatio Epiſcopalis excludatur, ſed quia viſitatoribus non habentibus ſæcularibus executoribus, quos ad viſitationem conuocare poſſint de cæteris Regularibus indomitis, & ordinariam iuriſdictionem non curant, aut etiam harum Miſſarum non ſunt participes, aut compotes licet ego memor ſim diligentiam feciſſe contra Regulares prædictos ſuper Miſſis ſibi per defunctos adiunctis, etiam deficientibus ſæcularibus vulgo cumplidores, & rationibus coegi eoſdem regulares vt viſitarentur preut fecerunt. Verum eſt tamen quod dicebant Miſſas cuiuſdam memoriæ, & anniuerſarij non in ſua Eccleſia ia quo caſu nullo modo viſitationem abſque litigio conſentirent.* Ita Manrique, Ferro citatus.

2 Sed contrarium omninò dicendum eſt; nam non ſunt in contrarium plures declarationes S. Congr. apud Barboſ. *de pot. ep. alleg.* 82. *numer.* 32. & praxis etiam. Concilium enim hanc facultatem dat Epiſcopis reſpectu exequutorum piarum voluntatum, vt hæredum; non tamen reſpectu legatariorum, vti ſunt Religioſi in caſu poſito, deinde etiam ſi Regulares eſſent in hoc executores, adhuc in eos nihil Epiſcopus poſſet, vt alibi capit. *quo ad delicta* probamus.

An Epiſcopus poſſit procedere contra Regulares, qui Miſſas celebrant anticipatè pro primo ſtipendium daturo. Dub. XCVI.

SVMMARIVM.

1 *Sunt, qui tribuunt hanc facultatem Epiſcopis, ſed non ſunt ſibi bene cohærentes.*

2 *De-*

2 *Decretum Clementis VIII. adducitur ad verbum, per quod damnatur vſus applicandi Miſſas pro primo ſtipendium daturo.*

3 *Per tale tamen decretum non Epiſcopis, ſed Superioribus Prælatis tribuitur facultas coercendi Regulares ſubditos.*

4 *Authoris ſententia, quæ negat talem poteſtatem Epiſcopis.*

5 *Etiam ſi Epiſcopus ſit delegatus Sedis Apoſtolicæ, non per hoc habet iuriſdictionem in Regulares exemptos, & quare.*

1 Affirmatiue reſpondet Homobonus *par.3. de examine trac.15. ca.9. ſecunda quæſtionis reſolutio,* vbi ponit caſum in terminis: addens benè etiam, & iuridicè potuiſſe Epiſcopum excommunicare, & ſuſpendere a Confeſſionibus Regularem, qui hanc doctrinam ſuſtinebat, & ſeminabat; at circa finem reſolutionis poſtea ſubiungit, non poſſe excommunicare Regularem, qui illam opinionem defendat; licere Sacerdoti, qui Miſſam cum certa eleemoſyna celebrandam ſuſcepit, parte eiuſdem ſibi retenta alteri celebrandam committere, quia licet id iam non liceat per Sacram Congregationem iuſſu Vrbani VIII. attamen non eſt conceſſa Epiſcopis facultas infligendi cenſuras. Ita reſoluit dubium Homobonus. Sed hæc reſolutio aliquas patitur difficultates; nam primo poſſem ego interrogare, & quærere, cur in ſecundo caſu adducto non poteſt excommunicare Epiſcopus; bene tamen in 1.?

Quod ſi dicat, quia in primo caſu per Sacram Congregationem Concilij Tridentini ſub Clemente VIII. datur hæc facultas, quæ declaratio, vt refertur per Ricciùm, & Barboſam eſt tenoris ſequentis.

2 *Superioribus diebus ſignificatum eſt S. D. N. paucis ab hinc annis in Hiſpania nouam conſuetudinem aliquot Theologorum opinione nixam ſenſim receptam in dies magis inualuiſſe, vt Sacerdotes Miſſam celebrantes eius valorem generalem applicent his, qui poſtea Miſſæ celebrationem poſtulaturi, ac pro ea eleemoſynam præbituri ſunt; tametſi antequam Miſſæ ſacrificium peragatur, neque à Sacerdote illud rogaſſent, neque hac de cauſa eleemoſynam præſtitiſſent. Quam rem cum Sanctius ſua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum pro materiæ grauitate examinandā reiciſſet in ipſa Congregatione primum de ea actum fuit diligentiſſimè, ac deinde relatum ad ſanctitatem ſuam, quæ ex eiuſdem Congregationis ſententia huiuſmodi conſuetudinem, tamquam pluribus nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimium abhorrentem explosit, ac improbauit, atque amplitudini tuæ litteras dari, quod facimus mandauit, vt omnes illius Regni Epiſcopis, & Archiepiſcopis in quorum Diœceſibus huiuſmodi applicatio in vſum inducta fuerit, per litteras, aut alias ſcripto iniungunt, vt talem vſum aboleant, ac prohibeant excommunicationis atque alijs, quas opportunas, & neceſſarias exiſtimauerint pœnis. Idemque præcipiant Generalibus, atque capitibus ordinum, quos in iſtis Regnis nunc nouerint commorari, vt ſcilicet, & ipſi Regularibus ſibi ſubditis talibus applicationibus eiuſdem pænis propoſitis interdicant, &c.*

3 Reſpondeo ex hac declaratione, potius oppoſitum haberi, nam non Epi-

Epiſcopis, ſed Generalibus, & capitibus ordinum datur facultas, & imponitur hoc onus, vt tollant a Regularibus ſubditis hunc abuſum, non video ergo, Vnde ex hac declaratione colligat talem ſententiam dictus Homobonus; nec quare procedat diuerſimodè in duobus illis caſibus à ſe propoſitis.

4 Dico ergo: Epiſcopus non poteſt procedere in Regulares, qui delinquunt in Miſſarũ celebratione. Vnde ſi celebrare Miſſas anticipatè ꝓ primo, qui ſtipendium eſt daturus (de qua quæſtione habes apud Dianam noſtrum pro vtraq; parte Doctores, *tract. 14. p. 2. de celebratione Miſſarum, reſolut. 15.*) ſit peccatum, & delictum. Epiſcopi in Regulares non poterunt procedere, nec contrarium ſtatuit, *cap. 8. ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ Concilij Tridentini*, dum habet ibi Conciliũ. *Decernit Sancta Synodus, vt Ordinarij locorum, & Epiſcopi, ea omnia prohibere, atque de medio tollere curent, ac teneantur, quæ vel auaritia Idolorum ſeruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix ſeiuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio veræ pietatis falſa imitatrix induxit.* Sed in caſu poſito videtur auaritia ineſſe, ergo poterunt Epiſcopi, &c.

5 Nam reſpond. licet Epiſcopus illo capite ſit delegatus Sedis Apoſtolicę; attamen non habet iuriſdictionem in exemptos; nam Delegatus tunc habet iuriſdictionem quando ſit de exemptis mentio. Sed in caſu poſito, & alijs ſimilibus nõ ſit mentio de Regularibus exemptis, ergo. Quod autẽ delegatus nõ habeat iuriſdictionem in Regulares exemptos niſi de illis fiat mentio docent plures Doctores apud Sanchez *in opuſcul. libr. 6. cap. 9. dub. 3.* Felinus, Nauarrus, & alij. Vnde in dicto capite Concilij quando voluit Epiſcopos poſſe procedere in Regulares, ſic dum prohibetur, ne extra Eccleſiam fiat ſacrificium Miſſæ Regularibus etiam explicitè ſit talis prohibitio per hæc verba. *Neuè patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tantum cultum dicata oratoria ab eiſdem ordinarijs viſitanda, & deſſignanda Sanctum hoc ſacrificium a ſecularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi*, ergo etiam ſi Epiſcopus ſit delegatus iam non poterit contra Regulares procedere ſi in caſu poſito delinquãt: deinde etiam ſi in exemptos poſſet Epiſcopus procedere in caſu poſito: non tamen in Regulares, qui non veniunt nomine communi exemptorum.

An ſi concedatur priuilegium Epiſcopo, vt reducat onera Miſſarum ſuæ Diæceſis poſſit etiam hoc beneficium, impartiri Regularibus. Dub. XCVII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Epiſcopus tale beneficium etiam Regularibus impartiri.*

2 *Rationes confirmantes hoc ab Epiſcopis fieri poſſe.*

1 Affirmatiuè reſpondeo; & ita reſpondet Bordonus *reſol. 25. de celebratione miſſarum quæres 23.* & probatur quia etiam talia onera commiſſa Regularibus dicuntur onera ſpiritualia Diæceſis Epiſcopi habentis pri-
2 uilegium. Ergo extenditur talis poteſtas

teſtas etiam circa Religioſos. Deinde confirmatur quia ſicut in ſententia multorum Epiſcopus poteſt, vt executor piarum voluntatum procedere circa delinquentes Regulares: tum iure ciuili, tum Canonico, (& tamen hoc reputatur odioſum Regularibus) a fortiori Epiſcopo ſubdentur Regulares, in hoc quod eſt fauorabile ſcilicet in reductione Miſſarum dum habet priuilegium, habes pro confirmatione alium caſum ſimilé de Epiſcopo habente priuilegium alienandi bona eccleſiaſtica ſuæ diæceſis, in quo etiam Regulares de epiſcopi licentia poterunt ſua bona alienare: ſic Bordonus *Reſol.* 27. *q.* 27. ſed de hoc ego alibi in hoc tractatu *Cap. quo ad varia.*

An Regularis qui validè ſuſpenditur ab Epiſcopo incurrat irregularitatem celebrando, ſi appellauit a ſuſpenſione. Dub. LXXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Incidere Regulares in irregularitatem, dum celebrant & cæt. docet communis Doctorum ſententia.*

2 *Executionem excommunicationis non ſuſpendit appellatio.*

3 *Si Regularis fuit interdictus ab Epiſcopo ne in certis, quibuſdam eccleſiis celebraret, ſi celebret in ſententia probabiliori non eſt irregularis, & quare.*

1 IVlius Chartarius habet caſum in terminis in ſuis doctiſſimis *deciſionibus Decis.* 34. & late doćteque ipſum conſiderat. Vndè hic breuiter.

Reſpondeo cum ipſo Chartario incidiſſe talem Religioſum in irregularitatem, celebrando poſt appellationem. Ita magna Doctorum Caterua Diaz. *in pract. crimin. canon. cap.* 2. *num.* 3. *& cap.* 122. *num.* 4. Felyn. *in cap. Apoſtolicæ de Except.* Couaruuias, *in relec. cap. Olim ſi fueriosus* Foller, Nauarrus, Sairus, Valentia. *Tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 18. & alij plures apud dictum Chartarium. Ratio eſt; quia Appellatio in ſuſpenſione non ſuſpendit executionem ſed tantum deuoluit. per caput is. *cui de Sententia excommunicationis in 6.* vbi habetur *ſanè ſicut excommunicatio, ſic ab officio vel ingreſſu eccleſiæ lata ſuſpenſio aut ipſius effectus per appellationem ſequentē minimè ſuſpenduntur* & per hūc textum probant poſitam ſententiam plures Canoniſtæ. Milis, *in ſuo repertorio in verb. Appellatio num.* 27. Abbas *in caput ſæpè num.* 15. *de appellatio.* Ioannes Andreas *in dictum caput num.* 4. & ibi etiam Ioannes Monachus, *n.* 5. Franc. *ibi* §. *Sane* Stephanus Coſt. *ibi num.* 13. Bernard; & Hoſtienſis in Caput *Paſtoralis de Appellationib.* & alij apud eundem Chartarium.

2 Idem dicendum eſt de ſententia excommunicationis, cuius executionem non ſuſpendit appellatio, ſed tantum deuoluit vt habetur clare *per caput citatum* is. *cui* & per *caput Paſtoralis. de Appellationibus*. fauentibus innumeris fere Doctoribus quos ſuis locis citatos videre potes apud Chartarium, *dicta deciſ. num.* 9.

3 Sed dicta Doctrina locum non habet in multis caſibus; quos recenſet Chartarius *loco citato*, & egò hic om-

ommitto, quia directè non faciunt ad noſtram materiam, & hic tantum moueo aliam ſimilem difficultatem, an Regularis qui fuit interdictus validè ab Epiſcopo, ne Miſſam celebraret in certis quibuſdam eccleſiis, ſi poſtea ibi celebret, incurrat irregularitatem.

Affirmatiuè reſpondet Chartarius *decis.* 34. ſed Negatiuè, & melius meo iudicio reſpondet noſter Alphōſus de Leone *de Cenſuris Recoll.* 2. *nu.* 757. & Fundamentum eſt, quia dum poterat ille Regularis in alijs eccleſis celebrare, erat illa ſuſpenſio partialis & conſequenter non habebat rationem veræ cenſuræ, cuius vigore quis contrahere poteſt irregularitatem, ſic etiam dat exemplum hoc confirmans de Confeſſario approbato ad audiendos maſculos tantum, non autem fœminas, qui ſi audit fœminas validè audit, quia illa prohibitio non fuit totalis, ſed tantum partialis, & hanc ſententiam in huius exempli dicit eſſe communem Diana *De Bulla Cruciatæ p. Parte Reſol.* 13. *&* *Parte* 3. *Trac.* 2. *de Dubijs Regul. Reſol.* 93. licet dicat poſtea quando hæc limitatio fit ab epiſcopo ex cauſa rationabili, oppoſitam ſententiam eſſe probabiliorem. Sed in vtroque caſu idem dicendum mihi videtur.

An Epiſcopus poſſit præcipere Regularibus, ne permittant ſacerdotes exteros in ſuis eccleſiis celebrare ſine eiuſdem epiſcopi licentia. Dub. LXXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia, ſed & communis refertur, & adducitur declaratio Sacræ Congregationis circa hoc.*

2 *Præciſa declaratione Sacræ Congregationis, hanc facultatem negat author DD. Epiſcopis, & adducit fundamenta.*

1 Affirmatiuè reſpondent ferè cōmuniter Doctores, vide Barboſam *in Collect. Concil. Seſſ.* 23: *cap.* 17. *de Reformatione*, qui alios citat: vbi etiam teſtatur ſic fuiſſe decíſum in Neapolitana 17. Auguſti 1630. fauet etiam Riccius. *Decis.* 498. *Parte* 4. *Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ*, cuius hic verba afferam nam excepta declaratione, quam omnes ferè Doctores adeſſe teſtantur, non video huius rei rationem: immò ex alijs ſimilibus caſibus oppoſitam potius colligi ſententiam exiſtimo, dicit ergo Riccius ſic. *Cōgregatio Cōcilij cēſuit poſſe, & ità cēſuit curia Archiepiſcopalis poſſe ſcilicet Epiſcopum prohibere Regularibus, ne in eorum eccleſiis, ad celebrādum admmittant exteros Præsbiteros niſi prius viſis litteris dimmiſſorialibus, Epiſcoporum ſeu ordinariorum dictorum Præsbiterorū. Cuius deciſionis, ratio fuit, quia inter cæteros caſus, in quibus Regulares, ſubſunt epiſcopo, eſt quando dicti Regulares habent curam animarum in Eccleſiis curatis Monaſteriorum ſeu domorum tam virorum, quam mulierum, quo ad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem ſubſunt, iuriſdictioni viſitationi, & correctioni Epiſcopi in cuius diœceſi commorantur, vt decidit Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 11. *Rodriquez tom.* 2. *QQ Quæſt.* 63. *art.* 10. excepit tamen idem *concilium in eodem capite ab hac regula, ea que, ſequuntur in hunc modum excepto Mona-*

Monaſterio Cluniacenſis cum ſuis limitibus , & exceptis etiam monaſterijs, ſeu locis in quibus Abbates ; & alij Regularium ſuperiores iuriſdictionẽ Epiſcopalem , & temporalem in Parrochos , & Parrochianos exercent , & cæt. ex quibus verbis duo potiſſimum inferre licet; primum eſt cum Rodriquez tom. 1. qq. quæſt. 36. arti. 4. Quod Regulares ſeruientes beneficia curata ſui ordinis , qui non ſunt ſubiecti Epiſcopis , in quorum diæceſibus extiterint, non debent per Epiſcopos viſitari , ſi tales habuerint Abbates , & Generales vel ſuperiores , qui habent iuriſdictionem ordinariam qualem habet Magiſter de ordine Alcantara , & Magiſtri aliarum Ordinum Militarium . Vnde Epiſcopus non poterit viſitare , nec caſtigare fratrem profeſſum dictorum Ordinum habentem , & ſeruientem beneficio curato , vt eleganter ibi probat Rodriquez. 2. ex eodem capite Concilij infertur Epiſcopum non poſſe viſitare perſonas ſæculares exercentes curam animarũ in Monaſterio vbi reſidet Generalis alicuius Religionis vt tradit Zerola in praxi Epiſcoporum. 2. Parte verb. Viſitatio verſ. 13. & cæt. Videat quæsò lector ſi ex his verbis poſſit percipere rationem , ob quam Regularibus hoc poſſit ab Epiſcopis prohiberi .

2 Dico Ergò præciſa declaratione Sacræ Congregationis nequeunt epiſcopi præcipere Regularibus ne in ſuis eccleſiis admittant ad celebrandum exteros Sacerdotes . Fundamẽtum eſt quia in locis exemptis Regularium nullum habet ius , nullam poteſtatem epiſcopus . Sic ſunt plurima exempla hoc confirmantia , dum antiquitus prohibebatur ſæcularibus ne in eccleſiis Vigiliarum morarētur noctu , vt moris erat , in eccleſiis Regularium non habebat vim obligandi tale ſtatutum. vnde vt referemus alibi , Archiepiſcopus Taurinenſis dum hoc præcepit in ſua Diæceſi; hortatus eſt ſolum Regulares , vt hoc obſeruare facerent in ſuis eccleſijs . Sic dum epiſcopi prohibent, ne in eccleſiis talia inſtrumenta muſicalia adhibeantur, in eccleſis Regularium vim non habet tale ſtatutum . Vndè quærunt Doctores ; an in locis exemptis poſſit Epiſcopus punire ſuos ſubditos delinquentes . & Henricus Botteius . *de Synodo Epiſcopi Tom. 13. Tractatuum*, negatiuè reſpondet , quo ad cenſuras , licet aliqua alia pæna dicat poſſe puniri , ſed de hoc Deo fauente dubium peculiare erit alibi . Vndè concludo præciſa declaratione & cæt ; non poſſe epiſcopum , hoc Regularibus præcipere. Sed verè adeſt tale decretum Sacra Congregationis , nam 2. Iulij 1620. cum a Bononienſibus aliqua dubia mouerentur , inter alia fuit Sacræ Congregatio Concilij Interrogata : ſic *eſſendo publicato vn ordine generale dal Signor Cardinal . Arciueſcouo , che niuno la'ci celebrar meſſa a Preti foraſtieri ſenza prima vedere che ne habbiano hauuta licenza da ſua Signoria Illuſtriſſima o dal ſuo Vicario Generale, ſi ricerca ſe i Frati ſiano tenuti ad oſſeruarlo* fuit reſponſum. *Ad 12. non licere Regularibus in ſuis eccleſis , ad celebrandum admittere Præsbiteros ſæculares contra prohibitionem Illuſtriſſimi Archiepiſcopi* , adducunt multi Doctores hanc declarationem,

Digitized by Google

ſed vide Peirinum *ad conſtitutionem Pij V. 7. num. 1*

An Regularis qui duas miſſas celebrat ſingulis diebus poſſit ab Epiſcopo puniri. Dub. C.

SVMMARIVM.

1 *Celebrare duas miſſas eadem die non eſt caſus regulariter loquendo ſpectans ad Tribunal Santæ Inquiſitionis.*

2 *Epiſcopus ex vi Concilij Tridentini poteſt fortè in Regulares duas miſſas celebrantes procedere.*

1 Dubium habet Iulius Chartarius *Dacif. 26.* qui tamen quærit non de Regulari Sacerdote ſed de omnibus; an ſcilicet Sacerdotes bis in vno die celebrantes poſſint puniri ab Inquiſitore. Ego hic pono caſũ in Regulari,& Epiſcopum conſidero.

Dico Ergo primo Regularis, ille, qui bis, celebrauit vna die: non cõmiſit crimen ſpectans ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis,& conſequenter quo ad hoc non poteſt ab Epiſcopo puniri, vt a coniudice Inquiſitionis. Epiſcopus enim ſimul cum Inquiſitore procedere ſolet in cauſis ſpectãtibus ad Sanctum illud tribunal. vt docent, communiter doctores, & nos alibi aliquid circa hoc dicemus, probatur autem dictum.quia adhuc hoc crimen non ſapit hęreſim, nec externè quis, ob hoc cenſeretur hæreticus; ſicuti, nec vſurarius nec formicarius, & ſimiles licet peccent, cęnſentur hęretici.

2 Dico ſecundo ex alio capite ſcilicet ex vi Concilii de obſeruan. & euitandis in celebratione Miſſarum fortè poſſunt Epiſcopi procedere in Regulares celebrantes eadem die duas Miſſas: Concilium enim *ſeſſ. 22. cap. 8. de Sacrificio Miſſæ.* Epiſcopis dat facultatem, vt ab omnibus decenter miſſas celebrari curent; ſine irreuerentia, & ſcandalo, Ergo & cæt.

Si vis videre qua pæna afficiendi ſint celebrantes eadem die plures Miſſas vide Genuenſem *in ſua praxi cap. 79.* Audio tamen multis in locis hoc crimen ſpectare ad Inquiſitionem.

Quomodo Epiſcopus debet admittere Regulares itinerantes qui volunt celebrare Miſſas. Dub. CI.

SVMMARIVM.

1 *Debent oſtendere literras teſtimoniales ſuorum ſuperiorum.*

2 *Arguit Venerus Leyua, vt ſibi non cohærens.*

1 Docet modum optimus Epiſcopus Venerus Leyua in *ſuo examine libr. 6. capit. 14. numero 26.* per hæc verba, *ſi ſint itinerantes debent demonſtrare literas dimmiſſoriales ſuorũ ſuperiorum in ſcriptis, & eas debent portare ſcriptas, vt tales Regulares ante iudicem ordinarium conueniant, vt ille conſideratis dictis litteris, & tempore quo vagantur poſſint dare illius, vel negare licentiam vel incarcerare, aut mittere ad ſuum ſuperiorem, ne detur occaſio Apoſtatis; ſi verò dictæ litteræ ſint fideles*

les

les, non erit neceſſarium inſpicere titulum ſuæ ordinationis: hoc enim in conſcientia ſuperioris relinquitur. Hoc habet dictus Leyua, quod non video beuè quomodo concordet cum eo quod eodem *capite num.* 15. docet, dum de litteris teſtimonialibus, quas afferre debent Epiſcopo, dum ordinantur Regulares, tractat; nam ibi nullam fidem dicit adhibendam talibus literis, & modo pro celebratione, ſufficientes dicit eſſe tales litteras, nec requiri fidem ordinationis, & tamen maiora inconuenientia ſolent ſequi ex hoc & maiores falſitates quam in ordinationibus.

An Regulares ſubiiciantur Epiſcopo quo ad Miſſarum celebrationem in his omnibus, quæ habentur in Concilio Tridentin, *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de Sacrificio Miſſæ*. Dub. CII.

SVMMARIVM.

1 *Cum multa ibi præcipiantur, multa etiam dubia occurrere poſſunt.*

2 *An Regulares teneantur ſtare taxæ factæ, ab Epiſcopo pro ſtipendio Miſſarum controuerſum eſt apud Doctores.*

3 *Regulares, dum ſtipendia pro miſſis ſunt iuſtè taxata, nequeunt plus exigere.*

4 *Non obligantur tamen Regulares ad ſeruandam talem taxam ex vi ſtatuti Synodalis.*

5 *In quo caſu ſubdat Epiſcopis Regulares Trident.* ſeſſ. 22. cap. 8. de Sacrificio & cæt.

6 *Etiam ſi exempti ſubdantur Epiſcopis, non per hoc Regulares.*

7 *Non tenet ſtatutum (ſi quod ſit) Synodale, per quod habetur ne Sacerdotes recipiant maius ſtipendium, ac ſit taxa præſcriptum, etiam a ſponte dantibus.*

8 *Epiſcopi non poſſunt obligare ſacerdotes, ne minus recipiant, ac ſit taxatum ſtipendium.*

9 *Regulares non poſſunt obligari ab Epiſcopis, ad hoc vt tali tantum hora celebrent.*

10 *Nec inter miſſarum ſolemnia prohibitum eſt eis vertere ſe ad populum, & in medio altaris recipere eleemoſinas.*

11 *In pulſatione campanarum non dependent ab Epiſcopo Regulares.*

12 *Si per totum annum Regularis celebrare nolit, non poteſt cogi ab Epiſcopo.*

13 *Regulares tenentur in Canone Miſſæ nominare Epiſcopum, & non poſſunt eius loco nominare proprium Generalem.*

14 *Regulares non tenentur mutare ſuum ritum dum ſunt feſta ab Epiſcopis præcepta.*

15 *Miſſas celebrare nequeunt Regulares hora veſpertina, & quomodo ſi contrauenìant ſubdantur Epiſcopis.*

1 MVlta ibi præcipiuntur ordinarijs; quæ debemus cõſiderare, nam magna videtur tributa facultas Epiſcopis in Regulares, & practicabiles adeo ſunt caſus circa tale decretũ occurrentes, ſigillatim ergo illos expendam.

Dubitare ergo p. quis poſſet; an Regulares teneantur ſtare taxæ factæ ab epiſcopo circa ſtipendium Miſſæ; ita, vt nequeant exigere, & petere maius ſtipendium quam ſit taxa præſcriptum ab epiſcopo.

tur Regulares tali ſtatuto non ſolum ex iure naturali, & cæt. ſed coactiuè.

5 Reſpondeo in illo loco Concilii tantum in vno ſubdi regulares Epiſcopo, & hoc eſt, quod non poſſint extra eccleſiam in priuatis domibus celebrare, & ratio eſt quia in hoc ſolum exprimuntur Regulares, per hæc verba. *Neuè patiantur priuatis in domibus, atquè omnino extrà eccleſiam & ad Diuinum cultum dedicata oratoria ab eiſdem ordinarijs deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium a ſæcularibus, aut regularibus quibuſcunque peragi*, in aliis autem ibi decretis non exprimũtur Regulares.

6 Quod ſi inſtes, in fine dicti Capitis habetur. *Hæc omnia quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum ordinarijs proponuntur, vt non ſolum ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, vt delegati Sedis Apoſtolicæ prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuent, & cæt. non obſtantibus priuilegijs, exemptionibus & cæt.* Ergo ad hæc omnia poteſt obligare Regulares, ſuis ſtatutis. Reſpondeo p. Ibi haberi nomen Ordinarii (quod ſæpius in hoc opere dicimus) commune eſt etiam Ordinariis, & Prælatis Religionum. Sed dato (vt verè puto intelligi per ordinarium illo loco, Epiſcopum, & alium quaſi Epiſcopalem iuriſdictionẽ habentem) adhuc reſpondeo, per dictum textum epiſcòpos habere facultatem cogendi exemptos ad obſeruantiam contentorum in eo, non autem exemptos Regulares, qui facilè habent ſuperiorem, a quo poſſint cogi ad talia ſeruanda.

7 Dico tertio ſtatutum epiſcopi, ſeù Synodi Epiſcopalis, quo prohibetur, ne recipiant Sacerdotes maius ſtipendium, ac ſit taxa preſcriptum, etiã a dantibus ſponte abſque eo quod exigant talè ſtipendium, non tenet. Ità Suarez, citato loco, & Homobonus contra aliquos, qui putant non licere plus reciperè, ac pretium taxatum; quia aliud eſt ex iuſtitia exigere, aliud recipere, quod donatur: lex iuſtitię autem non prohibet, quod virtus liberalitatis, aut eleemoſynę exerceatur: nec hoc prohibere poteſt regulariter loquendo: Nec po-

6 terunt etiam obligare, Epiſcopi Regulares, & alios Sacerdotes ne minus recipiant; ac ſit taxatum ſtipendium; quia ſicut non poſſet impedire, ne gratis quis celebret, ſic nec quod quis pro minori ſtipendio celebret, poſſet tamen Epiſcopus obligare laicos ne minori ſtipendio obligent Sacerdotes celebrare, Ita Corduba *lib. 1. quæſtionum quæſt.* 4. apud Suarez. loco ſuprà; & ſcias hic circa poteſtatem Epiſcopi quo ad Regulares in Miſſarum celebratione.

9 Primo non poſſe Epiſcopum cogere Regulares, vt teneantur tali determinata horà celebrare (puta antequam aer incipiat illuſtrari vel poſt aliquod tempus a meridie) nam per Antoninum Dianam, *tract. de Celebratione Miſſar. reſolut.* 33. nec per hunc locum Tridentini abrogata ſunt priuilegia Regularium, quæ habent circa hoc: & ſic certiſſimum eſt non poſſe ab epiſcopo obligari Regulares quo ad horam celebrandi.

10 Secundo nec eſſe prohibitum Regularibus inter Miſſarum ſolemnia vertere ſe ad populum, & in mediõ Altaris ſiſtendo eleemoſynas, & oblationes recipere: non autem eis licere circumire eccleſiam, & ab al-

tari diſcedere. Ita ex Aldano Barboſa in citatum locum Concilij *num.* 34. & Lezana refert declarationem Sacrę Cõgregationis in vna Bononienſi 2. Iulij 1620. *in Summ.* 1. *tom cap.* 9. *num.*45. *& cap.*12. *num.*41.

11 Tertio nec poſſe Epiſcopum ex vi huius capitis Tridentini prohibere Regularibus, ne in ſuis eccleſijs pulſent proprias campanas ante pulſationem campanæ in eccleſia Parocchiali. Ita ex Aldano Barboſa in citatum locum *num.*35.

12 Quarto nec poſſe epiſcopum procedere in Regularem, qui nollet per totum annum celebrare ob prauam ſui diſpoſitionem, licet videatur primo aſpectu hanc facultatem tribui à Tridentino *ſeſſ.*23. *de reformatione cap.* 14. *in fine*, & ratio eſt, quia ibi nulla fit mentio Regularium.

13 Aduerte hic obiter Regulares teneri in Canone Miſſæ nominare epiſcopũ diæceſis, in qua celebrant, nec poſſe ſuos Prælatos puta Generalem nominare. Ita refert deciſum Hieronymus Rodriquez *in cõpendio qq. Regularium*, *reſol.*25. *nu.*24. Vide Dianã *in Sum. verb. celebrare Miſſam*, vbi dicit Regulares peccare mortaliter ſi nomen Generalis, loco epiſcopi ponãt.

14 Inſuper nec tenentur Regulares, quo ad Miſſas feſtorum, quæ epiſcopus in ſua diæceſi præcipit, mutare ſuum ritum. Quia hoc declarauit Sacra Congregatio teſte Peyrino *tom.* 1. *conſtit.*27. *Leonis X.* licet ſe debeant conformare poſtea quo ad conciones, & lectiones habendas Euangelijs, & Epiſtolis quibus vtitur clerus. Vide Dianam *part.*3. *trac.*3. *reſol* 108. & *in Summa verb. Epiſcopi iuriſdictio in Regulares num.*9.

15 Quinto poſſe Epiſcopum imponere pænas Regularibus ſi celebrare vellent hora veſpertina miſſas in aliqua ſolemnitate: patet hoc per conſtitutionem Pij V. quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater* æditam 1560. vbi ſic habetur §. 2. *Hac perpetuo valitura conſtitutione quibuſuis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, alijſque Superioribus, & perſonis earumdem Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Domorum, & aliorum piorum locorum in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub indignationis ſuæ, ac perpetuæ ſuſpenſionis a Diuinis pæna diſtrictius inhibens, ne deinceps Miſſas veſpertino tempore huiuſmodi licentiarum & facultatum aut alio quouis prætextu celebrare, vel celebrari facere præſumant ac mandans locorum ordinarijs, vt eandem præſentem conſtitutionem ſub prædictis, & alijs ſibi benè viſis pænis per quoſcumque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & perſonas huiuſmodi inuiolabiliter obſeruari faciant.*

An Regulares poſſint in oratorijs priuatis alicuius domus celebrare ſolum cum licentia ſuorum Prælatorum, non requiſita licentia Parrochi. Dub. CIII.

SVMMARIVM.

1 *Non requiritur licentia Parrochi, ad hoc, vt Regulares celebrare poſſint in dictis oratorijs, & cæt.*

2 *Licet Epiſcopus, & ordinarius hanc facultatem requireret non requirenda eſt a Regularibus Parrochi licentia, ob eorum priuilegia.*

1 EX dictis ſupra hæc difficultas poſset reſoluta iudicari, quia tamen

men nouiſſimè eam adducit, & reſoluit Moronus *in ſuis reſponſis reſponſ. 99.* hic clarius quid dicendum exponam.

Dico ergo cum dicto doctore poſſunt Regulares omnes Sacerdotes alioquin idonei de ſola ſuorum Prælatorum licentia nulla alterius requiſita in dictis oratorijs celebrare. Probatur manifeſtè tum ex conceſſione Snmmi Pontificis, tum ex tenore approbationis loci, quam ordinarius ſolet conficere, & in ſcriptis tradere. Summus Pontifex habet ſacrificium fieri poſſe per quemcumque Sacerdotem (ſi ſæcularis ſit) ab eodem ordinario approbatum (ſi Regularis) de ſuorum ſuperiorum licentia. Ordinarius autem per quemcumque Sacerdotem a nobis ſeu a noſtro Vicario approbatum; vel de Superiorum ſuorum licentia ſi ſit Regularis. Ergo cum nulla in tali conceſſione mentio fiat Parrochi, nec dicendum eſt requiri, quod maximè verum eſt, quando nullo iure contrarium ſtatutum eſt.

2 Sed dato quod Epiſcopus, & Ordinarius hanc licentiam Parrochi requireret adhuc nihil obſtaret nam ampliſſima habent Regulares priuilegia quo ad hoc, quæ ab ordinario irritari nequeunt, illa latè adducit dictus Moronus. Præcipuè adducit quamdam conſtitutionem Clementis VII. per quam dat facultatem certis nobilibus Venetis, vt in ſuis priuatis oratorijs approbatis ab ordinario, & cæt. poſſent facere miſſas celebrare, per quoſcumque Sacerdotes ſæculares, etiam ſi facultatem non haberent ab ordinarijs: per extenſum refert conſtitutionem citatus Moronus, ex qua patet tunc temporis Regulares potuiſſe, & ſolitos fuiſſe celebrare in talibus oratorijs Miſſas etiam ſine facultate Parrochorum, 2. Patriarchã Venetum inhibuiſſe ſæcularibus non autem Regularibus, ergò a iqua maior ratio erat de Regularibus, quæ certè eſſe debuit; quia non poterat hoc prohibere 3. colligitur hoc decretum emanaſſe non quod ius aliquod prætenderent Parrochi contra Regulares, non enim ſupplicant contra ipſos. Alia plura habes circa hanc materiam, & præſentem difficultatem apud relatum Moronum *dicto reſponſ.99.* Vbi etiam latè, & doctè tradit poſſe ab eiſdem Regularibus in dictis priuatis oratorijs Euchariſtiam miniſtrari. Vide ipſum, ſi copioſam doctrinam circa hoc videre cupis, hic enim nos breuitati ſtudemus.

QVO AD SACRAMENTORVM adminiſtrationem. Cap. VI.

An Regulares à ſolo Epiſcopo poſſint ad confeſſiones approbari. Dub. CIV.

SVMMARIVM.

1 *Deciſio Rotæ Romanæ adducitur, per quam videtur ſolis Epiſcopis tributa facultas approbandi ad confeſſiones.*

2 *Poſſunt Prælati exempti, qui nullius Diæceſis ſunt, & habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, &c. approbare ad confeſſiones.*

3 *Per declarationem Sacræ Congregationis ſolum hi Prælati excludun-*

tur, qui non ſunt Epiſcopi in iuriſdictione, & immediatè ſunt Epiſcopis ſubiecti.

4 *Cum Abbates, & ſimiles habent iuriſdictionem priuatiuè ad Epiſcopum nullum actum iuriſdictionis poteſt Epiſcopus in eorum diſtrictu exercere.*

5 *Epiſcopus, etiam non conſecratus approbare poteſt ad Confeſſiones.*

1 DVBIVM eſt etiam de alijs Sacerdotibus cõfeſſoribus, etiam ſi Regulares non ſint; Sed quia adeſt in hoc *deciſio Rotæ* apud Farinacium 1. *par. deciſ.* 332. quæ aliquam facere poteſt difficultatem, hic inſerere volui illud; habe tamen prius ad verbum dictam deciſionem, quæ talis eſt.

Strictè propoſito dubio, an Epiſcopus Caliguritanus ſit manutenendus in approbandis Confeſſarijs Eccleſiarum Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis oppidi de Nagera, in quarum Eccleſiarum Clericos, & Cappellanos Abbati Sanctæ Mariæ ordinis Sancti Benedicti competit iuriſdictio priuatiuè, DD. pro Epiſcopo Reſponderunt, nam decretum Concilij Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de reform. diſponit, quod nemo admitti poſſit ad Confeſſiones ſæcularium audiendas niſi approbatus ab Epiſcopo. Ita quod aſſiſtentia iuris eſt clara, propter quam datur manutentio abſque alia probatione poſſeſſionis, vt in caput cum perſonæ de priuilegijs in 6.

Non obſtant in contrarium adducta, quod enim attinet ad immemorabilem; Illa non eſt probata, & probata non releuat, vtpotè ſublata per Concilium, quod Abbas ſit nullius diœceſis, ideoque ipſe poſſit ſuos Clericos, & Cappellanos ad audiendas confeſſiones approbare fuit deciſum 4. Iulij 1603. & 16. Iunij 1604. coram R. D. Pegna, & 26. Iunij eiuſdem anni, & nouiſſimè 5. Maij 1608. coram me, Monaſterium eſſe in, & de diœceſi Caliguritana. Hinc eſt quod iam ante aliquot annos Illuſtriſs. Congreg. S. Concilij Tridentini interpretum reſpondit eos, qui approbandi ſunt ad Confeſſiones audiendas in Eccleſijs Abbati ſubiectis ab ipſo Abbate offerri debere Epiſcopo, & cum præſuppoſito, quod Abbas habeat iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem priuatiuè ad Epiſcopum.

Nec facit, quod donec Abbas probare poſſit quod habeat quaſi territorium ſeparatum non debeat ſua quaſi poſſeſſione priuari, vt in Conchenſ. iuriſdictionis 4. Decembris 1592. coram Cardinali Mantica, quia loquitur in caſu ſpecialiter præſeruato a Concilio, & in quo ius commune non refragabatur, ſed potius ſuffragabatur, vt in ea dicitur.

Hic autem ius refragatur, tam quo ad approbationem Confeſſariorum, quam ad ſtatum nullius diœceſis. Vltra quod mens, & verba Concilij ſtant pro Epiſcopo, qua ratione Illuſtriſſima Congregatio S. Concilij Interpretum in cauſis matrimonialibus, & criminalibus, in quibus Concilium non ſuſtulit immemorabile declarauit Epiſcopum manutenendum eſſe in earum cognitione, donec per tres conformes inferior immemorabilem probet, & ſecuta eſt Rota in Barenſi iuriſdictionis 18. Maij 1609. coram R. P. D. meo Coccino.

Poſtremo, quod attinet ad ſententiam arbitralem Roberti à Sede Apoſtolica confirmatam in ea nullum legitur verbum de approbatione Confeſſariorum, eadem loquitur de iuriſdictione competenti Ab-

bati

bati poteſt intelligi de iuriſdictione contentioſa non de voluntaria, non poteſt fieri illatio de exemptione Clericorum ad exemptionem loci præſertim cum verba ſententiæ ſint ſtricti iuris, nec debeant plus operari, quam de neceſſitate important, vt in terminis iſtius ſententiæ fuit dictum in hac cauſa 12. Ianuarij 1609. coram me.

Habes deciſionem Rotæ, ex qua videtur dicendum nullum Prælatum inferiorem, etiam ſi iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeat poſſe approbare ad Confeſſiones, ſed hoc non obſtante.

2 Dico: Prælati exempti, qui nullius diæceſis ſunt, & habent iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem bene poſſunt ad confeſſiones approbare Sacerdotes omnes, qui in ſuo territorio ſunt. Ita Campanalis, Fagundez, Suarez, Daluin. Machado; Aloyſius Riccius, & alij apud Barboſam *in cap. Concilij* 15. *ſeſſ.* 23. *de reformat.* & doctè idem ſuſtinet Boſſius, *de triplici Iubilæi priuilegio ſec.3.caſ.2.num.*62. Tum quia vſus, & praxis hoc ſeruat, & ſic, vt teſtantur Suarez, & Campanilis in multis Hiſpaniæ locis Abbates, ſeu Prælati non Epiſcopi habentes in ſuas oues iuriſdictionem Epiſcopalem priuatiuè ad Epiſcopum, ſolent ad cõfeſſiones approbare; & idem ſeruatur in pluribus Italiæ locis. Secundo, quia approbare ad confeſſiones non eſt actus ordinis, ſed iuriſdictionis. Iſti autem Prelati habent iuriſdictionem. ergò,

3 Quod ſi obijciatur dæciſio Sacræ Congregationis relata ab Armerandiz teſte Boſſio *loco ſupra num.* 55. in qua dicitur, approbare confeſſarios eſſe proprium munus Epiſcopi. Reſpondetur per illã dæciſionem non excludi omnes, qui non ſunt Epiſcopi, nam ſic excluderetur etiam Capitulum ſede vacante quod falſum eſt, ſed tantum hi Prælati, qui non ſunt Epiſcopi in iuriſdictione, vt ſunt Prelati inferiores immediatè Epiſcopis ſubiecti.

4 Et aduerte hic non approbari doctrinam Henriquez *lib.6. cap. 6. §. 1. in fine,* poſſe epiſcopum in Abbatis ſufraganei diſtrictu approbare confeſſores ad Confeſſiones, & ad conciones, ſicuti ibi poteſt miniſtrare ſacramentum Confirmationis, & Ordinis: nam, vt optimè dicit Boſſius cum Abbates, & ſimiles habent iuriſdictionẽ priuatiuè ad Epiſcopum nullum actũ iuriſdictionis poteſt in eorum diſtrictũ ſine eorum licentia Epiſcopus exercere; & hoc latè probat Aloiſius Riccius *in praxi aurearum Reſolutionum reſolut.* 3001. *tom.* 2.

5 Nota tamen poſſe Epiſcopum etiã non conſecratum approbare ad confeſſiones dummodo ſit confirmatus, nam quod ſit electus non ſufficit. Ità Boſſius *de triplici Iubilæi priuilegio, ſeg. 3.caſ.2.§.3.num.* 59. qui multos alios citat, tradens etiam, qui ſint Prælati, valentes ad confeſſiones.

An liberum ſit Epiſcopo ſine examine approbare ad Confeſſiones Regulares, & alios. Dub. CV.

SVMMARIVM.

1 *Sine examine poteſt Epiſcopus approbare confeſſores Regulares.*
2 *Epiſcopi arbitrio relinquitur, quod faciat*

ciat denunciationes in Matrimonio.

3 *Congrua ſuſtentatio Clerici determinā-da ab Epiſcopo.*

4 *Etiamſi deberet Epiſcopus examinare, quo ad Ordines Regulares, non tamen teneretur examinare, quo ad Confeſſiones, & ratio diſcriminis.*

Affirmatiuè Reſpondeo. Ità Homobonus *de caſibus Moralis Theologiæ arbitrarijs quæſt. 2.* & alij plures apud ipsū. Riccius *in praxi variarū Reſolutio. Reſol. 21.* Barboſa *de Clauſulis Clauſula* 151. & Ratio eſt quia Cōcilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione* requirit talem approbationem, qua Sacerdos ab Epiſcopo eius arbitrio idoneus iudicetur, vt in hoc caſu alias circà validitatem Sacramenti Pęnitentiæ multis ſcrupulis in vtroque foro via aperiretur; cum in ipſa approbatione deceptio contingat, eſt tamen verum, Epiſcopum debere recto iudicio procedere, non ſolum interius eum habilem tanto oneri exiſtimando; verum etiam exterius approbando, & idem dicit dictus Homobonus *de denuntiationibus quo ad Matrimonium*, vt ſcilicet earum ommiſſio Epiſcopi arbitrio relinquatur, modò etiam hoc negotiū prudentia, & recto iudicio geratur; committitur tamen peccatum mortale quando ſinè legitima cauſa ommittuntur: vt tradit Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi Parte 2. Allegat. 32. num. 2.* Idem quoque dicit, de diſpenſatione quo ad interſtia pro minoribus Ordinibus; ſecus de maioribus; nam tunc debet adeſſe rationabilis cauſa cum iudicio ipſiuſmet Ordinarij diſpenſantis. Idem de congrua ſuſtentatione determinanda quo ad Patri-

3 monium, quod etiam relinquitur iudicio epiſcopi, & Fundamentum eſt, quia ea relinquuntur arbitrio, quæ in iure non ſunt expreſſa, attamen arbitrium debet eſſe rationabile: affert etiam alios caſus dictus Homobonus *loco ſupra* vide ipſum.

4 Nec valet dicere in ſententia probabili aliquorum, inter quos eſt Venerus Leyua *lib. 6. cap. 14. num. 25.* non poteſt Epiſcopus ſine examine admittere ad ordines; ergo nec ad confeſſiones; nam reſpondeo eſſe diſcrimen (dato etiam, quod neceſſario debeat Epiſcopus examinare ad ordines, (quod ego alibi non admiſi) Reſpondeo inquam eſſe diſcrimen; quia quo ad Ordines ſunt verba præceptiua; ibi enim dicitur. *Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine Epiſcopi diligenti examine ordinentur priuilegiis quibuſcunque, quo ad hoc, pænitus excluſis*, quæ verba præceptiua non habentur dum de approbatione ad confeſſiones ab Epiſcopo danda agitur; talia enim ibi habes: *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parocchiale beneficiū, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, &c.* Vides ergo diſcrimen inter vnam approbationem ad ordine, & aliam ad confeſſiones.

An Regulares audire poſsint in confeſsione peccata venialia ſine approbatione Epiſcopi. Dub. CVI

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia ſunt materia apta ad Sa-*

Sacramentum Pænitentiæ, licet non neceſſaria.

2 *Iuriſdictio abſoluendi à peccatis venialibus non datur Sacerdoti ab Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice.*

1 DVbium etiam hoc commune eſt pro omnibus confeſſoribus tam Regularibus, quam ſecularibus, & in terminis habet illud Horatius Gambarupta *de caſibus reſeruatis caſu* 12. *in finem, &*

Negatiuè ipſe reſpondet; Quia licet non teneamur confiteri venialia, tamen cõfitendo illa ſunt materia apta ad Sacramentum Pænitentiæ,& ad recipiendam formam: fauent etiam huic ſententiæ Caietanus *in opuſc. tom.* 1. *tract.* 17. *de Confeſſionibus*, *q.*2. Angles *in* 4. *de Confeſſor. art.*4. & communem Catholicorum appellat Nauarrus *in manuali cap* 21. *num.*8.& videtur fauere Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. *& cum* 7. ſed

2 Affirmatiuè reſpondet Eminentiſſimus Ioannes de Lugo, *diſput.* 18. *de pænit. ſect.* 3. dum docet hanc iuriſdictionem non dari Sacerdoti ab Epiſcopo, ſed à Summo Pontifice, & ſic dicit. *Ergo ſolum habet iuriſdictionem delegatam ab eo, qui habet ordinariam nempè à Summo Pontifice, qui eam poteſt pro libito validè auferre.* huic ſententię ego magis adhæreo: nolo tamen in hoc dubio multum immorari, quia non proprium noſtræ materiæ eſt. Videat Lector citatum de Lugo.

An ſaltem Prælati Regulares poſſint audire confeſsiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi.

Dub. CVII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones contrariæ circa hoc referuntur.*

2 *Prælati Regulares nequeunt audire confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi.*

3 *Si Prælati Regulares non comprehenderentur à Concilio regulariter loquendo multa ſequerentur inconuenientia.*

4 *Epiſcopus extra propriam diæceſim ſine facultate Diæceſani nequit audire confeſſiones.*

5 *Fundamenta contrariæ ſententiæ euertuntur.*

AFfirmatiuè reſpondent Henriquez *lib.*7. *de indulgentijs cap.*12. *nu.*3. qui pro ſe alios refert. Martinum, Gallum, Medinam, Bannes, hanc ſententiam defendit etiam Valerus *in different. vnuſquiſque fori verb. nullitas diff.* 5. *num.*3. qui adeo abſolutè eſt in hac opinione, vt mihi eius verba placeat referre, dicit ergo ſic. *Quinto fallit Regula dicti cap. in Prælatis Religionum, vt ſunt Priores, Guardiani, Miniſtri, & ſimiles: hi enim licet non habeant approbationem, & licentiam ab Epiſcopis poſſunt nihilominus audire confeſſiones ſæcularium. Ita poſt Martinum, Gallum, Medinam Bañes tenet Henriquez, & ſecutus eſt Pater Salas in quadam lectione, quo ad habentes Bullam Cruciatæ. Ratio eſt, quia quãuis ſtrictè non habeant beneficium Parochiale*

*chiale largo tamen modo dicuntur ipſum habere, quia habent curam animarum, & ſunt communiter probatiores, & digniores tam litteris, quam moribus, quam plerique ex ſaecularibus habentibus curata; & conſequenter per eos ſatisfit menti Concilij, & ita tenendum eſt, quidquid dicat Suarez tom.4. ad 3. partem D. Thomæ diſput.*28.

Negatiuè tamen alij ferè communiter Doctores reſpondent. Ita præcipuè Eminentiſs. de Lugo *diſput.*21. *ſec.*1. *num.*9. cuius hic verba referam *contraria ſententia communis eſt, & vera quam docet Suarez, & cæt. quia talis prælatura non eſt proprie beneficium, nec id erat iuxtà mentem Concilij, quod clarè voluit ſubijcere Epiſcopis Confeſſarios Regulares, quo ad examen & approbationẽ, & quidem quando eligitur Prælatus Regularis non multũ attenditur ſemper ad eius doctrinam, vt ideo approbatus cenſendus ſit ad Confeſſiones audiendas* Sed hanc ſententiam multis rationibus ex profeſſo ampleċtitur FerroManrique .2. *qq. Vicarialium quæſt.*118.

2 Dico ergò nequeunt Prælati Regulares audire Confeſſiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi. Probatur. Primo, quia concilium nullum ponit diſcrimen Inter Prælatos, & alios Regulares, ergo cum lex nõ diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus, & qui ſe fundat in limitatione, eam debet probare, vt tradit *rota per Seraphinum deciſ.*416. *num.*9. hoc eſt fundamentum poſitiuum huius
3 ſententiæ, quo vtitur dictus Manriquez. Secundo, etiam Prælati Regulares comprehenduntur a Concilio; nam ſi non comprehenderentur, multis in locis, vbi Concilium agit de Regularibus, & eos ſubdit Epiſcopo, Prælati Regulares non includerentur; cum ſemper in decretis Concilij habeatur ſolum. *Nullus Regularis & cæt.* quo tamen nihil dici poteſt
4 abſurdius. Tertio a pari Epiſcopus extrà propriam diæceſim ſine licentia ordinarij loci nequit audire confeſſiones non ſubditorum; vt inter alios docet Mauritius de Alzedo de *Præcellentia Epiſcopalis dignitatis capit.* 13. *de celebratione Miſſarum numer.*95. & tradunt etiam Ancharanus *in Clement. quamuis de foro competenti num.*1. Carolus Ruinus *conſ.*155 *num.*9 Stephanus Gratianus *diſcept. ferenſ. tom.*2. *cap.*298. *num.*90. & 38. ergo idem a fortiori dicendum eſt de Prælatis Regularibus, vt patet conſideranti.

5 Nec rationes, & Fundamenta Valeri vim aliquam habent ad primum, Prælatos quidem poſſe dici Parrochos, ſed reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem ſæcularium, poterunt ergo confeſſiones ſuorum ſubditorum audire ſine approbatione non autem ſæcularium.

Ad ſecundum, vbi dicebat Valerus Prælati Regulares ſolent eſſe litteris, & moribus alijs ſæcularibus etiam curam animarum habentibus probatiores. Ergò ſicuti iſti ſine approbatione, & cæt. ſic, & Prælati Regulares:

Reſpondet Manriquez, ſæcularium Clericorum, vt Clericus, eximius defenſor, ſic: *ex parte curatorũ ipſos litteris, & moribus adeo fulgere reſpondemus, & tot examinibus, & viſitationibus adeò purgatos apparere, vt nulla alia iuſtificatione indigeant præter aliquos diſcolos, non enim totum corpus ſano ſanguine conſtat. Sed Prælati non per oppoſitionem, & purgationem litterarum, & morum Prælatu-*

ras

ras adipiſcunt, quomodo ergo comparari cum illis poſſunt. Nec omnes Prælati Regulares ſunt immunes, aliquos videmus nec moribus, aut litteris integros, ſed maculatos: nam cum eorum electio frequēter per carnis, aut amicitiæ factionem facta ſit, hinc eſt, quod electi plerumque non tam apti ad electionem, quam ad eligentes appareant, vt quid Valerius de Curatis honeſtè non eſt locutus. Vide quanto verborum apparatu Clericus in Prælatos Regulares inſurgat, dum poſſet breuiter roprobare ſententiam Valeri, qui modeſtè ſemper, vt ſolet eſt in hac re locutus, ſed ne mireris, nam Manrique talis naturæ auctor eſt, vt nemini parcat, omneſque contemnat. Sed quidquid ſit an Prælati digniores ſint curatis, non per hoc arguitur benè, & colligitur poſſe ſine approbatione audire ſæcularium Confeſſiones: nam adhuc curati non ſunt, ſed nomine Regularium veniunt.

An Epiſcopus ſine aliqua cauſa poſſit approbare Regulares pro confeſſionibus ad tempus, eoſque ad libitum reprobare.
Dub. CVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non ſunt adducendæ pro reſolutione huius dubij declarationes Sacræ Congregationis, nam ſunt pro vtraque parte.*
2 *Epiſcopi nequeunt ſine cauſa approbare ad tempus Regulares pro confeſſionibus.*
3 *Quid addidit Tridentin. Clementinæ.* Dudum de Sepulturis.
4 *Præſentatio, quam requirit Clementin.* Dudum *non eſt perpetua, & irreuocabilis.*
5 *Non ſunt in omnibus Parrochis æquales Regulares.*
6 *Priuilegia, quibus fruitur accipiens Bullam Cruciatæ ſunt illa, quæ ſunt in Bulla traducta idiomate Hiſpano, & ſunt priuilegia pænitentium, non autem Confeſſorum.*
7 *Priuilegium inſertum in corpore iuris, etiam ſine clauſula derogatoria, per contrariam legem derogatur.*
8 *Auctoris ratio.*
9 *Quare approbatio Epiſcopi debeat dici irreuocabilis.*
10 *Rationabiliter requirit Summus Pontifex Epiſcoporum conſenſum pro audiendis confeſſionibus ſæcularium.*
11 *Quando Epiſcopo tribuitur poteſtas in Regulares non poteſt ea ſemper ad libitum vti.*
12 *Approbationem quam dat Epiſcopis Regularibus, eſſe irreuocabilem probatur negatiuè.*
13 *Summus Pontifex in exemptionibus conceſſis Regularibus non tam reſpicit eorum fauorem, quam proprium.*
14 *Regulares, quos Epiſcopus reperit non idoneos, poteſt ad tempus approbare.*
15 *Etiam ſi det Epiſcopus approbationem abſolutè Regulari non idoneo adhuc poterit talis approbatio reuocari, & quare.*
16 *Cur poſſit Epiſcopus approbare ad tempus non idoneos Regulares, non ſic autem idoneos.*
17 *Poſſunt Regulares ab Epiſcopo ſucceſſore iterum examinari.*

18 *Nemo*

Digitized by Google

18 *Nemo præſumitur malus niſi probetur contrarium.*

1 INnumeri ſunt Doctores, qui hoc dubium tractant, quos paſſim videre poteris, vna eorum pars eſt pro D.Epiſcopis, altera pro Regularibus. Sed inter omnes illos exactius meo iudicio illud conſiderat Ioannes Sancius in *Selectis diſput.*48. *per totam* Scroffa etiam *in ſuis quæſtionibus* doctè de illo agit *queſt.*36. Sancius Epiſcopis fauet.Scroffa Regularibus: Breuiter ego hic illud diſcutiam, & licet Regularis quid ſentiam dicam pro veritate.

Et aduertendum eſt in primis, hic non eſſe adducendas declarationes Sacræ Congregationis, nam cum pro vtraque parte adducantur,non eſt ratio cur fides potius vnis, quam alijs detur. Deinde quam auctoritatem habeant ſimiles declarationes iam habes per Sanchez *lib.*8. *de Matrimonio quæſt.*2. *num.*10. per Ledeſmam 1. *part.Summ. de Sacramento Pænitent.cap.* 13.*difficult.*7.*fol. mihi* 230. & per Lezanam, & Tamburinum alibi a me citatos. Non ergo eſt nobis vtendum modo dictis declarationibus, & hoc notat Sancius *loco ſupra*.

2 Dico ergo, Epiſcopi nequeunt ſine cauſa approbare Regulares ad tēpus pro Confeſſionibus; ſed difficultas eſt in probando hoc dictum.

3 Aliqui probant ſic; Quia Regulares, *ex Clement. dudum de ſepulturis*, in qua Regulares ſemel præſentati Epiſcopis, iam ſemper exiſtimabantur approbati, nec denuò tenebantur præſentari. Ergo etiam nunc, cum non fuerit reuocata illa Clementina per Conciliū Trid. ſed tantū aliquid ſupra ipſam additum: ſed hæc ratio impugnatur,nam licet Concilium nō reuocauerit dictam conſtitutionem *Dudum* propriè loquendo; quidquid dicat Suarez *de Pænit. diſput.*28. attamen addidit aliquid, vt concedunt etiam ipſi Regulares, ſcilicet approbationem faciendam per examen, & cæt. hoc igitur quod addit,dicent aduerſarij, reuocabile eſt. Deinde nec 4
ex illa Conſtitutione antiqua *Dudum* colligitur præſentationem Regulariū eſſe perpetuam, & irreuocabilem,nā ibi præcipitur, quod Regulares teneantur ſe præſentare coram Epiſcopis, in quorum territoriis Sacramentum Pænitentiæ eſt miniſtrandum; ergo cum diuerſi ſint Epiſcopi coram ſingulis debebunt præſentari: immo in eadem Diæceſi coram ſucceſſoribus, ergo non eſt illa præſentatio de natura ſua irreuocabilis.

5 Alij probant ſic;quia per Clement. dictamRegularibus tanta conceditur facultas, quanta Parrochis, per illa verba. *Per huiuſmodi autem conceſſionem nequaquam intendimus perſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quam in eo curatis, vel Parrochialibus Sacerdotibus eſt a iure conceſſa*, ergo datur æqualis:ergo ſicut nequeunt Parrochi ad tempus approbari ita nec Regulares. Sed hæc ratio quoque nullam habet vim; nā reſpondet Sanctius *loco ſupra*, nec per hunc textum tribui æqualē facultatē Regularibus, acParrochis,cum ibi negetur tantum concedi ampliorem;ſed etiam ſi concedatur, tribui tantam facultatem; attamen non colligitur ex hoc, quod Epiſcopi nequeant eorum approbationem reuocare, ſicut nequeunt re-

uocare approbationem Parrochorũ, ſed quod poſsint Regulares abſoluere à caſibus à quibus poteſt Parochus, & in hoc ſtat æqualitas inter Regulares, & Parochos; vt plures Doctores tradunt relati ibi à Sancio *num.* 25. & conſtat non eſſe pares in omnibus Regulares cum Parochis in adminiſtratione Sacramenti Pęnitentiæ. Sic Regulares in ſententia multorum (quod tamen controuerſum eſt) poſſunt tantum abſoluere intra Diæceſim ſubditos Diæceſis; Parochi autem in ſententia communi etiam extra, & hæc Sancius. Alij hac via
6 procedunt:in Bulla Cruciatæ habetur hæc clauſula: *Conceditur,* (ſcilicet accipientibus Bullam) *vt poſſint eligere confeſſorem ſæcularem, vel cuiuſcumque ordinis, etiam mendicantium Regularium ex his, qui ab ordinario, & quo ad Regulares ſemel tantum approbati fuerint*, ergo Regulares ſemel approbati etiam ſi reuocetur licentia, & approbatio, iam poterunt audire confeſſiones, cum ſemper cenſendi ſint approbati: ergo eorum approbatio eſt irreuocabilis, ob hanc rationem Vaſquez *de pænitent.quæſt.*43,*art.*3.*dub.*5.*numer.*3. fauet noſtræ ſententiæ, & Regularibus. Sed hæc etiam ratio impugnatur. Primo, quia demus etiam ſit hoc priuilegium in Bulla Cruciatæ latina, in illa tamen Hiſpano ſermone tradita non eſt tale priuilegium, priuilegia autem quibus fruitur ſuſcipiens Bullam ſunt illa tantum, quæ continentur in Bulla traducta. Secundo, illud priuilegium eſt pænitentium habentium Bullam, non autem Confeſſorum. Vnde ex hoc ad ſummum poteſt colligi Regulares, ſemel approbatos etiam ſi reuocetur eorum facultas; poſſe audire confeſſiones habentium Bullam, non autem aliorum quod non eſt, quod nos volumus, & inquirimus modo. Hæc igitur ratio nec videtur concludere. Alij vt ſunt Prædicatores,& Minores, ac Mendicantes omnes, qui ſunt in noſtra ſententia ſic probant. Priuilegium,quod eſt inſertum in corpore iuris, non derogatur per Concilium, aut per aliquam aliam legem per illam clauſulam generalem derogatoriam *non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs,* & ratio eſt; quia iam illud priuilegium non habet rationem priuilegii,ſed legis, & iuris communis. Sed Mendicantes habent priuilegium *ex dudum,* vt ſemel præſentati Epiſcopo cenſeantur ſemper approbati; quod quidem eſt in corpore iuris. Ergo per Concilium Tridentinum non fuit ablatum, per illam clauſulam generalem,& cæt.ergo modo ipſo fruuntur. Attamen hæc quoque ratio ruit; & refellitur optimè meo iudicio a Sancio *dicta diſputat. num.*9. Primo, quia etiam ſi demus priuilegium incluſum in corpore iuris, iam habere rationem legis,& iuris communis,& amittere certo quodam modo rationem priuilegii(quod fortè verum nõ eſt.) Attamen ex hoc potius poſſet quis arguere contra poſitam rationem,& dicere per Concilium ablatum eſſe tale priuilegium, etiam ſine clauſula derogatoria aliqua, & ratio eſt, quia poſterior lex dum eſt contraria priori, iam abſque clauſulis derogatorijs illam abrogat, & deſtruit. Vnde concludit dictus Sancius potius iuuari hac ratione non Mendicantes, quam Mendicantes, nam non Mendicantes habent priuilegium particulare non inſer-

inſertum in corpore iuris, quod non cenſetur derogatum à Concilio niſi adſit clauſula derogatoria. At Mendicantes ſolum habent legem, & ius commune, quod illis in hoc fauet, quod caſſatur per legem contrariam poſteriorem. Vnde nec iſta ratio roborat noſtram ſententiam. Alijs etiã vijs,& modis conantur multi Doctores partes Regularium tueri. Vide dictos Sancium, & Scroffam locis ſupra citatis.

8 Ego ſic probarem, poſito quod difficultas tota ad hunc punctum ſit reducenda. An hæc approbatio Epiſcopi ſit irreuocabilis nec ne. Dico eſſe ex natura ſua talem approbationem irreuocabilem, & probatur.Hęc approbatio facienda per examen inducta à Concilio Trident. ſucceſſit loco præſentationis,quæ fiebat tempore, quo æditũ fuit *caput Dudum*, quod caput non fuit reuocatum, vt concedunt multi Doctores etiam ex aduerſarijs; Sed illa præſentatio erat irreuocabilis, nec ſemel præſentati poterant poſtea iterum præſentari, ergo. Probatur minor concedunt omnes ferè Doctores oppoſitæ ſententiæ excepto Ioanne Sancio,illam pręſentationem fuiſſe ex natura ſua irreuocabilem, ergo. Sed quia etiam contra Sancium agendum eſt. Ideo

9 Secundo validius ſic probarem. Approbatio Epiſcopi eſt irreuocabilis quia requiritur, vt conditio, non autem, vt cauſa dans formaliter iuriſdictionem ad confeſſiones;nam hæc iuriſdictio Regularibus datur à Summo Pontifice. Si ergo requiritur hæc approbatio,vt cõditio,iam eſt irreuocabilis, & probo ſic à pari. Approbatio in Regularibus à ſuis Prælatis pro confeſſionibus ſæcularium eſt conditio requiſita;nam nec ipſi Prælati dãt iuriſdictionem. Sed hæc eſt irreuocabilis;nam etiam ſi Prælati eis negẽt facultatem audiendi cõfeſſiones ſemper (ſi fuerint Regulares approbati ab Ordinario) validè excipient confeſſiones; Ergo ſic etiam approbatio Epiſcopi erit irreuocabilis. Quod autem Regulares approbati à ſuis Prælatis contra eorum poſtea voluntatẽ ſi audiant confeſsiones;validè audiãt, docent plures Doctores, & defendit mordicus ipſe Sancius citatus *nu.*27. qui plures alios congerit.

Dices eſt diſcrimen maximum inter approbationem Prælatorum,quę requiritur pro confeſsionibus, & inter approbationem Epiſcopi: ſine approbatione Epiſcopi ſemel ſaltem data numquam validè excipient Regulares confeſsiones. At ſine approbatione Prælatorum vtique,ergo non bene ex natura vnius approbationis arguitur natura alterius.

10 Reſpondeo cõcedo in hoc eſſe diſcrimen inter vnã approbationem,& alteram;attamen non per hoc arguere poſſunt aduerſarij approbationem Epiſcopi eſſe reuocabilem, nam ſemper eſt conditio requiſita, vt iuriſdictio communicetur Regularibus à Summo Pontifice, qui ſic voluit, & forte non alia ratione, & motiuo,niſi quia dum agitur de confeſsione ſęcularium, qui Epiſcopis ſubduntur, rationabiliter requiritur dictorum Epiſcoporum conſenſus, vt validè detur abſolutio, vt Sacramentum miniſtretur ſicuti ad hoc, vt quis validè abſoluatur ab excommunicatione, in quam incidit ob iniuriam alteri factam, requiritur ſatisfactio partis,

tam-

tamquam conditio, quæ ſi abſit inualida erit abſolutio; Æquiparantur ergo iſtæ approbationes, & Prælatorum, & Epiſcoporũ in hoc, quod ſint conditiones ſine quibus. Ex eo autẽ quod ſint conditiones arguitur, quod ſint irreuocabiles: ſicuti irreuocabilis eſt illa approbatio Prælatorum data ſemel: ſed hæc ratio multas patitur difficultates; nam in multis iſtæ duæ approbationes sũt diuerſæ.

11 Tertio, probo; quia quando in alijs multis caſibus conceditur Epiſcopis facultas aliqua circa Regulares; & Regulares ſubduntur ipſis, puta dum auctoritas Epiſcopi requiritur ad explorandam voluntatem puellæ, quæ vult profiteri, vel ingredi Monaſterium, dum requiritur eiuſdem præſentia, & aſſiſtentia in renunciatione facta à nouitio intra duos menſes ante profeſſionem, non poteſt autem ad libitum, & quoties ipſe vult hoc facere; ſed bis tantum debet explorare, & tali præfixo tempore. Ita vt ſi hoc non faciat cum debitis circumſtantijs iam eius aſſiſtentia ſit fruſtratoria; quia eſt tantum eius aſſiſtentia, & auctoritas requiſita, vt conditio. Ergo ſic proportionaliter in caſu noſtro, in quo vt conditio requiritur eius approbatio.

12 Quarto, Probatur meo iuditio melius; hanc approbationem eſſe irreuocabilem negatinè, quia ſicuti non probant aduerſarij eſſe reuocabilem niſi negatiuè, quia ſcilicet nullum ius dicit, quod ſit irreuocabilis, ſic dico ipſe hæc approbatio non eſt reuocabilis quia nullum ius dicit, quod ſit reuocabilis. Immo quadam congruentia probatur, quod ſit irreuocabilis, quia ſi aliter eam conſtituiſſet Summus Pontifex: & feciſſet eam irreuocabilem exemptiò Regularium, & iuriſdictio, quam dat eis Summus Pontifex fruſtatoria eſſet; Quid enim deſeruiret, quod det talem iuriſdictionem, ſi ſemper dependet, & poteſt reuocari per conditionem ab Epiſcopo poſitam? Summus autem Pontifex in

13 his exemptionibus conceſsis Regularibus non tantum eorum fauorem reſpicit, ſed etiam proprium, vt notat optimè Cokier *de iuriſdictione ordinarij in exemptos parte prima quæſt. quarta*, ergo non debemus exiſtimare velle ſibi Pontificem præiudicare, quod vtique faceret, ſi hæc approbatio eſſet reuocabilis; nam idem eſſet, ac ſi in hoc nullam haberent à Summo Pontifice exemptionem, nullum priuilegium.

Neque dicas cum Sancio loco citato habere adhuc multa priuilegia Regulares approbatos ad confeſsiones: vnde nihil refert ſi in hoc ſint, vt alij ſimplices ſacerdotes ſeculares; nam

Reſpondeo eſto, quod adhuc habeant alia priuilegia, cur hoc vult tollere Sancius ſine aliqua ratione?

14 Non tamen ex noſtra ſententia ſequitur, quod etiam approbatio Epiſcopi ſit irreuocabilis, circa Regulares repertos non idoneos, vel circa illos, qui ob defectus, qui committunt circa Sacramentum Pœnitentiæ indigni ſunt tali munere. Nam circa Regulares non idoneos. Reſpõdeo non dari approbationẽ abſolutè, nec poſſe dari, cum igitur hæc con-

ditio, ſcilicet hæc approbatio, non ſit poſita ſimpliciter adhuc poteſt poni, & ſic poterit Epiſcopus ad tempus approbare non idoneos; quia illud quod non eſt poſitum quomodo irreuocabile poteſt dici? Circa eos autem qui delinquunt in adminiſtratione huius Sacramẽti; Reſpondeo poſſe ab Epiſcopo ſuſpendi, & cæt. Hoc autem non ideo; quia illa approbatio ſit reuocabilis ex natura ſua, ſed quia tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ poſſunt procedere contra delinquentes in Sacramẽtorũ adminiſtratione.

15 Dices, ſi Epiſcopus approbaret abſolutè non idoneum, iam in noſtra ſententia nequiret talem approbationem reuocare cùm poſita eſſet conditio ex natura ſua irreuocabilis. Falſum cõſequens; ergò & antecedẽs.

Reſpondeo data illa approbatione abſoluta ab Epiſcopo circa Regularem non idoneum, adhuc poterit reuocari, dum ei conſtabit non eſſe idoneum quia tunc, vt delegatus poteſt defectus omnes occurrentes in Sacramẽtorum adminiſtratione corrigere.

16 Inſtabis ſicut poteſt Epiſcopus non ponere per nos abſolutè approbationem circa non idoneos, ita etiam circa idoneos, & ſic eos poterit approbare ad tempus. Reſpondeo negando paritatem, quia circa non idoneos habet Epiſcopus poteſtatem quam habet Pontifex, vt delegatus, & hoc ad tollendos omnes defectus, qui poſſunt accidere in adminiſtrando hoc Sacramento, non verò habet hanc auctoritatem circa idoneos, reſpectu quorum ſolum poteſt, & debet ponere ſuam approbationem abſolutè.

17 Secundo non ſequitur ex noſtra ſententia Regulares non poſſe ab Epiſcopo ſucceſſore, & à diuerſis Epiſcopis diuerſarum Diœceſum examinari, vt contendunt multi docti Regulares, & quæſtio fuit de hoc agitata tempore Sereniſſimi Cardinalis Infantis in Diœceſi Toletana. Sed dicendum eſt poſſe examinari ab Epiſcopis de nouo aduenientibus, & ab eis, a quibus non fuerunt approbati, vt docet optimè in ſelectis citatus Sancius *loco ſupra*: nam reſpectu eorum Epiſcoporum non dicuntur approbati, nec conditio eſt verè poſita iuxta mentem Concilij, & patet hoc clare per Bullam Clementis IV. apud Confettium *pag mihi* 14. quæ incipit *exigentibus veſtræ deuotionis meritis*, & eſt tenoris ſequentis.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis Filijs Magiſtro, & Fratribus ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: Exigentibus veſtræ deuotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras quantum cum Domino poſſumus fauorabiliter exaudimus, ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis a nonnullis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac alijs Eccleſiarum Prælatis audiendis confeſſiones ſubditorum ſuorum, nec non prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus licentia ſit conceſſa, quia tamen ipſis Prælatis decedentibus, vti licentia huiuſmodi Eccleſijs ſic vacantibus dubitatis, nobis humiliter ſupplicaſtis, vt prodeſſe vobis paterna diligentia curaremus veſtris: igitur ſupplicationibus inclinati præſentium vobis auctoritate concedimus, vt

in

in huiuſmodi caſu poſſitis vti tamdiu liberè prædicta licentia, donec viduatis Eccleſijs prouiſum fuerit de Paſtore. Datum Peruſij Kalend. Iulij Pontificatus Noſtri anno primo. patet ergo ex dicta conſtitutione adueniente nouo Epiſcopo debere iterum Regulares ab eo approbationẽ petere, &c.

18 Sed dicent aduerſarij contra poſitam ſententiam principalem: poſſunt Epiſcopi reuocare approbationem, & Regulares examinare ad cauendum inconueniens, ne inepti Regulares reddantur ob ſcientiam, & ſimilia. Quando enim agitur de malo euitando, vel de adhibendo remedium, ſuſpiciones, & dubia ſuſcipienda ſunt in deteriorem partem. Ita Sancius *diſpu.* 50. *in ſelectis*, dum agit; an Epiſcopus poſſit examinare Parrochos ad libitum.

Reſpondeo falſam eſſe hanc congruentiam; nam nemo præſumitur malus, & deficiens niſi probetur contrarium. Immo cum in caſu noſtro ſemper Regulares exerceantur in caſibus conſcientiæ in ſuis Monaſteriis in quibus ſemper lectiones habentur de huiuſmodi materia potius tempore æſtimandi ſunt magis apti, & docti ad tale munus. Deinde eſſet hoc ſubdere Regulares Epiſcopo, qui multa alia in dictos Regulares poſſit, ſi hac via eſſet procedendum, & ſic eis iniuria inferretur. Deinde poſſet confirmari noſtra reſponſio a pari; Epiſcopus nequit viſitare locum vbi confeſſiones excipiunt Regulares, vt tradit Barboſa *ſeſſio. ſeptima de reformat. capitul. nono, numero* 15. & tamen multa incommoda, & inconuenientia poſſent ſequi ex locis illis, & videtur magis dubitandum de hoc, quam de ſcientia. Ergo ſic a fortiori in caſu noſtro Epiſcopus pro ſcientia Confeſſarii indaganda approbationem ad tempus non poterit dare; & hæc dicta ſint diſputationis gratia; nam praxis in contrarium eſt. Poſt hæc ſcripta vidi Moronum *in ſuis reſponſis moral. reſponſ.* 34. quia valde fauet Regularibus, & in Sancium optimè inſurgit; addens, nec cum cauſa poſſe Epiſcopum approbationem reuocare Regularibus; ſed in hoc vltimo non placet; nec ſi placeret iuuaret.

An Epiſcopus poſſit iterum examinare Regularem Confeſſorem, qui mutauit domicilium, & iterum redijt. Dub. CIX.

SVMMARIVM.

1 *Sola mutatio domicilij non eſt ſufficiens cauſa, quod iterum debeat examinari.*

2 *Etiam ſi mutatus ſit Epiſcopus dum redit non per hoc debet iterum examinari.*

1 NEgatiuè reſpondet Amicus *diſputat.* 15. *numer.* 135. *de ſatisfactione Sacramentali*, ſic dicens: *Infertur tertio. Non poſſe Epiſcopum Sacerdotem Regularem antea ab ipſo approbatum ſi poſtea mutauit domicilium iterum ipſum examinare, cum denuò ad eius Epiſcopatum reuertitur; niſi noua ſuborta cauſa. Ratio, quia ſola mutatio domicilij per aliquod tempus non eſt ſufficiens cauſa, quod debeat iterum ad*

examen vocari niſi noua ſuborta cauſa ad examen ſufficiente.

2 Immo amplianda eſt dicta ſententia, etiam ſi dum redit Confeſſor Regularis mutatus ſit Epiſcopus. Ita Boſsius *de triplici Iubilæi priuilegio*, & apud ipſum, Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 9. numero 5.* Didacus Nugnus *in addit. ad tertiam partem, quæſt. 8. artic. 3. dub. 1. concluſ. 2.* Ioannes Valerus *verb. abſolutio different. 1. numer. 19.* Tamburinus *tom. 2. de iure Abbatum diſput. 3. quæſt. 14. numer. 2.* & hoc intelligere, niſi nouus Epiſcopus vocauerit Confeſſores ad examen; nam tunc tenebitur cõparere ad examẽ.

An Epiſcopi poſsint ſuſpendere ſimul omnes Regulares vnius conuentus etiam cum cauſa. Dub. C X.

S V M M A R I V M.

1 *Declaratio Sacræ Congregationis circa hoc adducitur ad verbum.*

2 *Cum Ordinarij excedunt limites ſuæ auctoritatis, eis iã non eſt credendũ.*

3 *Dum Regularis ſuſpenditur ab Epiſcopo ne audiat confeſſiones ſi audiat ſic ſuſpenſus ſecundum aliquos eſt irregularis.*

4 *Diſcrimen, quod adeſt inter clericum ſæcularem ſuſpenſum a confeſſionibus, & Regularem.*

5 *Regulares, qui iuſtè, & cum cauſa ob eorum defectus ſuſpenduntur a confeſſionibus per Epiſcopos, ſi eas poſtea excipiant, ſunt irregulares.*

6 *Et hoc etiam ſi abſoluerẽt ſine ſtola, & orationibus, &c.*

7 *Dum ſuſpenſio eſt tantum ablatio facultatis confeſſiones excipiendi, facta ſine cauſa, tunc ſi Regularis ſuſpenſus audiat confeſſiones, non eſt irregularis.*

8 *Exercenti iuriſdictionem, quam non habet non eſt à iure impoſita aliqua irregularitas.*

Declarationem habes, quo ad hoc, quã referunt inter alios Alphonſus Leo *in fine. 2. p. de Indulgentijs* Laurentius de Peirinis *tom. 1. de priuilegijs minimorum in conſtit. 2. Sixti IV. n. 43.* Gauantus *in manuali Epiſcoporum verb. Cõfeſſor. n. 23.* Gauslinus *in ſuo tra. Miſcellan fol. 240.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg. 25. n. 30.* & Scroffa *quæſt. 36. art. 3.* decretum tale eſt. 1

Cum S. Congregat. Card. negotijs Epiſcoporũ, & Regulariũ propoſitorum innotuerit Confeſſarios Regulares grauiter cõqueri, quod ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorũ Ordinarijs ab audiendis confeſſionibus, quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpenduntur, & propterea ſæpè contingere, vt ab eiſdem Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & locorum Ordinarijs omnibus ſimul vnius conuentus confeſſarijs confeſſiones audiendi facultas adimatur Illuſtriſs. eiuſdẽ S. Congregat. Patres rati vix fieri poſſe, vt hæc ſine ſcandalo, magnaq; animarũ pernicie contingant; re maturè perpenſa ad omnẽ ſcandali materiam ſubmouendã, & quo magis ſpirituali piarum mẽtiũ conſolationi conſulatur, ſtatuunt, ac decernunt. Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſq; Ordinarijs locorũ ad quos confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares alias ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſsionibus poſt hæc minimè licere niſi ex noua cauſa, eaq; ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictũ ab ipſis ordinarijs poſitũ. Statuunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epi-

Epiſcopos locorumque Ordinarios Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius Conuentus Regularibus Confeſſarijs eadem Sacra Congregatione inconſulta nullo pacto adimere poſſe, quod quidem decretum, vt idem Illuſtriſs. Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt. Ita inuiolabiliter iubent obſeruari Romæ 20. Nouembris 1615 Clarè ergo patet non poſſe hoc ab Epiſcopis fieri. Vnde ſi fiat, docent ferè communiter Doctores Regulares non teneri obedire. Ita Lezana *qq. Regula-*
2 *rium cap.* 19. *numer.* 9. Scroſſa *quæſt.* 36. Ratio eſt clara, quia in tali caſu cum ordinarij excedant limites ſuæ auctoritatis, iam eis obediendum non eſt. Et aduerte inſuper ex vi talis decreti non poſſe Epiſcopos ſuſpendere omnes Regulares vnius conuentus, etiam ſi haberet iuſtam cauſam inconſulta congregatione, nam ſine cauſa nec poterat ante ſuſpendere, Ergo ſi aliquid debet ponere hoc decretum eſt, ne etiam cum cauſa hoc faciant Epiſcopi ſine conſenſu Sacræ Congregationis, qui debet expectari.

3 Sed quæres hic; an ſi Regulares ſint ſuſpenſi ab Epiſcopo ex iuſta cauſa, ſint irregulares, ſi audiant poſtea ſtante hac ſuſpenſione confeſſiones. Negatiuè reſpondet noſter celebris Duardus *in Bullam canæ lib.* 1. *qu.* 3. *numer.* 124. & dat aliquas rationes, Primo, quia hæc ſuſpenſio non eſt cenſura ſtrictè dicta, ſed tantum in larga ſignificatione pro vt comprendit in ſe quodcumque impedimentum, aut prohibitionem vſus officij, vel facultatis Eccleſiaſticæ: talis autem ſuſpenſio, quo ad Regulares eſt tantum reuocatio approbationis ſemel factæ ad ſuum arbitrium, non autem eſt ablatio iurisdictionis quam habent non ab Epiſcopo Regulares, ſed a Summo Pontifice. Vnde diuerſimodè procedit Duardus reſpectu Clericorum ſæcularium, quos dicit incidere in irregularitatem, ſi poſt ſuſpenſionem a Confeſſionibus, quam habent ab Epiſcopis, iterum audiant confeſſiones ſtante ſuſpenſione, quia cenſura ligatus per adminiſtrationem Sacramenti pænitentiæ irregularitatem contrahit ſicuti ſi alium actum ordinis exerceret, vt docet Palud. *in* 4. *diſtinct.* 18. *quæſtion.* 4. *verſic. quintus effectus*, quem refert Sairus *libro* 7. *tom.* 1. *capit.* 10. *numer.* 8. Nam abſolutio pænitentis in foro conſcientiæ, ſicut, & Miſſæ celebratio ſunt actus ordinis Sacerdotalis, nec a quouis, qui Sacerdos non ſit poſſunt exerceri. Clerici ergo ſæculares ſuſpenſi ab Epiſcopo, cum cenſura vera, & propria ligati ſint incidunt in irregularitatem ſi audiant confeſſiones, & cæter. Quod autem ſint propria cenſura ligati probatur, quia ab eis per talem ſuſpenſionem tollitur Eccleſiaſtica poteſtas, & iuriſdictio audiendi confeſſiones. Regularibus verò non tollitur iuriſdictio, quæ nec datur ab Epiſcopo. Secundo probat Duardus alia via; Quia ſcilicet Regulares nequeunt ligari cenſuris ab Epiſcopo ob eorum priuilegia, quæ habere circa hoc dicunt innumeri ferè Doctores. Ergo ſi propriè cenſuris ligari nequeunt, nec incident poſtea in cenſuras, ſi audiant confeſſiones ſic ſuſpenſi. Ita Duardus: clarius tamen res exponenda eſt.

5 Dico ergo primo, Regulares, qui ſuſpenduntur modo à confeſſionibus per Epiſcopos cum cauſa ob eorum defectus ſi excipiant cõfeſſiones quomodocumque excipiant ſunt irregulares; probatur; Tunc Regulares poſſunt, & debent æſtimari cenſuris ligati, & ſuſpenſione, quæ vera cenſura ſit; ergo ſi miniſtrent Sacramentum Pœnitentiæ, iam erunt irregulares; quia adminiſtrantes hoc Sacramentum cum cenſura incidunt in irregularitatem, vt docent apud Dianam *tract. 2. par. 4. de irregularitate* Portell. *in dubijs Regul. verb. irregularitas num.* 13. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 7. *num.* 1. Alterius *de cenſuris lib* 2. *diſput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. Suarez *de cenſuris diſp.* 10. *ſect.* 3. *num.* 15. *Bonacina de cenſuris diſput.* 7. *quæſt.* 3. & Auila *de cenſuris par.* 7. *ſect.* 2. *dub.* 2. qui cum citetur ſine diſputatione non eſt mirum ſi in loco citato non viderim ipſe caſum, & dixi quomodocumque abſoluat Sacramentaliter; nam per Didacum Perez *in annotat. ad Villadiegum de irregularitate*, tunc Sacerdos cenſuris ligatus incidit in irregularitatem, ſi miniſtrent Sacramentum Pænitentiæ quando miniſtraret cum ſtola, & abſolueret cum Orationibus, & Miſerere, ſecus ſi ordinario modo abſolueret. Quæ ſententia mihi diſplicet, ſicuti etiam noſtro Alphonſo de Leone *in ſuo tract. de cenſuris Recollect.* 6. *num.* 999. *circa finem pag. mihi* 658. *primæ*
6 *impreſſionis*; quia etiam ſi abſolueret abſque ſtola, & Orationibus, abſolutio talis nequit dari à Laicis. ergo propriè, vt ſacerdos talem actum facit, quod eſt facere ſolemniter, & ſic incidit quomodocumque hunc actũ faciat in irregularitatem. Quod autem Regulares debeant æſtimari cenſuris ligati quando ſic ſuſpenduntur ab Epiſcopo: probatur, quia per conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs*, iam datur facultas Epiſcopis fulminandi cenſuras in Regulares, dum circa Sacramẽtorũ adminiſtrationem delinquunt. Vnde in hoc non proſunt eis priuilegia, ne poſſint cenſuris ab aliquo Antiſtite ligari.

7 Dico ſecundo, ſi hæc ſuſpenſio ſit tantum ablatio facultatis confeſſiones excipiende facta ſine cauſa, ita, vt non æſtimetur pæna rationabiliter; Tunc ſi Regulares audiant confeſſiones non incidunt in irregularitatem. Quia exercens iuriſdictionem, quam non habet, non incidit irregularitatem, vt docent noſter Diana *de irregularitate tract.* 2. *reſol.* 89. *par.* 5. & Bonacina *de cenſuris diſp.* 7. *quæſt.* 3. *punc.* 6. qui citat Henriquez, Coninch contra Ioannem Præpoſitum *in* 3. *part. D. Thomæ quæſt.* 5. *de irregularitate dub.* 6. *nu.* 36. Sed iſte Regularis exercet ſolum iuriſdictionem, quam non habet ſine cenſura, ergo; & ſic non video quomodo ſubſiſtat fundamentum Duardi, dum diſtinguit inter ſacerdotes Regulares, & ſæculares. dicens: reſpectu Regularium nullam eſſe irregularitatem, quia ab eis non aufert Epiſcopus iuriſdictionem, audiendi confeſſiones, cum nec eis det talem iuriſdictionem, vnde etiam ſi audiant confeſſiones poſt ſuſpenſionem non incidunt in irregularitatem, cum non exerceant iuriſdictionem, quam non habent; at Clerici ſæculares ſuſpenſi à confeſſionibus carent iuriſdictione, & ſic exercentes confeſſiones incidunt, &c. non inquam ſubſiſtit hæc

Do-

Digitized by Google

Doctrina, quam non expreſsè dicit dictus Duardus, ſed ex eo videtur colligi dum à iuriſdictione, quam habent Regulares circa Sacramentorũ adminiſtrationem, quæ eis datur à Summo Pontifice, videtur arguere differentiam inter Regulares, & Clericos ſæculares. Verum quidem eſt,
8 quod paulò inferius cum Suarez clarè dicit exercenti iuriſdictionem, quã non habet, non eſſe impoſitam aliquã irregularitatem à iure, ſicuti eſt impoſita irregularitas exercenti ordinem, qui talem ordinem non habet, vt concedunt omnes.

An Regulares approbati a Vicario Vrbis ad confeſſiones debeant extra poſtea ab Epiſcopis examinari. Dub. C X I.

SVMMARIVM.

1 *Semel per Principem approbatus non debet per inferiorem iterum examinari.*

2 *Aliqui dubitant, an Regulares fruantur priuilegijs oratorij Sancti Philippi Nerij.*

3 *Auctoris opinio circa hoc.*

4 *Priuilegium oratorij poſt conſtitutionem Vrbani VIII.* cum ſicut accepimus, *iam ceſſat.*

5 *Sunt tamen aliqui, qui adhuc in vigore dicunt eſſe tale priuilegium.*

1 PRiuilegium Sixti Quinti conceſſum Congregationi Romæ, vt ſemel dictæ Congregationis Patres a Vicario Vrbis approbati poſſint vbique locorum abſque alio examine, cum licentia tamen ordinariorum audire confeſſiones mouet hoc dubium, nam hoc dato, & etiam videntur alij Regulares frui; & fundamentum rationabile videtur eſſe; quia ſemel per principem approbatus per inferiorem non debet iterum examinari ex leg. *quidam conſulebat.* §. *de re iudicata*, & hoc tradunt Innocentius *in cap. Paſtoralis* Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 266.*

Peyrinus *in additione ad conſtitutio. Vrbani VIII. conſt. 16. cap. 12.* & *in conſtitutionem Papæ Iulij II. numer.* 80. de hoc priuilegio mentionem facit, quod inſertum eſt in conſtitutione Sixti V. quæ incipit. *Decet Romanum Pontificem* refert etiam illud Naldus *in Summ. verb. Confeſſor, & Confeſſarius num.* 39. & Quaranta etiam *verb. eodem pag. mihi* 240. Vnde cum certum ſit priuilegium, tantum poſſet quis dubitare an dicto priuilegio gaudeant Mendicantes, & alij Regulares; &; an modo hoc priuilegium ſit in vigore, & quo ad primum.

Reſpondet Peyrinus ſe dubitare;
2 an tali priuilegio fruantur alij Regulares Mendicantes, non tamen dat rationes, & motiua ſuæ dubitationis, puto eſſe, quia dicta Congregatio Oratorij non eſt vera Religio, & ſic aliæ Religiones non fruuntur priuile-
3 gijs illi conceſſis, ſed ego dicerem abſolutè frui Regulares dictis priuilegijs Oratorio conceſſis, quia talis Congregatio Oratorij licet non ſit Religio, & ob hoc alibi dicimus probabile, quod quando tales ſimiles congregationes ſæcularium, qui ad profeſſionem non ſolent deuenire admittuntur de nouo in Ciuitatibus, non ſunt vocandi Religioſi Prælati a-

liarum Religionum; quia tales congregatioues non ſunt Religiones: attamen gaudent Regulares, etiam priuilegijs congregationis ſęcularium & omnium locorum piorum conceſſis, vt videre potes præcipuè apud noſtrum Peregrinum *in compendio priuilegiorum* noſtræ Congregationis.

4 Quo ad ſecundum, Reſpondeo, iam modo dictum priuilegium Oratorij (ſi eſt) ceſſare per conſtitutionem Vrbani VIII. quæ incipit *cum ſicut accepimus* in qua §. 1. huiuſmodi verba habentur. *Nos huic malo opportunè prouidere volentes de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negotijs Regularium præpoſitorum conſilio, omnia & ſingula indulta huiuſmodi audiendi ſæcularium confeſſiones abſque ordinarij examine, & approbatione quibuſuis collegijs, Capitulis, Religionibus, & cæt. quouis priuilegio munitis, & cæt.* Omnia igitur, quo ad hoc priuilegia reuocata ſunt, vt optimè docet citatus Peyrinus, dum ſuper hanc conſtitutionem dicit. *Pontifex autem hic omnem dubitationem ſuſtulit.*

5 Poſt hæc ſcripta legi Ioannem Antonium Nouarium, qui *in Summ. Bullarum de priuilegijs audiendi confeſſiones abſque approbatione Epiſcopi ſuper Bullam Vrbani VIII.* ſuſtinet tale priuileginm Congregationis Oratorij non fuiſſe per dictam conſtitutionem ablatum, ſed tantum priuilegiá ſimilia, quæ habebant Regulares, & hoc priuilegium aſſerit non eſſe communicabile Religioſis, quia eſt priuilegium Præsbiterorum: mouetur, quia in dicta Bulla derogatur ſolum priuilegijs Religioſorũ, & hæc opinio mihi placet, attamẽ probabiliorẽ contrariã puto, & ſeruatur in praxi, vt video.

An Regulares extra Italiam poſſint abſoluere a reſeruatis Epiſcopo. Dub. CXII.

SVMMARIVM.

1 *Doctores, qui hanc facultatem dant Regularibus referuntur.*

2 *Iam per decretum Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. tollitur omnibus Regularibus vbique degentibus talis facultas abſoluendi a reſeruatis Epiſcopo.*

3 *Putat author, etiam ante decretum Vrbani VIII. per decretum Clementis VIII. nec Regulares extra Italiam degentes potuiſſe abſoluere a reſeruatis Epiſcopo.*

1 Affirmatiuam ſententiam habes apud Emanuelẽ *in addit. Summ. tom. 4. cap. 118. num. 18.* Suarez *de pænitentia diſput. 20. ſec. 3. num. 16.* Sanchez *in decalog. tom. 1. libr. 2. cap. 13. nu. 36.* & Portell. *verb. Confeſſor erga ſæculares num. 22.* ſed

Negatiuam ſententiam modò debes ſequi, extante circa hoc decreto Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. quod refert *in Summ. Bull. de caſibus reſeruatis* Ioannes Antonius Nouarius; & eſt tenoris ſequentis.

2 *S. Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium propoſita cenſuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium obtinuerunt nequaquam remiſiſſe priuilegia per prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habeant*

ab-

abſoluendi a caſibus ordinario loci reſeruatis, quemadmodum, nec indulta abſoluendi a caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cænæ Domini legi conſueuit vtpote ſublatam per annuam ipſius Bullæ publicationem vires, aut robur acquiſiuiſſe, ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus ac proinde Regulares cuiuſuis ordinis, Congregationis ſocietatis ac inſtituti etiam neceſſario exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationem huiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt poſſit quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla cænæ, aut ordinario reſeruatis, at ſi ſecus egerint abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, & fore; ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiquidem Regulares habent a Sede Apoſtolica, abſoluendi facultatem illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem Sacræ Congregationis decretis hac de re æditis iuſſu Clementis VIII. quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas ſua, & cæt. ecce quomodo etiam extra Italiam obliget hoc decretum. Ita Lezana *verb. caſus reſeruati num.*4. non autem debet intelligi de caſibus a iure reſeruatis. Sed de illis quos ſibi expreſsè reſeruant, vel de eis, qui per conſuetudinem reſeruati ſunt in illa diæceſi, ſed circa hoc vltimum aduertendum eſt, quod cum ordinarij expreſsè aliquos caſus non reſeruant credendum eſt nullum alium caſum ex conſuetudine eſſe reſeruatum, quia ſi talis eſſet, iam debuiſſet exprimere Epiſcopus, & ſic cum hoc non fecerit ſignum eſt non eſſe reſeruatum,

3 Et nota hic etiam ante hoc decretum ſub Vrbano factum, omnes Regulares etiam extra Italiam exiſtentes non potuiſſe abſoluere a reſeruatis, poſt decretum Clementis VIII. quod non video rationem, ob quam tantum obligare in Italia dixerint multi Doctores, cum in eo verba ſint vniuerſalia, nec illæ clauſulæ appoſitæ, quæ ſolent apponi dum Summus Pontifex vult obligare ſolum Regulares exiſtentes in Italia patet legenti.

An Regulares poſsint abſoluere a cenſuris reſeruatis Epiſcopo. Dub. CXIII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur decretum quoddam ſub Paulo V, per quod videtur, talis facultas denegata Regularibus.*

2 *Quo tamen non obſtante aliqui eam Regularibus tribuunt, & cum fundamento.*

1 Negatiuè reſpondent apud Dianam aliqui Doctores *tract.* 2. *p.* 3. *tract,* 2. *dubio Regulari reſolut.* 13. ita etiam reſpondet Naldus noſter *in Summ. verb. Caſus reſeruati.* Fundamentum eſt decretum quoddam de mandato Pauli V. cuius tenorem hic ponam, vt melius ex illo veritas reſolutionis, conſtet

Quoniam Sacra Congregatio Cardinalium negotiorum Epiſcoporum, & Regularium nuper accepit, quamplures Regulares tantum facultatis, ſeu priuilegij ab Apoſtolica Sede ſibi conceſſum profiter:, vt etiam à caſibus locorum ordinarij in eorũ Diæceſibus reſeruatis abſq; aliaipſorũ ordinariorum licentia pænitẽtes abſoluere minimè dubitãt; Nõnulloſq; alios in decreto

to prohibitionis abſolutionis à caſibus Sedi Apoſtolicæ, vel locorum ordinarijs reſeruatis die 9. Ianuarij anno 1601. felicis Recordationis Clementis Papæ Octaui iuſſu edito, nec non in declaratione illius eodem Clemente Pontifice iubente die 26. Nouembris 1602. promulgata excommunicationes ſedis, vel ordinarijs prædictis reſeruatas minimè comprehenſas aſſerere. Vnde fit, vt metus, quo homines à peccando coarcentur abſolutionis facilitate exoleſcat. Ideo Sacra eadem Congregatio de Sanctiſſimi D. N. P. Pauli V. ſpeciali mandato viuo vocis oraculo deſuper habito decretum huiuſmodi, illuſque declarationem, nec non cenſuras, & pœnas, in eiſque contenta omnia confirmanda, atque innouanda operæpretium duxit, prout per præſentes confirmat, atque innouat, ab omnibuſque Sacerdotibus, tam ſæcularibus, quam Regularibus, quorumuis ordinum, extra Mendicantium, militiarum, Congregationum, aut cuiuſuis alterius inſtituti etiam neceſſario exprimendi quouis nomine nuncupati inuiolabiliter obſeruari; Ac inſuper, vt nulli ex Sacerdotibus prædictis quibuſcumque priuilegijs, & indultis, ac facultatibus ſuffulti ab excommunicationibus, vel à caſibus eiſdem ordinarijs, vel Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, tam ad forum contentioſum eorumdem Ordinariorum deductis, quam non deductis, præterquam in mortis articulo abſoluere audeant, vel præſumant, vel eorum aliquis audeat vel præſumat ſub eiſdem cenſuris, & pænis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis mandat, & præcipit. Nō obſtantibus omnibus, quæ idem Clemens VIII. in decreto, & declaratione huiuſmodi voluit non obſtare. Datum Romæ 7. Ianuarii 1617. Antonius Cardinalis Saulus Teatinus Secretarius Romæ in Typographia Cameræ Apoſtolicæ. Vide ex verbis decreti quomodo negatiua colligatur ſententia, ſed

2 Affirmatiuè reſpondet, hoc nō obſtante, Megala noſter relatus à Diana loco ſupra, & doctè idem ſuſtinet ex noſtris etiam Duardus *lib. 3. in Bullam Cænæ* §. 2. *q. 1. num. 31. & 32.* & ratio eſt, quia per relatum decretum Pauli V. nihil fuit additum decreto facto de mandato Clementis Octaui, ſed tantum fuit confirmatum, & magis explicatum, ob multos Confeſſores, qui prætextu priuilegij abſoluebant à cēſuris etiam reſeruatis in illis caſibus exceptis per dictum decretum, vnde ex vi iſtius decreti Pauli V. tantum colligitur, quod nullæ cenſuræ annexæ caſibus Bullæ Cænæ, & alijs caſibus ibi exceptis poſſint tolli à Regularibus Confeſſoribus, alijſque, qui prætextu ſuorum priuilegiorum hoc præſumebant facere, nōn vero ſtatuitur, vt cenſuras generaliter reſeruatas nequeant dicti Confeſſores tollere ſi ad hoc habeant ſpeciale Priuilegium. Vide Duardum *loco ſupra* vbi aſsignat etiam aliquid in quo differunt iſta duo decreta ſub *Clemente VIII. & ſub Paulo Quinto.*

An Epiſcopus poſsit ſibi reſeruare plures caſus reſpectu Regularium, quam Parrochorum, & aliorum Confeſſorum ſæcularium.

Dub. CXIV.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones Doctorum referuntur.*

2 *Senſus quæſtionis explicatur.*

3 *Si Epiſcopi ſine cauſa reſeruent ſibi plures caſus reſpectu Regularium, quam*

quam aliorum, illicitè faciunt.

4 *Dum Epiſcopus reſeruat ſibi plures caſus reſpectu Regularium ità vt eos excludat valida eſt reſeruatio.*

5 *Non per hoc quod reſeruatio eſt illicità inualida etiam eſt.*

6 *Fundamentum contrarium euertitur.*

7 *Diſcrimen, quod eſt quando Epiſcopus reſeruat plures caſus reſpectu Regularium quam aliorum ſæcularium non & Parrochorum.*

8 *Alijs argumentis aduerſariorum ſatisfit.*

1 RESpondent multi doctores negatiuè abſolutè ſine aliqua explicatione, limitatione, vel diſtinctione, Ità Bordonus. *quæſt.* 15. *Reſolut.* 6. *in ſuis conſilijs* qui ſic habet, *Reſpondeo non poteſt Tum quia diuerſitas circa eamdem rem indicenda non eſt l. eum qui ædes. §. de vſu cap. Tuſcus littera D concluſ.* 518. *ergo inquè circa numerum reſeruatorum reſpectu dictorum confeſſariorum. Tum quia aliter videretur acceptio perſonarum quæ reprobatur Regula* 12. *in* 6. *cap. noui de iud. iuſtitia enim diſtributiua poſtulat vt æqualiter vtriuſque generis confeſſarij tractentur, cum multũ difficilè ſit immò odioſum aſſerere vnum genus confeſſariorum eſſe doctius, & prudentius alio, vndè iuſtum eſt, vt caſus in numero pares ſint reſpectu quorumcumq; confeſſariorum, eorum enim diſparitas arguit inæqualitatem aptitudinis ad hoc miniſterium ſpirituale exercendum. Tum quia ſub eadem lege reſeruationis exiſtentes eodem iure paritatis cenſendi ſunt. Probant aliqui ex citandis doctoribus per Clement. Dudum de Sepulturis* Hæc Bordonus. Suarez autem idem ſuſtinẽs, ſic dicit. *Conſiderandum vero eſt etiam ex vi horum iurium non habere minorem poteſtatem hos religioſos, quam Parrochos & ideò ſi Epiſcopi velint aliqua peccata ſpecialiter reſeruare reſpectu Religioſorũ, quæ non eſſent reſeruata reſpectu Parrochorum non poſſent id facere nec valeret reſeruatio quia eſt contra illud ius & cæt.* Ita Suarez. ſunt etiam pro hac opinione multi alii teſte eodem Bordono ſuprà citato Reginaldus *lib.* 8. *nu.* 74. Molfeſius noſter *in ſua Summa Trac.* 7. *cap.* 17. *num.* 30. Peirinus, *tom.* 1. *Relig. quæſt.* 1. *cap.* 21. § 2. Trimarchus *de Sollicitatio. diſput.* 14. *num.* 55. Floronus *cap.* 2. §. 1. *nub.* 6. Rodriquez. *quæſt.* 59. *art.* 8. Vnde hæc ſententia etiam præciſo quocumque alio, ſolũ ob auctoritatem tantorum virorum, eſt probabilis. ſed clarius meo iudicio res eſt explicanda, & in primis.

2 Duplex poteſt eſſe dubitationis ſenſus; an hæc reſeruatio fiat ab Epiſcopo cum cauſa, vel ſine cauſa arbitrio ſuæ voluntatis: ſi cum cauſa fiat non eſt dubium, quin reſeruatio teneat; agitatur ergò quæſtio, an ſi hoc faciat ſine cauſa. Inſuper etiam agitato dubio in hoc ſenſu poteſt adhuc dubitari, an licitè Epiſcopus hoc faciat, & an validè: poteſt enim illicitè facere & tamen validè. Adde etiam eſſe diſcrimen (vt mox patebit) & ponitur in titulo dubii, dum Epiſcopus reſeruaret plures caſus, reſpectu Parrochorum, & Regularium, quam aliorum confeſſorum ſæcularium, & quando reſeruaret plures caſus reſpectu Regularium, quam Parrochorum ſæcularium, quod vidi in multis diœceſibus fieri. His ergo omnibus conſideratis meo iudicio res per aliquot dicta eſt abſoluenda.

3 Dico ergo primo ſi Epiſcopi ſine cauſa reſeruent ſibi plures caſus reſpectu

ſpectu Regularium, quam Parrochorum, & aliorum confeſſorum item ſæcularium illicitè hoc faciunt, patet clarè dictum, nam reſeruatio eſt per ſe oneroſa ſubditis, & reddit difficilẽ vſum Sacramenti, & ideo non poteſt licitè fieri pro ſola voluntate ſuperioris. Ità Suarez, *in 3. Partem tom. 4. Diſput. 29. Sec. 4. num. 1.*

4 Dico ſecundo Si Epiſcopus reſeruet ſibi plures caſus reſpectu Regularium quam Parrochorum; ita vt excludat Regulares, eiſque auferat poteſtatem abſoluendi ab aliquo reſeruato, a quo poſſunt abſoluere Parrochi, valida eſt talis reſeruatio, quid quid dicant auctores ſuprà citati, qui inualidam dicunt hanc reſeruationẽ licet ſe clarè non explicent. Ratio fundamentalis eſt, quia qui committit alteri iuriſdictionem ſuam non ex debito iuſtitiæ, ſed ex ſua voluntate id facit. Ergò poteſt vni totam, alteri partem ſuæ iuriſdictionis committere, & ſic totam Parrochis, partẽ Regularibus, & hoc maximè, quia vt alibi dicimus reſpectu reſeruatorum, & in abſoluendo a reſeruatis delegatis ſunt Regulares DD. Epiſcoporum.

5 Neque dicas per nos iam dicta reſeruatio eſt illicita, ergo etiam nulla, & inualida: nam reſpondeo, concedo antecedens, nego conſequentiam, nam adhuc non eſt contra iuſtitiam nec deeſt abſoluta poteſtas in reſeruante, & ſæpè euenit vt notat Suarez, loco ſuprà, vt vſus poteſtatis habeat effectum, & tamen quo ad modum non ſit prudens, & rationabilis ſic videmus in diſpenſationibus, & ſimilibus, & maximè in effectibus negatiuis, qualis eſt huiuſmodi reſeruatio; eſt enim non conceſſio iuriſdictionis.

6 Dices, & eſt Achilles Doctorum, qui contrariam ſententiam videntur ſuſtinere, Regulares per Clement. *Dudum de ſepulturis*, ſunt æquales Parrochis. Ergò non poſſunt magis coarctari in reſeruatione quam ipſi Parrochi. Reſpondeo, quidquid ſit de antecedenti, quod a multis negatur; vt alibi etiam nos in hoc tractatu habemus, hoc *eodem capite in ſuperioribus*, nego tamen in caſu poſito eſſe æquales Regulares Parrochis, nam Regula illa, æquiparatorum idẽ eſt iudicium, intelligitur, vt dicit, & notat celebris Tuſcus. *in Pract. Concluſ. Verb Aequiparatorum*, quando in omnibus æquiparãtur & in caſu particulari de quo agitur; ſed Regulares in poſito dicto non æquiparantur Parrochis, quo ad auctoritatem abſoluendi, cum epiſcopus det eam Parrochis, & expreſsè auferat a Regularibus. Ergò dato etiam, quod Regulares ſint pares cum Parrochis, adhuc non poteſt ſubſiſtere opinio aduerſariorum. Si autem Epiſcopus, nõ excluderet poſitiuè Regulares ſed daret facultatem Parrochis abſoluẽdi nec mentionem faceret de Regularibus; non tamen eos excluderet ab hac auctoritate, & poteſtate abſoluendi; tunc ego puto poſſe adhuc Regulares, abſoluere a reſeruatis ſicut poſſunt Parrochi, quod tamẽ patebit melius per ſequens dubiũ, quod tamen intellige ſuppoſita illa ſententia, quę tenet Parrochos, & Regulares in poteſtate abſoluendi eſſe pares quæ mihi certè non placet, ſicut nec Ioanni Sancio alibi a me citato.

7 Dico tertio ſi Epiſcopus reſeruet plures

plures caſus reſpectu Regularium, quam aliorum clericorum, ſecularium, qui Parrochi non ſunt ſine cauſa, & cæt; illicita erit reſeruatio ſed valida,& hoc etiam ſi epiſcopus poſitiuè non excludat Regulares dicendo nolo quod Regulares abſoluant, ſed tantum dando facultatem clericis ſecularibus, nihil dicendo de Regularibus. Ratio dicti eſt. quia epiſcopus eſt dominus reſeruationis, & poteſt committere ſuam iuriſdictionem cui voluerit, & tunc Regulares, prætendere non poſſunt eandem auctoritatem, quam habent clerici ſeculares ſimplices confeſſores, cum eis enim pares non ſunt, ſicut pares habentur cum Parrochis. Vndè obſeruet lector diſparitatem, quę eſt inter caſū, quo Epiſcopus reſeruaret plures caſus reſpectu Regularium quam Parrochorum, & caſum hunc poſitum, quo reſeruaret plures caſus reſpectu Regularium,quam aliorum confeſſorum ſecularium ſimplicium: nam in primo caſu, ſi regulares poſitiuè non excluderentur,vt diximus, haberent eandem auctoritatem, ac Parrochi ob paritatem, quam habere cum eis prætendunt, in ſecundo autem caſu nequaquam,quia hęc paritas non eſt.

8 Sed inſtabit aliquis,& dicet, reſeruatio facta ſine cauſa ab Epiſcopo reſpectu regularium valida non eſt, ergo in caſu etiam poſito irrita, & nulla erit, probatur antecedens reſeruatio facta ab epiſcopo reſpectu Parrochorum,ſine cauſa eſt inualida, vt tradunt Maior, *diſt.* 17. *quæſt.* 5. Angelus *verb. Caſus* teſte Suarez. *In 3. Partem tom.* 4. *diſput.* 29. *ſec.* 4. *num.* 5. Ergo etiam ſi reſeruet ſine cauſa, caſus reſpectu regularium, qui pares cum Parrochis ſunt. Reſ pōdeo quid quid dicant relati doctores, negando reſeruationem factam ab epiſcopo ſine cauſa eſſe inualidam, ſi fiat reſpectu Parrochorum.Ita Doctus Suarez loco ſuprà *num.* 8. nam ſemper epiſcopus ita ſuperior manet reſpectu reſeruationis vt poſſit cauſam aliquā reſeruare. Vide dictum Suarez. Ergò ſi reſeruatio facta reſpectu Parrochorum ab epiſcopo eſt valida,etiam erit valida facta reſpectu regularium, cū pares ſint regulares Parrochis, & ſic ruit argumentum.

Sed vrgebit quis præcipuè contrà dictum ſecundum data illa ſententia, quę tenet regulares eſſe pares cum Parrochis vtique ſunt pares per ius Pontificium,& cōmune, ergo epiſcopus nequit tollere hanc paritatē quę eſt poſita per ſuperiorem, & ſic; etiā ſi dum reſeruat caſus excludat, regulares, dicendo nolo quod regulares abſoluant, volo quod Parrochi, adhuc regulares poterunt abſoluere, quia per ius commune æquales ſunt cum Parrochis; reſpondeo eſſe quidē pares per ius commune, & Pontificium Regulares Parrochis, ſed ſunt pares in caſu poſito reſeruationis, cū dependentia ab Epiſcopo, ità vt ſemper ſint delegati epiſcopi dum habēt auctoritatem adſoluēdi a reſeruatis: poteſt ergò epiſcopus eos inæquales in hoc facere pro libito ſuę volūtatis Quod autem ſint delegati patet,nam ius ordinarium abſoluendi a reſeruatis eſt in epiſcopis non autem in Parrochis, ſunt ergo iſti dum abſoluunt delegati & ſic poſſunt fieri inęquales & hæc ſufficiant pro præſenti dubio, quod clarius etiam patebit ex ſequenti.

An

An Dum Epiſcopus in aliquibus ſolemnitatibus, concedit facultatem Parrochis abſoluendi a ſibi reſeruatis cenſeatur eandem gratiam facere Regularibus. Dub. CXV.

SVMMARIVM.

1 *Quid dicant Doctores.*
2 *Aliud eſt per Bordonum quod Epiſcopus ſibi reſeruet plures caſus reſpectu Regularium, quam Parrochorum, & aliud concedere gratiam abſoluendi a reſeruatis.*
3 *Dum Epiſcopus in conceſſione facta Parrochis non excludit Regulares, eandem conceſſionem cenſetur facere Regularibus.*
4 *Si tamen excludat Regulares nequaquam.*
5 *Obiectionibus in contrarium reſpondetur.*

1 EX dictis in ſuperiori dubio poſſet quis facile reſoluere præſenſ. ſed vt clarius procedamus quid de caſu in terminis dicant doctores afferam, & meum ſenſum exponam.

Affirmatiue ergò reſpōdēt Peirinus, *tom.* 1. *de Religioſ. Quæſt.* 1. *cap.* 21. §. 2. & etiam alius vir doctus eiuſdem religionis Trimarchus *Diſput.* 14. *de Sollicitati num.* 55. Fundamentum deſſumunt, ex æqualitate inter regulares & Parrochos per Clement. Dudum.

Negatiuè e contra reſpondet Bordonus, *Reſolut.* 6. *num.* 22. *in ſuis Conſilijs* & probat, Tum quia cauſa limitata effectum producit limitatum leg. *in agris FF. de acquirend. rer. domin.* ſed gratia eſt tantum prò curatis, ergò ad eos limitatur excludendo regulares, Tum quia gratia hæc curatis facta, eſt odioſa cum vulneret ius ſpeciale ipſius epiſcopi; ergò ſtrictè eſt accipiēda ità quod non excedat ipſos curatos, argument. *Cap.* 1. *de filijs. Presbyter in* 6. & *Regul.* 28. *in.* 6. vbi dicitur quod exorbitantia a iurè non ſunt in conſequentiam trahenda.

2 Quod ſi ad hominem cōtra ipſum obiicias epiſcopus non poteſt ſibi reſeruare plures caſus reſpectu regularium, quam Parrochorum. ergò ſic a pari nec concedere hanc facultatē Parrochis, quin eam etiam concedat regularibus reſpondet ſic, *Aliud eſt enim Epiſcopum ſibi reſeruare plures caſus reſpectu regularium, aliud eſt concedere gratiam abſoluēdi a reſeruatis, vt enim conſtat omnino diuerſa ſunt & cæt. Epiſcopus autem cauſam rationabilem habet faciendi hanc humanitatem in curatis & cæt. quæ ratio cum in Regularibus non militet, quia ex charitate non ex iuſtitia excipiunt fidelium confeſſiones ideò illis, & non iſtis hæc gratia rationabiliter fit.* Hæc Bordonus, & doctè ſanè.

3 Dico ergo primo dato, quod regulares ſint pares cum Parrochis(de quo non diſputo) dum piſcopus in conceſſione facta Parrochis non excludit regulares expreſſe, etiam regulares poterunt abſoluere a reſeruatis, ratio quæ me mouet eſt, quia non eſt iudicandum velle epiſcopum tollere hanc paritatem, quam dat ius communè, niſi exprimat. Vnde licet diuerſa ratio ſit ob quam dat Epiſcopus hanc facultatem Parrochis, ac det regularibus, attamen debet epiſcopus exprimere.

4 Dico ſecundo ſi epiſcopus dat hāc facultatem Parrochis, & excludit regula-

gula-

gulares,non poſſunt Regulares abſoluere, ratio deſſumi poteſt ex dictis ſuperius. Epiſcopus enim eſt dominus reſeruationis.

5 Ad argumenta facilè patebit reſponſio conſideranti, & procedenti cum diſtinctione poſita. Ad fundamentum primæ opinionis eſſe quidẽ pares regulares Parrochis dum non diuerſificantur; ãt in caſu poſito ſi epiſcopus excludat regulares diuerſificantur in poteſtate abſoluẽdi, ergo. Ad Fundamenta ſecundæ opinionis cauſam limitatam cauſare limitatum effectum, dum illa in quibus cauſant effectum non æquiparantur; nec exorbitans eſt a iure, quod regulares in caſu poſito abſoluant etiam a reſeruatis, immo ſecundum ius, cum a iure æquiparentur cum Parrochis; Nec ex eo quod ſit odioſa reſpectu epiſcopi talis conceſſio eſt reſtringenda nam primo poſſet quis negare eſſe epiſcopo odioſam, Deinde non eſt adeo odioſa, vt magis odioſa non eſſet reſpectu regularium, qui prætendunt a iure æqualitatem cum Parrochis. Inſuper licet ſit maior ratio concedendi talem facultatem Parrochis; adhuc non eſt ratio per quã debeant excludi regulares; & hæc ſufficiant pro ſolutione poſiti dubii; opiniones enim Doctorum quas ſuperius retuli ſemper venerot, & probabiles iudico.

An Epiſcopi poſſint reſtringere Regulares Confeſſores, vt tantum in ſuis Eccleſijs recipiant Confeſſiones. Dub. CXVI.

SVMMARIVM.

1 *Sunt Doctores pro vtraque parte.*

2 *Abſolutè, & vniuerſaliter loquendo nequit Epiſcopus reſtringere Regulares, vt certis tantum in locis audiant confeſſiones.*

3 *Adducitur reſponſio ſuper conſtitutionem Gregorij XV.* inſcrutabili *de exemptorum priuilegijs, per quam deciditur dubium poſitum.*

4 *Signa aliqua dantur ad dignoſcendum, quando Epiſcopus ſine cauſa cum limitatione admittit Regulares ad Confeſſiones.*

1 NEgatiuè reſpondet Peyrinis *tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 21. §. Sed nota*, & hoc per priuilegium Iulij II. conceſſum minimis, vt teſtatur dictus Doctor, per quod poſſunt dictæ Religionis Patres excipere confeſſiones extra Eccleſias in domibus, & alijs omnibus locis congruis. Vnde cum ſit priuilegium conceſſum a ſupremo Principe, nequit tolli ab inferiori qualis eſt Epiſcopus. Ita etiam conſequenter reſpondebit Pater Cellotius citatus a noſtro Diana *reſolut. 61. 6. part. tract. 7.* qui mordicus defendit nõn poſſe ab Epiſcopis reſtringi Regulares pro confeſſionibus, neque ad tempus; nec ad perſonas; ergò a fortiori dicet neque ad locum. Sed

Affirmatiuè reſpondebunt fortè ſi conſequenter velint loqui, & Eminentiſſimus de Lugo, & noſter Diana *in 6. part. loco ſupra*, dum docent non debere damnari huiuſmodi approbationem ab Epiſcopis factam etiam reſpectu Regularium, nam poſſunt adeſſe tales cauſæ, quibus prudenter moueatur Epiſcopus ad approbandum cum talibus limitationibus.

2 Dico ergò abſolutè, & vniuerſaliter,

liter nequit reſtringere Epiſcopus 4 Regulares, vt audiant confeſſiones certis tantum in locis; bene tamen in aliqno caſu in quo adeſſet iuxta cauſa: hoc ſecundum patet; nam circa Sacramentorum adminiſtrationem curare debet Epiſcopus, vt rectè, & cum debita reuerentia adminiſtrentur. Quod ad primam partẽ autem probatur, quia habent circa hoc Regulares priuilegia; quæ adhuc ſunt in ſuo robore, vt patet ex ſecunda re-
3 ſponſione, ſuper conſtitutionem Gregorij XV. *inſcrutabili de exemptorum priuilegijs*, vbi cum quæſitum fuiſſet; An Epiſcopi poſsint Regularibus præſcribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant, vel alias illorum priuilegia reſtringere, ac moderari in Sacramentis adminiſtrandis, fuit reſponſum, in hac parte dictam conſtitutionem *Inſcrutabili* nihil noui iuris induxiſſe, nec vllam nouam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe; Ideoque in vim ipſius conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant; vel alias illorum priuilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari: Quod ſi aliundè Epiſcopis huiuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem conſtitutione ſublatam. Sed talis facultas non video quomodo Epiſcopis alio ex capite, vel aliquo iure competat. Ergò cum clarè circa hoc ſint priuilegiati Regulares iam poterunt ſine hac limitatione loci confeſſiones excipere dum ſine aliqua cauſa in hoc reſtringuntur.

Quando autem æſtimandum ſit ſine cauſa fuiſſe ſic limitate admiſſos ad Confeſſiones Regulares. Vide Peyrinum *tom. 1. de ſubdito quæſt. 1. cap. 21. §. 2. verſ. ſed inquies, & cæt.* qui inter alia inditia habet, vnum eſſe; quãdo omnes Doctos, & indoctos admittit indifferenter cum tali limitatione perſonarum, & locorum; quia impoſſibile eſt credere ex omnibus Regularibus nullum idoneum reperiri, qui ſimpliciter approbetur. Ita Vega 1. *part. cap. 62. caſu* 7. Ledeſma 1. *parte Summ. de Sacramento Pænit. cap. 13. dub. 9.* Rodriquez *in explicatione Bullæ Cruciatæ parte* 1. §. 9. *num.* 33.

An Regularis præſentatus, & iniuſte ab Epiſcopo non admiſſus ad confeſſiones, poſſit adhuc eas audire. Dub. CXVII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares per Clement.* Dudum de Sepultur. *poſtquam ſe præſentant, ſi iniuſtè reprobantur poſſunt audire confeſſiones, nec hæc Clement ſecundum aliquos fuit per Tridentin. reuocata.*

2 *Negant graues Doctores, poſſe Regularem iniuſtè non admiſſum ab Epiſcopo, audire confeſſiones, & quare.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Peyrinus *de ſubdito quæſt. 1. cap. 21. §. 2. verſic. circa autem approbationem*, & Collotius citatus a Diana *parte 6. trac. 7 reſolut. 60.* fundamentum huius ſententiæ eſt, quia per *Clementin dudum de ſepulturis* habetur, quod ſi reijciantur

tur Regulares iniuſtè ab Epiſcopis poſtquam ſe humiliter præſentauerint coram eis, & petierint approbationem habeant iam facultatem a Summo Pontifice. Quæ Clementina non eſt reuocata per Concilium Tridentinum *ſeſſ.23.cap.15.* ſed fuit approbata, & confirmata, vt vult Nauarrus *in Summ. capit.27.a numer.264.* Henriquez *libr.6. de pænitentia capit.6. numer.4.* & alij plures.

Negatiuè tamen reſpondent Diana noſter *tractat.7. parte 6. reſolut.60.* & Ioannes de Lugo *de pænitentia diſp. 21. ſec.3. numer.5.* qui aſſerit affirmatiuam ſententiam eſſe contra ſenſum fidelium, & praxim Eccleſiæ, & contra mentem Concilij Tridentini, quæ fuit reformandi has Regularium facultates, ad fundamentum autem partis contrariæ reſpondent Doctores huius ſententiæ. Primo iam illud antiquum priuilegium *cap. dudum* fuiſſe reuocatum per Trident. etiam ſi illius nulla fuerit facta ſpecialis mentio, nec derogatum expreſsè fuerit, nam poſterior lex derogat priori, dum ei aduerſatur in caſu autem poſito lex, & decretum Concilij nihil operaretur niſi eſſet reuocatum antiquum priuilegium. Sed hæc reſponſio non placet, nam adhuc poſſemus aſſignare, quid operatur illud decretum Concilij, etiam ſi antiquum priuilegium non eſſet pro Regularibus reuocatum; & ſic dicit Diana melius eſſe reſponſum Vaſquez, & aliorum ſcilicet non fuiſſe neceſſarium, quod illud priuilegium antiquum reuocaretur per Concilium Tridentinum; Quia illud ſolum erat in ordine ad iuriſdictionem, ad quam obtinendam ab Epiſcopo, ipſi præſentabantur Religioſi, quibus ſi Epiſcopus nolebat iuriſdictionem concedere Summus Pontifex concedebat, hoc autem, nec per Tridentinum eſt reuocatum, quia etiam Regulares iuriſdictionem habent modo a S. Pontifice; & Concilium ſolum addidit conditionem quamdam requiſitam ex parte Sacerdotis, vt ei concedatur iuriſdictio ſcilicet approbationem Epiſcopi, quæ ſi non præcedat, Papa proteſtatur ex indiſpoſitione ſubiecti non concedere ei talem iuriſdictionem. Sed nec iſta reſponſio conuincit, & ſatisfacit, nam ſi Concilium tantum requirit ſupra Clementinam dictam approbationem ab Epiſcopo, quomodo arguitur quod quotieſcumque non detur hæc approbatio careant ſemper Regulares iuriſdictione? Etiam dum *Clementina dudum* vigebat tenebantur ſe præſentare Epiſcopo, qui ſi iniuſte negabat facultatem iam poterunt audire confeſſiones. Ergo etiam modo ſi iniuſtè deneget, dicet aliquis iam poterunt Regulares excipere confeſſiones cum approbatio per examen facta ſucceſſerit modò loco illius præſentationis per Concilium habes has duas ſententias. Lector ego nolo potius vni, quam alteri adhærere tantum aduerte ſententiam affirmatiuam ad praxim parum poſſe conducere.

L An

An Regulares omnes poſſint abſoluere Sacerdotes ſæculares, quando Epiſcopus aſſignat pro eorum cõfeſſionibus certos Regulares. Dub. CXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Illa deputatio eſt tantum ad bene eſſe, & non obligatiua.*

2 *Adeſt declaratio S. Congregationis, & mandatum in ea ne præſcribat Epiſcopus certos confeſſarios Præsbyteris.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Bordonus *reſolut. 6. quæres 7.* & Bariola etiam videtur eſſe in hac ſententia *littera C.* & probatur; tum quia in litteris pro confeſſionibus audiendis non exprimitur, nec prohibetur hoc Regularibus, vt patet in diæceſi Mediolanenſi, in qua tales Regulares deputantur pro ſacerdotibus ſæcularibus; Tum quia illa deputatio eſt tantum ad bene eſſe, & non obligatiua. Demum citatus Bariola teſtatur adeſſe declarationem S. Congregationis Epiſcop. quæ fuit directa Epiſcopo Alexandrino, & mandatum in ea ne præſcriberet certos confeſſarios, Canonicis, & Præsbyteris. Inſuper videtur contraria opinio eſſe directè contra priuilegia Regularium confeſſorũ, per quæ dum ſunt approbati poſſunt audire quoſcumq ad eos accedentes, nec poſſunt ab Ordinarijs coarctari, vt audiant tales tantum determinatas perſonas, & melius firmat poſitã ſententiam Bordonus *reſol. 36. n. 54.* dum Epiſcopos non poſſe hoc facere, nec directè exprimendo hoc in licentijs, quas dat Regularibus, nec indirectè prohibendo ſuis clericis, ne confiteãtur niſi ſpecialiter ab ipſo deputatis, probat tum ex Clement. *Dudum*, tum ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. vbi habetur, quod Regulares poſſint audire confeſſiones quorumcumque ſiue laicorum, ſiue clericorum. ergo Epiſcopi cum non ſint ſupra ius commune nequeunt hanc facultatem tollere Regularibus. Et licet adducatur in medium declaratio S. Congregationis, per quam datur Epiſcopis facultas limitandi approbationem, quo ad perſonas; debet intelligi, quo ad ſexum, non quo ad ſtatum perſonarum. Vide dictũ Bordonum loco cit.

An Regulares Parrochi amoti à Parrochijs, vel à ſuperioribus, vel ab alio, poſſint audire confeſsiones ſine noua approbatione. Dub. CXIX.

SVMMARIVM.

1 *Pro vtraque parte ſententiæ adducuntur.*

2 *Lezanæ diſtinctio non probatur.*

3 *Parrochus Regularis amotus à Parrochia adhuc audire poteſt in illa Diæceſi confeſſiones ſine noua approbatione Epiſcopi.*

4 *Abſurdum eſt dicere Parrochos Regulares peioris conditionis eſſe, quam alios ſimplices cõfeſſores Regulares.*

5 *De quibus Parrochis Regularibus intelligatur poſita doctrina.*

1 NEgatiuè reſpondet Bordonus *reſol. 7. n. 47.* Fundamentum ipſius

ſius eſt; quia Parrochus Regularis nõ habet aliã poteſtatẽ audiendi confeſſiones niſi ex tali officio, quod habet; ceſſante ergo illo fundamento, iam ceſſat talis poteſtas, ſicuti alij Parrochi, qui remoti à cura, & ab officio iã nequeunt audire amplius confeſsiones ob eamdem rationem. Ita etiam Boſſius *de Iub. ſec. 3. caſ. 2. §. 2. numer. 56.*

Affirmatiuè reſpondet è contra Peyrinus *tom. 3. de priuilegijs cap. 4. nu. 12.* qui citat pro ſe Riccium *parte 3. Praxis reſol. 192. num. 2.* Fundamentũ eſt, quia ſemel approbatus, & examinatus ad curam animarum, iam non debet iterũ examinari, ſi ad eam curam redeat.

2 Lezana autem media via incedit, & diſtinguit ſic *verb. Parrochus num. 6.* Vel approbatio Epiſcopi fuit perpetua, vel temporalis, ſi perpetua iam poteſt; ſecus ſi temporalis. Sed meo iuditio hic Doctor licet ſemper doctiſsimus, in hoc non ſoluit difficultatem; nam hoc eſt, quod quæritur, an illa approbatio Parochi ſit perpetua, vel temporalis.

3 Dico ergo cum Peyrino Parrochũ Regularem amotum à ſuo ſuperiori adhuc poſſe audire confeſsiones in illa Diœceſi, & ratio, quæ me mouet eſt, quia dum ille fuit approbatus ad confeſsiones non minus, ac alij Regulares fuit approbatus, dum ſimpliciter ad confeſsiones approbantur; Sed alij Regulares poſſunt ſemper excipere confeſsiones, ſi diſcedant etiam à Diœceſi, & iterum redeant; Ergo ſic etiam Parrochi; immo à fortiori. Quod autem non minus approbetur Parrochus ille, quam alij probatur; nam Parrochus dicitur confeſſor approbatus ab Ordinario, vnde virtute Iubilæi poteſt eligi in Confeſſariũ à quocumque, vt verè approbatus; vt monſtrat praxis, & docent Bonacina, & alij apud Cardinalem de Lugo *diſputat. 21. de pænitentia ſect. 1.* 4 ergo. Deinde ſi vera eſſet oppoſita ſententia, eſſent Parrochi Regulares peioris conditionis, quam alij, quod videtur abſurdum, cum alij ſemel approbati ſemper cenſeantur approbati. In hac ſententia etiam videtur eſſe Villalobos licet oppoſitam iudicet probabilem, dum dicit ſic » *tractado 9. difficult. 55. num. 5. Tambien ſe aduierta, que el Parocho, que commuto el beneficio curando, que tenia por otro ſimple, ò lo dexo de otra manera toda via es idoneo, y aprouado conforme à eſte decreto la razon es por que no perdio con eſto la aprouaçion, que tenia la qual preçede a la colaçion del beneficio curado dize el Padre Fray Manuel Rodriquez.* Si ergo alij Parrochi, qui Regulares non ſunt, etiam amoti à beneficio, adhuc approbati cenſentur, à fortiori Regulares, qui per multos, & innumeros ferè Doctores ad tempus limitatum approbationem non habent, cenſendi certè ſunt approbati, etiam amoti à beneficio. Hoc tamen intelligo de Parrochis, qui vt ita dicam adhuc non ſunt emancipati à Religione, ſecus de emancipatis.

An Regulares approbati ab Epiſcopo in vna Diœceſi cenſeatur approbatus in omnibus Diæceſibus. Dub. CXX.

SVMMARIVM.

1 *Fundamenta, per quæ mouentur aliqui Doctores, ad affirmandum Regulares in vno loco approbatos eſſe vbique approbatos.*

2 *Semper requiritur Diæceſani approbatio ad hoc, vt regulares poſſint excipere confeſſiones.*

3 *Etiam ſi Concilium Tridentinum non reuocaſſet indulta Regularium in hoc, iam per decretum ſub Vrbano VIII. fuerunt derogata.*

4 *Quare tempore Iubilæi ſufficiat vnica Epiſcopi approbatio ad hoc, vt eligi poſſit, quis in confeſſarium; ſtante opinione, quæ docet ſufficere.*

1 HAbes caſum apud Dianam *part. 6. tract. 7. reſolut. 59.* fuſiùs ſuo more diſcuſſum, vbi refert aliquas Doctorum ſententias.

Affirmatiuè reſpondent Cellotius *lib. 5. de Hierarchia capitulo 25.* & Baunii *in Theologia Morali, par. 1. tractat. 4. quæſt. 4.* Cellotius adducit ad hoc multa Regularium priuilegia: Bauny mouetur, quia per Concilium Tridẽtinum tantum vnius approbatio requiritur, & confirmat, quia qui eſt approbatus in vno oppido poteſt eligi à quocumque virtute Bullæ, ergo ſignum eſt vnicam tantum approbationem requirere Pontificem, & Concilium, eodem modo procedit Ioannes Præpoſitus, *in tertiam partem D. Thom. q. 8. de Sacram. Pæn. dub. 4. n. 21.*

2 Negatiuè reſp. tamen ferè cõmuniter DD. Diana ipſe *loco ſupra*, Cardinale Lugo, *de Sacramento Pænitentiæ diſp. 21. ſec. 2. num. 42.* & Ioannes Vuigers, *in 3. partem de Sacramento qu. 8. art. 4. n. 14.* & probatur primo. Quia in hoc Concilium Tridentinum fecit æquales, & pares Regulares Præsbyteris ſecularibus, ergo ſicuti Clerici ſeculares debent ſemper approbari in qualibet Dieceſi ſic, & Regulares non obſtantibus eorum priuilegijs; Deinde etiam ſi Concilium dicat tantum requiri circa hoc approbationẽ, ab Epiſcopo, nec ſe explicet, attamen ſemper debet intelligi, quod approbatio debeat eſſe à Dieceſano, vbi reperitur excipiens confeſsiones; nam in multis alijs caſibus Epiſcopi requirit conſenſum, & abſolutè loquitur, ſemper tamen de conſenſu Dieceſani intelligitur ſic, *v. g.* ad renunciationẽ nouitii requirit conſenſum, & aſsiſtẽtiam Epiſcopi, non ſufficit tamen habere aſſenſum Epiſcopi extranei, ſed debet eſſe Epiſcopi Dieceſis, in qua nouitius profiteri debet.

3 Adde modo per decretum Vrbani VIII. editum die 17. Septembris 1628. iam corruere primam ſententiam affirmatiuam. Ita Diana loco ſupra, & Boſſius *de triplici Iubilæi priuilegio ſec. 3. caſu 2. §. 1. num. 36.* quod tamen non iudicat adeo certum noſter Alphonſus de Leone *tractatu de officio, & poteſtate Confeſſoris tom. 2. recollect. 10. n. 56.* Decretum autem incipit *cum ſicut accepimus.* Vnde ſtante hoc decreto, etiam ſi per Concilium non reuocata eſſent circa hoc indulta Regularium, vt volunt Doctores contrariæ ſententiæ immo etiam ſi per illud vnica tantum approbatio

eſſet

eſſet neceſſaria adhuc tamen, iam poſt hoc decretum a quolibet ordinario loci debet eſſe approbatus, qui confeſſiones vult excipere.

4 Patet ergo reſponſio ad fundamentum aduerſariorum ad confirmationem autem; ſcilicet ſemel ab vno ordinario approbatum virtute Iubilęi poſſe a quocumque eligi: reſpondeo hoc non eſſe adeo certum, immo opinio contraria eſt magis probabilis, quam docent Alphonſus de Leone *de Iubilæi parte 2.pag.73. num.19.* Graffius in *Appendice libr.2. cap.5.num.15.* & ſic fuiſſe deciſum a Sacra Congregatione teſtatur Suarez *diſput.28.ſec.6. & 7. tom.4. Religio*, & hanc ſententiam certam docet eſſe Bonacina *diſput.5.de Sacrament.quæſt. 7.punct.4. §.1. numer.21.* Vnde poſſet negari fundamentum. Sed dato quod virtute Bullæ, & Iubilæi ſemel approbatus a quocumque poſſet eligi in Confeſſorem, attamen hoc eſſet pæculiaris fauor per Bullam datus, qui communis, & ordinarius cenſeri non debet. Sed circa hoc dubium vide Dianam loco citato in eo enim habes quidquid pro ſe adducere poſſunt aduerſarij. Ita Boſſius *ſec.2.caſu 2.§.6. num.207.*

An Regulares approbati in vna Diæceſi poſſint ſubditos illius Diæceſis vbique audire.
Dub. CXXI.

SVMMARIVM.

1 *Negant multi Doctores, & quare.*
2 *Affirmatiua ſententia tenenda eſt.*
3 *Iuriſdictio voluntaria, etiam ſi delegata poteſt extra territorium exerceri.*
4 *Senſus Clement.* Dudum *explicatur.*
5 *Priuilegia aliquando quæruntur ad tollendos ſcrupulos.*

1 NEgant Syluester *verb Confeſſor 1.num.12. & Confeſſor.2. num.4.* Nauarrus *in ſumm. cap.27. poſt numerum 266.verſic.6.* Viualdus *in ſuo candelabro aureo par.1.rub.de abſol numer. 50.* vbi ait ita declaratum Romæ *anno 1587.* Miranda *in Manual. Prælatorum tom.1.quæſt.45. art.8. concluſione vnica* Hyeronimus Campanilis *rubric.12. cap.13.num.71.* quos omnes citat doctus, & diligens Auctor Ioannes Angelus Boſſius *ſec.3.caſu 2.§.6. nu 200.* & hi Doctores negant ſolum hoc Religioſis, licet concedant alijs Clericis ſæcularibus: mouentur tum ex *Clemēt. dudum de Sepulturis*, vbi videtur Regularibus facultas limitata conceſſa intra proprium territorium: in ea enim habetur expreſsè, quod extra Ciuitates, & diæceſes, in quibus ſunt approbati nequeant audire ſęcularium confeſſiones. Secundo ex ipſis priuilegijs quæ circa hoc habent Regulares arguunt, & dicunt, ergo ſignum eſt de iure non poſſe confeſſiones audire extra locum, vbi ſunt approbati: & ſic dicunt aliqui ex his Doctoribus, quod ſi Regulares eſſent approbati ex ſpeciali auctoritate, & iuriſdictione illis data; vt accidit in Clericis ſæcularibus ab Epiſcopo, iam poſſent etiam extra Diæceſim audire confeſſiones, ſic Silueſter *citato nu.4.* & Roſella *verb.Confeſſio Sacramentalis 3. nu. 3.* & D. Antonin.*3.part.tit.17.cap.10. in fine* his tamen non obſtantibus.

2 Affirmant Peirinis *tom.1. de ſubdito*

 quæſt.

*quæſt.*1.*cap.*21.*§.*2.*dico* 3. & apud ipſum Sotus *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*4. *art.* 3. *verſ.aliud vero dubium*, Ledeſma 1.*par. Summ.de Sacrament. Pænitentiæ cap.*12. *dub.vltimo*, Angles *in floribus quæſt. de Confeſſor.art.de Miniſtro*, Henriquez *lib.* 6. *de Sacramento Pænitentiæ, cap.*7.*n.*1. Rodriquez *to.*1. *quæſtionum, quæſt.*60. *art.*5.& Miranda etiam licet pro contraria ſententia adducatur à Boſsio ſupra *tom.*1. *manuali quæſt.*45. *art.*14. *concluſione* 3. *in fine*, & demum ipſe Boſsius *loco citato num.* 202. qui affirmat de omnibus confeſſoribus ſiue Regularibus, ſiue ſæcularibus, vbi etiã plures alios adducit Doctores hoc ſuſtinentes Tamburinum *de iure Abbatum tom.*2. *diſp.*6. *q.*14.*n.*4. Fagũdez *in* 5. *præcepta Eccleſiæ p.*2. *lib.*7. *cap.*2. Homobonũ 1.*p. examinis tract.*5. *c.*3. *qu.* 16. Floronum *de caſibus reſeruatis par.*1. *cap.*4.13. *num.vnico*. Ioannem Baptiſtam *in Summ qq. cap.*19. *num.*5. & alios. Probatur hæc opinio primo, ex priuilegio Sixti IV. id diſertis verbis concedentis, vt refert Caſarubius *in Compendio verb. abſolutio, quo ad ſæculares num.* 11. Secundo, quia id poſſunt curati, ergo, & Regulares, qui ſunt pares Parochis per Clementinã. Ita probat Peyrinus *loco ſupra*; ſed iſtę rationes aliquas patiuntur difficultates, vnde magis placet probare ſic.

3 ſcilicet iuriſdictio voluntaria etiam ſi non ordinaria, ſed delegata poteſt licitè, et valide exerceri extra territorium delegantis, et committentis, vt communiter tam Legiſtæ, quam Canoniſtæ docent. et ratio fundamentalis eſt, quia per vſum iuriſdictionis voluntariæ nulla infertur iniuria iudici alieni territorij.

4 Nec fundamenta, et rationes aduerſariorum vrgent; nam primo reſpondeo Clement. illam *Dudum* non obeſſe Regularibus in hoc; ſenſus enim illius eſt, vt Regulares non poſſint extra Diæceſim vi iuriſdictionis ipſis per ſua priuilegia datæ, audire illos, qui non ſunt de diæceſi, in qua ſunt approbati, ne ſcilicet ſic putarẽt ſe ſemel approbatos vbique eſſe approbatos. Ita exponunt Tamburinus, et Sanchez citati a Boſsio, et ita etiam Peyrinus *loco ſuprà*.

5 Nec obſtat etiam habuiſſe circa hoc priuilegia; nam priuilegia, quæ habuerunt in primis, ſunt, vt poſsint extra diæceſim, etiam aliorum, qui de illa diæceſi non ſunt confeſsiones audire, deinde priuilegia non ſemper quæruntur, quia eis opus ſit, ſed ad tollendos ſcrupulos quorumdam.

An Regulares ſine approbatione Epiſcopi poſsint audire confeſsiones Equitum Alcantaræ, Calatrauæ, S. Iacobi, S. Stephani, et ſimilium.
Dub. CXXII.

SVMMARIVM.

1 *Varietas opinionum circa hoc.*
2 *Solutio poſiti dubii dependet ab illa quæſtione an dicti equites verè ſint religioſi.*
3 *Quid dicendum de illis fæminis, quas in Hiſpania beatas vocant.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Ioannes Sancius *in ſelectis diſput.*49. *n.*9. & 11. et caſum habet in terminis Diana *tract.* 2. *p.* 3. *reſolut.* 30. et videtur eſſe in affirmatiua etiam, et citat ſuo more plures alios. Michael Ferro Mã-riquez

riquez cum diſtinctione quadã procedit *part.2.quæſtionum vicarialium qu.* 118.*num.*8. & ſic dicit *ſimiliter dicendum eſt de aliquibus memoratis ſupra nu.* 2.*nam ſi verè Religioſi ſint peccata mortalia confiteri nequeunt niſi cum Sacerdote expoſito, & approbato ab ordinario Eccleſiaſtico Religionis, ſi non ſunt verè Religioſi ſubiecti manent Epiſcopis, quod & cum prædicta diſtinctione intelligenda eſt doctrina Ioannis Sancij relata ſupra dicto num.*2. *in fine, vt poſſit Sacerdos ſimplex, & non approbatus ab Epiſcopo abſoluere equites D. Ioannis, D. Iacobi, & cæt.*

2 Dico ergo tota ſolutio poſiti dubij dependet ex illa quæſtione, quæ quærit; an dicti Equites ſint veri Religioſi: eſſe veros Religioſos aſſerunt ferè innumeri Doctores; ſed inter alios Sperellus Doctus Vir id latè probat *in ſuis deciſionibus deciſ.*2. *per totam* & ſimul ſatisfacit omnibus obiectionibus contrariæ partis. Negant plures alij, & circa hoc fuit altercatio inter Doctores inſignes. Franciſcum Sermientum Rotæ Romanæ Auditorem, & Martinum Nauarrum,& eam late examinauit Gregorius Lopez; vt refert idem Sperellus,vbi nolens quęſtionem decidere lectorem reuocat ad ordinum Militarium Bullas, & conſtitutiones. Si ergo Religioſi ſint iam non indigent Regulares illa approbatione Epiſcopi, vt audiant illorum confeſſiones. Quia concilium ſolum loquitur de confeſſione reſpectu ſæcularium; debent ergo eſſe approbati a Prælatis illorum equitum, & in hoc vera eſt ſententia citati Ferro Manrique. ſed approbati ſunt addo ipſe omnes confeſſores ſiuè Regulares ſiuè ſæculares, talis enim debet æſtimari voluntas dictorum Prælatorum, quæ non debet ita coarctata eſſe, vt eſt circa hoc voluntas Prælatorum illorum ordinum, in quibus degunt ſub obedientia Religioſi; & ſic in hoc ſcrupulum ipſe non haberem.

3 Et aduerte hic, idem eſſe dicendum de mulieribus illis quas in Hiſpania vocant beatas, quæ ſub regula Santi Franciſci in communi viuunt. Quia huiuſmodi fœminæ verè religioſę ſunt, vt declarauit Sixtus IV. teſte dicto Sãcio, *loco ſuprà n.*14.qui refert ad hoc Angelũ *verb. Monaſteriũ n.*18. & Sanchez,*lib.*2.*de Matrimonio diſput.* 18.*num.* 4. & idem dicendum de Fæminis Beatis San. Dominici ſub clauſura viuentibus. & de omnibus alijs ſimilibus: ſecus dicendum eſt de alijs beatis, quæ verè profeſſionem non emiſerunt, ſed tantum votis ſimplicibus ſe alligarunt, niſi forte cum huiuſmodi votis ſimplicibus eſſent dictæ Congregationes approbatæ a Summo Pontifice, vt patet in Societate Ieſu.

An Capitulum ſede vacante poſſit reuocare facultatem audiendi confeſſiones, quam habent Regulares. Dub. CXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Pro parte negatiua ſunt Doctores multi, & adeſt priuilegium Clementis IV. conceſſum Regularibus.*

2 *Hanc facultatem Capitulo ſede vacante multi Doctores tribuunt, & quare.*

3 *Capitulum ſede vacante venit nomine ordinarij.*

4 *Negatiua ſententia magis authori placet.*

1 CVm Capitulum Sede vacante in multis ſuccedat loco epiſcopi, & eandem facultatem habeat, quam habebat epiſcopus, dubium poſitum noſtræ inſtitutæ materiæ erit ſaltem adaptatum.

Negant ergo Syluester *Verb. Confeſſor. nu.* 49. *p.* Stephanus Fagundez *de Eccleſiæ Præceptis lib.7. cap. 2. num.* 28. & alij, colligunt ex priuilegijs, quæ habent circa hoc Regulares precipuè Dominicani,& Franciſcani, vt refert Rodriquez *tom. 1. Bullarum fol. mihi* 36. & priuilegium præcipuum eſt Clementis IV. & tenoris ſequentis. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filijs Magiſtro & Fratribus ordinis Prædicatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem exigentibus veſtræ deuotionis meritis, votis veſtris libenter annuimus & petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus fauorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod licet vobis, a nonullis Patriarchis Archiepiſcopis, Epiſcopis & alijs Eccleſiarum Prælatis audiendi confeſſiones ſubditorum ſuorum, nec non prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis ciuitatibus, & Diæceſibus licentia ſit conceſſa; quà tamen ipſis Prælatis decedentibus vti licentia huiuſmodi Eccleſijs ſic vacantibus dubitatis, nobis humiliter ſupplicatis, vt prouidere vobis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in huiuſmodi caſu poſſitis vti tamdiu libere prædicta licentia, donec viduatis eccleſiis prouiſum fuerit de Paſtore. Nulli ergo datum Peruſij 17. Kalendas Iulij Pontificatus noſtri anno primo*, ſed hoc non obſtante.

2 Affirmatiuè reſpondent Marchinus, *part. 5. Tract. de Peſtilentia cap. 4. num.* 15. & Boſſius *Sec. 3. caſu 2. §. 3. num.61.* & alij apud ipſum mouentur; Tum quia approbatio, quam debent habere Regulares eſt ab Epiſcopo, vel ab habẽte iuriſdictionem Epiſcopalem, Sed Capitulum ſede vacante habet iuriſdictionem Epiſcopalem. Ergò. Vndè Marchinus, ſic habet. *Sed ergo valdè dubito, hæc priuilegia nõ fuiſſe a Tridentino reuocata ſeſſ. 23. cap.* 15. ſecundo Capitulũ, poteſt ſuſpendere,& reuocare omnes licẽtias,& approbationes datas Sacerdotibus ſæcularibus. Ergò etiam Regularibus, quia eodem modo ſubiiciuntur examini, & approbationi Regulares, ac ſæculares.

Quod ſi quis dicat, locum, & textum concilii loqui de prima approbatione, quam debent habere Regulares ab Epiſcopo non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs & cęt.

3 Reſpondet, dictus Marchinus ſi hoc eſſet ſequeretur, quod ſemel approbatus regularis, iam non poſſet de nouo ſubici examini, nec etiam, dum aduenit nouus Epiſcopus, quod falsũ eſt ex *Conſtitutione Pij V.* quę incipit. *Romani Pontificis prouidentia*, & ferè omnes Doctores docent poſſe nouo examini ſubiji. Ergò intelligi debet de approbatione a quocunmque ordinario. & conſequenter etiam a Capitulo ſede vacante, quod venit nomine Ordinarij, & ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopi ordinaria, exceptis caſibus in iure canonico prohibitis

de

de quibus agunt Stephanus Quaranta *Verb. Capitulũ ſede vacante* Sbrozzus *de Officio Vicarij lib. 2. per multas quæſtiones*. Auguſtinus Barboſa *de officio Epiſcopi Allegat. 36. num. 9.*

4 Hæc ſecunda ſententia Marchini non caret probabilitate:prima tamen magis placet,tum ob priuilegium adductum, quod puto non eſſe abrogatum, tum quia Capitulum ſede vacante non ſuccedit in hoc, & in alijs ſimilibus caſibus Epiſcopo vt alibi diximus,& probamus.

An Epiſcopus poſſit ad examen cogere illos Regulares, qui ſine examine ſunt ab eo approbati ad confeſſiones. Dub. CXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Poſſe iterum ad examen vocare, quo fundamento dicant aliqui.*

2 *Conſtitutio Pij V. quæ incipit* Romani Pontificis *non fuit reuocata per reductionem priuilegiorum ad terminos Concilij Tridentini.*

3 *Approbatio ad Cõfeſſiones,& ſine examine,& cũ examine poteſt haberi.*

4 *Regulares, qui habent priuilegium, vt ſemel admiſſi in eadem Diæceſi ab eodem Epiſcopo nequeant iterum examinari, non debent iterum ad examen vocare.*

5 *Verba, quæ ſunt in conſtitutione citata Pij V.* prævio examine approbatos, *non ſunt poſita cum hoc fine reſtringendi Regulares, ſed quia ordinariè ſolet fieri approbatio prævio examine.*

6 *Derogatoria, quæ eſt in conſtitutione citata Pij V. cadit ſupra §. 3. eiuſdem conſtitutionis.*

7 *Dum Conſtitutio Pij V. citata concedit ſucceſſoribus Epiſcopis facultatem de nouo approbandi Regulares a præcedenti approbatos,exprimit:ergo dum non exprimit reſpectu eiuſdem approbantis dicendũ eſt,nõ poſſe iterũ approbare, & examinare.*

1 DVbium habet Ioannes Angelus Boſſius. *De Triplici Iubilæi priuilegio ſec.3.caſu 2. §. 1. a nu. 39. vſque ad 42. & ità dicit. Epiſcopus poteſt religioſos mendicantes ſine examine a ſe approbatos in examen vocare, vt ſupponi videtur in dicta ordinatione Pij V. illis verbis. Volumus tamen eos, qui ab epiſcopo ſemel in Ciuitate & Diæceſibus ſuis prævio examine approbati fuerint ab eodem epiſcopo iterum non examinari. Igitur, qui ſine prævio examine approbati fuerint poſtea examinari poterunt & conſequenter ſi per illud conſtiterit priorem approbationem non fuiſſe rectè factam poterit reuocari Ità Suarez & cæt.& ſubdit. Quod ſi tã abſque prævio examine abſolutè approbatos, & notoriè idoneos ex maleuolentia ad examen Epiſcopus vocet animo illos reprobandi, quæ maleuolentia eſſet nota, tunc ex ſupra dictis putarem dictos Religoſos abſque examine abſolutè approbatos non teneri ſe offerri ad examẽ. In dubio autẽ de maleuolentia tenerentur ad examen comparere,quia in Prælato non debet præſumi maleuolentia.* Hæc Boſſius; circa quæ

2 Aduertẽdũ eſt 1.cõſtitutionem Pij V.quæ incipit *Romani Põtificis* nõ fuiſſe reuocatã per reductionem priuilegiorũ ad terminos Cõcilij Tridẽtini, vt tenẽt Manuel *in Bullã Cruciatæ 9. n. 3.*Mirãda *in Manuali Prælatorũ to. 1.q. 45.ar.7.*Marchinus *de Peſte part.5.cap. 4. num.* 8. & plures alii apud dictum Boſſi-

Boſſium *loco ſupra*. Quæ conſtitutio fauorabilis eſt regularibus, in aliquibus, vt patet eam legenti: præcipuè §. 2. vbi dicit Pontifex verba ſuprà relata à Boſſio *Volumus autem & cæt.* Ergo non debemus æſtimare, quod tollat Regularibus priuilegia, ſi quæ habent circa confeſſiones niſi quo ad approbationem ab Epiſcopo, nam vult omnimodè omnes Regulares antequam audiant confeſſiones eſſe approbatos ab Epiſcopo, Approba-
3 tio autem ab Epiſcopo poteſt haberi & ſine examine,& cum examine: approbatio autem quam requirit Pius V. non eſt neceſſario cum examine Vndè §.3. dicit. *Inhibentes quibuſcumque Regularibus quorumuis ordinum etiã Mendicantium, vt præfertur ne vigore deputationis, aut approbationis ab eiſdem Maſtigris, & Miniſtris Prouincialibus, etiam quod illarum occaſione ab ordinarijs, hucuſque tollerati fuerint abſque ſpeciali in poſterum licentia & approbatione, ab ordinarijs obtinenda ſæcularium confeſſiones audire præſumant, & cæt.* Ecce quomodo approbationem ſolum requirat Summus Pontifex nec examen neceſſario,hoc poſito.

4 Dico; ſi Regulares habent priuilegia, vt ſemel admiſſi in vna Diœceſi non debeant in eadem iterum examinari; hoc adhuc poſt dictam conſtitutionem Pii V. citatam valet abſolutè, & non ſolum quando ſunt examinati, vt vult citatus Boſſius, eſt dictum cum Lezzana, quem ego pro multis habeo *tom.2.cap.1.de Iuribus priuilegijs & cæt. num.* 18. dum dicit *valet tamen quantum ad hoc,quod idem Pontifex ſubiungit, quod ſcilicet ille, qui ſemel eſt in vna Diæceſi ab Epiſcopo admiſſus amplius præſentari ibidem non debeat, aut examinari ab eodem Epiſcopo, bene tamen à ſucceſſore*, ecce quomodo dicit ille Doctor; *admiſſus non examinatus.* citat pro ſe declarationem quamdam Cardinalium, quam teſtatur eſſe apud Quarantam *in Summ. Bullarum verb. Confeſſor*, quæ tamen omnino conformis eſt conſtitutioni Pij V. relatæ. Probatur ergo dictum primo; Quia cum fauorabilis ſit conſtitutio Pij V. Regularibus in hoc, quod ſemel approbati nequeant iterum cogi ad comparendum pro approbatione,iam rationabiliter eſt iudicandum noluiſſe in hoc reſtringere, & coarctare illorũ priuilegia; ſed potius roborare;coarctaſſet autem,ſi tantum reſpectu illorum Regularium, qui examinati fuerunt, & non aliorum, qui ſine examine admiſſi, & ſic dicendum eſt poſita eſſe illa verba *præuio examine approba-*
5 *tos*, non cum hoc fine reſtringendi Religioſos; ſed quia ſolet ordinariè fieri approbatio præuio examine.

Secundo, quia hæc priuilegia,quæ circa hoc habent Regulares,non ſunt reuocata perTridentinum,vt expreſsè docet Lezana citatus loco ſuprà licet *ſeſſ.*23.*cap.*15. reuocauerit priuilegia, per quæ regulares poterant audire confeſsiones ſecularium cum ſola approbatione Generalium, vel Prouincialium ſuorum; nec reuocata
6 ſunt per dictam cõſtitutionem Pij V. quæ eſt Achilles Doctorum contrariȩ ſententiȩ; nam derogatoria, quȩ ibi eſt,cadere videtur ſuper §.3. Deinde, vt dixi in ea potius confirmatur dictum priuilegium Regularium. Inſuper demus, quod dicta conſtitutio reuocauerit,vel potius limitauerit tale priuilegium Regularium, attamen poſſet reſponderi, iam dictam con-

ſtitu-

ſtitutionem reuocatam fuiſſe à Gregorio XIII. per reductionem ad terminos Concilij Tridentini, quod licet mihi non placeat, ſicuti nec communiter ferè doctoribus; attamen aliqui hoc docent, cum igitur Concilium Tridentinum non abroget, quo ad hoc ſpeciale priuilegia Regularium, nec abrogabit ea dicta conſtitutio.

7 Dices Conſtitutio Pij V. citata abrogauit in eodem §. citato *volumus* priuilegium illud quod habebant Regulares, vt ſemel approbati in vna diæceſi in ea ſemper cenſerentur approbati; ita vt nec a ſucceſſore Epiſcopo poſsent iterum examinari, quæ priuilegia refert latè Miranda *tom. 1. in manuali Prælatorum quæſt. 45. art. 7. verſ. ſed loquendo* ergo etiam reuocauit illud priuilegium ſi illud habent Regulares, vt ſemel approbati ſine examine ab vno Epiſcopo nequeant ab eodem poſt examinari, alioquin aſſignanda eſt diſparitas.

Reſpondeo ex verbis ipſis conſtitutionis colligi diſparitatem, immo potius noſtram ſententiam firmari; nam ibi dum concedit ſucceſſoribus Epiſcopis facultatem de nouo approbandi Regulares a precedenti approbatos dicit. *Cæterum poterunt a ſucceſſore Epiſcopo pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete ſi voluerint examinari*, dat facultatem de nouo examinandi Regulares ſucceſſoribus, & hoc exprimit ergo videtur eam tollere a præcedentibus, qui dictos Regulares approbarunt, cum incluſio vnius ſit excluſio alterius Tollit ergo ibi dicta conſtitutio in parte priuilegium, quod ſatis amplum habebant Regulares, vt ſemel approbati ſemper in eadem diæceſi æſtimarentur approbati a quocumque Epiſcopo, non autem priuilegium: quo ab vno Epiſcopo approbati ab eodem nequeunt approbari de nouo, & examinari, & hoc intellige cum grano ſalis; ſcilicet nulla adueniente cauſa, & dum approbatio eſt abſoluta, nec tempore limitata.

An Regulares poſſint ſuis hoſpitibus, & familiaribus ſeruis, & cæt. miniſtrare Sacramenta ſine Parrochi, aut Epiſcopi licentia. Dub. CXXV.

SVMMARIVM.

1 *Per priuilegia, quæ habent Regulares poſſunt miniſtrare familiaribus Sacramenta, & cæt. ſine Parrochi licentia.*

2 *Ampla conceſſio Leonis X. ad fauorem minimorum circa dubium poſitum.*

3 *Concilium Tridentinum coarctauit priuilegia multa Regularium quibus familiares fruebantur* ſeſſ. 24. cap. 11.

4 *Confeſſor Regularis, qui audit Confeſſiones familiarum, & cæt. an debeat eſſe approbatus ab Epiſcopo.*

5 *An poſſint dicti familiares abſolui a caſibus reſeruatis Epiſcopo.*

6 *Non poſſunt Regulares aſſiſtere matrimonijs dictorum familiarum.*

7 *Priuilegia conceſſa Regularibus circa ſuos familiares extenduntur etiam; quo ad hoſpites, & quomodo.*

8 *An poſſint iſti familiares excommunicari ab Epiſcopis.*

9 *Etiam quando Regulares ſunt abſentes a Monaſterio poſſunt abſoluere dictos familiares.*

10 *Vbi publicatur Bulla Cruciata poſſunt Regulares frui talibus priuilegijs in* ordi-

ordine ad ſuos famulos.

11 *Famuli ſalariati etiam gaudent omnibus priuilegijs, quidquid dicant aliqui in contrarium.*

12 *Alumni qui viuunt in Collegijs Regularium gaudent priuilegijs, quibus gaudent famuli, & cæt.*

1 Affirmatiuè reſpondent ferè communiter Doctores Peyrinus *in conſtitutionem* 1. *Iulij II.* noſter Peregrinus *in compendio priuilegiorum verb. communicare* 1. *part.* §. 3. ex priuilegio, quod conceſſit Pius IV. noſtræ congregationis, hoc autem priuilegium fuit datum pro hoſpitibus laicis infirmis, & ſimile priuilegium conceſſit Monachis Sancti Benedicti Francus Legatus a Latere Sixti IV. in hæc verba teſte Peyrino, *& ſi qui intra ſepta Monaſteriorum ipſorum infirmati fuerint extremam vnctionem dare auctoritate Apoſtolica cuius legationis officio fungimur in hac parte tenore præſentium plenariam, & liberam concedimus facultatem Parrochialis Praesbiteri, vel alterius cuiuſcumque Epiſcopi, vel ſuperioris licentia, vel aſſenſu nullatenus requiſitis, & cæt.*

2 Lezana *tom.* 2. *ſuæ Summæ cap.* 16. vbi agit de familiaribus, ſeu ſeruitoribus agit latè de caſibus in quibus abſolutè ſine aliqua licentia ordinarij, poſſint illis Regulares miniſtrare Sacramenta. Primo adducit ex Peyrino *tom.* 1. *priuilegiorum* amplam conceſſionem Leonis X. ad fauorem minimorum in hæc verba. *Vt Fratres ordinis Minimorum huiuſmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu ſæculari eis deſeruientium quoties opus fuerit, etiam Paſchatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Eccleſijs huiuſmodi confeſſiones audire, ipſiſque, & eorum cuilibet Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis Sacramenta miniſtrare, ac illis, ac cuilibet eorum inhumationis, & ſepulturæ beneficia cuiuſuis licentia ſuper hoc minimè requiſita, impendere liceat. Ita quod ſingula perſona huiuſmodi in eorum mortis articulo frui valeant, & cæt.* quod tamen priuilegium ſicuti, & alia ſimilia coarctauit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. his verbis *exceptis tamen* his, qui prædictis *locis, aut militijs actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta, ac domos reſident ſubque eorum obedientia viuunt.* Vnde tres conditiones requirit Concilium, & quod actu ſeruiant, & quod degant intra domos Regularium, & viuant ſub eorum obedientia, (intellige tamen per obedientiam non Religioſam ſed ſeruilem) illi ergo familiares hoſpites ſeu ſerui poſſint recipere a Regularibus Sacramenta nulla præmiſſa Parrochi ſeu ordinarij licentia. Sed aliquæ abſoluendæ ſunt difficultates.

3

4 Quæres ergo, primo; an Regularis, qui adminiſtrat Sacramentum pœnitentiæ his familiaribus debeat eſſe approbatus ab Epiſcopo, & Ordinario.

Affirmatiuè reſpondent Rodriquez *tom.* 2. *qq. Regularium quæſtio.* 67. *art.* 1. Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 10. Lezana *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 16. fundamentum eſt Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. Sed

Negatiuè reſpondent Ioannes de la Crux *de ſtatu Religioſ. cap.* 6. *dub.* 1. *concluſ.* 1. Peyrinus *tom.* 1. *priuilegiorum in conſtitutionem* 1. *Iulij II.* & hæc opinio mihi magis placet loquendo de familiaribus, qui ſunt verè de familia

Re-

Regularium, & eorum commenſales habes autem circa hoc declarationem Sacrę Congregationis apud Barboſam teſte Lezana, quæ eſt tenoris ſequentis. *Confeſſarij Regulares in Monaſterijs, & Collegijs Regularium, vbi regularia inſtituta ſeruantur poſſunt abſque licentia Epiſcopi audire confeſſiones eorum ſæcularium, qui ſunt verè de familia, & communes commenſales, non tamen illorum, qui tantum deſeruiunt in Monaſterijs.* Quod ſi fidem non habeas dictæ declarationi habe fidem relatis priuilegijs, vbi datur facultas miniſtrandi Sacramenta, & cæt.

5 Quæres ſecundo; an poſſint Regulares abſoluere dictos familiares a caſibus reſeruatis Epiſcopo.

Negatiuè reſpondet Lezana; quia, & ſi Vrbanus IV. facultatem dederit Carmelitis abſoluendi ſuos familiares ab omnibus caſibus, niſi fortè commiſiſſent propter, quę eſſet conſulenda Sancta Sedes adhuc hęc conceſſio videtur reuocata per decretum Sacræ Congregationis æditum ſub Clemente VIII. per quod Regularibus tollitur facultas abſoluendi a caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſecundo eſto, quod poſtea Clemens VIII. conceſſerit hoc priuilegium Carthuſianis vt teſtatur noſter Peregrinus 1. *part. ſui compendii tit. abſolutio quo ad ſeculares* attamen per decretum Vrbani VIII. videtur talis conceſſio etiam reuocata, cum per illud decretum fuerint priuilegia omnia reuocata habes decretum ſupra in dubio; *An Regulares extra Italiam poſſint abſoluere a caſibus reſeruatis, & cæt.* & etiam apud Lezanam *tom.* 1. *cap.* 19. *nu.* 17. his tamen non obſtantibus.

Affirmatiuè reſpondet Peyrinus *tom.* 1. *priuileg in conſtitution em* 1. *Iulii II.* & aliquos ſine nomine citat Lezana *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 17. & hæc ſententia etiam mihi magis arridet, ratio eſt, quia poteſt dici, illa omnia decreta loqui reſpectu aliorum ſæcularium non autem familiarium, qui actu ſeruiunt, & cæt. nam hi videntur quo ad Sacramentum pœnitentiæ frui priuilegijs Regularium; ſicuti enim per ipſum Lezanam probabile eſt ſine approbatione ordinarijs poſſe Regulares audire confeſſiones horum familiarium, quod meo iudicio eſt maioris momenti, & maius priuilegium circa hoc Regularibus conceſſum, cur etiam non poterunt a caſibus reſeruatis a fortiori.

6 Quæres tertio an poſſint aſſiſtere etiam matrimonijs dictorum familiarium. Reſpondeo negatiuè. Ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 18. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. requirit in hoc Sacramento præſentiam Parrochi, tum quia hoc Sacramentum propriè non adminiſtratur a Parrochis, & Sacerdotibus, cum ipſi contrahentes ſint miniſtri. Vnde dicit Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 19. & 20. & 21. Vbi Regulares Parrochi non ſunt, nec ſuorum familiarium matrimonijs aſſiſtere poſſe.

7 Quæres quarto, an hæc priuilegia conceſſa Regularibus circa ſuos familiares ſint etiam conceſſa reſpectu hoſpitum. Reſpondet Lezana priuilegium, quod habent Regulares miniſtrandi extremam vnctionem familiaribus infirmis, etiam eſſe pro hoſpitibus, vt patet per priuilegium ſupra relatum Franchi Legati a Latere in Hiſpania. Quo ad alia vero non lo-

Digitized by Google

loquitur, nec verbum facit dictus Lezana, imò dubitat; an hoc priuilegium ſit inter viuæ vocis oracula, & conſequenter recuſandum. Sed noſtra Congreg. teſte Peregrino *in compendio pagina mihi* 45. etiam pro hoſpitibus habet hoc priuilegium, verba autem Peregrini hæc ſunt *Præſbiteri noſtræ congregationis Sacramentum Eucharariſtiæ etiam pro viatico conſtitutis in articulo mortis, & Sacramentum extremæ vnctionis miniſtrare poſſunt. cæteris clericis, & Fratribus noſtræ congregationis Item Mercenarijs, famulis, operarijs, & ſeruis noſtræ congregationis ac quibuſuis hoſpitibus etiam ſæcularibus quos in locis, vel habitationibus congregationis noſtræ reperiri contingerit; & in mortis articulo, & quoties de illo dubitari contigreit, etiam Diæceſanorum locorum, & curatorum quorumcumque, etiam in quorum ciuitatibus, & diæceſibus, ac Eccleſiarum Parrochijs reſpectiuè eccleſiæ & loca ipſius Congregationis nūc & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunque licentia minime obtenta, nec petita & cæt.* Pius IV. conceſſit & fuit hoc priuilegium confirmatum a Pio V. anno Domini 1567. Idibus Februarij, & vt patet in noſtris priuilegijs manuſcriptis, eſt amplum priuilegium: illud conſidera.

8 Quæres quinto, An huiuſmodi familiares poſſint ab Epiſcopo excommunicari, vel interdici.

Negatiuè reſpondent Henriquez, *tom.* 1. *lib.* 7. *de Indulgentijs cap.* 25. *nu.* 7. *litt. L.* & Lezzana. *tom.* 2. *cap.* 16. *nu.* 23. & hoc intellige etiam iuxta priuilegium conceſſum militibus Sancti Ioannis, quorum familiares nequeūt excommunicari ſine ſpeciali mandato Papæ: aduertit tamen Lezana hoc valere iuxtà limitationem in conſtitutione Leonis X. poſitam. ſcilicet. *niſi cauſam dederint dictæ excommunicationis, aut dantibus cauſam auxilium conſilium vel fauorem præſtiterint* (intellige de cauſis principalibus.)

9 Quæres ſeſto; An Regulares dum ſunt abſentes a Monaſterio, & habēt ſecum aliquem ex dictis familiaribus & famulis poſſint illos abſoluere &c. Reſpondeo Affirmatiuè ex priuilegio quod conceſſit Nicolaus V. Patribus Santi Hyeronimi Hiſpaniæ teſte Portel. *Verb. famuli*.

10 Quæres ſeptimo; An vbi publicatur Bulla Cruciatę poſſint frui Regulares talibus priuilegijs in ordine ad ſuos famulos.

Negatiuè reſpond. Sorbus *in Addit ad Compendium Priuilegiorum. Verb. Interdictum* Rodriquez *in Expicatione Bullæ cruciatæ* §. 5. *num.* 39. Nauarus, *lib.* 5. *conſil.* 16. *num.* 1. Affirmatiuè e contrà reſpondet Lezana *tom.* 2. *cap.* 1. *numer.* 59. Quia non ſuſpenduntur priuilegia Regularium, quo ad ſæculares, cum enim ſint maximè fauorabilia non debent cenſeri ſuſpenſa niſi de illis ſpecialis mentio fiat: & alias adducit rationes ſuam ſentētiam cōfirmantes. Vnde in hac ſententia, etiā in locis vbi Bulla publicatur, poterūt Regulares ſuos famulos actu ſeruientes & cæt. abſoluere a reſeruatis, illis commutare vota & cęt.

11 Quęres octauo, An familiares, & famuli dicti ſi ſint ſalariati gaudeant his priuilegijs. Negatiuè reſpondet Cockier, *de Exempt. part.* 1. *quæſt.* 30. Sed affirmatiuè reſpondet Peirinis. *in Conſtitutionem primam Iulij* 2. *Not.* 16.

12 Quæres nono, An alumni, qui viuunt in collegijs Regularium (puta

Societa-

Societatis Ieſu) gaudeant priuilegiis, quibus gaudere diximus hos famulos? Reſpondet Bordonus *Reſolut.* 38. *qu.* 5. *in ſuis Conſilij*, quo ad confeſſione n gaudere, & ſic poſſe abſolui a Regulari non approbato ab epiſcopo, abſolui a reſeruatis, & cęt. non alia ratione niſi quia commenſales ſunt Regularium. Ergò. Idem puto dicendũ de alijs priuilegiis, gaudere ſcilicet omnibus quibus gaudent, vt diximus, famuli.

An Epiſcopus poſſit procedere in regulares, qui miniſtrant Sacramenta prohibita miniſtrari in Clement *Religioſi*. Dub. CXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia.*

2 *Authori negatiua proponitur, & probatur.*

3 *Sacramenta recenſentur prohibita miniſtrari* in Clement. *a Regularibus ſine Parrochi licentia.*

1 MIranda *in Manuali Prælator. de Religioſis quantum ad adminiſtrationem Sacramentorum*, latè, & docte expedit propoſitum dubium per tres Concluſiones. Ego hic breuiter exponam quid ſentiam.

Affirmatiuè reſpondet ibi Miranda. Sed.

2 Negatiuè ipſe Reſpondeo, & colligo ex verbis. ipſis *Clementinæ Religioſi, citata de Priuilegijs & exceſſibus Prælat.* quæ talia ſunt. *Datur facultas locorum Ordinarijs poſtquam eis de hoc conſtiterit, vt prædictos Religioſos excommunicatos faciant publicè denunciari, nec de abſolutione ipſorum eis fuerit data fides, nullo Religioſis ſuper id exemptionis, vel alio priuilegio ſuffragante.* Ergò ex his verbis tantum colligi poteſt Epiſcopum poſſe declarare, ſeù denunciare Regularē cõtrafacientē excommunicatũ, non autē quod poſſit in Regularem alio modo procedere.

Alias concluſiones ponit ibi Mirãda, quæ non ſunt pro caſu. An dicentibus Regularibus ſe habere circa hoc priuilegium teneantur credere Epiſcopi, vel poſsint Regulares cogere, vt exhibeant priuilegia, ſed de hoc habes alibi ſolutionem, & dubium. Nunc tantum dico, ſi priuilegia ſunt notoria non tenentur Regulares illa exhibere, ſecus ſi nota non ſint: & hoc in ſententia communiori.

3 Sed quæres hic, quæ nam ſint illa Sacramenta, quæ prohibentur Religioſi miniſtrare? habe verba Clement. *Religioſi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum vnctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, matrimonia ve ſolemnizare non habita ſuper his Parrochialis Præsbyteri licentia*, & de Euchariſtia intellige in die Paſchatis, vel per modum viatici: nam extra diem Paſchatis ex priuilegijs Summorum abſque dubio, (vt praxis continua docet) poſſunt miniſtrare Regulares dictum Sacramentum. Imò in die ipſo Paſchatis, ſi accedens ad eam iam ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ in Parrochia, vt habet Lezana *verb. Euchariſtia num.* 2. vbi ex Gauanto refert circa hoc declarationes Sacræ Congregationis contrarias, quas tamen conatur explicare, & bene explicat, & concordat.

An

An Regulares eiectus ſi miniſtret Sacramenta contra dictam Clementin. incidat in excommunicationem. Dub. CXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Eiectus ſemper eſt Religioſus.*
3 *Authoris opinio.*
4 *Praiudicium non adeo graue fieret Parochis, ſi à dictis eiectis miniſtrarentur Sacramenta contra Clementin.*
5 *Nouitij Regulares ſi miniſtrent dicta Sacramenta non incidunt in pœnas, &c.*

1 MOuet dubium Lopez de Taxedo *lib. 2. tract. 1. controuerſiarum controuerſia* 10 & Ratio dubitandi eſt, quia Religioſus in perpetuum eiectus, cum ſit in omnibus a religione ſeparatus iudicatur tamquam Clericus ſæcularis, & ſubditur Epiſcopo. Ergò ſicuti Clericus ſęcularis non incidit in talem excommunicationem. cum illum Clementina non comprehendat, vt docent Sylueſter *in Summ. verb. excommunicatio 7. numer.* 32. & Lezana verb. *Euchariſtia numer.* 3. ſic etiam eiectus non incidet & cęt.

2 Affirmatiuè tamen reſpondet ipſe Taxedo citatus, & ratio ipſius eſt; quia adhuc eiectus eſt verus Religioſus, & manet in perpetuum talis. Ergò ſicuti Regularis nō poteſt; ſic nec talis eiectus.

3 Negatiuè ego reſponderem, nam etiam ſi eiectus ſit adhuc Religioſus; attamen multa ceſſant in eo, quæ nō ceſſant in alijs religioſis. Sic v. g. eſt capax Regularis eiectus beneficij, aut penſionis, vt tenet Lezana Verb. *eiectus Regularis*, dum tamen annexum non ſit tali beneficio vel penſioni ordinum exercitium. Quod non procedit in alijs Regularibus. Deinde videtur non militare eadem ratio in eiectis, ac in alijs; præiudicium enim non adeò graue fieret Parrochis, ſi Euchariſtiam miniſtrarent tales eiecti, qui vt clerici ſæculares ſolent viuere; Ergò non video fundamentū, quo nititur. Taxedo, an autem poſſint eiecti Euchariſtiam miniſtrare regulariter, & ordinarie præciſa diſpenſatione videbimus *quo ad eiectos, & Apoſtatas.*

5 Sed quid dicendum de Nouitijs, an incidant & cet. ſi miniſtrent; Negatiuè reſpondent Peirinus *in Conſtitutionem p. Iulij* 2. & Suarez *tom* 5. *in* 3. *Partem trat.* 3. *diſput.* 72. & ratio eſt, quia cum ſit lex pænalis eſt reſtringenda nouitij autem in odioſis non veniunt nomine Religioſorum vt in multis caſibus, vt alibi diximus.

An Epiſcopus poſſit prohibere, ne Sacerdotes Sæculares adminiſtrent Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium ſuis ouibus. Dub. CXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſit ratio dubitandi.*
2 *Ad miniſtrandam Euchariſtiam non ſolum requiritur poteſtas ordinis, ſed etiam iuriſdictionis.*
3 *Per priuilegia, quæ habent Regulares, iam non poſſunt hoc Epiſcopi prohibere Sacerdotibus ſæcularibus.*

4 *Appro-*

4 *Approbatio ad miniſtrandam Euchariſtiam ſtatim data intelligitur, ac quis ſit ſacerdos.*

1 DIximus ſuperius poſſe Epiſcopos prohibere, ne ſacerdotes ſeculares celebrent Miſſas in Eccleſijs Regularium modo à fortiori, & cum maiori fundamento dicendum eſt poſſe prohibere, ne miniſtrent Euchariſtiam, & probatur ex doctrina, quam admittere debent omnes Doctores, & habet præcipuè Suarez *tom. 3. in tertiam partem, quæſt. 82. diſp. 71. ſect. 2.* ad miniſtrandam Euchariſtiam non ſolum requiritur poteſtas ordinis, ſed etiam poteſtas iuriſdictionis, & colligitur in particulari de hoc Sacramento *in Concilio Carthaginenſi cap. 7.* vbi ſic legitur. *Statuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſq; Clericus, vel Laicus nō communicet in aliena plebe abſque litteris Epiſcopi ſui*, & omnes Epiſcopi reſponderent. In hoc clero, & Laicis conuenientiſſime prouideri, & idē decernitur *in Concilio Mileuitano cap. 18.* in quibus locis licet prohibitio fiat recipientibus Euchariſtiam, tamē relatio hæc mutua eſt, & reciproca obligatio, vt optimè notat idem Suarez, & fundatur hæc prohibitio in ipſo naturali iure, & in debita gubernatione, vt nemo mittat falcē in meſſem alienam, nec vſurpet ius alienum, & ſic antiqua conſuetudine ſeruabatur, vt qui præerat, miniſtraret hoc Sacramentum. Deinde paſcere gregem Chriſti non eſt munus cuiuſcumque Sacerdotis. Sed proprii Paſtoris, & ſic videmus, quod etiam actus publicè concionandi hoc ius aliquo pacto requirit. Vnde concludit Suarez peccare mortaliter, eum qui ſine debita facultate, & iuriſdictione miniſtraret Euchariſtiam, nullam tamen adeſſe pœnam ſic miniſtrantibus notat idem Doctor ſuprà. Hæc regulariter de iure dicenda ſunt, & ita tenendum.

3 Sed aduertit Suarez loco citato, *ſecundo dicendum eſt*, adeſſe priuilegia aliquibus Regularibus conceſſa, vt non ſolum per ſe, ſed etiam per alios in eorum Eccleſijs, & domibus poſſint Euchariſtiam miniſtrare; & habet ſic iſte Doctor: pono verba, nam non adeo facilè inuenies Doctores referentes hoc priuilegium. *Poſteriori autem modo conceditur Mendicantibus Religioſis, & alijs per ſua priuilegia, & aliquibus eorum non ſolum datur, vt per ſe poſſint miniſtrare; ſed etiam vt in eorū domibus, ſeu Eccleſijs id poſſint facere alij ſimplices Sacerdotes ex facultate ſuperioris talis domus, ſeu Religionis, Itemque hoc conceditur ipſis Religioſis in alijs Eccleſijs, quando in eis concionentur, vt conſtat ex priuilegijs Mendicantium Societatis, & aliarum Religionum.* Stando ergo in his priuilegijs, iam non video quomodo Epiſcopi poſſint prohibere hoc ſacerdotibus ſæcularibus, ſed datis etiam his priuilegijs dubium mouet Suarez *loco ſupra immediatè*; an electi Sacerdotes ad miniſtrandam Euchariſtiam debeant eſſe approbati ab Epiſcopo, ſicut debent eſſe approbati, qui confeſſiones adminiſtrant, citat aliquos ſine nomine, qui docent neceſſarium eſſe ex vi Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15.* approbationem Epiſcopi ad hoc Sacramentum ſicuti ad miniſtrandam Cōfeſſionem; ſed ipſe negat hoc requiri ex vi Concilij; tum quia cum illa lex ſit odioſa

Digitized by Google

non eſt extendenda, tum quia iſtæ duę res ſeparabiles ſunt. Vide ipſum ſi plura de hac re deſideras. Aduerte re hic ſolum neceſſarium puto talem approbationem modo communiter intelligi datam ſtatim, ac quis ſacerdos ſit; nam non eſt neceſſaria tanta ſufficientia in omnibus ad adminiſtrandam Euchariſtiam, ac requiritur pro adminiſtratione Pænitentiæ; Attamen ſi contradiceret Epiſcopus; quia eſt actus ad quem requiritur iuriſdictio, puto talem ſacerdotem nõ debere æſtimari approbatum. Deinde loquẽdo de ſacerdotibus ſęcularibus, qui admittuntur à Regularibus pro adminiſtratione Euchariſtiæ puto ſatis eſſe, quod admittantur ſic, vt æſtimentur approbati; nam quid operaretur priuilegium ſi inſuper requireretur Epiſcopi approbatio?

An Regulares poſſint inconſultis Parrochis miniſtrare Euchariſtiam per modum viatici. Dub. CXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Communis Doctorum ſententia negatiua.*
2 *Notabile circa hoc Regularium priuilegium.*
3 *In die Paſchatis, an poſſint Regulares miniſtrare Euchariſtiam.*
4 *Qui negant adducunt rationem.*

1 Negatiuè reſpondent cõmuniter DD. vnde tantũ dicunt abſente Parocho poſſe licitè hoc Sacramentum miniſtrari à Regularibus cõſtitutis in articulo mortis. Ita Lezana *verb. Euchariſtia* Eminentiſs. de Lugo *de Sacr. Euch. diſp.* 18. *ſect.* 2 *n.* 53. Hurtadus *de Sacram. Euch. diſp.* 11. *diffic.* 6.

2 Sed apud Portel. habes in hoc notabile Regularium priuilegium conceſſum Minoribus à noſtro Fundatore Paulo IV. quod his verbis conceſſum eſt teſte eodem Portel. *verb. Sacramentorum adminiſtratio Quod de cætero tam dictorum, quam aliarũ, quarumcumq; Prouinciarum, aut Ciuitatum, aut Diæceſum per totũ orbẽ omnium vtriuſque ſexus fideliũ pro tẽpore d. ordinis Fratres à ſuis ſuperioribus, vt moris eſt deputati Confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum vbilibet etiam extra domos, & habitacula eorumdem Fratrum audire, eoſq; in caſibus, & cenſuris quibus eis per priuilegia Sedis Apoſtolicæ huiuſmodi hactenus conceſſum eſt poſſe abſoluere, & ipſi hactenus abſoluere conſueuerunt, abſoluere & pænitentiam ſalutarem iniungere, ac in omni tempore præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quam quibuſuis perſonis miniſtrare poſſint Apoſtolica auctoritate indulgemus,* tale eſt priuilegium, quos certè vt dicit Portell. non ſic paſſim aduertitur à Doctoribus, nec eſt reuocatum, vt notat idem Portell. ſed quidquid ſit de illo praxis diuerſa eſt.

3 Quæres hic obiter; an in die Paſchatis poſſint aliquando Regulares miniſtrare Euchariſtiam.

Negat abſolute Trullench *in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib.* 1. §. 3. *dub.* 7. *num.* 9. *ſed*

Affirmant alij ferè communiter, dum ſcilicet iam fideles adimplerunt præceptum ſumendo Euchariſtiam ante, vel poſt talem diem. Ita Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regulariũ verb. Euchariſtia numer.* 11. & *apud ipſum Villalobos in Summ. tractat.* 7. *difficult.*

ficult. 47. *num.* 4. Coninch *de Sacram. parte* 3. *quæſt.*82. *art.*3. *num.*31. Ludouicus de S. Iuan. *in Summ. quæſt.*8. *art.* 3. *dub.* 1. *de Sacramento Euchariſtiæ.* 1
Præpoſitus *in tertiam partem quæſt.*80. *art.*11. *dub.*2. *num.*60. Filliuccius *tom.* 1. *tract.*4. *cap.*9. *num.*265.

Fundamentum autem, & rationem, qua mouetur Trullach ad oppoſitum aſſerendum ſe non videre teſtatur dictus Nouarius *loco ſupra*, cum Trullench tamen ſcias eſſe etiam Nauarrum *cap.* 21. *numer.* 52. ratio autem horum Doctorum eſt, quia priuilegium hoc, cum ſit contra ius commune eſt ſtricte interpretandum, maximè cum poſſit aliquid operari, etiam ſi in die Paſchatis nullo modo poſsit ſum Euchariſtia in Eccleſijs Regularium. Tum tamen ne diſcedas ab opinione affirmante.

An Regulares poſſint miniſtrare Euchariſtiam in priuatis oratorijs ſæcularium contradicente Epiſcopo. Dub. CXXX.

SVMMARIVM.

1 *Doctorum authoritate affirmatiua ſententia probatur.*
2 *Per priuilegia, poſſunt hoc facere Regulares.*
3 *Priuilegium, quod eſt lex priuata ſuperioris, non poteſt tolli inferiori.*
4 *Etiam ſi Epiſcopus poſſit prohibere, ne Regulares celebrent in oratorijs priuatis, non per hoc poteſt prohibere ne miniſtrent Euchariſtiam.*
5 *Quomodo intelligenda ſit illa regula, qui poteſt maius poteſt minus.*
6 *Non ſolum per priuilegium Pauli III. ſed etiam per alia priuilegia hoc poſſunt facere Regulares.*

Affirmatiuè reſpondet Portell. *tom.* 2. *Reſponſionum moralium, caſu* 2. *per totum*, vbi latè, & doctè probat hanc ſententiam. Primò auctoritate Doctorum inter quos citat Suarez *tomo* 4. *de Religione lib.* 9. *cap.* 3. vbi circa finem habet. *Religioſo, qui habuerit licentiam Ordinarij ad dicendam Miſſam in aliquo Oratorio particulari obtenta facultate ad dicendum ſacrum in loco accommodato non erit neceſſaria ſpecialis licentia ad dandam Euchariſtiam, ſed ex vi priuilegij licebit.* Idem ſuſtinent Rodriquez, Villalobos, Ioannes de la Cruz relati à dicto Por-
2 tell. Secundò ex priuilegijs, quæ habent Regulares fere omnes per communicationem miniſtrandi Euchariſtiam extra ſuas domos, & Eccleſias excepto die Paſchatis, & in articulo mortis. Priuilegia hæc multa affert dictus Portell. vidi omninò ipſum: ne hic prolixior fiam lectori. ſunt Pauli IV. anno 1557. in fauorem Fratris Angeli de Auuerſa Vicarij Generalis Ordinis Minorum, & hoc priuilegium tranſcribitur à Rodriquez *in ſuo Bullario fol. mihi* 851. Nicolai Quinti, Sixti Quarti, & Leonis Decimi, quæ omnia habes apud Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 56. *art.* 3. proba-
3 tur tertio rationibus, nam habent Regulares hoc ex Priuilegio, ergo Epiſcopi iam non poſſunt abrogare tale priuilegium cum priuilegium ſit lex priuata à ſuperiori, quam tollere non poteſt inferior. Deinde hæc priuilegia non fuerunt abrogata, vt ſupponit Suarez, qui licet moueatur ad hanc ſententiam ſolum ex priuilegio

Leonis X. quod antiquius eſt omni alio in hac materia, dicit tamen non eſſe hoc modo reuocatum, nec priuilegium Pauli IV. per non vſum fuit abrogatum, nam multæ conditiones requiruntur ad hoc, vt priuilegium per non vſum deperdatur. ſunt aliquę obiectiones contra hanc concluſionem, quas hic ponam, & ſoluam.

4 Obij. primo. Poteſt Epiſcopus prohibere, ne Regulares celebrent in oratorijs priuatis. Ita per Concilium *ſeſſ.22. in decreto de obſeruandis in Celebratione Miſſarum*, ergò etiam poteſt prohibere, ne miniſtrent Euchariſtiam in dictis Oratorijs. Reſpondeo, dato quod poſſint Epiſcopi prohibere, ne Regulares celebrent, & cæt. de quo egimus *cap. quo ad celebrationem Miſſarum*, nego tamen conſequentiam, quia hæc duo ſunt valdè diuerſa, & diſparata, & ſic poterit circa vnum Epiſcopus in Regulares procedere, non ſic circa aliud.

5 Obij. ſecundo. Qui poteſt maius, poteſt etiam minus, ſed Epiſcopus poteſt prohibere id quod eſt maius, ſcilicet celebrationem Miſſæ, & cæt. ergo, & miniſtrari Euchariſtiam poterit prohibere.

Reſpondeo diſtinguo maiorē, qui poteſt maius poteſt minus, ſi illud continentur in maiori, ſecus ſi non continetur. Sic Sacerdos Confeſſor dat abſolutionem quod eſt maius nec poteſt dare indulgentiam, quod videtur eſſe minus.

6 Obij. tertio. Priuilegia, quæ habent Regulares circa hoc, & præcipuè priuilegium Pauli III. habet, quod fiat ſine aliorum præiudicio. Sed miniſtrare Euchariſtiam, & cæt. fit cum præiudicio. Ergò

Reſpondeo præter priuilegium relatum, & adductum ab aduerſarijs Pauli III. adeſſe alia priuilegia aliorum Pontificum, maximè Pauli IV. quibus abſolutè colligitur poſſe Regulares Euchariſtiam miniſtrare abſque aliqua clauſa coarctatiua. Vide Portel. *loco ſupra, ſed caſu* 12. qui alias obiectiones habet, & fuſiùs rem reſoluit.

An conſuetudine immemorabili poſſit Parrochus acquirere ius extrahendi Euchariſtiam ab Eccleſijs Regularium ad vſum ſuarum ouium. Dub. CXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia proponitur.*

2 *Conſuetudo immemorabilis non reuocatur etiam dum reuocatur conſuetudo, niſi de illa ſpecialis mentio fiat.*

3 *Per conſuetudinem immemorabilem ius miniſtrandi Sacramenta ad alium pertinet, quam ad Parrochum.*

4 *Dum quis patitur ſine ipſius ſufragio fieri electionem ammittit priuilegium eligendi.*

1 Affirmatiuè reſpondet Riccius *part.4. deciſio. deciſ.*352. & ſic teſtatur reſoluere Rotā corā Seraphino iuriſdictionis Salmantin. 23. Octobris 1579. quia per priuilegium non cenſetur derogatum huic conſuetudini immemorabili, & priuilegium ipſum amittitur per talem conſuetudinem. Vnde licet Regulares in hoc ſint exempti, nihil obſtat, con-

conſuetudo enim immemorabilis nō reuocatur etiam dum reuocatur conſuetudo, niſi de illa ſpecialis mentio fiat, vt tradit Diana *in ſumm. verb. vſus & conſuetudo* citanś Bordonum *tom. 1. lib. 2. queſt. 14. cap. 8. num. 27.* & declarationem Sacræ Congregationis ſub die 4. Maij 1573. teſte Bellarmino in Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 7. litt. S.* habet namque conſuetudo immemorabilis vim priuilegij, quod non derogatur per clauſulam generalem: alios etiam ad hoc adducit Doctores idem Riccius; & ſunt Ruin. *conſil. 13. numer. 3.* Aymon *de antiquit. temp. part. 4. §. materia iſta* Couaruuias *variarum reſolution. cap. 13. numero 5.* & Rota coram Orano *Palentinæ iuriſdictionis 25. Maij 1565.* Garzias *de beneficijs parte 7. cap. 2.* ſunt exempla *in materia Funeralium* in qua ſtandum eſt conſuetudini, & ſic ſtante conſenſu, & patientia Fratrum circa hoc ius, ſtandum eſt tali
3 conſuetudini; & adeò generalis eſt hæc Regula, vt etiam valeat circa curam animarum, & circa ius miniſtrandi Sacramenta, & abſoluendi a peccatis: Ita vt etiam hoc munus per conſuetudinem immemorabilem ad alium pertineat, quam ad Parrochum & Caſtropallao *trac. 3. de priuilegijs diſput. 4. part. 20. nu. 8.* docet ſi quis priuilegiatus ſemel faciat contra priuilegium, etiam ſi poſtea non faciat, quia occaſio ſeſe non offert, & contra eum detur præſcriptio, amittere priuilegium, quæ doctrina ferè communis
4 eſt; ſic etiam, ſi quis patitur fieri electionem ſinè ipſius ſuffragio ad quod dandum habet priuilegium, ammittet priuilegium; etiam ſi præſcriptio non ſit immemorabilis. Vide omnino Riccium *loco citato*, & non pigebit vide etiam Lezanam *verb. priuilegia Regularium numero 16.* vbi demonſtrat, quando nam priuilegia per vſum contrarium abrogentur, & ſpecialiter priuilegia, per quæ eximuntur a iuriſdictione ordinarij Regulares, & ſunt priuilegia alijs oneroſa, quæ docet per actum contrarium abrogari: ſecus de alijs, quæ nulli præiudicant; quod tamen mihi non placet, nam priuilegia exemptionis, quæ habent Regulares in fauorem, Summi Pontificis etiam ſunt, vt alibi ſæpe dicimus, & ſic non adeo facilè abrogantur.

An Regulares publicè poſſint Sacramentum Euchariſtiæ exponere adorandum ſine licentia Ordinarij, vel ipſo contradicente.

Dub. CXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Per communem Doctorum ſententiam licentia ordinarij requiritur ad hoc, vt Regulares poſſint exponere Euchariſtiam.*
2 *Cauſa quam debet approbare Epiſcopus debet eſſe publica.*
3 *Regulares præſcriptione forſitan iam ſunt in poßeſſione exponendi Euchariſtiam ſine licentia Ordinarij.*
4 *Conditiones, quæ requiruntur ad hoc, vt per præſcriptionem quis poſſidere iuſtè dicatur.*

1 NEgatiuè reſpondent communiter Barboſa *in collec. Bullar. verb. Regul. 1.* Gauantus *in manual. Epiſ. ver. Euchariſtia numer 53. & verb. Regular. iura ſub Epiſcop. num. 19. & 20.* Lezana *tom. 2. cap. 1. numer. 26.* Ioannes Maria Nouarius *verb. Euchariſtia num. 3.* om-

nes denique, quos videre potui ita dicunt: addit tamen Lezana; Hæc decreta debere obſeruari, niſi forſan publicata non ſint, & conſuetudine legitima oppoſitum alicubi habeatur.

2 Cauſa autem, quam debet approbare Epiſcopus debet eſſe publica, non autem priuata, vt dicit Gauantus verb. *Regularium iura ſub Epiſcopo*, ſed ſcias ſufficere cauſam priuatam, dum e tabernaculo non extrahatur Euchariſtia, & remaneat velata. Nihil aliud inuenire circa hoc potui apud Doctores, & ſic cum videam Regulares paſſim hoc facere ſine licentia

3 Epiſcopi; fortè præſcriptione iam in hoc habebunt exemptionem acquiſitam, exemptio enim præſcriptione acquiritur, vt docet Cokier 1. *parte de iuriſdictione in exemptos queſtio.6.* & cum eo alij ſexcenti, ſed requiruntur ad hoc multæ conditiones, vt notat Paulus Pariſius *conſil.69.*

4 Primo exemptus ex præſcriptione debet eam probare, vt habet textus ad litteram in cap. *cum perſonæ §. ſi autem de priuileg. in 6.* ſecundo debet eſſe poſſeſſio ex præſcriptione pacifica non violenta, nec Clandeſtina, vt habetur in caput *licet de priuileg. eodē libro*, & alijs textibus. 3. debet eſſe talis præſcriptio cū bona fide, &c. 4. debet eſſe continuata, & nō interrupta. alias etiam conditiones videre potes apud Cokier loco citato, qui latè per totam illam quæſtionem de materia agit. Iſtæ ergo conditiones videant Regulares an ſint, vt licitè poſſint exponere Euchariſtiam ſine licentia, & cæt. Inſuper conſiderent, quam vim habeat declaratio Sacræ Congregationis in hoc: conſuetudo enim immemorabilis aliquid faciendi non tollitur niſi de ea ſpecialiter mentio fiat, & derogetur, quæ ſpecialis derogatio niſi ſit in declarationibus illis non video quomodo in hoc poſſeſſione poſſint Regulares priuari, declarationes ad verbum legere ipſe non potui, & ſic nec earum vim cognoſcere.

An Parrochi licentia neceſſario requiratur, vel ſufficiat Epiſcopi, vt Regulares laicis miniſtrent Sacramenta, quæ miniſtrari prohibet *Clement.* Dub. CXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Sufficere etiam licentiam Epiſcopi docent communiter Doctores.*

2 *Cauſa vniuerſalis poteſt quidquid poteſt cauſa particularis.*

3 *Regulares, qui habent priuilegium a Summo Pontifice miniſtrandi dicta Sacramenta, nullam requirunt facultatem Parrochi, vel Epiſcopi.*

1 SAcramenta, quæ vetat Clement. ſunt Euchariſtia, extrema vnctio, & matrimonium. Reſpondeo ergo ſufficere licentiam Epiſcopi. Ita Lopez de Taxedo *libr.2. controuerſ. controuer.10. dubit.4.* cuius verba, quia codex rarus eſt, hic ponam *vbi obiter aduerte non ſolum hanc licentiam poſſe dare Religioſo, vt miniſtret Sacramentum pœnitentiæ, & extremæ vnctionis laicis, & Clericis per proprium Parrochum, ſed ſufficere, & ſatis eſſe, ſi illam concedat Epiſcopus, eſt enim proprius Parrochus cuiuſcumque ſuæ Diœceſis Eccleſiæ, & conſequenter eius Vicarius, nam Religioſus, qui ex licentia Epiſcopi ſeu Vicarij, qui eius vices gerit Pænitentiæ Sacramentum,*

aut

aut extremæ vnctionis Laicis, vel Clericis miniſtrat, non præſumptiuè miniſtrat, & idem dicendum eſt ſi cum licentia Vicarij Matrimonium ſolemniter benedicat. Ita 1 Lopez Taxedo, & ante ipſum idem docuit Suarez *in 3. partem tom. 3. diſput. 72. queſt. 82. art. 3. ſec. 2. verſ. ſed inquires circa finem* adducens rationem a
2 priori. Quia Prælati ſuperiores Parrocho ęquiparantur cauſę vniuerſali, quæ per ſe poteſt quidquid poteſt particularis, & ſic dicit *in dicta Clement.* excipi Religioſos illos, qui habent ad miniſtranda hæc Sacramenta
3 priuilegium a Summo Pontifice: aduertit etiam per Parrochos non intelligi ſolum Sacerdotes, ſed etiam illos, qui tales non ſunt, cum talis facultas proueniat non a poteſtate ordinis, ſed iuriſdictionis.

An liceat Religioſis ſuſcipere infantes, ſiue eſſe patrinos in baptiſmo ſolemniter collato ſine licentia Epiſcopi. Dub. CXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Communis opinio negat.*
2 *Prohibitio iuris in hoc non debet extẽdi ad Religioſos, qui Monachi non ſunt.*
3 *Vna lex explicat aliquando aliam.*
4 *Nec Monachi fortè obligantur à iure, ne ſuſcipiant infantes.*
5 *Illa, quæ in Rituali diſponuntur non cadunt ſub præcepto, nec obligant ſub mortali.*
6 *Sed etiam dato, quod Regulares non poſſent ſuſcipere infantes in baptiſmo, non per hoc requiritur facultas Epiſcopi, dum volunt ſuſcipere.*

Communiter reſpondent Doctores id manifeſtè eſſe vetitũ Monachis *in cap. placuit 2. 16. quæſt. 1.* & caput *non licet, & cap. Monachi, diſt. 4. de Conſecrati*, & hanc prohibitionem communiter etiam extendunt Doctores ad omnes alios Religioſos, vt videre eſt apud Petrum de Ledeſma *de Sacrament. tract. de Baptiſ. c. 13.* Sanchez *de matrimonio lib. 7. diſput. 60. nu. 19. & 21.* Bonacinam *de matrimonio, q. 3. punct. 5. §. 2. num. 23.* Barboſam, *tom. 4. collect. in caput dictum placuit nu. 1. & de officio, & poteſtate Epiſcopi, allegat. 30. num. 36.* vbi poſt alios explicat etiam peccare mortaliter contraueniendo; Rituale etiam Romanum dum de huiuſmodi Sacramenti patrinis agit, inquit, *Ad hoc admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, nec alij cuiuſuis ordinis Regulares*, his tamen non obſtantibus.
2 Dico primo dicta prohibitio nõ eſt extendenda ad Religioſos, qui Monachi non ſunt, & pręſertim ad Mendicantes. Ita ſentit D. Philippus Maria Guadagnus noſter, vir in hac litteratura verſatiſſimus; & probatur quia iſti profitentur vitam mixtam, & vacant alijs, in dicto autem *cap. placuit*, vbi id fuſius pertractatur multa prohibentur, quæ nullo pacto debent, & poſſunt prohiberi Religioſis, qui mixtam vitam ducunt, ſic enim ibi habetur. *Placuit communi noſtro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, neque pænitentiam dare neque filium de Baptiſmo accipere, neque baptizare, neque infirmum viſitare, neque mortuum*

ſepelire, neque ad Eccleſiam ſæcularem tranſire, neque alijs quibuſcumque negotijs ſe implicare, ſit clauſtro ſuo contentus. Hæc ibi. Quis ergo non videat in hoc textu tãtum reſpectum haberi illorum Regularium, qui ſolitariam vitam, ducunt non autem aliorum, qui vitæ mixtæ vacant? quis enim vnquam dicet omnibus Religioſis prohibitum eſſe viſitare infirmos, ſepelire mortuos, & cæt. ibi relata agere, & omnia eſſe prohibita ſub mortali, & tamen ea omnia eodem pacto prohibentur, ac prohibetur leuare puerum de baptiſmo? non eſt ergo mirũ, quod in noſtra etiam ſit ſententia Ioſeph Auguſtinus è Societate Ieſu *in ſua ſummula de Baptiſmo num.* 18. Coninch *de Sacrament. quæſt.* 67. *art.* 7. *numer.* 56. Gaſpar Hurtadus *de Sacrament. trac. de Baptiſm. diſput.* 2. *difficult.* 9. Megallan. *in Promptuario verb. Baptiſmus n.* 4.

3 Neque dicas, alia duo capita ſcilicet *cap. non licet, & cap. Monachi de Conſecratione in* 4. continent tantum prohibitionem ſuſcipiendi infantem, nec in eis alia adduntur ſicut *in ca. placuit*; nam reſpondeo negãdo hanc illationem, cum vna lex explicetur per aliã, & ideo Gloſſ. in dictum *caput non licet* pro eius intelligentia citat dictum *caput placuit*.

4 Dico ſecundo, Nec forte reſpectu Monachorum puto obligare dictos textus ſub mortali, ſunt enim dicti Canones a Gratiano collecti, qui vim legis non habent; ſed tantum illam auctoritatem, quam retinent in locis, ex quibus deſſumuntur, vt docet *Rot. in Oſcens Canonicatus num.* 13. *9. Decembris* 1595. coram Penna quæ eſt dæciſio 10. *parte* 4. *Recent.* & eam ponit Diana *in fine Partis* 5. vbi eſt octaua in ordine, & itã docent quãplures Doctores, quos congerit Diana, *part.* 3. *tract.* 6. *Reſol.* 26. & *part.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 68. & fortè dicti Canones, non de omnibus Monachis loquuntur, ſed de his qui perpetuam ſeruant clauſuram, vt per illa verba, *de Monaſterio exire fædiſſimo vſu præſumunt*, dictum Præpoſitus ſuſtinet *in* 3. *partem quæſt.* 67. *art.* 6. *dub.* 2. qui dicit quo ad Abbates, & Monachos aliquibus in locis contrario vſu veteres canones abrogatos eſſe, qui quãuis videantur renouati per Rituale, attamen nulla in eo ſunt verba, quæ denotent ſtrictam prohibitionẽ.

5 Deindè aduertendum eſt obſeruantiam eorum, quæ in Rituali diſponũtur non cadere ſub præcepto: nam Paulus V. circa finem Bullæ poſitæ in Rituali Romano in principio tantum hortatur ad obſeruantiam illius, & ad ſummum ex eo conuincitur loqui iuxtà opinionem contrariam, quam auctoritas tot Doctorum reddit probabilem.

6 Dico tertio, hoc poſito, ſcilicet poſſe Religioſos ſuſcipere infantem in Baptiſmo nõ video ad quid requiratur Epiſcopi facultas, vt in aliquibus ciuitatibus vidi ad hoc requiri, ſed dato etiam, quod nequeant eſſe Patrini Religioſi per dictos canones ad quid requiritur licentia Epiſcopi? an eius auctoritas tollere poterit quod Summi Pontifices & concilia ſtatuerunt? Quomodocumque ergo res ſe habeat, ſuperflua ſemper eſt Epiſcopi facultas, & licentia quo ad hoc.

Poſt hæc ſcripta vidi Carolum de Baucio *in ſuis Miſcellan Practic. pag. mihi* 235 *peteſ.* 22. qui mouens difficulta-

cultatem poſitam ità habet, *Sed ego ſaluo meliori iudicio ſecluſo contemptu, & ſcandalo dico quod non peccant mortaliter religioſi, ſed tantum venialiter ſi tenent pueros ad baptiſmum; & ratio mihi eſt, quia ex rituali habentur hæc verba admitti non debent monachi, vel ſanctimoniales, neque alij cuiuſque ordinis a ſæculo ſegregati ad ſuſcipiendum puerum de ſacro fonte, & ex cap. non licet Abbati, vel Monachio de baptiſmo ſuſcipere filios: Sed prædicta verba non continent præceptum ſub mortali.*

An Regulares ſine Epiſcopi licentia, vel ipſo contradicente poſſint exorcizare. Dub. CXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Doctorum affirmatiua ſententia refertur, & Bordoni præcipuè opininio conſideratur.*

2 *Poſſunt Regulares, & ſine linceutia Epiſcopi, & ipſo etiam contradicente exorcizare.*

3 *Regulares nullo pacto incidunt in eas pænas, quæ ſunt latæ ab Epiſcopis contra exorcizantes.*

4 *Sinè cauſa nec Clericis ſibi ſubditis poteſt prohibere Epiſcopus exorcizare.*

1 Affirmatiuè reſpondent Portel. *Verb. Exorciſmus* & Diana *trac. 2. parte 3. de Dubijs regular Reſolut. 36.* Bordonus *reſol. 7. num. 44.* qui tamé non ſe benè explicat dum dicit *poſſunt, quando tamen non eſt prohibitio in contrarium decreto vel præcepto, ſeu ore tenus facta,* & dum poſtea ſubdit. *Epiſcopi autem non poſſunt huiuſmodi exercitium eiſdem prohibere,* nam ponit diuerſam queſtionem, quærit enim; an Religioſi poſſint exorcizare abſque licentia Epiſcopi, & ſuorum ſuperiorum & reſpondet, *poſſunt ſi non extet prohibitio in contrarium,* Deinde dicit Epiſcopos non poſſe hoc prohibere; quid ergò facit illa prohibitio? ſed quidquid ſit de eius mente.

2 Dico poſſunt Regulares, & ſine licentia Epiſcopi & ipſo contradicente exorcizare, & cæt. Prob. in hoc Regulares Epiſcopo non ſubduntur, cum per nullum ius ſubdantur per Conſtitutionem *Inſcrutabili* Gregorii

3 XV. Vnde ex hac concluſione collige nullo pacto Regulares incidere in illas pænas Epiſcoporum, quas fulminant in exorcizantes; vt ſunt verbi gratia pænæ latæ ab Epiſcopo Parmenſi 1621. teſte ipſo Bordono. primo ne aliquid recipiant exorcizantes licet ſponte oblatum etiam nomine Eleemoſinę ab obſeſſis, vel eorum conſanguineis ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda 2. ne audeant vllo modo exorciſtæ præbere obſeſſis antimoniam, oleum, aut quoduis genus Medicinæ, niſi de conſenſu Medici ſub pęna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda. & cæt. ſub quibus pænis non includuntur Regulares. eſt etiam in hac ſententia Peirinus in *Formul. Prælatorum cap. 26. litter E* num 5. vbi tradit etiam formulam licientiæ, quã concedunt Pręlati ſuis ſubditis Regularibus exorcizandi. Immò ſcias hic obiter, nec in ſententia Vgolini *de officio & poteſtate Epiſcopi cap. 47. num. 6.* & Nauarri. *Conſil. 6. de officio ordinarij* apud Philibertum Marchinum *part. 4. trac. 2. de ordinibus in particulari de*

Exor-

Exorciſtatu cap. 5. poſſe Epiſcopum prohibere clericis ſibi ſubditis exorcizare: hoc tamen intellige regulariter, nam de iure Diuino eſt, vt vnuſquiſque actum ſui ordinis exerceat; exorcizare autem eſt actus ordinis exorciſtatus: ob cauſam tamen bene poterit ſuſpendere ſuos ſubditos ab exercitio talis ordinis; non vero, vt dixi Regulares, qui ſibi ſubditi non ſunt. Quidquid ſentiat noſter Naldus *verb. Dæmon. num.* 9. qui ita loquitur vt etiam Regulares ſubdere velle videatur Epiſcopis in hoc.

An Epiſcopus tempore peſte poſſit cogere Regulares vt Sacramenta infectis adminiſtrent. Dub. CXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Varij ordines Religioſorum numerantur.*

2 *Regulares, qui comtemplatiuæ vitæ vacant non poſſunt cogi ab. Epiſcopo, vt ſacramenta miniſtrent infectis peſte.*

3 *Illi Regulares, qui ſimul vita actiua, & contemplatiuæ vacant, ſi deficiant Parrochi, & alij, nec poſſunt ab Epiſcopis obligari vt Sacramenta infectis miniſtrent.*

4 *Maiorem obligationem habent Regulares miniſtrandi ſacramenta infectis, quam Clerici ſæculares, qui Parrochi non ſunt.*

5 *Alij Regulares, qui ex ui voti tenentur adiuuare infirmos nec etiam poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt Sacramenta miniſtrent infectis.*

6 *Quomodò teneantur clerici ſeruare ordinationes laicorum.*

7 *Clerici vendentes res vltra pretium taxatum a Principe peccant contrà iuſtitiam, ſi pretium, quo vendunt ſit iniuſtum.*

8 *Valet argumentum ab exemptione Clericorum reſpectu laicæ poteſtatis, ad exemptionem Regularium reſpectu Ordinarij.*

1 Marchinus *De Peſte Parte* 5. *cap.* 1. *habet dubium*, & diſtinguit tres ordines Religioſorum. Alij ſunt ita dediti vitæ contemplatiuæ, vt ex proprio inſtituto non vacent actiuæ, vt ſunt Carthuſiani, Camaldulenſes, Monachi Diui Hyeronimi, Eremitæ, et ſimiles. Alii comtemplatiuæ ſimul, et actiuæ, vt ſunt omnes mendicantes, et Omnes Clerici Regulares, alii qui particulari voto, et inſtituto ſe obſtrinxerunt ad miniſterium, et curam infirmorum, vt Clerici Regulares miniſtrantes Infirmis à Sixto V. approbati, per tres propoſitiones reſoluit quæſtionem, & dubium dictus Marchinus: ego hic breuiter quid mihi dicendum videtur, proponam.

2 Dico ergo. 1. Religioſi, qui contemplatiuæ tantum vitæ vacant non poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt Sacramenta miniſtrent infectis, nec etiam a proprio Prælato, ſæcularibus ſcilicet, nec in defectum Parrochorū. Ratio eſt, quia ſi iſti Religioſi vacent vitæ actiuę, iam faciunt aliquid alienum a proprio inſtituto; ergo nequeunt cogi et cæt. nec obſtat, quod habeant redditus pingues, nam eos habent, vt orationibus, et aliis piis operibus iuuent eos, qui dederunt. Ita tradunt citatus Marchinus, et Rutilius Berzonius *de fuga a peſte lib. p. diſput.* 1. *quæſt.*

quæſt. 1. *concluſ.* 8. Emanuel Rodriquez *de Regul. tom.* 3. *q.* 31. *ar.* 3. Thomas Sanchez *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 59. *concluſ.* 4.

3 Dico 2. Alii Regulares qui ſimul vitæ Actiuæ et comtemplatiuæ vacant, ſi deficiant Parrochi, et alii ſacerdotes, nec ab Epiſcopo poſſunt obligari, & cogi, &c. eſt contra Marchinum, qui pro ſe citat multos Doctores, Reginaldum *lib.* 30. *tract.* 3. *nu.* 7. & 9. Baſſum *de Curatis animarũ p.* 3. *cap.* 14. quos etiam refert Homobonus *de examine Eccleſiaſtico trac.* 7. *cap.* 16. *quæſt.* 71. *verſ. hinc multi deducunt.* Sed his Doctoribus non obſtantibus ſto in dictis. Quia licet hanc obligationem habeant Regulares dicti, & teneantur ſub mortali miniſtrare Sacramenta infectis in defectum Parrochorum, & aliorum ſacerdotum, cum ſint Coadiutores Epiſcoporum in ſpiritualibus, & ad hunc finem ſint eorũ Religiones approbatæ à Summis Pōtificibus, vt declarat ſanctus Thomas 2.2. *quæſt.* 18. *art.* 4. Attamen non per hoc benè arguitur poſſe ad hoc compelli ab Epiſcopis; nam præter obligationem, quam concedimus pro nunc requireretur inſuper ſubiectio Epiſcopis, quæ aliud eſt, & poteſt ſtare, quod obligantur Regulares ex ſua Regula, non tamen per hoc ſubdantur Epiſcopis; & ſic vt notant, & optimè ipſe Marchinus citatus, & Homobonus loco etiam relato, benè faciunt illi Epiſcopi, qui curant à Sanctiſs. hãc facultatem obtinere, vt poſſint ad hoc cogere Regulares exemplo Diui Caroli, & aliorum.

4 Et nota hic, verum eſſe, quod tradit idem Marchinus, maiorem obligationem habere Regulares, quam habeant alii Clerici ſæculares, qui Parrochi non ſunt: iſti enim ſolum tenentur ex charitate, illi autem ex inſtituto; & vt ita dicam ex officio. Scias etiam nullam adeſſe obligationem in Regularibus miniſtrandi Sacramenta Infectis, dum ſunt Parrochi, & cæt. vel ſacerdotes alij ſtipendio conducti, vt habet Sanchez expreſsè *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 62. *verſ. ſed dicta.*

5 Dico tertio. Alij Regulares, qui ex vi voti tenẽtur adiuuare infirmos, nec etiam poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt miniſtrent, &c. Ratio eſt, quia licet voto obligentur non per hoc poſſunt ad obſeruantiam voti cogi ab Epiſcopo: eſt etiam hoc dictum contra Marchinum *loco ſupra propoſitione* 4. qui tamen expreſsè non dicit poſſe ab Epiſcopo cogi, ſed debet hoc dicere ſi velit conſequenter loqui. Ratio autem, & Doctrina fundamẽtalis per quam nec reſpectu horum Religioſorum, qui peculiari voto ſunt adſtricti, nec reſpectu aliorum poſſit aliquid circa hoc Epiſcopus, deſumi poteſt à pari loquendo de Clericis, qui nullo pacto obligãtur ordinationibus laicorum, nec coarctiue, nec directiue, ex vi ſubiectionis etiam ſi tales ordinationes ſint iuxta ius naturale, & Diuinum, vt latè, & doctè reſoluit Sperellus *in ſuis deciſionibus deciſ.* 13. & ſic licet ex alio capite teneantur Clerici obſeruare, quæ præcipiuntur a Laicis; attamen non poſſunt ad illa obſeruanda cogi ab eis, ſed hoc ſpectat ad Superiores Clericorum, & licet peccent Clerici violantes, & non ſeruantes præcepta a laicis, dum ſunt de iure naturæ, & diuino; attamen peccant ſolum vt peccarent, ſi nullum tale eſſet præceptum impoſitum

ſic

6 ſic Clerici vendentes rem vltra prætium taxatum a Principe poſſunt quidem peccare contra iuſtitiam. ſi prætium, quo vendunt ſit iniuſtum, non autem contra illud præceptum. Ita Sotus *in 4. diſtinc. 25. queſt. 2. concl. 4.* Nauarrus *in Manuali cap. 23. numero* 88. Molſeſius *in tract. de contractiobus tit. 3. & in commentarijs ad conſuetudines Regni Neapolitani part. 2. tit. 1. quæſtio. 7. num. 45.* Vicentius de Franchis *deciſ.*
8 *9.* Viuius *deciſ.* 28. omnes relati a Sperello loco ſupra citato. Ergo argumentando a pari (valet enim argumentum ab exemptione Clericorum reſpectu laicæ poteſtatis ad exemptionē Religioſorū, & exemptorū reſpectu Epiſcopalis, & ordinariæ iuriſdictionis; licet prior exēptio ſit de iure Diuino, 2. de iure poſitiuo, vt pluribus in locis aduertit Cokier *de iuriſd. ordinarij in exemptos)* argumentādo inq̃ a pari, licet Regulares teneātur ex alio capite miniſtrare Sacramenta infectis peſte; attamen non video quomodo ad hoc poſſint cogi ab Epiſcopo; ſed puto, vel a ſuis Prælatis, vel a Summo Pontifice ad hoc eſſe compellendos.

An Epiſcopus ſolus, vel etiam alij Prælati poſſint cognoſcere de cauſis Matrimonialibus.

Dub. CXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi deſſumitur a Concilio Tridentino* ſeſſ. 24 cap. 20.

2 *Poſſunt etiam alij Prælati, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes cognoſcere de cauſis Matrimonialibus.*

3 *Deciſio Rotæ Romanæ circa hoc.*

4 *An Epiſcopus ex ſola iuris aſſiſtentia manutenendus ſit in quaſi poſſeſſione cognoſcendi dictas cauſas.*

1 DVbium hoc etiam ſi non adeo proprium materię videatur: quia tamen multi Prælati Regulares ſunt, qui territorium habent, & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, hinc vtile etiam erit hic illud reſoluere.

Dat ergo rationem dubitandi Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. capit. 20.* vbi agens de cauſis matrimonialibus videtur ſtatuere illarum cognitionem ad ſolum Epiſcopum pertinere his verbis. *Ad hæc cauſa matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio etiam viſitando, ſed Epiſcopi tantum examini, & iuriſdictioni relinquantur: etiam ſi in præſenti inter Epiſcopum, & Decanum, aut Archidiaconum, aut alios inferiores ſuper cauſarum illarum cognitione lis aliqua in quacumque inſtantia pēdeat.* ecce quomodo videtur ſolis Epiſcopis competere ius cognoſcendi has cauſas Matrimoniales. Hoc tamen non obſtante.

2 Dico cum Tamburino *tom. 2. de iure Abbatum diſpu. 8. queſt. 6.* poſſe etiam alios Prælatos inferiores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes cognoſcere de dictis cauſis matrimonialibus. Ita Gloſſa in caput *auctoritate de priuilegiis in 6.* & alij communiter; & probatur, quia mens Concilij fuit tantum reſtituere Epiſcopis reſtitutionem criminalium excluſiuè ad Decanum, Archidiaconum, & alios inferiores ſubordinatos ipſi Epiſcopo, non autem auferre talem auctoritatem ab Abbatibus, & ali s Prę-

latis

latis exemptis a iuriſdictione Epiſcoporum, & ideo Sacra Congregatio Concilij Tridentini, in vna *Burgen. Iuriſdictionis*, declarauit indifferenter Abbates Regulares habentes, vel nō habentes territorium dictis verbis Concilij nō comprehēdi: habes circa hoc plures deciſiones Rotæ Romanæ apud Tamburinum *tom.3. de Iure Abbatum circa finem*, ex quibus clarè, & doctè reſoluitur dubium propſitum, hic illas non tranſcribo, ne moleſtus ſim lectori, maximè quia longæ ſunt. Vide deciſionem poſitam ibi *num.43.* & aliam ſequentem *num. 44.* hic tantum habe vnam quę, breuis, eſt cuius titulus, *Burgenſis Iuriſdict. Veneris 16. Decembris* 1594. coram Orano & eſt tenoris ſequentis.

3 *Fuit reſolutum cognitionem cauſarum Matrimonialium, & criminalium pertinere ad Abbatem Santi Ioannis, cum ſuis ſubditis Sedis Apoſtolicæ ſubiectum; quia vt alias in una Salamantina Iuriſdictionis coram bon. mem. D. Cardinali Aldobrādino fuit dictum, quando Abbas habet iura Epiſcopalia, & proprium territorium, nec eſt dignitas in Cathedrali Eccleſia nō comprehenditur in decreto Concilij Tridētini ſeſſ.24. cap.20. de Reform. quod loquitur de Decanis, Archidiaconis, & alijs Prælatis ſæcularibus.*

Nequè enim poteſt dari inter eos aliqua ſimilitudo nō quidem reſpectu dignitatis, cum Abbas non dicatur eſſe de Inferioribus, vt eſt textus in caput ſiquis deinceps 16. quæſt. 7. Lapp. Alleg. 84. num. 11. Fran. in cap. 2. ſub. num. 5. de præbendis lib.6. & ibi Prob. ab Monach. numer. 48. Sarmen. ad Regul. de Annal. quæſt. 11. num. 4.

Nec etiam reſpectu facultatis; quia Abbas in locis pleno iure ſibi ſubiectis habet iuriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi, Caput in ſingulis de ſtatu Monach. caput Abbates ante finem de priuileg. in 6. Gloſſ. in Clement. 1. in verb. proprijs, de Rebus Eccleſiar non alienan. Antonius de Butri. cap. cum & Plantare §. In Eccleſijs de priuileg. Aretin. conſil. 63. nu. 4. Dec. in caput cum te 1. not. verſ. & cōcludo de reſcrip. locaque ſibi ſubdita dicuntur extra Iuriſdictionem Epiſcopi, & faciunt territorium ſeparatum. Gemin. in caput cum Epiſcopus num. 4. cod. lib. 6. & in cap. 2. num 19. de Conſtit. eodem lib.

Neque etiam ratione alicuius qualitatis cum decretum loquatur de Prælatis ſæcularibus, vt ſunt Decanus & Archidiaconus cap. 1. & toto tit. de officio Archidiaconi Felinus in caput ex parte Decani de Reſcript. Rota deciſ. 17. de conceſſ. præbend. in nouiſs. & alij inferiores, qui regulariter ſubſunt Epiſcopo. Franc. in cap. Romanam §. ab Archidiaconis in 1. not. de appellat. lib.6. & quibus cum eo cumulatiuè competit iuriſdictio. Abb. in caput cum ab Eccleſiarum num. 9. de offic. Ordinarij Fel. in caput Auditis colum. 5. de præſcript. Idem Abbas in caput Paſtoralis, num. 6. & ibi Felinus column. 1. de officio Ordinarij.

Ex quibus ceſſat id, quod ex parte Archiepiſcopi fuit deductum, quod ſcilicet cognitio cauſarum competens Abbati, reſtringi debeat ad cauſas ſuorum ſubditorum regularium, non autem ſæcularium, cum iſtud non poſſit quadrare cauſis matrimonialibus, quæ inter Regulares non excitantur vltrà quod intentio Concilij Abbati, & alijs exceptis Regularibus præiudicium inferre. Sed hoc omne relinquere diſpoſitioni iuris communis deberet.

4 Addit tamen Tamburinus, *loco ſupra num.* 5. Epiſcopum eſſe manutenen-

nendum in quaſi poſſeſſione cognoſcendi prædictas cauſas matrimoniales ex ſola iuris aſſiſtentia contra inferiores etiam immemorabili ſe iuuãtes donec per tres ſententias conformes de hac re cognoſcatur, etiam ſi inferiores poſſeſſionem & priuilegiũ oſtendant, & ſic fuit dictum *In vna Theatina Iuriſdictionis de Ateſſa* 5. *Decembris* 1614. coram D. Coccino & illam habet dictus Tamburinus, *tom.* 3. *de Iure Abbatum num.* 69. Scias tamen Epiſcopum ex ſola iuris aſſiſtentia non eſſe, contra Prælatum poſſeſſionem, & priuilegium habentem manutenendum; vt habes ex multis apud dictum Tamburinum.

An Epiſcopus poſſit præcipere Regularibus, vt dum infirmum graui morbo audiunt in confeſſione Parrochum admoneant.

Dub. CXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *In multis diœceſibus hoc præcipitur Regularibus ab Epiſcopis.*

2 *Ex nullo capite poſſunt Epiſcopi hoc præcipere Regularibus.*

3 *Tunc ſolum Regulares ſubiecti ſunt Epiſcopis quo ad Sacramentorum adminiſtrationem, ſi in tali exercitio delinquant.*

4 *Etiam quando adeſt obligatio confitendi Regulares poſſunt excipere confeſſiones ſæcularium.*

5 *Cum facultate Parrochorum etiam ſine priuilegio poterant Regulares audire confeſſiones.*

6 *Textus qui dicunt, Parrochianos tantum poſſe confiteri cum alijs de licentia Parrochi quomodo intelligendi.*

7 *Priuilegia debent ita intelligi, vt ſaluentur eorum verba.*

8 *Dum infirmi ſunt in periculo mortis obligantur iure Diuino ad Confeſſionem, & poſſunt cuilibet confiteri.*

1 VIdi in aliquibus Synodis hoc præcipi Regularibus. Ita in Synodo Florentina hab.ta 1645. ſub Illuſtriſſimo Epiſcopo Petro Nicolino, *in præceptis, & documentis pro Parrochis, & omnibus Confeſſarijs* habetur *diſtrictè præcipimus, & omni, qua poſſumus auctoritate iubemus tam ſæcularibus, quam Regularibus confeſſarijs, vt cum intra alienæ Parrochiæ fines alicuius grauiter decumbentis confeſſionem audierint illico certiorem ægrotantis Parrochum reddant*, ex præceptum Regularibus impoſitum hoc faciendi, ſed conſiderandum bene eſt; an verè hoc præceptum obliget.

2 Dico ergo; vel Epiſcopus hoc præcipit; quia ita ipſe vult, & non alia ratione, vel quia verè Parrochi proprij facultas requiritur, vt confeſſiones Parrochianorum audiantur ab alieno confeſſario etiam Regulari: ſi dicatur primum, non video quomodo hanc nouam obligationem poſſit imponere Epiſcopus Regularibus, qui exempti ſunt ab eius iuriſdictione.

3 Quod ſi dicas in his, quæ concernunt Sacramentorum adminiſtrationem ei ſubiecti ſunt. Reſpondeo eſſe dum in tali adminiſtratione delinquunt, non verò abſolutè, vnde extra delictum in robore ſunt eorum priuilegia, & exemptiones.

4 Si autem hoc præceptum imponit

nit Epiſcopus, quia de iure communi tenentur Parrochiani proprio Parrocho confiteri, dico duas adeſſe circa hoc ſententias, quas late, & doctè conſiderat Fagundez *in ſecundo Eccleſiæ præcepto cap.5. lib.1.* prima docet requiri hanc facultatem Parrochi, dum Parrochiani ex obligatione annua Eccleſiæ confitentur. Ita plures Canoniſtæ Hugo, Bernardus, Hoſtiẽſis, Archidiaconus, Gloſſa, & alij omnes relati a dicto Fagundez. Fundamenta huius ſententiæ infra videbimus. Secunda e contra aſſerit loquendo præcipuè de Regularibus; poſſe ſine dicta facultate confiteri 5 Parrochianos etiam quando; deſt obligatio annua confitendi. Ita expreſſè Azorius, Medina, Sotus, Nauarrus, Adrianus, & alij pariter citati a Fagundez *loco ſupra*, & hæc magis placet, imo omnino ſatisfacit: & hoc non ſolum ob priuilegia particularia, quæ habent Regulares; ſed etiam ob priuilegium inſertum in corpore iuris in Clement. *dudum de Sepulturis*. Probatur deinde ex vſu, & praxi communi inſuper ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.11.* vbi manifeſte dicitur Fratres Medicantes ab Ordinario approbatos poſſe ſæcularium confeſſiones audire, ita vt qui fuerint illis confeſſi ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ. Confirmatur inſuper, quia 6 caput *omnis* in quo habetur tale præceptum non obligabat ante Concilium Lateranenſe, vt docet dictus Fagundez, ſed ante dictum Concilium poterat Pontifex concedere priuilegium, quo Religioſi has confeſſiones audirent. Ergo, & per ipſum Concilium potuit hoc facere, vti de facto fecit roboratur deinde a pari: Fideles omnes ſatisfaciunt præcepto audiendi Miſſam ſi illam audiant in Eccleſijs Regularium. Ergo etiam ſi confiteantur Regularibus.

Sed obijciunt aduerſarij, & ſunt fundamenta eorum, primo cum Principes, & Pontifices ſolent concedere aliqua priuilegia ſemper ſolent apponere, vel explicite, vel implicitè clauſulam *ſaluo iure, & præiudicio aliorum*, ergo etiam intelligitur in his priuilegijs Regularium *ſaluo iure Parrochorum*, & ſic non poterunt fideles confiteri Regularibus ſine licentia proprij Parrochi.

Reſpondeo negando ſuppoſitum nam alioquin ad nihil deſeruirent priuilegia Regularium, nec aliquid operarentur cum facultate enim Parrochorum, etiam ſine priuilegio poterant audire ſæcularium confeſſiones omni tempore. Priuilegium autem ſemper debet aliquid operari.

Secundo obijciunt. Parrochi ſunt in antiquiſſima conſuetudine, vt ſui Parrrochiani non confiteantur alijs niſi de eorum licentia, & hoc de iure communi eſt ex cap. *omnis* per hæc verba. *Non confiteantur alieno Sacerdoti niſi de licentia propriorum Parrochorum cum aliter eos non poſſit ligare, & abſoluere ex cap. ſi Epiſcopus de pænitentia*, ergo nec Regularibus.

Reſpondeo nego conſequentiam textus enim illi debent intelligi de alijs Sacerdotibus non priuilegiatis, non autem de Regularibus quorum priuilegia derogant iuri communi.

Tertio opponunt. Priuilegia, quæ iure communi derogant ſtrictè ſunt interpretanda, vt lædant quam minimè poſſint dictum ius commune. Ergo ſic etiam iſta priuilegia Regularium.

Re-

Reſpondetur, verum eſſe antecedens, ſed debent intelligi priuilegia ita, vt ſaluentur eorum verba, iſtæ ſunt obiectiones, & Fundamenta aduerſariorum.

Sed magis ſtabilis eſt noſtra doctrina, ſi cõſideremus quando nam Epiſcopus obliget confeſſarios Regulares admonendum Parrochos, dicit
8 debere ab eis ad moneri dum audiunt confeſſiones *infirmi grauiter decumbẽtis*, ſed ſic eſt quod tunc ſi in periculo mortis ſint obligantur iure Diuino ad confeſſionem; nec obligantur confiteri proprio Parrocho vt docent communiter Doctores, Richardus, Panormitanus; Nauarrus apud eundem Fagundez. *loco ſupra num.* 2. Ergò concludo nec ex hoc capite potuiſſe obligari ad hoc faciendum Regulares, licet ex quadam æquitate, & pietate hoc facere debeant.

An Epiſcopus poſſit taxare pænitentias Regularibus Confeſſoribus, quas debeant imponere pænitentibus.
Dub. CXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Regulares a Summo Pontifice iuriſdictionem accipiunt audiendi Confeſſiones.*

2 *Nequeunt Epiſcopi taxare pænitentias, quas imponant confeſſores Regulares, ſæcularibus pænitentibus.*

3 *Epiſcopus eſt ſuperior Confeſſorum Regularium in hoc, quod debeat eos approbare.*

4 *Cur poſſit Epiſcopus taxare pænitentias, quas imponant Regulares pro caſibus reſeruatis, & non pro alijs caſibus.*

5 *Quo ad abſoluendum a caſibus reſeruatis, habent iuriſdictionem ab Epiſcopo Regulares confeſſores.*

6 *Cur poſſint Prælati Regulares confeſſoribus ſubditis dum excipiunt confeſſiones aliorum Regularium, taxare pænitentias, quas imponant pro reſeruatis & non ſic Epiſcopi taxare pænitentias Regularibus confeſſoribus quas imponant ſæcularibus.*

7 *Nec indirectè poteſt Epiſcopus priuare Regulares ſuis priuilegijs.*

8 *Statutum Synodale, per quod pænitentiæ taxantur, quas imponant Regulares, eos non ligat.*

1 SVpponendum eſt antequam dubium reſoluatur, Confeſſarios Regulares approbatos ab Epiſcopo ſtatim iuriſdictionem habere a Summo Pontifice, quod patet a poſteriori; nam confeſſarij Regulares habent ampliorem iuriſdictionem, quam habeant alij confeſſores ſæculares, & ſic illi poſſunt audire, & abſoluere quoſcumque ad ſe veniẽtes non ſolum de Diæceſi, ſed etiam forenſes, vt conceſſerunt ſummi Pontifices, non autem ſæculares confeſſores, qui ſolum poſſunt audire illos de Diæceſi; Ergò ſignum eſt Regulares habere immediatè iuriſdictionem a Summo Pontifice: ſuppoſitum confirmant auctoritates communes ferè omnium Doctorum, & præcipuè priuilegium a Sixto IV. conceſſum Franciſcanis ex tertio ordine teſte Bordono, *Reſolut.* 36. *num.* 32. his verbis. *Nec non ipſis fratribus, dictæ congregationis in ſacerdotio conſtitutis, quod omnes, & ſingulas vtriuſque ſexus perſonas ad eos pro confeſſione, & pæni-*

pænitentia accedentes audire,& abſoluere exceptis caſibus Epiſcopalibus & pænitentiam ſalutarem iniungere poſſint facultatem dicta auctoritate elargimur.

Quod priuilegium maximè notandum eſt quia ex eo fundamentum validum poſſumus deſſumere. Hoc ergo ſuppoſito.

2 Dico: Epiſcopi nequeunt taxare pænitentias confeſſoribus, Regularibus, quas imponant pænitentibus ſæcularibus, Probatur: Ad taxandam hanc pænitẽtiam requiritur ſuperioritas taxantis ſupra confeſſarium, cui præſcribit tales pænitentias imponẽdas ita vt confeſſarius ille ſit delegatus talis ſuperioris taxantis; Sed Regulares nõ ſunt delegati Epiſcoporũ, dum audiunt confeſſiones, ſed hoc iure a Pontifice acquiſito faciunt ergò; maior in qua poteſt eſſe difficultas: probatur; quia Iudex ordinarius, ſicut poteſt non committere cauſam, ſic eam commitendo poteſt præſcribere modum, & taxare pænam, quã debet imponere delegatus. Alij autẽ qui non ſunt iudices ordinarij, nec faciunt delegatos nequeunt ſibi æqualibus præſcribere talem pænam vt clarè patet. Ergò ſuperioritas requiritur in taxante.

3 Dices: Epiſcopus eſt ſuperior Cõfeſſorum Regularium. Ergò poteſt taxare pænitentias, quas debeant imponere. Reſpondeo eſt ſuperior in hoc, quod debeat approbare, & poſſit approbare, vel non approbare, nõ tamen in hoc, quod eis deleget ſuam iuriſdictionem: nam illam habent a Summo Pontifice, eſſe autem ſuperiorem in hoc, quod approbare poſſit, vel non, non facit, quod poſſit taxare pœnitentias; quas ex delegatione Summi Pontificis habent poſſe iniungere, vt vidimus ex priuilegio Sixti IV. relato ſuprà.

4 Inſtabis: Poteſt Epiſcopus reſeruare caſus. Ergò etiam pænitentias reſpectu Regularium.

Reſpondeo: concedo antecedens, ſed diſtinguo conſequens; ergò poteſt reſeruare, & præſcribere pænitentias caſuum reſeruatorum concedo, aliorum vero caſuum nego; & dò diſparitatem, nam, in abſolutione caſuum reſeruatorum Regulares ſunt delegati, & ſic eis poteſt taxare pænam imponendam pænitentibus; at in abſolutione aliorum caſuum non ſunt delegati, ſaltem reſpectu Epiſcoporum. Ergò non poſſunt eis præſcribere pænitentias. Ratio enim per quam ſuperior dans abſolutionem abſoluendi a reſeruatis poſſit taxare pænitentiam, eſt (vt tradunt communiter Doctores & præcipuè Coriolanus, *De caſibus reſeruatis parte 1. ſec. 1. art. 19.*) quia eſt iudex ordinarius in illa cauſa, & ille, cui præſcribit imponendam penitentiam delegatus. Ergò quotieſcumque res ita non ſe habet, iam nec poterit taxare, & præſcribere talem pænitentiam; & confirmatur hæc doctrina, nam in ſententia probabili aliquorum Epiſcopus non poteſt ſibi reſeruare caſus reſpectui Parrochorum, & conſequenter, nec præſcribere pænitẽtias, non alia ratione niſi quia iuriſdictio abſoluendi, quã habent Parrochi nõ eſt ab Epiſcopo, ſed a Summo Pontifice. Ita Soto, & Riccard. apud Suarez *diſput. 29. ſec. 4. Tom. 4. in tertiam partem*, Ergo ſolum ille ſuperior qui dat iuriſdictionem eſt ille, qui poteſt taxare pænitentias; Quod au-

tem Regulares ſolum in abſolutione a reſeruatis epiſcopo, habeant, iuriſdictionem ab eodem patet, ex decre-
5 to *Clemētis VIII. ſuper reſeruatione caſuū* per quod tollitur omne priuilegium Regularibus abſoluendi a caſibus reſeruatis Epiſcopo, cum ergò eis tollatur omne priuilegium in hoc iam sūt ſicut alij ſæculares confeſſores:& conſequenter delegatam iuriſdictionem habent ab Epiſcopo, & ſic poteſt eis ab eodem Epiſcopo taxari pænitentia imponenda pænitentibus.

6 Vrgebis adhuc,& dices: Clemens VIII. in ſua conſtitutione de caſibus reſeruandis a Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum habet: *Licebit tamen ſuperioribus determinare pænitentias graues quibuſdam peccatis etiā non reſeruatis, a Confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint*. Ergò, etiam Epiſcopis a pari licebit has pęnitentias præſcribere imponendas a confeſſarijs, ſuis ſubditis.

Reſpondeo; concedo antecedens reſpectu Prælatorum Regularium, quod non poteſt negari: nego tamen conſequentiam, & diſparitas eſt quia confeſſores Regulares habent a ſuis Prælatis, dum approbantur pro confeſſionibus aliorum Religioſorum iuriſdictionem,& ſic ſunt delegati in illis confeſſionibus: At dum approbantur ab Epiſcopis, non habent, talem iuriſdictionē ab eis & ſic nec poſſunt taxari pænitentias ab Epiſcopis, quas debeant imponere Regulares.

7 Quod ſi dicas, hanc pęnitentiam poteſt taxare Epiſcopus, quia eſt adimplenda a ſuis ouibus, & ſubditis. Reſpondeo hoc non facere, quod poſſit Epiſcopus grauare in aliquo Regulares exemptos, nec auferre ab eis & priuare eos ſuis priuilegijs, nec indirectè etiam; ſic vt alibi dicimus non poteſt prohibere ne ſui ſubditi confiteantur ſua peccata Regularibus, quia licet directè præceptum videatur obligare ſubditos, indirectè etiam lædit Regulares, quorum priuilegia in multis eſſent fruſtatoria, ſi ità procederè poſſent Epiſcopi.

8 Concludo ergò illud ſtatutum Synodale quod vidi in aliquibus Diæceſibus, ſcilicet, ne confeſſarij tales pænitentias imponant, non ligare regulares;& maxime ſi talis taxatio pænitentiæ non ſit pro reſeruatis, nam ſi pro reſeruatis ſit, iam puto etiam ligare Regulares.

An Epiſcopus poſſit approbare Regulares ad Confeſſiones; dum eſt excommunicatus vitandus. Dub. CXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Approbare ad confeſſiones ſecundum aliquos non eſt actus iuriſdictionis.*
2 *Etiam reſpectu Regularium approbatio ad confeſſiones dicitur actus iuriſdictionis per Bordonum.*
3 *Anthoris opinio.*
4 *Etiam ſi non repugnet Regulares, & ab Epiſcopo, & a ſummo Pontifice habere iuriſdictionem audiendi confeſſiones; attamen Superflua eſt approbatio Epiſcopi ad dandam iuriſdictionem Regularibus, cum hanc habeant a Summo Pontifice.*

5 *Epi-*

5 *Epiſcopus excommunicatus nequit approbare alios confeſſores, qui Regulares, & priuilegiati non ſunt.*

6 *Non ſolum validè, ſed etiam licitè Epiſcopus excommunicatus approbat Regulares ad confeſſiones.*

1 Affirmatiuam ſententiam docet Boſſius *Sect.* 3. *caſu* 2. *numer.* 65. & pro illa citat. Rodriquez; Henriquez, Fagundez. *in præceptum ſecundum libr.* 7. *capit.* 14. *nu.* 5. Pontium *libr.* 5. *capit.* 17. *numer.* 14. Silueſtrum verb. *vnctio numer.* 4. Paludan. *in quartum Diſtinct.* 23. *queſtion.* 2. *artic.* 2. *numer.* 26. Fundamentum eſt, qnia approbatio non eſt actus iuriſdictionis & probatur a ſimili in multis alijs caſibus; ſic approbatio ad exercendum munus prædicationis non eſt actus iuriſdictionis: ſic nec aſſitentia Parrochi ad contrahendum eſt actus iuriſdictionis, & ſic Parrochus excommunicatus, dare poteſt alteri facultatem aſſiſtendi, & cæt.

2 Negatiuè tamen, & mordicus reſpondet Bordonus, *in ſuis conſilijs Reſolut.* 36. *quæres* 24. quod probat decem rationibus; & licet caſum ponat vniuerſaliter de omnibus confeſſarijs, attamen idem etiam dicit de Regularibus, quia per ipſum approbare ad confeſſiones eſt ſemper actus iuriſdictionis, quam exercere non poteſt excommunicatus, & cæt. & pro hac ſententia ſunt Faber, *diſput.* 30. *de Pænitent. numer.* 31. Bonacina 97. *de pænitentia parte quarta* §. 1. *numer.* 16. Barboſa Henriquez etiam & alij, quos habes apud dictum Bordonum.

3 Dico ergo Epiſcopus poteſt approbare Regulares ad confeſſiones, etiam ſi is ſit excommunicatus: probatur, quia talis approbatio Epiſcopi non dat iuriſdictionem Regularibus ad confeſſiones excipiendas, vt tenent communiter Doctores, & Bordonus ipſe, *quæres quinto eadem Reſolutione*. Ergò reſpectu illorum non eſt actus iuriſdictionis.

Quod ſi dicas cum Bordono etiam habent Regulares iuriſdictionem ab Epiſcopo; poteſt enim quis gaudere duplici poteſtate circa idem factum. Vndè non repugnat Regulares habere duplicem iuriſdictionem, & ab Epiſcopo, & a Snmmo Pontifice.

4 Reſpondeo: eſto quod hoc non repugnet ſaltem Epiſcopus poterit ſolum approbare, & nolle dare talem iuriſdictionem. Vndè tunc iam non exercebit actum iuriſdictionis, & ſic etiam excommunicatus poterit approbare, ad confeſſiones.

Quod ſi inſtes, & dicas ſemper, ac approbat debet dare iuriſdictionem, nam approbatio eſt connexa cum iuriſdictione collata; Reſpondeo hoc gratis dicitur: nam ad quid debet Epiſcopus iuriſdictionem conferre Regularibus, ſi iam habent hanc a Sede Apoſtolica; quæ tantum requirit approbationem ab Epiſcopo, nec indigentiam talis iuriſdictionis ab Epiſcopo datæ requirit. Omnes aliæ ratione adductæ a Bordono facilè corruent hoc poſito fundamento.

5 Dico ſecundo Epiſcopus excommunicatus, nequit approbare alios confeſſarios, qui Regulares, & priuilegiati non ſunt. hoc dictum videtur eſſe contra Boſſium, dum abſolutè

N 2 tenet

tenet *loco ſupra citato*, approbationem Epiſcopi non eſſe actum iuriſdictionis, & conſequentèr etiam ab Epiſcopo excõmunicato poſſe prouenire: Probatur tamen; quia alijs Sacerdotibus non priuilegiatis dat iuriſdictionem Epiſcopus, vt audiant confeſſiones, & ſic video docere communiter Doctores, dum ponunt hoc diſcrimen inter Cõfeſſarios Regulares; & ſæculares: quod ſcilicet Regulares habeant iuriſdictionem a Papa, ſæculares ab Epiſcopo: Boſſius autem ſupponit etiam ſæculares non habere talem iuriſdictionem ab Epiſcopo, non tamen dicit ibi a quo habeant. Ergò eſt talis approbatio actus iuriſdictionis, cum det iuriſdictionem, & ſic ab excommunicato non tollerato, &c. nequit exerceri.

6 Vndè ſcias. Epiſcopum excommunicatum & cæt. non ſolum validè approbare Regulares ad Confeſſiones, ſed etiam licitè ità vt neque mortaliter, neque venialiter peccet, quia communicat in re neceſſaria. Ità Boſſius loco ſuprà *numer.* 70. ex Sanchez. *Diſput.* 21. *num.* 8.

An Generales Ordinum debeant eſſe approbati ab Epiſcopo per examen, vt audire poſſint confeſſiones ſæcularium. Dub. CXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Etiam ſi aliqui negant poſſe Prælatos Regulares audire confeſſiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi, atamen hoc non negant Generalibus Ordinum.*

2 *Authoris ſenſus, & opinio.*

1 SVperius egimus, an Prælati regularium poſſent ſine approbatione Epiſcopi audire ſæcularium confeſſiones, & pro vtraque parte ſententiam Doctorum adduximus modò peculiare dubium eſt de Generalibus Religionum: nam ex illis etiam, qui negant poſſe Prælatos regularium audire confeſſiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi ſunt aliqui, qui hoc non audent negare Generalibus Religionum, ſic Bordonus, *Reſolut.* 36. *numer.* 55. per hæc verba poſtquam dixit Prælatos regularium non poſſe audire ſęcularium confeſſiones, & cęt. poſtea addit. *Generalis tamen non videtur indigere examine tum ob idoneitatem, quæ includitur in eminentia ſui officij, tum ne vileſcat dignitas tam inſignis, tum quia dicitur Princeps Aret. in ſua prax. in fine tum quia non ſubeſt ſindicatui Cephal. conſil.* 39. *ex Genuenſi cap.* 58. *ſuæ praxis. Demum cum ex his dicatur inſignitus ſpeciali, & eleganti nomine non venit ſub generali locutione Tridentin. quo ad examen. arg. cap. De Multa cap. ne aliqui de Priuileg. in ſeſto Trimarch. de Solicit. Diſput.* 8. *numer.* 43. *in ſimili de excellentia Generalis*, Ita Bordonus; qui ſibi cohærens eſt, dum alibi, *Reſolut. quinta numer.* 1. dicit. Generalem pro audiendis confeſſionibus, Monialium Indigere quidem approbatione, non autem examine, quia idoneitas præſumitur includi in eminentia ſui officij Generalatus cui digni-

dignitati aliquid deferendum eſt, ne dignitates vileſcant.

2 Hæc eſt opinio Bordoni, quæ mihi placet quidem; ſed aliquam videtur includere difficultatem; nam ſi eminentia Generalatus excipit Generales ab examine, cur etiam non excipiet ab approbatione; hoc ſcilicet ſenſu, quod eos debeant neceſſario approbare Epiſcopi, vel quod non indigeant tali approbatione, nam approbatio in ordine ad idoneitatem requiritur. Inſuper ſic poſſem ad hominem in Bordonum inſurgere; per ipſum, *dicta reſolut.* 5. *num.* 1. Generalis, & Prælati alij indigent quidem approbatione, quia licet in odioſis Prælati nõ veniant niſi de illis fiat expreſſa mentio, tamen quia in hac Conſtitutione de approbatione ad Confeſſiones in qua non exprimuntnr, non ſpectantur vt Prælati ſed vt confeſſarij, idcirco ſub hoc nomine ſuficienter comprehenduntur. Ergo ſi vt confeſſarij ſuficienter exprimuntur, iam etiam examini vt confeſſarij ſubdentur; vel ſi non ſubduntur, nec approbationi, quę dependeat ab Epiſcopo. Immunes ergo ego facerem Generales ab vtraque re, approbatione ſcilicet, & examine; vel in vtroque caſu redderem eos ſubiectos ſaluo ſemper meliori iudicio.

An Regulares poſſint abſoluere a cenſuris, & caſibus reſeruatis Epiſcopo, ſiuè a iure communi, ſiue a ſpeciali, puta a Synodali conſtitutione ſint reſeruati. Dub. CXXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Caſus reſeruati Epiſcopo a iure communi enumerantur.*

2 *Fundamenta Doctorum, qui docent nõ poſſe Regulares abſoluere a caſibus reſeruatis a iure communi Epiſcopo.*

3 *De iure communi, nullus iam eſt caſus reſeruatus Epiſcopo in ſententia probabiliori.*

4 *Quæritur; an poſſint Regulares abſoluere a caſibus reſeruatis Epiſcopo per Synodum.*

5 *Variæ doctorum opiniones referuntur.*

6 *Authoris opinio.*

7 *Nullum eſt incoueniens, etiam ſi non poſſent Regulares abſoluere, mortuo Epiſcopo, a caſibus reſeruatis Epiſcopo per Synodum.*

8 *Cum Epiſcopus in tabella ſibi aliquos caſus reſeruat, cæteros omnes contemnere videtur.*

9 *Nullus eſt caſus conſuetudine ſolum reſeruatus Epiſcopo, & quare.*

10 *Probabilis opinio etiam eſt, quæ docet, poſſe Regulares abſoluere, a caſibus reſeruatis per Synodum.*

11 *Quare lex mortuo legislatore adhuc duret.*

12 *Decretũ ſub Vrbano VIII. de caſibus reſeruatis Epiſc. ad verbũ adducit.*

13 *Decreta ſub Clemente VIII. de caſibus reſeruatis confirmantur per decretum ſub Vrbano VIII.*

1 Bordonus *Reſolu.* 6. *n.* 11. negatiuè mordicus reſpõdet & enumerat loquẽdo de caſibus reſeruatis epiſcopo a iure cõmmuni ſeptẽ caſus, quos etiã videre potes in Catalogo excommunicationũ ſub Ludouiſio Archiepiſcopo Bononienſi poſtea Gregorio XV. & ſũt. Primus contra communicãtes in crimine, cũ excõmunicatis ab Epiſcopo, modo excommunicationẽ priorem Epiſcopus ſibi reſeruauerit,

Secũdus contra abſolutũ ob periculũ mortis ab excõmuuicatione Epiſcopali,nõ ſe poſtea præſẽtantẽ epiſcopo.Tertius eſt cõtra leuiter percutiẽtẽ clericũ 4. contra excõmunicatos a Papa illũ adire nõ potẽtes ob iuſtum impedimentũ 5.contrà faciẽtes prohibita ſub pœna excommunicationis Epiſcopalis ſibi reſeruatæ, 6. contra Fratres minores admittentes tẽpore interdicti ad audienda Diuina fratres tertij Ordinis,qui caſus eſt reſeruatus Papæ ante ſatisfactionẽ datã: poſtea eſt reſeruatus epiſcopo,7.cõtra abortũ faciẽtes fętus animati, hi sũt caſus a iure cõmuni reſeruatis epiſcopis a quibus dicit Bordonus nequeũt abſoluere Regulares confeſſores,multa adducit fundamenta, ſed quod mihi
2 validius videtur eſt, quia licet in decretis ſub Gregorio XIII. & Clemente VIII. habeatur Regulares tantũ ab eis nõ poſſe abſoluere, quæ epiſcopi ſibi reſeruarunt, vel reſeruabũt in poſterũ;attamẽ in decretis poſtea editis ſub Paulo V.& Vrbano VIII.ſimpliciter fit mentio de caſibus reſeruatis Epiſcopis, quibus verbis videtur venire quęlibet reſeruatio facta ſiue a Papa Epiſcopo,ſiuè ab epiſcopo ſibi ipſi,fauent etiam huic ſentẽtiæ alij Doctores citat tamen ſolum Mirandam dictus Bordonus.*quæſt.46. in Manuali art.*2.Lezana *in ſua ſumma, Verb.Caſus reſeruati nu.*2. alios enumerat caſus, quos multi Doctores aſſerunt de iure cõmuni eſſe reſeruatos Epiſcopis, ſic 4
Suarez refert.1. peccatũ quod habet annexã publicã pęnitentiã 2.Id quod habet annexam excõmunicationem maiorẽ 3.quod habet annexã irregularitatem, 4. peccatum incendiarij 5. publicam blaſphemiam. Ita Suarez. *tom.4.in 3.partem diſputat.*29.*ſection.*3. *numero 6.* & alij apud dictum Lezanam.

3 Sed dictus Suarez, Fagundez *in ſecundum Eccleſiæ præceptum libr.*8.*cap.*2. Peyrinus *to.* 2. *priuilegiorum in conſtitutionem Pyrrhi* §. 8.*num.*38. docent de iure communi nullum eſſe reſeruatum caſum Epiſcopo. In eadem ſententia eſt Lezana, ſed ob diuerſum fundamentum, quod eſt, quia in iure, vt patebit legenti, nullus textus eſt, qui reſeruet caſus Epiſcopis. Vnde caſus illi, qui a ſummiſtis referuntur, vel ſolum ſupponunt dari aliquos ex prædictis caſibus Epiſcopis reſeruatos propter conſuetudinem, vel ſolum loquuntur quo ad pœnam aliquam pro illis infligendam in foro contentioſo; & ſic cum aliquis caſus eſt per ſe reſeruatus Papæ, & pro aliqua cauſa commiſſus Epiſcopo,vt accidit in percuſſione Clerici, tunc ille caſus potius eſt delegatus Epiſcopo, quam ipſi reſeruatus.Procedendo ergo iuxta hanc ſententiam, quæ mihi probabilior videtur,iam euacuata remanet omnis difficultas,nec dubitandum eſt; an Regulares poſſint abſoluere ab huiuſmodi caſibus a iure reſeruatis Epiſcopis, nam non ſunt reſeruati, nec in hoc vim aliquam habere poſſunt decreta Summorum Pontificum prohibentia Regularibus abſolutionem a caſibus Epiſcopo reſeruatis.

4 Poteſt ergo ſolummodò eſſe difficultas de caſibus reſeruatis ab Epiſcopo in Sinodo per conſtitutionem Synodalem, vel reſeruatis in Concilio prouinciali, quod ferè idem eſt; an Regulares ab eis poſſint abſoluere.

5 Bor-

5 Bordonus negatiuè etiam reſpõdet, & hoc ob decreta in quibus prohibetur Regularibus, ne abſoluant a caſibus reſeruatis Epiſcopo. Sed illi caſus,qui reſeruantur in Synodalibus conſtitutionibus ſunt caſus,Epiſcopis reſeruati ergo.

Lezana non ſe benè explicat, dum *verb.caſus reſeruati Regularium num.*4. ſic habet: *ex quo ad praxim confeſſariorum præſertim Regularium inferri debet, quod cum iuxta dicta tom.*1.*cap.*19.*num.*17.*nulli Confeſſarij, ſiue ſæculares, ſiue Regulares, etiam virtute quorumcumque priuilegiorum abſoluere poſſint pænitentes, nec intrà, nec extra Italiam a caſibus Ordinario loci reſeruatis propter decreta in declarationes Sacræ Congregationis ibi numer.*15.*&* 16. *præcedentibus relata, quæ etiam refert Ludouicus a Cruce in expoſit.Bullæ Cruciatæ diſput.*1.*cap.*3.*dub.*5.*hoc non debet intelligi de caſibus, qui dicuntur a iure Epiſcopis reſeruatis, quia nulli tales ſunt, ſed de ijs,quos ipſi expreſsè reſeruant, ac de illis, ſi qui forſan fuerint, quos certò conſtaret conſuetudine antiqua in eo Epiſcopatu, & cæt.* ex quibus videtur ſentire à caſibus reſeruatis Epiſcopo a iure poſſe Regulares abſoluere: non tamen puto in hac ſententia ipſum eſſe, ſed tantum velle poſſe Regulares abſoluere a caſibus, qui a iure communi Epiſcopis reſeruati ſunt ſiſtendo .ſ. in opinione illorũ,qui dicunt eſſe in iure tales caſus reſeruatos Epiſcopis; quam licet Lezana dictus reprobet vniuerſaliter loquendo: attamen, quo ad abortum approbat aſſerens cum Theodoro Stratia abortum eſſe caſum Epiſcopalem factum a Gregorio XIV. quod tamen mihi non placet, ſicut nec placet Dianæ, *par.*1.*tractat.*5.*de Aborturesolut.*16.*&* *parte* 2.*tract.*2.*reſolut.*13. nam licet ſit a iure Pontificio reſeruatus abortus fœtus animati Epiſcopis, non tamen hinc ſequitur, ab eo Regulares non poſſe abſoluere; quia Regulares tantum tunc nequeũt abſoluere a reſeruatis Epiſcopo,qñ Epiſcop' ſibi tales caſus reſeruat, Vnde ſi Epiſcopi ſibi reſeruarẽt, vt in multis Diæceſ.reſeruare ſolent; abortũ, iã tũ confeſſarij Regulares ab eo abſoluere non poſſent. Quod non ſolum habet Diana, ſed alij plures; immo ipſe Lezana hoc debet aſſerere, ſi conſecutiuè velit loqui, licet cum ſuo Reuerendiſſimo Stratio velit defendere abortum eſſe caſum Epiſcopalem à iure, nam hoc nil obeſt facultati abſoluendi, quam habent Regulares ex priuilegio, ſed veniamus ad ſolutionem dubij poſiti; an ſcilicet à caſibus in Synodo Diœceſano, ſeu Prouinciali Concilio reſeruatis Epiſcopo poſſint abſoluere Regulares virtute priuilegiorum.

6 Dico ergo probabiliter, nequeunt ab his caſibus abſoluere Regulares dictum eſt contra communem ſenſũ, non tamen Doctorum, qui ſcripſerunt; nam videre non potui auctorẽ, qui hoc dictum clarè reprobet; ſed contra multos, quos viua voce conſului, qui omnes tamquam certum ſupponebant à caſibus à iure reſeruatis Epiſcopo poſſe Regulares confeſſarios abſoluere, quod tamen non eſt certum;nam licet verum ſit poſſe Regulares abſoluere à caſibus à iure cõmuni reſeruatis Epiſcopo, vti diximus ſuprà;attamen hoc non currit in caſibus, quos in iure ſpeciali reſeruãt ſibi Epiſcopi.

7 Neque dicas, ex hac doctrina ſequeretur non poſſe defuncto Epiſco-

po Regulares abſoluere à caſibus reſeruatis in Synodis, quod videtur abſurdum, & inconueniens; nam reſpõdeo nullum eſſe inconueniens etiam ſi ferè innumeri eſſent caſus, qui in multis, & antiquis cuiuslibet Diæceſis Synodis eſſent reſeruati, ſicuti ſi nõ haberent priuilegia abſoluendi à caſibus Summo Pontifici reſeruatis, certè non poſſent abſoluere, nec in hoc aliquod eſſet inconueniens; Verum quidem eſt, quod dicit Megala noſter *Inſtitut. Peregr. lib. 1. cap. 11. numer. 13.* Quod Epiſcopi nõ conſueuerunt reſeruare caſus per modum conſtitutionis, quod tamen ſi facerent, duraret talis reſeruatio etiam poſt mortẽ, prout durant reliquæ conſtitutiones Epiſcopales; nec in hoc video inconueniens. Sed reſpondere potes adhærendo ſententiæ probabili aliquorum Doctorum, vt ſunt Comitolus *Reſponſio Moral. lib. 1. quæſt. 25. Homobonus de Caſibus reſeru. pag. mihi 53.* regulariter illos caſus reſeruatos in Synodo, non eſſe reſeruatos non ſolũ defuncto Epiſcopo, ſed etiam viuente; nam (cum in tabella, quam dicunt) ſibi reſeruat aliquos caſus reliquos in Synodo poſitos contemnere videtur, & inferioribus ſacerdotibus concedere, & Comitolus citatus aſſerit ſibi id ita teſtatum fuiſſe Epiſcopum quemdam nobiliſsimæ ciuitatis Italiæ; ſi ergo quando in tabellis eligunt ſibi aliquos caſus Epiſcopi reſeruatos, quos dicunt reſeruatos ab homine Doctores alios iam non faciunt reſeruatos licet in Synodis dicantur, & ponantur, vt reſeruati, iam vbique poterunt Regulares ab eis abſoluere ſiſtendo ſcilicet in hac probabili ſententia.

8

9 Sed quæres hic; an à caſibus qui ex conſuetudine ſunt reſeruati poſſint abſoluere Regulares.

Reſpondeo cum Lezana verb. *caſus reſeruati num. 5.* Quod quando Ordinarij expreſsè aliquos caſus ſibi reſeruant, iam reliqui omnes caſus non debent cenſeri reſeruati, & ſic nullus erit caſus ex conſuetudine reſeruatus. Hoc eſt contra Bordonum eadem *reſolut. 6. citata num. 31.*

10 Communis ergo ſententia eſt, non poſſe Regulares abſoluere à caſibus in Synodis reſeruatis, (vt dixi,) Contrariam tamẽ opinionem etiam probabilem puto, quam viua voce ſuſtinet etiam ob ſolidum fundamentum ex noſtris P. D. Philippus Maria Guadagnus vir tum prudentia, tum doctrina eximius, qui bis noſtræ Congregationis Præpoſitus Generalis fuit. Fundamentum tale eſt: Regulares ideo non poſſunt in communi ſententia abſoluere à caſibus reſeruatis in Synodis, &c. quia tales caſus ſunt ſibi ab Epiſcopis reſeruati, ab eis autem caſibus quos Epiſcopi ſibi reſeruant, vel reſeruabunt, nequeunt abſoluere Regulares per ordinationes Clementis VIII.

Sed caſus reſeruati in Synodis non ſibi propriè reſeruant Epiſcopi. ergo ab eis poſſunt Regulares abſoluere. Quod autem caſus reſeruati Epiſcopo in Synodo non ſint caſus, quos ſibi Epiſcopi reſeruent, ſed quod eis lex illa, & conſtitutio Synodalis reſeruat probatur doctrina illa communi, quam præcipuè adducit Suarez *lib. 1. de natura legis in communi cap. 10. à numer. 8.* & per ſequent. & talis eſt, lex adhuc mortuo legiſlatore durat, quia à quo procedit adhuc durat, ſic

ſic quia leges ciuiles per ſe primo procedunt, a republica, quæ transfert ſuam poteſtatem in Principem; Hinc eſt quod mortuo Principe adhuc leges illæ durant, quia ſicuti Reſpublica dedit poteſtatem Principi condendi leges, ſic etiam tales leges condendi, quæ etiam ipſo mortuo durant, cum duret Reſpublica: idemque dicendum eſt de legibus Canonicis; quia poteſtas a qua procedunt eſt a Chriſto, qui non moritur, & ſic mortuo etiam legiſlatore adhuc durant leges. Et hinc deſſumitur differentia inter ordinationes ab homine latas, & illas quæ ſunt a iure, cur ſcilicet primæ extinguantur ſuperiore ordinante extincto, ſecundæ nequaquam, quia ſunt perpetuæ, cum perpetua ſit prima poteſtas a qua procedunt. Veniendo ergo ad caſum poſitum, dico reſeruationem illam factam in iure Synodali, non eſt facta ab Epiſcopo, ſed a lege potius, ergo non eſt reſeruatio, quam ſibi faciat Epiſcopus, & ſic præcipuè iam Regulares poterunt a dictis caſibus in iure reſeruatis abſoluere.

Quod ſi obijcias, & eſt valida obiectio, in decretis nouiſſimis de caſuum reſeruatione ſub Paulo Quinto, & Vrbano VIII. ſimpliciter ſit mentio de caſibus reſeruatis Epiſcopo, quibus verbis venit quæcumque reſeruatio, ſiuè facta ſit a Papa Epiſcopo, ſiue a iure, & lege, ſiue ab Epiſcopo ſibi ipſi. Ergo parum refert, quod lex vt dicimus reſeruet Epiſcopo, ad hoc vt Regulares poſſint abſoluere. Quod autem nouiſſima huiuſmodi decreta ſimpliciter dicant de caſibus reſeruatis Epiſcopo patet ex decreto ſub Vrbano VIII. quod hic volui ad verbum adducere lectoris gratia, & eſt tenoris ſequentis.

12 *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit per confirmationem priuilegiorum, quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt Sac. Conciliũ Tridentinũ obtinuerint nequaquam remiſſiuè priuilegia per prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis decretis ſublata; atque extincta, ſi quæ habeant abſoluendi a caſibus ordinario loci reſeruatis quemadmodum, nec indulta abſoluendi a caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vtpotè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus priuilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cuiuſuis ordinis Congregationis, ſocietatis, & inſtituti etiam neceſſario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiuſmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis, at ſi ſecus egerint abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, & fore: ab alijs vero caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſiquidem Regulares habent à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe iiſdem S. Congregationis Decretis hac de re editis iuſſu ſanctæ memor. Clementis VIII. quam Sac. Congregationis ſententiam ſanctitas Sua mandauit ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabiliter obſeruari Romæ 17. Nouemb.* 1628. Hoc eſt decretum, ex quo videtur non poſſe Regulares abſoluere à caſibus Ordinario reſeruatis etiam ſi Ordinarius illos ſibi non reſeruet.

Sed

Digitized by Google

13 Sed reſponderi poteſt per hoc decretum confirmari præcedentia Decreta ſub Clemente VIII. de caſuum reſeruatione; & tantum hoc de nouo ſtatuitur, quod ſcilicet extra Italiam nequeant Regulares abſoluere à reſeruatis etiam ſi multa, quo ad hoc priuilegia habeant; quod prius tantũ ligabat exiſtentes in Italia: Si ergo cõfirmat præcedentia decreta tantum, & in præcedentibus tantum habeatur, Regulares non poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis, quos ſcilicet ſibi reſeruant, vel poſtea reſeruabũt Epiſcopi, iam etiam poſt hoc decretum idem dicendum eſt, & licet verba ſonent ſic ſcilicet *de caſibus Ordinario reſeruatis*; attamen, cum ſimus in odioſis placidior opinio tenenda eſt, & priuilegia Regularium, quo ad minus fieri poſsit, lædenda.

An Regulares certis diebus, quibus indulgentias habent plenarias in ſuis Eccleſijs poſſint abſoluere à reſeruatis Epiſcopo.
Dub. CXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio ſingularis refertur.*
2 *Poſſunt, non obſtante decreto Concilij Tridentini pro aliqua vice Epiſcopi dare facultatem celebrandi in oratorijs priuatis.*

1 Habe hic tantum Lector, quod docet doctus de Peirinis, in hęc verba, *Nota hic, quòd licet ſupra in Conſtitutione* 2. *Leonis X.* §. 2. *num.* 3. *dixerim dictos confeſſarios deputatos dictis diebus non poſſe abſoluere a caſibus reſeruatis Epiſcopalibus, vt in dicto* §. 2. *concedebatur, probabiliter tamen poteſt defendi, quod poſſint etiam ab Epiſcopalibus abſoluere, nam qui obſeruationem legis ad tempus ex priuilegio quo ad vnum effectum ſuſpendit eam etiam illo tempore dicitur obſeruare. Qua ratione vtitur Hẽriquez lib.* 13. *cap.* 48. *num.* 1. *ad probandum, quod priuilegia Regularium cõcedentia ſuſpenſionem Interdicti in certis diebus non ſunt reuocata per Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 12. *Vnde cum caſus videatur omninò ſimilis pro iſta opinione adduco omnes doctores quos adduxi ſuprà in conſtitutionem* 2. *Sixti* 4. *num.* 51. *Ad Decretum Clementis VIII. de prohibitione abſoluendi a caſibus reſeruatis Epiſcopi dic quod loquitur de prohibitione generali abſoluendi a dictis caſibus & ſic derogat ea priuilegia, quæ dictam generalem abſolutionem concedebant cum qua tamen ſtat quod poſſint minimi in aliquibus diebus anni a dictis*
2 *caſibus abſoluere*, Hæc Peirinus; ad quæ roboranda ego adderem exemplum aliud ſimile, quod habeo cap. *de Celebratione Miſſarum*. *Dubitatione*. Vbi dico ex Paſqualigo 171. *deciſ.* etiam ſtante decreto Cõcilij Tridentini poſſe adhuc dare Epiſcopum facultatem vt in Oratorijs priuatis poſſit miſſa celebrari, pro aliqua vice ſcilicet.

An Epiſcopus poſſit cogere Prælatos Regulares, vt iurent in ſcriptis a ſe præſentatos eſſe idoneos, quo ad litterarum ſufficientiam.
Dub. CXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Non tenentur Regulares Prælati, hoc iuramentum dare in ſcriptis.*

3 *Nec*

2 *Nec etiam voce tenentur hoc facere.*

3 *Etiam ſi maxima requiratur probitas in confeſſario electo, adhuc tamen non ſpectat huiuſmodi cognitio ad Epiſcopum ſed ad Prælatum Regularem eligentem.*

4 *Nec Epiſcopo debet conſtare præſentatos Regulares eſſe præſentatos ad formam Clementinæ, quia hoc non præſcribitur in dicta Clementina.*

5 *Aliud eſt punire ſcandaloſum, aliud non admittere, qui non eſt ſcandaloſus.*

6 *Iudici non creditur ſine iuramento, quando tenetur fidem facere.*

1 QVia apud paucos Doctores dubium in terminis inuenies ſicut habes apud Moronum, *in ſuis reſponſis* nouiſſimè editis, hic eius ſententiam ad verbum referam, ait ergo ſic. *Reſponſ.* 85. *a num.* 55. *vſque ad finem.*

Dico primo In ſcriptis hoc non teneri præſtari ſuperiores, quia nullo iure cauetur, nec ſufficiens ratio poteſt adferri; immò inique egit Epiſcopus cogendo illum hoc præſtare, quia cogit ad quod non tenetur.

2 *Dico ſecundo tale iuramentum, nec in ſcripto, nec in voce, nec vllo modo teneri dictos ſuperiores præſtare coram eiſdem Epiſcopis, quia nullo iure cauetur, nec Clementina Dudum ad cuius formam præſentantur dicti Religioſi Epiſcopis hanc facultatem concedit, nec Religioſos ad hoc cogit, ſed tantum ſuperioribus ad quos ſpectat præſentare iniungit, vt ipſi ſtudeãt eligere perſonas idoneas, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, & iſtos præſentatos vult Epiſcopos teneri approbare, nec quidquam amplius conceditur per Tridentinum.*

3 *Sed dices approbationem ad Confeſſiones ſpectare ad Epiſcopum, maximè autẽ requiri in Confeſſario probitatem vitæ. Ergo de hac inquirere maximè ſpectat ad illum, vt poſſit probare. Reſpondeo maxime requiri in confeſſoribus vitæ probitatem, ſed hanc cognitionem ad Epiſcopũ non ſpectare approbantem, ſed ad Prælatum Regularem eligentem cui iniungitur per Clementinam, nec Epiſcopi in hoc ſe debent ingerere.*

4 *Dices ſecundo Epiſcopo ſaltem debet conſtare dictos Confeſſarios Regulares eſſe præſentatos ad formam dictæ Clementinæ, ergo Reſpondeo, nec hoc præſcribi dicta Clementina, præterea ſatis conſtat ſi aſſerat ſuperior Religioſus, ſe illos ad dictam formam præſentare, & Doctores, qui formam tradunt exhibendam à Prælatis Epiſc. hoc non requirunt. Vide Rodericum tom.* 1. *quæſt.* 59. *art.* 3. *&c.*

5 *Dices* 3. *ex Decreto S. Congregationis habetur, quod Epiſcopi poſſunt ſuſpendere Regulares confeſſarios publicè ſcandaloſè viuentes. Ergo etiam ad ipſos ſpectat cognoſcere de eorum vita, Illius eſt enim cognoſcere, cuius eſt iudicare. Reſpondeo* 1. *me loqui de iure communi* 2. *Si adſunt declarationes debent exhiberi autenticæ, vt illis credatur, adeo enim circumferuntur ſibi contrariæ, vt merito Sanct. Vrbanus VIII. ſtatuerit non eſſe credendum niſi autenticis exhibitis.* 3. *Dato etiam quod adeſſent nihil noui adferunt. Regulares n. extra clauſtra ſcandaloſè viuẽtes puniũtur ab Ordinario præmiſſis tñ præmittẽdis.* 4. *Aliud eſt punire publicè ſcãdaloſũ, aliud nõ admittere, qui nõ ſit ſcandaloſus: primum poteſt punire Epiſcopus, vt diffamatum, de ſecundo nihil ad ipſum.*

6 *Dices quarto, nec iudici credi ſine iura-*

ra-

Digitized by Google

ramento. Reſpondeo eſto hoc ſit non creditur quando tenetur fidem facere, ſed Superiores Regulares hanc fidem non tenentur facere, ergo. Immo Epiſcopus tenetur reputare bonos, qui a ſuis Superioribus electi præſentantur, cum quilibet debeat præſumi præſtitiſſe, quæ ſpectant ad ſuum officium. Cum ergo ſpectet ad Superiorem Regularem eligere bonos, hoc debet ſupponere Epiſcopus, quod ſi aliter Concilium voluiſſet ſubijcere Regulares Epiſcopis alio modo, quam per examen, certè expreſſiſſet. Cum ergo eorum examini ſubijciat, & nullam aliam cognitionem eis tribuat, remanet intacta diſpoſitio dictæ Clementinæ, quod talis cognitio pertineat ad Regulares Superiores. Hæc illuminatus Moronus, quibus nihil addam; cum ex eis adequatè remaneat ſoluta dubitatio.

An Regularis profeſſus, qui antè erat Sacerdos approbatus ad Confeſſiones, ab Epiſcopo, puta Cremonenſi, poſſit poſtea ſine noua præſentatione Prælatorum audire in eadem Ciuitate confeſſiones, & frui priuilegiis, quæ habent reliqui Confeſſores Regulares.

Dub. CXLV.

SVMMARIVM.

1 *Sine præſentatione Prælatorum non frui priuilegijs aliorum Regularium confeſſorum iſtum profeſſum docent aliqui.*

2 *Contrarium docet Auctor, & fundamentum quo mouetur aſſignat.*

1 QVod poſſit audire confeſsiones ſine noua præſentatione, & approbatione Epiſcopi dico cum Morono *reſponſ.* 85. *numer.* 28. *cap. quo ad Parrochos in dubio final.* quia nulla eſt rario cur amiſerit talem approbationem. Vnde ſufficit, quod ei permittant Prælati audire confeſſiones ad hoc, vt licitè hoc munus præſtet, & cæt.

Modo difficultas, quæ hic præcipuè conſideratur eſt; an ſine præſentatione Prælatorum fruatur priuilegijs aliorum Confeſſorum Regularium. Negariuè reſpondet citatus Illuminatus Moronus, dicto reſponſo 85. per hæc verba. *Reſpondeo hoc non poſſe. quia ad hoc, vt iſtis poſſit gaudere debet eſſe Confeſſor Regularis, hic non eſt Confeſſarius Regularis ideſt præſentatus a ſuis Prælatis, & ad iſta admiſſus ab Epiſcopo eſt ergo iſte quidem Regularis, quia profeſſionem emiſit ſolemnem in manu ſui Prælati, & non eſt Confeſſarius Regularis qualis debet eſſe, vt talibus frui poſſit. eſt Syluestri verb. Confeſſor 2. queſt. 4.*

2 Sed pace iſtius Doctoris dixerim, non video quomodo requiratur, & ad quid hæc præſentatio, nam præſentatio etiam per ipſum inducta eſt ad fauorem Epiſcoporum, ergo cum iam Epiſcopus ille approbauerit dictum Regularem, qui ante profeſſionem erat Sacerdos; ſuperflua videtur talis preſẽtatio de nouo. Vnde ſufficit ꝙ contenti ſint Prelati, ꝙ talis Regularis ſubditus audiat confeſſiones ad hoc, vt dicatur ille Confeſſor Regularis; & conſequenrer fruatur priuilegijs aliorum Confeſſorum Regularium: deberet vtique probare, quod præſentatio ad formam *clementin.* ſiuè alia, dum Epiſcopus ei renunciat, eſſet neceſſaria ad conſtituendum Confeſſorem Regularem, nec ex tota Clemen-

mentina colligi poteſt quod ad conſtituendum Confeſſarium Regularem Regularium priuilegijs fruentem requiratur talis præſentatio, & cæt.

An Regulares tempore Paſchatis teneantur dare ſchedulas, in quibus fides habetur Confeſſionis factæ, & an ad hoc poſſint cogi ab Epiſcopis edicto. Dub. CXLVI.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non tenentur has ſchedulas dare.*

2 *Eſſet contra eorum priuilegia edicto eos ad dandas tales ſchedulas conſtringere.*

3 *Nec alij Confeſſores tenentur has ſchedulas dare pænitentibus.*

4 *In foro pænitentiali debemus credere aſſerenti ſe eſſe confeſſum.*

5 *Ob priuilegia Regularium iam omnes eis poſſunt ſua peccata fateri ſine dependentia a Parrocho.*

6 *Nec conſuetudine induci poteſt Regularibus talis obligatio dandi ſchedulas.*

7 *Parrochi, qui cogunt ſuos Parrochianos, vt iterum ſua peccata confiteantur, dum iam Regularibus confeſſi ſunt, denunciandi ſunt officio S. Inquiſitionis.*

1 NOuiſſimè *in ſuis centum moralibus reſponſis* habet dubium Illuminatus Moronus *reſponſ.* 21 & latè docteque illud reſoluit, hic breuiter exponam quid meo iudicio dicendum in caſu poſito, & erit a Morono compendioſè deſſumptum.

Dico ergò, Regulares non teneri dictas ſchedulas dare,& hoc ex priuilegio, ſeu conſtitutione Sixti IV. quæ incipit *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ*; vbi habetur Parrochos debere admittere ad Euchariſtiam illos, qui cōfeſſi ſunt ſua peccata Regularibus, dum aſſerunt ſe dictis Regularibus Confeſſos fuiſſe ſine ſchedula requiſita, 2. ex extrauaganti *inter cunctas* Benedicti II. in qua habetur idem clariſſimè ſcilicet debere Parrochos credere dictis pænitentibus, nec aliquid aliud requirere. Nec dicta extrauagans eſt in totum reuocata per Clement. *dudum*, vt volunt multi Doctores, & præcipuè Summator. Ita dictus Moronus. Sed adhuc remanent multa priuilegia integra, quæ conceduntur in ipſa; inter quæ dic eſſe iſtud, quo ſcilicet confeſſi apud eos non tenentur aliquid oſtendere ad fidem inducendam confeſſionis factæ.

2 Ex hoc ergo ſequitur, nec Epiſcopi edicto teneri Regulares, quo obligantur Confeſſarij dare ſchedulas pęnitentibus, ſub pæna ſuſpenſionis a confeſſionibus audiendis, quia eſſet contra eorum priuilegia, vnde tunc poſſent Regulares recurrere ad ſuos conſeruatores, vt ab eis defenderentur, & hoc etiam ſi decretum, & edictum eſſet datum cum verbis *iuſtis de cauſis*, quia nec cum cauſa, nec ſine cauſa poteſt aliquid Epiſcopus contra priuilegia Regularium.

3 Addit inſuper Moronus *loco ſupra à numer. 22. vſque* 25. nec alios etiam Confeſſarios obligari dare tales ſchedulas; & colligit ex doctrina D. Thomæ, *quodlibet* 1. *queſt.* 6 *numer.* 12. quia ſ. in foro pænitentiali homini creditur, & pro ſe, & cōtra ſe ad differentiā fori iudicialis, in quo homini tantum

cre-

creditur contra ſe non autem pro ſe. Ergo nullus Confeſſarius tenebitur has ſchedulas dare, cum nullus etiam pœnitens eas teneatur petere.

4 Nec obſtat ſi dicas; ſi pęnitens ſit excommunicatus publicè,& cęt. tunc non poteſt Parrochus admittere ad Euchariſtiam, niſi fidem habeat abſolutionis obtentæ, nec tenetur tunc Parrochus tali excommunicato credere, ergò ſic de alijs peccatis confeſſis:nam reſpondeo excommunicatio pertinet ad forum externum iudiciale, & ſic non creditur aſſerenti tantum eſſe abſolutum; at dum impedimentum eſt, quo ad forum pænitentiæ, tunc debet credi dicenti ſe eſſe confeſſum, & ſic ſchedula opus non eſt.

5 Quod ſi obijcias cum D. Thoma *loco ſup.* Parrochus nō debet credere ſibi ſubdito dicenti ſe alteri eſſe confeſſum, nam debet ſubditum ſuum quantum poteſt ad bonum inducere. ergo ſchedulam poſtulare poteſt. Reſpondeo cum eodem D. Thoma, quod bonum illud quod conſequuntur homines in confeſſione, iam conſecutus eſt ille, qui alteri etiam confeſſario confeſſus eſt, ſi verum dicit, ſi autem falſum, idem poterit dicere in confeſſione, & ſic non eſt, cur Parrochi requirant has ſchedulas. Deinde ob priuilegia Regulariū iam ipſis oēs fateri ſua peccata poſsūt ſine aliqua dependentia à Parrochis, & ſic non poſſunt cogi a Parrochis proprijs ad dandas ſchedulas. Alias obiectiunculas habet, & reſoluit Moronus *loco citato.* Vide ipſum.

6 Hæc doctrina adeo vera eſt, vt nec conſuetudine induci poſſit, quo ad Regulares, talis obligatio tradendi has ſchedulas, vt aduertit Moronus dictus, quia priuilegia conceſſa vniuerſitati non ammittuntur per actus ſubditorum, nec actus particularium perſonarum nocet vniuerſitati ex text. *cap. accedentibus de priuilegijs*, de ſæcularibus autem tam confeſſoribus, quam pœnitentibus, quid tenendum tradit, & doctè idem Moronus.

7 Et aduertant hic Parrochi, quod ſi ſuos ſubditos, vel alios, qui confeſſi ſunt Regularibus cogant iterum confiteri antequam dent Euchariſtiam, eſſe denunciandos officio Sanctæ Inquiſitionis, vti ſuſpectos de hęreſi ex Conſtitutione Sixti IV. quę incipit *Regimini ſub. num.* 50. & hic fuit error diſſeminatus a Ioanne de Poliaco, qui a Ioanne XXII. fuit compulſus illum retractare.

An Confeſſor Regularis incurrat pœnas latas ab Epiſcopo contra non obſeruantes aliquos ritus circa confeſsiones audiendas.
Dub. CXLVII.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſint ritus, quos ſolent præcipere Epiſcopi, vt obſeruentur à confeſſarijs.*

2 *Quando generaliter iubentur prædicta obſeruari, & non exprimuntur Regulares, tunc ipſi non comprehenduntur, cum ſint exempti.*

3 *Dum in talibus ſtatutis Synodalibus exprimuntur Regulares in his, in quibus ſunt priuilegiati non obligantur.*

4 Ne-

4 *Nequit Epiſcopus præcipere Regularibus, vt excipiant confeſſiones in ſuis Eccleſijs tantum.*

5 *Parrochi Regulares adhuc fruuntur priuilegijs aliorum Regularium.*

6 *Acceptor perſonarum dicetur Epiſcopus, qui in approbatione Regulariũ ſtrictius procedit, quam approbando alios.*

7 *Non obligantur Regulares illa conſtitutione Synodali, ne audiant mulieres in confeſſione ante Solis ortum, vel poſt Solis occaſum.*

8 *Etiam ſi Regulares per conſtitutionem Epiſcopi obligarentur excipere confeſſiones ſolum in ſuis Eccleſijs, adhuc validè eas exciperent ſi extra exciperent.*

9 *Iuriſdictio voluntaria vbique valide exercetur, cum nulli fiat iniuria.*

10 *Per limitationem perſonarum, & temporis tollitur iuriſdictio in confeſſario, non ſic autem per limitationem loci, & quare.*

11 *Nec obligari poſſunt Confeſſores Regulares ab Epiſcopo, vt vtantur certo quodam habitu, dum audiunt confeſſiones.*

12 *Aliqui dicunt teneri Regulares illa ordinatione Epiſcopali qua præcipitur, vt dum audiunt in confeſſione infirmos in ſcriptis, relinquant fidem talis confeſſionis exceptæ.*

13 *Contrarium tenet Author.*

14 *An Regulares obligentur ſtatuto Epiſcopali, ne accipiant pecunias pro pænitentia impoſitas.*

1 SOlent Ordinarij in Synodis præcipere, quæ Confeſſarij debent obſeruare in audiendis confeſsionibus, vt v.g. cum ſuperpelliceo, & ſtola taleSacramentum adminiſtrent, vt poſt vigeſimam quartam horam, & ante ſolis ortum non audiant, neque iuuenes, neque mulieres; Vt tantum in certis locis, & Eccleſijs audiant confeſſiones, vt velum habeant in craticula confeſsionarij; & ſimilia.

2 Dico ergo primo; Quando generaliter iubentur prædicta obſeruari, & non exprimuntur Regulares; tunc ipſi non comprehenduntur, cum ſint exempti, & ideo non includantur in generali locutione ex cap. *à nobis primo de ſententia excommunication.* Ita Alphonſus noſter de Leone *de officio, & poteſtat. Confeſſ. recollect. 5. num. 36.* Riccius *in praxi variar. reſolut. 210. in princip.*

3 Dico ſecundo, Si in talibus ſtatutis Synodalibus exprimantur Regulares, in his in quibus ſunt priuilegiati puto non obligari, videtur eſſe dictum cõtra Vgolinum *de officio, & poteſtate Epiſcopi cap. 20 §. 10. num. 2.* Graſſium *conſ. 6. ſub tit. de pænitentia, & remiſſionibus*, Homobonum *de humanæ vitæ ſtatibus par. 1. cap. 16. verſus finem*, eſt tamen cum communi fere Doctorũ; ſic vt diximus nequit Epiſcopus reſtringere Regulares ſine cauſa, vt audiant confeſsiones in ſuis Eccleſijs tãtum, & certarum perſonarum; quia ad hæc habent Regulares priuilegia, vt vidimus, & fundamentum eſt clarum; quia inferior nequit indulta ſuperioris de medio tollere; Quod autem ſi priuilegia habeant Regulares nequeat eos adſtringere Epiſcopus, & coarctare pro confeſſionibus audiendis, patet ex reſponſis Sacræ Congregationis in Conſtitutionem Gregorij XV. *de exemptorum priuilegijs*, quę incipit *Inſcrutabili*. Idemque dico de Parochis Regularibus licet aliter ſentire

tire

tire videatur Alphonſus de Leone citatus, *num.*35. & ab eo relati Riccius *in ſua praxi reſolut.*210. *in* 8.*caſu* & Rodriquez *tom.*2.*qq. queſtio.*63.*art.*11. & ratio, qua moueor eſt; quia non per hoc, quod ſit Parrochus Regularis amittit ſua priuilegia, licet in multis ſubdatur Epiſcopo ratione muneris,in quibus antequam eſſet Parrochus non erat ſubditus; Quando autem priuilegiati non ſunt Regulares in illis vtique ſubduntur, & cum verſemur circa Sacramentorũ adminiſtrationem iam obligantur ſeruare talia ſtatuta Synodalia circa confeſſiones audiendas, nec in hoc video difficultatem. Sed debent (vt dixi in primo dicto) etiam tunc exprimi, & nominari Regulares, vt vim in eos habeat ſtatutum ob rationes dictas.

6 Aduertat tamen Epiſcopus, ne indicat aliquas circumſtantias obſeruandas tantum à Regularibus Confeſſarijs, nam non poteſt abſque vitio acceptoris perſonarum in Regularium approbatione ſtrictiùs procedere, quam in approbatione Sacerdotum ſæcularium Zanardus 1.*parte directorij Confeſſariorum, cum de Sacramento Pænitentiæ capit.*23. *verſ. quo ad Regulares*, & Alphonſus de Leone citatus; qui etiam videtur docere *ibi* cum Rodriquez nec poſſe Epiſcopum reſeruare caſus plures reſpectu Regularium, quam aliorum. Sed de hoc alibi habes dubitationem *hoc eodem* capite.

7 Ex dictis collige 1. non obligari Regulares, nec eſſe ſuſpenſos a confeſſionibus per conſtitutionem Synodalem, quæ frequenter fieri ſolet, ne audiant confeſſiones mulierum, vel iuuenum, antè ſolis ortum, & poſt ſolis occaſum, nam ſic audire non eſt delictum circa adminiſtrationem Sacramentorum. Vnde ab Epiſcopi iuriſdictione exempti ſunt, puto etiam non ligari Regulares per conſtitutionem Synodalem Florentinam 1645. nam ibi Regularium, expreſſa mentio non fit, ſed tantum habetur. *Mulieres neque ante ſolis ortum, neque elapſa hora vigeſimaquarta diei, & cæt. niſi aliud rei neceſſitas poſtulet, ad Confeſſiones admittantur in templis*. Si autem exprimerentur Regulares, tunc dubitare quis poſſet; an validè abſoluerent contra talem ordinationem. Reſpondeo validè adhuc abſoluere, quia hæc eſt ſimplex prohibitio, vnde non irritat factum; Tum quia prohibitio continens formam accidentalem non irritat actum, ſed talis eſt hæc forma, ergò. Ita Bordonus *Reſolutio.*36. *numero* 85.

8 Collige 2. non poſſe, vt diximus ab Epiſcopis reſtringi Regulares, vt audiant confeſſiones in ſuis Eccleſijs tantum. Quia habent priuilegia, vt diximus,ſi autem obligarentur adhuc
9 ſi exciperent confeſſiones extra Eccleſias validè abſoluerent; vt inquit Bordonus; nam iuriſdictio voluntaria vbiquè validè exercetur cum nulli fiat iniuria. Ita dictus Doctor *reſolut.* 36.*num.*34.

Dicas; ſi confeſſor admiſſus, cum certa limitatione temporis, & perſonarum,audiat, non obſtante tali limitatione, confeſſiones; iam inualidè abſoluit, vt docent multi Doctores, & præcipuè ipſe citatus Bordonus, ergo etiam ſi audiat confeſſiones approbatus certis in locis tantum.

10 Reſpondetur negando conſequentiam, & aſſignando diſparitatem, quia

Digitized by Google

quia, quo ad ſtrictionem loci; non tollitur iuriſdictio, ſicut tollitur, dum adeſt limitatio perſonarum, & temporis in his enim duobus caſibus tollitur iuriſdictio, & ſic nec validè poteſt abſoluere confeſſor, ſic limitatè approbatus. Deindè tempus, & perſonæ, reſtringuntur confeſſarios propter eius inſufficientiam, non ſic autem locus limitatur, ob inſufficientiam Confeſſoris, & ſic tollitur in illis caſibus iuriſdictio, non autem in caſu poſito; alias habet rationes dictus Bordonus, apud quem talem doctrinam inueni vide ipſum. Adde quod negandum etiam eſt antecedens.

11 Collige tertio; nec illud ſtatutum Epiſcopi obligari confeſſores Regulares, quo pręcipitur, vt vtantur ſtola cum ſuperpelliceo, dum excipiunt confeſſiones; nam vt refert Bariola. *Verb confeſſarius pagina 66.* relatus a Bordono *Reſolution. 36. numer. 83. in fine*, adeſt circa hoc declaratio Sacræ Congregationis. Deindè dato, quod aliqua Religio, *in ſuis Conſtitutionibus*, præſcribat modum, quo confeſſores debent excipere confeſſiones, tunc clarum eſt non poſſe ab Epiſcopo ſcontrarium ordinari, ſic in caſu ſimili, negat potuiſſe Epicopum prohibere Regulari, ne cum ſtola concionaretur. Auguſtinus de Bellis ex noſtris doctus Theologus, *in ſua allegat Hiſpana pag. 46.* tum quia, vt inquit ille. *En eſto guardaua ſu habito y obedezia a ſus eſtatutos, Segundo porque por ningun canon, ò conçilio ſe da Iuriſdiçion al Ordinario para Iuzgar de habitos de Regulares.* Ergò idem a pari dicendum de Regulari; qui habitu ſuæ Religionis ad excipiendas confeſſiones accederet; hic enim non poſſet in hoc reſtringi, & obligari diuerſimodè a DD. Epiſcopis, audirè confeſſiones. Dicunt multi teneri Regulares ſeruare,

12 ſtatutum, & Ordinationem, qua. Epiſcopus eis præciperet, vt dum audiunt confeſſiones infirmorum fidem faciant, & relinquant in ſcriptis. Se audiuiſſe in Confeſſione dictos infirmos; & hoc; quia ità ordinauit Sacra Congregatio Concilij teſte Homobono, *de ſtatu Vitæ Humanæ, Parte prima Capitul. 16. numero ſexto.* Ità etiam habere dicit Rodriquez, *tomo primo Quæſtion. 59.* noſter Alphonſus de Leone. Fundamentum eſt; tum Conſtitutio Pij Quinti, Quæ incipit, *Super gregem.* tum; quia præceptum Sacræ Congregationis adeſt hoc iniungens Regularibus.

13 Sed ex his non video quomodo Epiſcopus hoc poſſit præcipere Regularibus; & quidem conſtitutio citata Pij Quinti. *Super gregem*, non dat talem facultatem. Epiſcopis; immò nec præcipit hoc Regularibus confeſſoribus, & alijs etiam; ſed ſolum prohibet. Medicis, ne viſitent infirmos periclitantes, ſcilicet, ſine fide confeſſoris; qui audiuit, dictum ægrotum: Congregatio autem Sacri Concilij, licet hoc iniungat Regularibus, attamen non tribuit facultatem Epiſcopis eos in hoc coercendi.

O 14 In

14 In Aliquibus etiam Diæceſibus Epiſcoporum prohibitum eſt confeſſoribus, ne accipiant pecuniam pro pænitentia impoſitam; ſi autem ſpõte a pænitente detur (& abſit ſcandalum) iam poſſunt confeſſarij retinere dictas pecunias; nec tali ſtatuto obligantur maximè ſi Regulares ſint, in quos minorem Epiſcopus habet iuriſdictionem, & poteſtatem: Agit de hoc Homobonus *de ſtatibus humanæ Vitæ part.* 1. *cap.* 76. *pag. mihi* 192.

Alia multa ſimilia ſtatuta Diæceſana videbis; quæ maximè conſideranda ſunt, & iuxtà Doctrinam traditam reſoluendum; an obligent; vel non Regulares exemptos.

An quando Epiſcopus ſuſpendit confeſſarios Regulares a Confeſſionibus ipſo facto ſint ſuſpenſi. Dub. CXXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Talis ſuſpenſio per multos Doctores non eſt cenſura.*

2 *Suppoſito, quod non ſit cenſura non incurritur ipſo facto quidqui dicant multi.*

3 *Omnis pæna etiam negatiua, præter cenſuram expectare debet iudicis ſententiam, antequam incurratur,*

4 *Cur cenſuræ ſtatim afficiant dum ſunt ipſo facto fulminatæ, antè iudicis ſententiam.*

1 Dubium commune fortè erit pro omnibus confeſſarijs, licet ob exemptionem, & priuilegia fortè magis vrgebit pro Regularibus.

Reſpondent ergo multi Doctores talem ſuſpenſionem non eſſe cenſuram Ità præcipuè Homobonus. *Parte* 4. *Reſpon.* 86. *ſuper cenſuras*, qui citat Graſſium, *conſil.* 4. *de Pænitentia, & Remiſſione*, Duardum *in Comment. Bullæ Cœnæ. libro primo cap.* 1. *quæſt.* 3. *numer.* 113. & ſe *ipſum parte ſecunda de Examine tract.* 11. *capit.* 9. *quæſt.* 20. *& parte tertia tract.* 15. *cap.* 9. *quæſt.* 31.

2 Qua ſententia ſuppoſita, conſequenter etiam dicere quis poſſet, nõ incurrere in talem pænam ipſo facto Regulares; quia pæna quis non afficitur antè iudicis ſententiam Ità expreſsè Bordonus. *Reſolut.* 13. *num.* 83. dum dicit *Huiuſmodi autem ſuſpenſiones præſcriptæ non ſunt propriè cenſuræ, ſed ſimplices pænæ. Neque ipſo iure incurruntur, ſed requiritur aliquis actus ipſius Epiſcopi ſuſpendentis, ſeu priuantis confeſſarium delinquentem*, contrarium tamen docet Graſſius in ſuis Conſcil. conſcil. 6. *De Pænitenti, & remmiſſione numer.* 29. *&* 30. his verbis. *Tamen contrarium credimus in caſu noſtro nam quod pæna non debeatur antè ſententiam procedit in pænis exigentibus iudicis executionem non autem in pænis quæ non requirunt actum aliquem iudicis Qualis videtur etiam hæc pæna reprobationis, & ſic ſi diceremus, quod tales confeſſarij non venirent ipſo facto reprobandi ſequeretur abſurdum & cat.*

3 Prior tamen ſententia, ſuppoſito, quod talis ſuſpenſio non ſit cenſura mihi magis placet, quia verè omnis pæna, præter pænam cenſuræ, expectare debet iudicis ſenten-

ten-

tentiam, etiam ſi negatiua ſit, ſic videmus priuatum beneficio ob aliquod delictum non teneri ſubire talem pœnam antè iudicis ſententiam; ſic hæreticus, priuatus ſuis bonis, nec ante iudicis ſententiam ipſo facto eſt talibus bonis ſpoliatus.

Quod ſi dicas in cenſuras ipſo facto quis incurrit etiam antè declarationem, & actum aliquem iudicis. Ergò idem de hac ſuſpenſione dicendum.

4 Reſpondeo cum Auila, *de Cenſuris. parte prima Dub.* 7. eſſe diſparitatem, nam Eccleſia, ſic intendit obligare, vt conſtat ex communi conſenſu, & interpretatione ipſius Eccleſię, & Doctorum: meritò autem Eccleſia obſeruat hanc conſuetudinem nam cum cenſuræ ſint pęnę ſpirituales, habent maiorem proportionem cum culpa, & ideò facilius eam comitantur, non ſic autem alię pænæ, quæ ſpirituales purè non ſunt, dico ergò in talem ſuſpenſionem non incidere Regulares ipſo facto; data & conceſſa illa opinione, quod talis ſuſpenſio cenſura non ſit; quę tamen multas habet difficultates, cum eodem modo ſoleat imponi eiſdem verbis, ac imponitur cenſura: Vnde ſignum eſt, vere Epiſcopum habere animum cenſuram ferendi maxime cum habeat talem poteſtatem, & iuriſdictionem etiam in Regulares poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili*, dum Sacramenta miniſtrent.

An dum eſt dubium; ſint ne confeſſores præſentati a Prelatis neceſſarij ſpectet ad Epiſcopum decidere eſſe neceſſarios. Dub. CXXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Qui abſolutè docent ſpectare ad Prælatos Regulares decidere numerum confeſſorum, qui ſunt pro ſuis Eccleſiis neceſſarij nimis fauent Regularibus.*

2 *Quando cum fundamento lis ſuper talem neceſſitatem confeſſorum, oritur; decidenda eſt prudentis viri arbitrio aut iudicis competentis ſententia.*

3 *Tenetur Epiſcopus ex iuſtitia non ſolum Regulares, ſed etiam alios ad examen admittere pro confeſſionibus.*

4 *Exemptus, eſt manutenendus lite pendente ſuper exemptione.*

1 Non eſſe iudicem nec Epiſcopum, nec ſuperiorem Regularem nouiſſime tenet Illuminatus Moronus, *in ſuis Reſponſis. Reſponſ.* 85. ſed addit poſtea pertinere ad Prælatum Regularem determinare numerum confeſſariorum, qui ſunt neceſſarij pro ſua Eccleſia, & illius atteſtationi, & determinationi debere ſtare Epiſcopum, ſicut ad Regularem ſpectat determinare neceſſitatem diſpenſandi in interſtitijs, cum ſuis ſubditis, cui determinationi debet ſtare Epiſcopus, & ea poſita debet diſpenſare. Sic etiam orta lite ſuper Quar-

ta funerali ad eundem ſuperiorem Regularem ſpectat decidere; & ita ſuſtinere Mirandam teſtatur idem Moronus,*loco ſupra*. Item ad eundem ſuperiorem Regularem ſpectat, determinare ſufficientiam eorum, qui ad confeſſiones præſentantur, Epiſcopo. Ergò ſic etiam dicit Moronus ſpectat numerum neceſſarium determinare ad Prælatum Regularem, non autem ad Epiſcopum. Hæc Moronus; quæ tamen nimis mihi videntur fauere Prælatis vndè licet exiſtimem debere Epiſcopum ſtare atteſtationi Prælati Regularis, qua dicit tot confeſſarios eſſe pro ſua eccleſia neceſſarios,adhuc tamen, ſi cum fundamento lis ſuper hoc oriatur non video quomodo iudex debeat eſſe Prælatus, qui pars in cauſa eſt.

2 Contrarium tamen videtur aſſerere Boſſius, *de Triplici Iubilæi priuilegio Sect. terza Caſ. ſecundo* §. *primo* 25. dum dicit. *Quod ſi contingat contentio inter Epiſcopos, & ipſos Regulares de numero eligendorum dicente Epiſcopo decem v. g. ſufficere, & Regularibus aientibus maiorem numerum requiri, hanc contentionem dirimit Gloſſ. in dict.* §. *numer. verb. exigit docens Epiſcopum poſſe eligere eum numerum, qui ſufficere poteſt populo, & ſi adhuc contentio ſit poſſe vel non poſſe ſufficere erit res iudicis ſeu boni viri arbitrio definienda, quod idem docent Syluester. Menochius libr. ſecundo de Arbitri cent. quinta caſ.*465.*Rodriquez vbi ſuprà Fagundez*, & poſt aliqua addit.

Si verò inter ipſos ſit contentio de Idoneitate tunc dicit. Syluester loco cit. quod ſi probabiliter coniecturetur de Malitia Prælatorum illos ſcilicet contendere, quia nolint admittere locum habebit priuilegium Clementinæ, & præſentatus cenſebitur authorizatus; quia inquit idem Syluester non refert; an verbo vel facto dicat ſe nole dare licentiam, & admittere vbi vero Prælati benè mouentur, licet cum errore, tunc ex eodem Syluestro eos repellere poſſunt, & in dubio quando quis reicitur potius præſumendum eſt reici propter ſuam inſufficientiam, vel alium defectum in moribus, & vita ne præſumamus delictum maximè in ſuperioribus. Hæc Boſſius: qui eodem loco, *numer.* 29. contra Fagundez, *in Præceptum ſecundum libr.* 7. *capitul.* 2. *numer.* 14.

3 docet teneri ex iuſtitia. Epiſcopum admittere ad examen non ſolum Regulares, ſed etiam Sacerdotes ſæculares, pro approbatione ad confeſſiones, quia fieret iniuria talibus Sacerdotibus; qui habent hoc ius, vt præuio examine reddantur apti, vt ſaltem virtute Bullæ, aut priuilegij poſſint eligi in confeſſarios ſæcularium lege dictum Boſſium: qui alios plures adducit doctores, ſibi fauentes in hoc.

4 Scias tamen hic quod lite pendente ſuper exemptione eſt manutenendus exemptus aduerſus. Ordinarium in poſſeſſione. Ità Cokier *libr. primo Parte ſecunda quæſtion.* 25. qui citat Geminianum, & Francum.

Quod tamen verum eſt quando poſſeſſio alligatur titulata ex priuilegio, ſecus ſi ex præſcriptione, nam priuilegium fauorabile eſt, & præſcriptio odioſa: ideoque poteſt Ordinarius vti ſua iuriſdictione, contra eum, donec de præſcriptione plenè probauerit; non verò contra eum,

ſum, qui dicit ſe exemptum ex priuilegio. Ita Cockier, *loco ſuprà* cum alijs ab ipſo relatis.

An dum Epiſcopus ex aliqua cauſa reuocat approbationem Regulari datam ad Confeſſiones debeat hęc cauſa probari. Dub. CL.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa debet probari dum reuocatur approbatio data Regulari.*
2 *Reprobatur opinio, quæ dicit nec cum cauſa poſſe reprobari ab Epiſcopis Regulares.*
3 *Approbatio ex natura ſua eſt irreuocabilis, dum nulla ſuperuenit cauſa.*

1 NOuiſſime affert & reſoluit dubium Illuminatus Moronus, in ſuis Reſponſis. *Reſponſ.* 29. ſic dicens, *dato & non conceſſo quod approbatio eſſet ex cauſa reuocabililis cauſa deberet probari, probatur; quia reuocatio eſſet facienda ex cauſa, vt patet ex Cap. Accepimus de ætate & qualitate ergò ex cauſa probata; probatur hæc conſequentia ex leg. num.* 11. *ff de tranſaction.* §. *vltim. igitur iuncto principio eiuſdem legis vbi hæc videntur aperte decidi ità enim habet lex: ſolet igitur Prætor interuenire, & inter conſentientes arbitrari, an tranſactio admitti debeat, & cæt. deinde ſubdit vult igitur Orator apud Prætorem de iſtis quæri, in primis de cauſa tranſactionis deindè de modo* 3. *de perſonis tranſigentium, quod ſi quæras in quo conſiſtit cauſæ cognitio Reſpondet Menochius de arbitris libro* p. *queſt.* 19. *num.* 3. *&* 5. *in citatione adhibenda, & litigantium iure exaudiendo, qui ſunt actus iudiciales cum ergò reuocatio (ſi fieri poſſet) non poſſet fieri ſine cauſa, & quotieſcumque aliquid cũ cauſa eſt faciendum ſit faciendum cum cauſa iuridicè probata profectò fit, quod ſi reuocatio poſſet fieri deberet fieri cauſa iuridicè probata*, Ità Moronus, quod
2 placet, non placet tamen quod eodem reſponſo paulo ſuperius dicit, *num.* 20. nec cum cauſa poſſe ab Epiſcopo reuocari approbationem datam Regularibus ad excipiendas cõfeſſiones; nam, ipſe vt video tantum conſiderat, declarationes quaſdam Sacræ Congregationis quas conatur conciliare; & concordare non autem Conſtitutionem *Inſcrutabili* Gregorij XV.

3 Nec obſtat eſſe ex natura ſua approbationem irreuocabilem (vt diſputationis gratia etiam ſupra a me probatum eſt) nam hoc procedit nulla adueniente cauſa, cum cauſa autem non vidi doctorem aliquem id expreſſe docentem, excepto dicto Morono.

An Epiſcopus poſſit punire Confeſſarios Regulares alibi approbatos audientes Confeſſiones in ſua Diœceſi virtute Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ. Dub. CLI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Probabilis eſt ſemel approbatos, poſſe eligi in confeſſarios virtute Bullæ cruciatæ.*
2 *Contrarium a multis docetur.*

3 *Approbatio Epiſcopi non eſt neceſſaria in confeſſario electo a Regulari.*

4 *Quando Regularis eſt in itinere, tunc controuerſum eſt apud Doctores, an Confeſſor ſæcularis electus debeat eſſe approbatus ab Epiſcopo.*

5 *Eſto, quod confeſſor deberet eſſe approbatus ab ordinario non per hoc epiſcopus poſſet punire talem confeſſorem, a ſe non approbatum, qui in confeſſione dictum Regularem audiret.*

1 IOannes Sancius *in Selectis diſputat.* 48. negatiuè reſpondet Ratio eſt; quia ſecundum multorum Doctorũ opinionem ſic audientes confeſſiones non committunt culpam, ergò nec digni ſunt pœna; patet antecedens, nam opinio probabilis eſt, quod poſſint ſemel approbati virtute Bullæ cruciatæ vel Iubilæi vbique audire confeſſiones. Ergò qui hanc opinionem ſequitur non peccat.

2 Contrarium tamen docent Ledeſma, *in Summ. tom.* 1. *de Sacram. Pœniten. cap.* 12. Ludouicus de San. Iuan. *in ſumm. quæſt.* 7. *art.* 2. *de Pœnitent. diſput.* 12. dubium commune eſt de omnibus alijs confeſſarijs Vide Dianam, *Trac.* 4. *de Sacrament. Reſolut.* 110.

3 Dubium magis ad materiam reſtrictum, eſt inquirere; an Epiſcopus poſſet punire Sacerdotem clericum ſecularem ſibi ſubditum, qui ſine approbatione ſua audiret Regularem itinerantem, a quo eſſet electus pro Confeſſore. Reſpondent communiter Doctores approbationem Epiſcopi pro audiendis confeſſionibus Religioſorum non eſſe neceſſariam Megal. *part.* 1. *cap.* 10. *num.* 16. Sa *verb. Confeſſor. num.* 6. Homobonus, *tom.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 12. Bonacina, *quæſt.* 7. *de Pœnitent. part.* 5. §. 2. *num.* 25. §. *ex quo* Portel. *verb. confeſſor erga Fratres num.* 14. Rodriquez. *tom.* 1. *quæſt.* 62. *art.* 4. *&* 5. Boſſius *de triplici Iubilæi priuilegio ſec.* 3. *caſu* 4. *num.* 5. qui alios plures citat; & hoc eſt certum nec

4 habet difficultatem, ſed quando Regularis eſt in itinere, & ſinè ſocio ſacerdote eiuſdem ordinis tunc dicunt aliqui doctores tantum poſſe eligere ſacerdotem ſæcularem, qui ab Epiſcopo ſit approbatus, vel ſi ſit alius regularis alterius ordinis a ſuperiore einſdem electi. Vnde videtur iuxtà hanc doctrinam prima facie dicendum, bene poſſe Epiſcopum procedere in huiuſmodi clericos ſacerdotes, qui ſine ſua approbatione excipiant confeſſiones horum Regulariũ; Attamen in primis non eſt amplectẽda hęc opinio; ſcilicet tunc Regulares itinerantes debere eligere Sacerdotem approbatum ab Epiſcopo; quam optimis rationibus reicit Bordonus. *Reſolut.* 34. *De electione Confeſſarij inter Regulares a num.* 1. *vſque ad* 4. Deinde eſtò quod confeſſor electus deberet eſſe approbatus ab Ordinario, attamen ſi eligeretur non approbatus a Religioſo, non per hoc poſſet talis confeſſor puniri ab Epiſcopo, nam approbatio hæc nec eſſet requiſita a Concilio, nec a iure aliquo, per concilium enim audientes confeſſiones Regularium non ſunt neceſſario approbandi ab Ordinario loci, & ab Epiſcopo, ſed ſufficit quod ſint approbati a ſuis ſuperioribus. Vnde hæc approbatio ordinarij, quã requirunt ſuperiores itenerãtium

non

non dat aliquam facultam ordinarijs puniendi confeſſores ſuos ſubditos, dum ſine tali approbatione in caſu poſito audiunt confeſſiones Regularium.

QVO AD SACRAMENTALIA. Cap. VII.

1 Quid poſſit Epiſcopus in Regulares quo ad Sacramentalia. Dub. CLII.

SVMMARIVM.

1 *Vox Sacramentalium, quid ſignificet.*
2 *Subduntur Regulares exempti in petitione Olei Sancti Epiſcopis.*
3 *Regulares, qui curam animarum habent, debent oleum pro chryſmate baptizatorum petere.*
4 *Non poſſunt Epiſcopi aliquid pro dando tali oleo recipere.*
5 *Ab Epiſcopis debet Oleum Sanctum pro infirmis Monaſteriorum Regularibus dari.*
6 *Ab omnibus Epiſcopis poteſt peti per Regulares dictum oleum ex priuilegio.*
7 *Secluſo priuilegio, ſi Epiſcopus proprius abſit, vel ſedes eo tempore vacet proximus Epiſcopus pro tali oleo adiri poterit.*
8 *Poſſunt Prælati Regulares benedicere illas res, quæ ſine vnctione chriſmatis benedicuntur, & quare.*
9 *Controuerſum eſt an Prælati Regulares poſſint benedicere paramenta, & ornamenta pro Eccleſijs externis.*
10 *Declaratio Sacræ Congregationis circa hoc adducitur, & notabilis authoritas aduertentia.*
11 *Abbates etiam benedicere poſſunt campanas.*
12 *An Regulares poſſint oua benedicere, & admittere mulieres ad purificationem poſt partum.*
13 *Benedictio, & diſtributio palmarum etiam Regularibus permiſſa eſt.*

HÆC vox Sacramentalium varia ſignificat, vt optimè notat Theophilus Raynaudus *de monitorijs Eccleſiaſtic. part. 2. cap. 2. pagin. mihi 306.* Theologi tum morales, tum Scolaſtici intelligunt pro Sacramentalibus quoſcumque Sacros Ritus Sacramentis, aut ſacrificio adiunctos, & ad eorum conuenientem celebrationem ex Eccleſiæ inſtitutione vſurpandos, non excludunt tamen à ſacramentalibus ſacras veſtes, aut templa, ſic etiam aquam luſtralem, & alia pleraque, quibus Eccleſia ſuam benedictionem impertijt. Thomas Vualdenſis de hac materia latè agit, definiunt autem caſuiſtæ Sacramentalia ſic, vt habes apud Thomam Cinium *libr. 1. Cæli Eccleſiaſtici de Sacramentalibus. Sacramentale eſt omnis conſecratio, vel benedictio, aut ſignificatio ad aliquod Sacramentum ordinata, & intelligitur res Sacra, ſeu Sacra actio, qua venialium remiſſio obtinetur,* hoc poſito.

2 Scias 1. Regulares etiam exemptos ſubdi Epiſcopo ſcilicet in petitione Olei Sancti, quod eſt vnum ex ſacramentalibus, cum deſeruiat vſui Sacramentorum. Triplex autem eſt

oleum conſecratum, primum, & principale dicitur ſanctum Chryſma, quod de oleo, & balſamo conficitur, quo benedicuntur fontes Baptiſmales, Calices, Patenæ, Eccleſiæ; Altaria, & pueri baptizati in vertice, & in fronte, & Epiſcopi quando conſecrantur, & omnes fideles, quando chryſmantur, & hoc oleum anniuatim conſecrandum eſt, & innouandum, *ex cap. ſi quis de alio*, 2. oleum eſt Cathecumenorum, quod dicitur oleum benedictum, quo inunguntur baptizandi inter ſcapulas, & in pectore, & manus Sacerdotis, dum ordinatur, & Reges in brachio, & in humero, & Eccleſia, & altaria antè Chriſmationem, 3. oleum eſt infirmorum, quo inunguntur infirmi in extrema vnctione, hoc ergo ſuppoſito.

3 Dubitare poteſt quis primo; An Regulares exempti teneantur petere tale oleum ab ordinarijs, & Epiſcopis Reſpondeo affirmatiuè. Ita Lezana *verb. ſupra* Rebuffus, *in praxi beneficio parte* 1. *tit. de Clericis num.* 22. Eraſmus Cokier *de iuriſdictione ordinarij in exemptos part.* 2. *queſt.* 45. *num.* 16. & ſic Regulares, qui curam animarum habent, & Baptiſterium debent petere tale oleum, ſcilicet primi generis pro chryſmate baptizatorum, & bapti-
4 zandorum, & nota, quod debent illa olea illis gratis concedi, neque poſſunt aliquid etiam liberè oblatum pro illis recipere. Ita ex declaratione Sacræ Congregationis apud Gauantum *in Manuali Epiſcopor. verb. olea Sacra*. Vnde reprobanda eſt conſuetudo aliquorum, qui nolunt diſtribuere illa olea niſi oua, aut aliquid ipſis tribuatur. Teſte Fuſco *de viſitatione lib.* 2. *cap.* 6. & Vgolino *de poteſtate Epiſcopi cap.* 4. §. 3. *numer.* 2. & Barboſa *allegat.* 31. *num.* 21.

5 De tertio autem oleo, ſcilicet pro infirmis, dico ab Epiſcopis debet omnibus Regularibus dari pro vſu ſuorum Monaſteriorum, & colligitur, quia Prælati Regulares ſunt veluti Parrochi ſuorum Religioſorum, ac per conſquens ipſis, ſicut & alijs Parrochis tribuendum, & adeſt circa hoc declaratio Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, quam referunt. Idem Gauantus *loco ſupra*, Nouarius *in lucerna Regularium* verb. *Oleum Sanctum numer.* 1. & pro Carmelitis extat priuilegium Clemētis VIII. in Bulla *exponi nobis tom.* 3. *bullar. num.* 57. in qua præcipitur DD. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vt prædictum oleum ipſis petentibus liberè ac promptè tribuant.

6 Secundo. Dubitare quis poteſt; an prædictum oleum debeat ſumi ab Epiſcopo Diæceſano, vel ab alio, reſpondeo adeſſe priuilegium circa hoc conceſſum fratribus Cruciferis, vt poſſint a quocumque Epiſcopo recipere, & cæt. & fuit datum ab Vrbano III. in Bulla, quæ incipit, *cum anteceſſor noſter tom.* 1. *Bullar. num.* 1. ſub dicto Pōtifice. Vnde vt notat Lezana *verb. ſupra* frui tali priuilegio poſſunt omnes communicantes in priuilegijs, cum tali religione.

7 Immò nota hic inſuper, quod ſecluſo priuilegio, & ſtando in iure communi; Si Epiſcopus proprius abſit, vel ſedes eo tempore vacet proximus Epiſcopus poterit adiri ad hoc oleum habendum, prout tenet Barboſa dicta *allegatione* 31. *numer.* 19. ex Gloſſa, & apud illum alij plures.

8 Tertio dubitare quis poterit; an

Regu-

Regnlares poſſint benedicere illas res, quæ ſine vnctione Chryſmatis benedicuntur. Reſpondeo licet iure ordinario hæc facultas competat Epiſcopis, cum ſit actus ordinis, & non iuriſdictionis, cum tamen hæc benedictio non ſit ex his, quæ competunt ordini Epiſcopali de iure Diuino, vt competit ordinare, confirmare, &c. Sed de his, quæ competunt ipſis ex Eccleſiæ inſtituto. Ideo poteſt alijs hæc facultas conuenire. Vnde per priuilegium competit pluribus Prælatis Religionum, vt dicit Tamburinus *to. 1. de Iure Abbatum diſp. 22. qu. 1. & 2.* Barboſa *in Collect. Bullarum verb. benedicere*; & loquẽdo de Abbatibus competit etiã illis, qui benedicti non ſunt: aduertit tamen Suarez apud Lezanã, *verb. benedicere in Summ.* hoc eſſe verũ de Abbatibus, qui benedicti non ſunt, & habent priuilegium exercendi põtificalia; nam ſi non habeant hoc priuilegium, nec poterunt benedicere, & ſcias extendi etiam hanc facultatẽ ad benedictionem corporalium ex priuilegio *Innocentij VIII.* vt teſtatur Caſarubius apud Lezanam *loco citato.*

9 Dubitare quis poterit 4. an dicti Prælati, qui poſſunt benedicere hæc paramenta, & ornamenta poſsint hoc facere etiam pro Eccleſijs extraneis. Affirmatiuè reſpondet Tamburinus *tom. 1. de iure Abbatum diſp. 22. quæſit. 1. & 2.* Negatiuè reſpondet Lezana abſolutè, non obſtantibus priuilegijs quibuſdam pro Caſſinenſibus, & pro Generali, & quatuor præcipuis Abbatibus Ciſtercenſium, de quibus licet dubitet Lezana *loco ſupra*; Attamẽ etiam ſi valida eſſent ob quamdam declarationem S. Congregationis *de anno 1609. die 24. Auguſti*, quam referunt Gauantus, Nouarius *in Lucerna Regularium* relati ab ipſo Lezana, vbi habetur hanc facultatem paramẽta benedicendi, quam habent Abbates ſolum eſſe pro vſu monaſteriorũ ſuorum, non autem Eccleſiarum non ſubditarum, & extat etiam alia declaratio de *anno 1632. 13. Martij*, quam refert Lezana *verb. Altare*, & Barboſa etiam *in Collect. an. Bullarum uerb. Al-*
10 *tare numer. 3.* his verbis *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati etiam ex ſocietate Ieſu habentes priuilegia benedicendi veſtes ſacras, cæmeteria, & ſimilia dicto priuilegio vti non poſſunt niſi in his rebus, in quibus ſacra vnctio non adhibetur, & pro ſeruitio dumtaxat Monaſteriorum, & Eccleſiarum propriarum.* Quæ declaratio maximè aduertẽda eſt, tollit enim multas dubitationes circa hanc materiam benedictionis, attendenda tamen eſt præſcriptio; nam ſi Regulares præſcripſerunt etiam benedictionem extraneorum paramentorum facere poterunt.

11 Dubitare quis poteſt 5. an benedictio Campanarum ſpectet ad ſolos Epiſcopos, an etiam Abbates Regulares habeant hanc facultatem Tamburinus reſpondet etiam ad Abbates ex priuilegio ſpectare *tom. 1. diſp. 23. de iure Abbatum, quæſit. 12.* & etiam pro vſu aliarum Eccleſiarum. Sed oppoſitum docet Lezana verb. *Benedictio, & benedicere 14.* ob eamdem ſuprà relatam declarationem. Vide Riccium *in praxi fori Eccleſiaſtici par. 1. reſolut. 461.*

12 Dubitare quis poteſt 6. An Regulares poſſint benedicere oua, & ad purificationem recipere mulierẽ poſt partum. Reſpondeo adeſſe declarationem

tionem Sacræ Congregationis circa admiſſionem mulieris poſt partū teſte Lezana verb. *Benedictio num.17.* vbi deciditur, id poſſe facere Regulares: de benedictione autem ouorum ſtandum eſſe cōſuetudini legitimè introductæ docent Laurettus de Franchis *in controuerſijs Epiſcoporum, & Regularium pag.392.* Lezana *loco etiam citato.*

13 Dubitare quis poteſt 7. An benedictio, & diſtributio palmarum, & Candelarum pertineat etiam ad Regulares. Reſpondeo etiam Regularibus hoc eſſe licitum ex declaratione Sacræ Congregationis, quam refert Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verb. benedicere n.20.*

An modo Epiſcopis Diæceſanis recuſantibus conſecrare Eccleſias Regularium poſſint à quocumque Epiſcopo conſecrari. Dnb. CLIII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones circa hoc diuerſæ referūtur.*
2 *Ante concilium priuilegia Regularium circa conſecrationem ſuarum Eccleſiarum in vigore erant.*
3 *Poſt Tridentin. omnia dicta priuilegia reuocata fuerunt.*
4 *Nec de iure communi poſſunt Regulares recuſantibus Diæceſanis Epiſcopis pro conſecratione ad alios recurrere.*
5 *Sunt tamen viri docti, qui oppoſitam ſententiam etiam poſt Tridentinum ſuſtinent.*

1 Affirmatiuè reſpondent Rodriquez *tom.1. quæſt. Regularium q. 19.art.4.* & Miranda *tom.2. manual. q. 39.art.1. concl.3.* ſed

Negatiuè reſpondet Peyrinus *in Conſtitutionem p. Iulij II. §.21. pag. mihi 67.* Quia priuilegium quod habent Regulares per Leonem X. in Concilio Lateranenſi iam fuit reuocatum per Concilium Tridentinum *ſeſſ.6. de reformatione cap.5.* vbi habetur. *Nulli Epiſcopo liceat cuiuſuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diæceſi exercere niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia*, & hæc ſententia mihi magis placet, quā etiam ſequuntur Lezana verb. *Eccleſia ſeu templum*, & Tamburinus *de iure Abbatum tom.1. diſput.25. quæſt.7. num.3.* hic tamen primam ſententiam non reijcit cum humiliter ſcilicet petunt Regulares ab Epiſcopo Diæce-
2 ſano conſecrationem. nam Regulares habēt aliqua priuilegia, per quæ ſi requiſitus bis, aut ter Epiſcopus Dięceſanus noluerit conſecrare, poſſint Regulares à quocumque Epiſcopo obtinere per conſecrationē, quæ refert dictus Lezana *loco ſupra numer.5.* quæ tamen iam per Concilium Tridentinum reputat reuocata, vt dixit, Peyrinus quod tamen non concedit Rodriquez *loco etiam ſupra*, & mouetur, quia illud priuilegium Leonis X. iam cum ſit inſertum in corpore iuris non eſt priuilegium; ſed ius commune, quod non reuocatur per Tridentinum: vt clarius ergo quid ſentiam in hac re exponam.

3 Dico iam modo nequeunt regulares poſt Concilium, vti dicto priuilegio, niſi ſit aliqua cauſa neceſſaria, quę rarò reperiri poteſt in hac materia conſecrationis, cum vix neceſſarium eſſe poſſit Regularibus conſecrare ſuas Eccleſias, cum ſufficiat illas be-

nedi-

nedicere. Ita ſentit doctus Lezana, *verb. ſupra num.5.in fine*. Probatur autem modo Regulares vti non poſſe tali priuilegio; quia etiam ſi demus inſertum in corpore iuris eſſe,& conſequenter eſſe non iam tam priuilegium; quam ius commune, attamen iam reuocatum eſt per aliud ius commune contrarium ſcilicet Tridentinum; quod ſemper requirit licentiam ordinarij pro hac conſecratione;nam lex poſterior abrogat priorem contrariam, vt docet optimè Sanchez *in ſelectis alibi relatus diſput.50*.

4 Obij. etiam aduerſarij *caput primum de ſupplenda negligentia Prælatorum*, & caput *nihil eſt de electione*, ex quibus colligunt hoc competere Regularibus de iure communi recuſantibus Epiſcopis Diæceſanis, & cæt. Sed iam patet reſponſio, nam dato etiam, quod ſit de iure communi,fuit reuocatum per aliud ius commune contrarium. Deinde ex illis textibus, vt legenti patet, & notat Peyrinus, nihil eſt contra noſtrum dictum.

5 Scias tamen oppoſitam ſententiam adhuc ſuſtineri à Ioanne Maria Nouario in Lucerna Regularium verb.*conſecratio*, vbi idem ſentire aſſerit,noſtrum Patrem Thomam del Bene virum doctiſſimum: & addit inſuper, ita vnica vice fuiſſe determinatum a Sacra Congregatione Sacri Concilij Tridentini Interpretum: adde etiam Barboſam *de poteſtate Epiſcopi allegat.27. part.2. numer.11.*

An Epiſcopus poſſit in locis exemptis Regularium ſolemnes benedictiones, & diuina officia celebrare. Dub. CLIV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio communis eſt.*

2 *Epiſcopi poſſunt facere cantari Miſſas per ſuos Canonicos in Eccleſijs Regularium, per declarationem, & cæt.*

1 Affirmatiuè reſpondent Cokier *par.2.tom.1.quæſt.45.* Barboſa *alleg.105.num.66.* Lezana *verb.Epiſcopus quo ad Regulares*, & ſic dicunt declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione *in vnà Fanenſi 11.Aprilis* 1601. Quod ſi Epiſcopus in die Palmarum, vna cum capitulo, & clero perſonaliter ad Monaſterium Regularium accedere teneatur debere ipſum benedicere Palmas priuatiuè, quo ad Abbates. Nouarius *in lucerna Regularium* verb.*Epiſcopus quo ad Regulares*, & addit idem Doctor, poſse Epiſcopum 2 facere cantari Miſsas per ſuos canonicos in Eccleſijs Regularium, & Miſſas etiam rogationum, vt per Sacram Congregationem in vna *Firmana* 25. *Ianuarij* 1603. non tamen adeo facilè mouearis lector ad hoc tenendum, niſi videas maiora fundamenta.

An

An ſolus Epiſcopus poſſit aquam benedicere, qua Eccleſia polluta poſſit reconciliari
Dub. CLV.

SVMMARIVM.

1 *Quænam ſit aqua benedicta, qua Eccleſia ſolet reconciliari.*
2 *Quando nam Prælati Regulares poſſunt benedicere dictam aquam.*
3 *Tunc ſolum requiritur illa aqua benedicta, quando Eccleſia reconcilianda, eſſet conſecrata, ſecus quando ſolum benedicta.*

1 Aqua benedicta, qua Eccleſia polluta reconciliatur, non eſt aqua ordinaria illa benedicta per Sacerdotem cum ſale, ſed debet benedici ab Epiſcopo iuxta *caput aqua*, dubitatur ergo; an ſolus Epiſcopus poſſit benedicere hanc aquam.

2 Zanardus *de domibus, & cæt. Regular. cap.* 21. docet, poſſe aliquando benedici à Prælatis Regularibus puta ſi Regulares non haberent facilem acceſſum ad Epiſcopum, ſed diſtarent per duas dictas ab eo, tunc poſſent Prælati Regularium illam aquam benedicere neceſſariam ad reconciliationem, & hoc per multa priuilegia, quæ circa hoc habent Regulares, vt refert Lezana verb. *Eccleſia, ſeu templum num.* 15. ex Iulio II. & Leone X. & ita docent etiam Ioannes Antonius Nouarins *in ſumma Bullarum tit. de pollut. Eccleſiar. numer.* 7. Rodriquez *tom.* 1. *queſtion. regular. queſt.* 19. *art.* 6. Layman *libr.* 5. *tractat.* 5. *cap.* 5. *numero* 12.

3 Et ſcias hoc debere intelligi, quãdo Eccleſia polluta conſecrata eſt, nam quando ſolum benedicta, iam tunc non requiritur illa aqua benedicta ab Epiſcopo; ſed de iure communi ſufficit aqua luſtralis, ſeu benedicta communis, prout docent Syluester, Sotus, Nauarrus, Miranda, Auila, Barboſa omnes relati a Lezana *loco ſupra*.

An ab Epiſcopo debeat fieri profanatio Eccleſiarum quas regulares relinquunt.
Dub. CLVI.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium quoddam conceſſum a Vrbano VIII. Regularibus.*
2 *Dum Eccleſiæ ſunt conſecratæ debet fieri profanatio per Epiſcopos.*
3 *Dum Eccleſia eſt conſecrata, & non vult eam profanare Epiſcopus: compelli poteſt ad talem profanationem.*

1 Vrbanus VIII. cõceſſit Religioni Minimorũ priuilegiũ, vt teſtatur Peyrinus *cap.* 12. *addit ad Conſtitutionẽ Vrbani VIII. Conſtitutionum*, quæ incipit. *Cum ſicut nobis nuper, &c.* per quod poſſunt relinquere conuentus adeo pauperes, & tenues, vt numquã ſit ſpes eos reducendi ad formã Conuentus. Ex dicta ergo Conſtitutione habetur formaliter ſic *facta per Ordinarios locorum earum Eccleſiarum profanatione ſiue Confraternitatibus, vel alijs locis pijs applicatione.*

2 Patet ergo faciendam eſſe per Epiſcopos, ſed hoc intellige ſi Eccleſiæ ſint conſecratæ; nam ſi non ſunt conſecra-

ſecratæ, ſed ſolum benedictæ profanatio poteſt fieri à Prælato, qui poteſt illas Eccleſias benedicere cum per eaſdē cauſas res reſoluatur, per quas fit, & ita docent Syluester verb. *Eccleſia 2. quæſt. 5. numer. 7.* Angelus verb. *Altare* Roſella, & alij apud dictum Peyrinum.

3 Quod ſi poſtea Eccleſia ſit conſecrata, & Epiſcopus eam nolit profanare, iam compelli poteſt per ſuperiorem competentem, ad quem recurrant Regulares.

An Abbates debeant ſolum benedici ab Epiſcopis.
Dub. CLVII.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi Abbates ab Epiſcopis debent benedici.*
2 *Poſſunt benedici Abbates a quocumque Epiſcopo.*
3 *An Abbates non benedicti poſſint ordines minores conferre.*

1 Reſpondeo ſi loquamur de iure communi debere benedici ab Epiſcopo, ita *ex cap. quoniam 69. diſtinct.* & ex capite *cum contingat de ætate, & qualitate*, ita Riccius *part. 4 deciſionum deciſ. 309.* Angelus verb. *Abbas*, Sbrozzus *de Vicarijs Epiſcopi lib. 2. quæſt. 8. numer. 1.* Azorius *inſtitutionum moralium part. 2. allegat. 27. numer. 51.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. diſput. 11. quæſt. 9.* qui notat plures Abbates fuiſſe antiquitus ſolitos benedici à Summis Pontificibus, & ex hac benedictione dicit Abbas conſequi Abbates facultatem, conferendi ordines minores.

2 Petes; an Abbates poſſint benedici a quocumque Epiſcopo, vel tantum à Diœceſano. Reſpondeo a quocumque. Ita Tamburinus loco ſupra *quæſit. 10.* ex priuilegio Martini V. cōceſſo Riccardo Abbati Conuentus, & Monaſterij Sancti Pancratij, Florentiæ ordinis Vallisumbroſæ, & ex priuilegio, quod conceſſit Eugenius IV. Congregationi Cæleſtinorum, nec in hoc habent Abbates aliquam obligationem locorum ordinarijs, & Epiſcopis.

Quæres ſecundo, An Abbates habeant priuilegium benedicendi alios Abbates. Reſpondeo habere, ſed tantum alios Abbates ſeù ordinis. Ita conceſſit Innocentius VIII. Abbatibus Ciſtertij referente eodem Tamburino.

3 Quæres tertio; An Abbates non benedicti poſſint ordines minores conferre. Negatiuè reſpondet Abbas, vt dixi ſuprà; ſed affirmatiuè reſpondendum eſt ex priuilegio, quod Abbates habent, vt etiam non benedicti poſſint ea facere, quæ Abbates benedicti Marchinus *de Sacramento ordinis part. 2. tract. 1. cap. 10. num. 6.* ſic habet. *Sed dubitatur primo, quæ conditiones in talibus Abbatibus exigantur, vt hos ordines conferre valeant. Reſpondetur primo, eos debere eſſe Sacerdotes, ſecundo debere eſſe conſecratos, aut benedictos, aut ſaltem ex priuilegio Pontificis habere, vt Pontificalia exercere poſſint, quia tunc idem eſt, ac ſi eſſent benedicti, ſic habetur in priuilegio Iulij II. conceſſo ordini Ciſtercienſi in Hiſpania, & idem conceſſerunt alij Pontifices, vt videre eſt in Compendio huius ordinis verb. Abb as*

§. 4.

§.4. & 5. *tertio debere eſſe mitratos, ſeu habere ius ferendi annulum, mitram, & baculum paſtoralem. Quod ſi vnum horum deeſſet ordinatio irrita foret, vt colligitur ex cap. Abbates in priuilegijs in 6. & ratio eſt quia licet Abbas poſſit poteſtate iuriſdictionis frui non tamen ordinis, qualis eſt iſta, & patet ex hoc priuilegium non fuiſſe cõmunicatum alijs Prælatis Religionum.* Hæc Marchinus ex quibus clarè habes quæſiti ſolutionem.

An ſint Prælati aliqui Regulares, qui poſſint conſecrare calices, & patenas.

Dub. CLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Sunt Prælati Regulares, qui Calices conſecrare poſſunt.*

2 *Prælati, qui Abbates non ſunt, non fruuntur tali priuilegio.*

3 *Benedicere pixidem Prælati Regulares poſſunt, conſecrare vero non omnes regulariter loquendo.*

4 *Dum Epiſcopi conſecrant, vel benedicunt res ſacras regularium nihil ab eis poſſunt exigere.*

5 *Quando ſedes Epiſcopalis vacat, tunc poſſunt Regulares Oleum ſanctum, & ſimilia ab Epiſcopis viciniorbus petere.*

1 Affirmatiuè reſpondet Miranda *in Manuali de Prælatis Regularibus quantum ad genus art.*4. & hoc per priuilegium Innocentij VIII. cuius fit mentio in libro priuilegiorum Ordinis Ciſtercienſis datum anno 1489. ad petitionem Ioannis Abbatis Ciſter-
2 cienſis. Sed aduerte tali priuilegio non frui alios Prælatos, qui Abbates non ſunt, & iuriſdictionem Epiſcopalem non habent; nam Abbatibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus multa conceduntur, quę nec conceduntur Prælatis aliarum Religionum, & ſic in hoc non fit communicatio priuilegiorum.

3 Sed quæres; an ſint aliqui Prælati Regulares; qui poſſint pixidem benedicere, ſeu conſecrare? Reſpondeo; ſi ſit ſermo de benedictione poſſunt vtique Prælati benedicere ex priuilegio Leonis X. quod referunt multi Doctores præcipuè Lezana verb. *Benectio, & Benedicere.* Quando autem pixis conſecratur, vt eſt conſuetudine Romæ introductum, tunc nequeunt Prælati Regulares regulariter conſecrare ex declaratione Sacræ Congregationis, quæ ſic habet teſte Nouario *in Lucerna Regularium verb. benedicere num.*3. *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati etiam ex ſocietate Ieſu habentes priuilegia benedicendi Veſtes Sacras, cæmeteria, & ſimilia dicto priuilegio vti non poſſunt niſi in his rebus in quibus ſacra vnctio non adhibetur,* ſed in conſecratione pixidis Sacra vnctio adhibetur. Ergò

4 Quæres ſecundo, & ſit complementum huius capitis; nam circa benedictionem rerum Sacrarum, & cæt. videre potes ſi fuſiùs rem deſideras Tamburinum *tom.*1. *de iure Abbatum diſputat.*21. *vſque ad* 23. *per multa quæſita,* & Lezanam verb. *Benedictio,* & *benedicere*, & alios plures Doctores. Quæres in quam; An Epiſcopi dum conſecrant, vel benedicunt res ſacras, & cæt. Regularium poſſint aliquid ab eis exigere. Reſpondet Miranda *in Manuali de Prælatis Regularibus quantum*

*tum ad genus quæſt.*40. *art.*6. negatiuè & probatur ex quadam conceſſione Sixti IV. facta fratribus Carmelitis, quæ habetur in monumentis ordinis, & refertur *in Compendio* verb. *benedicere*, vbi dicitur, quod pro conſecrationibus altarium, vel Eccleſiarum, & & pro oleo ſancto, ac quolibet Eccleſiaſtico Sacramento nullus Epiſcopus ſub obtentu cuiuslibet conſuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere; ſed hæc omnia gratis Epiſcopi Diæceſani, vt tenentur, liberè, & gratiosè impendant, alioquin liceat prædictis Fratribus Carmelitis, quoſcumque maluerint Catholicos adire Antiſtites, & cæt.

5 Et nota hic in eodem priuilegio haberi, quod ſi ſedes Epiſcopalis vacauerit poſſunt interim Regulares, & oleum ſanctum, & hæc omnia ſimilia conſecrationes, & cæt. petere, & obtinere à vicinis Epiſcopis, & hæc ſint ſatis, quo ad materiam huius capitis adducere tamen hic volo priuilegium ſatis amplum conceſſum à Gregorio IX. Monachis Ciſtercienſibus ex quo non ſolum multa, quæ hoc capite dicta ſunt, ſed exemptio ipſa Regularium magis patebit, eſt ergo tale.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filijs Abbati Ciſtertij, & vniuerſis coabbatibus eius Ciſtercieſis ordinis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem, ex parte veſtra nobis eſt oblata quærela, quod cum auctoritate Apoſtolica ſit inhibitum, ne vllus Epiſcopus, vel qualibet alia perſona regularem electionem Abbatis ordinis veſtri impediat, aut de inſtituēdo, vel remouendo eo, qui pro tēpore fuerit cōtra inſtituta Ciſtercienſis ordinis ſe aliquatenus intromittat, ac vobis à Sede Apoſtolica ſit indultum, vt ſi Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, in quorum Diæceſibus domus veſtræ fundatæ ſunt cum humilitate, ac deuotione debita requiſiti ſubſtitutos Abbates benedicere fortè renuerint liceat eiſdem Abbatibus ab alio Epiſcopo percipere, quæ à ſuo fuerint indebitè denegata: quidam Archiepiſcopi, & Epiſcopi cum in veſtris Monaſterijs in Abbates aliqui eliguntur de modo electionis inquirere, & examinare perſonas de vita, litteratura, & moribus, & electionē confirmare prædictam pro viribus elaborant. Capitula quoq; ipſorum eoſdem ſibi præſentari, quærunt electos, & approbandi eos vſurpare ſibi nituntur temere poteſtatem, Archidiaconi etiam inſtallandi electos ipſos vendicare ſibi ius iniurioſè contendunt contra indulta Sedis Apoſtolicæ non modica venientes, Volentes itaque quieti veſtræ conſulere, ac veſtris grauaminibus in hac parte, paterna ſollicitudine prouidere, ne talia præſumantur de cætero, & ne ab inſtituendis, vel inſtitutis Abbatibus benedictionis prætextu aliquid penitus exigatur auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, eadem auctoritate nihilominus decernentes, vt ſi contra prædictam inhibitionem noſtram à quoquam fuerit propria temeritate præſumptum, ſit irritum, & inane, & ſi aliquæ ſententiæ latæ fuerint nullum robur obtineant firmitatis. Nulli ergo omnino, &c. habes priuilegium hoc apud Henriquez in priuilegijs ordinis Ciſtercienſis *pag. mihi* 62. eſt amplum, & Regularibus valdè fauet.

An

QVO AD PARROCHOS.
Cap. VIII.

An Epiſcopus poſſit promouere ſe ſolo Regulares ad Parrochiales Eccleſias.
Dub. CLIX.

SVMMARIVM.

1 *Non licet Epiſcopis ſe ſolis ad Parrochiales Eccleſias promouere Regulares.*
2 *Patronus ſine licentia poteſt præſentare Regularem ſecundum aliquos.*
3 *Diſtinctio, qua vtitur Auctor.*
4 *Regulares indigent diſpenſatione Papæ ad obtinenda beneficia ſimplicia, & penſiones etiam.*
5 *Quando Parrochia, ſeu beneficium eſt Regulare, tunc omnes dicunt, quod debent à Prælatis preſentari, & poſtea approbari ab Epiſcopo.*
6 *An Nouitius poſſit promoueri ab Epiſcopo ad aliquod beneficium ſæculare.*

1 Bellamera, *in ſuis deciſionibus Canonicis concluſ.* 750. *numero* 4. docet, non licere hoc Epiſcopis ſe ſolis, ſed requirendam eſſe licentiam Prælati, & dat rationem, quia per aſſumptionem ad Parrochialem Eccleſiam tollitur obediētia Abbati, & Prælato debita; tollitur ius Monaſterij in illum Religioſum. Vnde conſenſus Abbatis requiritur.

2 Notat tamen ibi *num.* 5. bene poſſe eligi à patrono abſque iſta licentia contra Ioannem Andream, & Hoſtiēſem, qui putant talem præſentationem eſſe inualidam, & fundamentum Bellameræ eſt, quia poſt dictam electionem datur tempus arbitrarium Religioſo ad petendam dictam licentiam a ſuperiori, vt ex cap. *quam ſit in fine*. Item poſt illud tempus arbitrariū lapſum, non obtenta licentia datur iterū integrū tempus ad eligēdū, vt *ex c. ſi electo de elec. in* 6. & aſſerit in fine *n.* 6. in hac etiā ſententia fuiſſe Eminentiſſimum Cardinalem Sancti Euſtachij dicentem, potuiſſe Epiſcopum per diſpenſatiuè præſentatum Regularem admittere, maximè dum alij ſæculares deficerent, & caſu, quo talis Regularis ratione prædicationis vtilis eſſet Eccleſiæ, vt ex *cap. Priſcis*, & cap. *pro vtilitate*. Hæc omnia apud Bellameram, ſed

3 Dico cum diſtinctione procedendum eſt in hac re; nam vel Parrochiæ illæ ad quas promouentur Regulares ſunt Parrochiæ Regulares, ideſt annexæ Monaſterijs, & ſubiectæ Regularibus, vel parrochiæ ſeculares; ſi primo modo res ſe habeat iam præſentati Regulares à ſuis Prælatis poterunt ab Epiſcopo inſtitui, & cæt. ſi autem ſecundo modo non poſſunt ab Epiſcopis etiam conſentientibus Prelatis inſtitui ad dictas Parrochias; ſed requiritur Summi Pontificis diſpenſatio. Ita Lezana *in ſumma verb. Parrochus Regularis num.* 2. & *tom.* 1. *cap.* 2. *numer.* 17. Tum quia ita conſuetudine obtentum eſt; tum quia ita declaraſſe dicunt Sacram Congregationem. Vide Sanchez *lib.* 7. *in decalog. capit.* 29. *numero* 71.

4 Et extendit hoc Iacobus de Graſfis

ſius 2. par. deciſionum lib. 3. cap. 20. nu. 12. ad beneficia etiam ſimplicia, & Lezana *loco ſupra*, ſcilicet *tom. 1. cap. 2. num. 17.* etiam ad penſiones.

5 Quando autem Parrochia eſt Regularis tunc omnes conueniunt in hoc, quod debeant præſentari à Prælatis, & poſtea approbari, & examinari ab Epiſcopis. Ita Bordonus *reſol. 7. q. 35. numer. 37.* Barboſa *in cap. 13. ſeſſ. 7. de reformatione Concilij Tridentini* citat Bordonus textus ex quibus hoc colligitur. Caput *Vitis*, & caput *Sanè*, & caput per *exemptionem*, ſed debuit eſſe error impreſſoris, nam nec caput *Vitis*, nec caput *Sanè* inuenire ego potui, ſicuti inueni caput per *exemptionem* citatam,

6 An autem Nouitius Regularis poſſit ab Epiſcopo ſolo promoueri ad aliquod beneficium ſæculare ſiue curatum, ſiue non, vide caput *quo ad Nouitios* ibi enim iam habes dubium reſolutum.

An Parrochi Regulares ſint ſubiecti in omnibus Epiſcopo dum habent parrochiam ſæcularem.
Dub. CLX.

SVMMARIVM.

1 *Senſus dubij.*
2 *Opiniones diuerſæ Doctorum referuntur.*
3 *Iam ex conſuetudine in omnibus Regulares ad parrochias ſæculares promoti Epiſcopo ſubduntur.*

1 SErmo eſt de Regularibus promotis cum requiſitis ad parrochiam ſæcularem; nam de alijs, qui potius dicendi ſunt deputati à ſuis prælatis ad curam animarum annexam Monaſterio, non adeſt talis ratio dubitandi, cum ſolum in eis, quæ ad dictam curam pertinent ſubdantur.

2 Prima ergo ſententia affirmat in omnibus ſubditos eſſe Epiſcopis dictos Regulares ad parrochias tales promotos. Ita Angelus verb. *Monachus* §. 7. Roſella *num. 5.* verb. *Monachus*, Sylueſter verb. *Religio 7. qu. 11.* Sanchez *lib. 6. Opuſc. cap. 6. num. 36.* & probant ex *cap. in parrocchia 16. qu. 1.* & cap. *Sanè 16. q. 2.*

Secunda negat in omnibus ſubdi Epiſcopis. Ita Layman *de ſtatu Religionis cap. 1. num. 12.* ſed in aliquibus ſpectato iure communi, & rei natura conſiderata adhuc ſubduntur ſuis prælatis in his, quæ pertinent ad obſeruantiam Regularem, v. g. vt habitum geſtent Religionis.

3 Notat tamen dictus Layman; iam ex conſuetudine primam ſententiam practicari, vt ſcilicet Regulares ad ſæcularem parrochiam promoti in omnibus, quo ad Eccleſiaſticam diſciplinam Epiſcopis ſubdantur, & Epiſcopo loci in quo degunt, & aliqui inſuper affirmant teneri etiam voto obedientiæ Epiſcopo, tamquam proprio Abbati. Sed melius patebit dubij ſolutio ex dicendis, & ex reſolutione aliorum dubiorum huius capitis.

A quo debeat puniri Parrochus Regularis delinquens. Dub. CLXI.

SVMMARIVM.

1 *Si delinquat in eis, quæ ad curam animarum*

marum pertinent puniendus eſt ab Epiſcopo.

2 *Quando dicatur delinquere in eis, quæ ad curam animarum ſpectant.*

3 *Quid dicendum ſi delinquat circa alia.*

4 *Etiam Prælati poſſunt punire Regularem delinquentem circa curam animarum.*

5 *Non per hoc quod datur Inquiſitoribus facultas puniendi, & procedendi in cauſis hæreſum tollitur poteſtas Epiſcopis ſuper ipſas.*

6 *Regulariter poteſtas cenſetur data cumulatiuè, non priuatiuè.*

7 *In omnibus alijs caſibus, in quibus ſubduntur Regulares Epiſcopis, valet hoc, niſi priuatiuè detur facultas procedendi Epiſcopis.*

8 *Nec per conſtitutionem* Inſcrutabili *cogimur dicere, datam eſſe Epiſcopis facultatem priuatiuè ad Prælatos Regulares.*

9 *Dictio liberè recipit reſtrictionem à iure ſecundum determinationem aliarum legum.*

10 *Quid dicendum, dum Regularis Parrochus delinquens eſt, ex Regularibus non exemptis.*

11 *Rationes, quæ probant ad Epiſcopum pertinere ſic delinquentem Parrochum punire.*

12 *Authoris opinio.*

13 *Dum Parrochus Regularis eſt extrà obedientiam Prælatorum ſi delinquat, pertinet ad Epiſcopum eius punitio.*

1 Reſpondeo, ſi in eis delinquat, quæ ad curam animarum pertinent puniendus eſt ab Epiſcopo, qualiſcumque Parrochia illa ſit, ſiuè ſæcularis, ſiuè Regularis. Ita Naldus verb. *Parrochus num.*8. Bordonus *Reſolut.*7 *num.*38.
2 Quando autem dicantur delinquere in eis, quæ ad curam ſpectant. Vide Rotam *deciſ.*105.*par.* 1.*diuerſor.* vbi eſt caſus de Notario, qui dicitur delinquere in officio, quando delictum propriè tangit officium, & ſic non eſt differentia, an delinquat in officio, vel occaſione, fauore, colore, & auctoritate officij
3 ibidem *numer.*7. Si autem delinquat circa alia ſic debemus diſtinguere, vel eſt Parrochus amotus à Monaſterio cum diſpenſatione Papæ, & tunc iam diximus eſſe duplicem ſententiam; ſi autem ſit Parrochus Parrochiæ, vnitæ Monaſterio, & cęt. tunc debet puniri à prælatis, ſi delinquat extra Sacramentorum adminiſtrationem.

4 Sed maius dubium eſt; an ſolus Epiſcopus, vel etiam Prçlati poſſint punire Parrochos Regulares etiam dum delinquunt circa curam animarum. De hoc dubio in terminis agentes non vidi Doctores. Vnde ſolutio eius non erit adeò facilis.

Reſpondeo etiam Prçlatos poſſe. Ratio eſt; quia per auctoritatem ipſi Epiſcopo datam puniendi hos Parrochos Regulares non videtur ablata poteſtas Prçlatorum. Vnde Bordonus, & multi alij ab ipſo relati *Reſolut.* 7.*num.*47. ſuſtinent dictam facultatem Epiſcopis non conuenire priuatiuè, ſed cumulatiuè cum eorum Prçlatis; habet etiam id Barboſa *ad caput* 11.*ſeſſ.*25.*Concilij Tridentini*, vbi teſtatur adeſſe circa hoc plures Rotę Romanę deciſiones, & confirmari poteſt
5 meum dictum à pari, non per hoc, quod detur facultas Inquiſitoribus in cauſis hęreſum tollitur poteſtas Epiſco-

ſcopis ſuper ipſas, vt docent Pegna, Farinaccius, Caſtro Palao, Molina, & alij apud Carenam *part.* 1. *tit.* 4. §. 2. *per totum*, licet varias limitationes iuxtà conſuetudinem, & praxim locorum in hoc faciendę ſint. Ergò
6 ſic in caſu noſtro. Deinde vt notat optimè Rota Rom. apud Farinacciũ 1. *p. deciſ.* 121. regulariter cenſetur data poteſtas cumulatiuè, nõ priuatiuè, vt per Rom. *conſil.* 193. & hoc maximè locum habet, quando iam erat alius, qui priùs habebat iuriſdictionem; nam tunc ſi alteri concedatur cenſetur data cumulatiuè, niſi appareat de contraria mente concedentis; Sed in noſtro caſu. Iam Pręlati Regulares habent iuriſdictionem antè Epiſcopũ in ſuos ſubditos, Ergò cumulatiuè poſtea habent hãc iuriſdictionem, dum non apparet de contraria mente cõcedentis, quę excludat pręlatos, & tollat ab eis hanc facultatem contrarium docet Nouarius *in Summ. Bullar. de exemptorum priuilegijs parte* 2. *numer.* 19. & hoc ex verbis Bullę Gregorij XV. *Inſcrutabili*, & quod dico in
7 caſu poſito dicendum eſt, in omnibus alijs caſibus, in quibus ſubduntur Regulares Epiſcopis dummodò eis priuatiuè non detur iuriſdictio, vt datur reſpectu Regularium Canonicorum Cathedralium; vt habemus alibi. Vndè hoc aduertere debent DD. Epiſcopi, vt rectè procedant in Regulares.

Obſtare tamen poteſt noſtrę ſententię *Bulla* 15. quę incipit *Inſcrutabili*, vbi dicitur habere Epiſcopos omnem iuriſdictionem in Regulares delinquentes circa curam animarum. Ità vt *liberè* in eos iuriſdictionem exercere valeant, ly autem *liberè* denotat, vt vult Barboſa cum alijs, quod actum, quis facere poſſit ſua ſpontè, & ſinè alicuius licentia. Ergò videtur adempta auctoritas à Pręlatis per hanc nouiſſimam Conſtitutionem.

8 Reſpondeo tamen, nec per hanc Bullam cogi nos ad dicendum priuatiuè ad Prælatos Regulares habere Epiſcopum iuriſdictionem in Regulares exemptos, primo. Quia, vt habet Tuſcus verb. *Iuriſdictio concluſ.* 556. Quando conceditur iuriſdictio alicui iudici particulari numquam cenſetur adempta ab ordinario, qui habet eamdem iuriſdictionem, ſed videtur noua iuriſdictio cumulata, ſecundo. Quia dato etiam, quod talis particula taxatiua eſſet adhuc non excluditur per illam iuriſdictio alijs competens per conſuetunem, vt vult idem Tuſcus, qui eodem loco citat Bartholum, tertio. Quia illa particula, *liberè* tunc etiam adimpleretur, quando ſine impedimento, & obſtaculo Epiſcopus procederet, vt ex multis Doctoribus relatis à Barboſa *De Dictionibus Dictione liberè* colligere potes. Sed in caſu noſtro ſinè obſtaculo procederet, etiam ſi cumulatiuè procederet. Ergò Demum ly
9 dictio *liberè* recipit reſtrictionem à iure ſecundum determinationem aliarum legum. Vndè cum à iure habeamus in dubio datam poteſtatem cumulatiuè, iam nihil facit contra nos dicta dictio, & ſic remanet firma concluſio, quam tamen peritorum iudicio remitto, cum nihil de ea viderim ſcriptum apud Doctores in terminis, quod mirum eſt, in re adeò graui, quæ ſecum adfert ſolutionem multorum caſuum practicabilium. In-

telligé tamen, quod ly *cumulatiuè* in hoc caſu non ſumitur itaut vterque ſimul, & Epiſcopus, & prælatus Regularis poſſit, & debeat procedere, ſed quod inter ipſos detur præuentio.

10 Sed quid dicendum eſt, dum Regularis Parrochus eſt de Regularibus non exemptis tunc pertinet ne ad Epiſcopum, vel ad ipſius prælatum illum punire, ſi aliqua crimina committat, ob quę debeat priuari tali beneficio. Primo aſpectu videtur quod pertineat ad Abbatem. Primo ex cap. *ſuſcepimus de homicidio*, vbi Papa cõmittit Abbati, vt corrigat Monachum ſuum, qui commiſerat homicidium. Secundo ex cap. *ſi quis Monachus 90. diſtinct.* Tertio ex cap. *Qualiter, & quando de accuſat.* Quarto ex cap. *Corripiantur 24. q. 3.* Quinto ratione, quia Abbas excommunicare poteſt Monachos ſuos, ſed hoc non

11 obſtante Mareſcottus doctè, & latè docet ad Epiſcopum pertinere punire, &c *in varijs ſuis reſolut. lib. 2. c. 35. à num. 122. vſque ad finem*, & probatur primo. Quia de iure communi Epiſcopus habet intentionem fundatam, vt poſſit procedere contra Monachos non exemptos in delictis communibus extra caſus comprehenſos in Regula, vt ſunt v. g. falſitas, homicidiũ, & ſimilia. Quod probatur ex cap. *cum perſonæ de priuilegijs in 6.* & ex *cap. 1. de priuilegijs*, vbi habetur, ſi Monachi exempti delinquant extra locum exemptum poſſunt ab ordinario puniri, non obſtante exemptione, ergo ſi non ſint exempti poſſunt puniri, ſi delinquant in loco non exempto. Deinde quando monachus delinquit circa ea, quæ concernunt diſciplinam regularem dicitur delinquere, vt monachus, Quando vero committit delictum aliud non æſtimatur, vt monachus: colligitur *ex l. militum delicta*, Demum Abbas dicitur Pater. Ita Archidiaconus in cap. *hac autem*, ergo ſicut Pater in filios ſola coarctione extraiudiciali vtitur, nec in forma iudicij poteſt procedere *leg. 3. C. de Patria poteſtate*. Ita nec debet Abbas iudicialiter procedere in Regulares; Sed ad Epiſcopum pertinet. Alias plures rationes congerit ibi Mareſcottus quas breuitatis gratia ommitto.

12 Ego puto, & Epiſcopum, & Abbatem etiam poſſe in dictum Regularem parrochum procedere; nam ſicuti de facto Regulares exempti poſſunt, & à Pontifice, & à Prælatis ſuis puniri in omnibus, ſic dicendum eſt de non exemptis, reſpectu quorum Epiſcopus habet poteſtatem ſicut Pontifex reſpectu exemptorum.

13 Non currit tamen poſita doctrina de parrocho Regulari licet exempto, dum eſt, vt ita dicam emancipatus, & extra obedientiam Prælati.

An Epiſcopus poſſit amouere Regulares parrochos pręſentatos à pręlatis.
Dub. CLXII.

SVMMARIVM.

1 *Textus* capitis vnici de Capellis Monachorum *refertur*.
2 *Notantur aliqua pro reſolutione dubij.*
3 *Quænam ſit rationabilis cauſa amouendi Parrochum.*

4 *An*

4 *An Regularis Parrochus remotus à beneficio ſine cauſa poſſit ad Epiſcopum recurrere contra dictum Prælatum.*

5 *Si autem nimis durè, & asperè tractetur à ſuperiori dictus Parrochus, poterit ad ſuperiorem competentem habere recurſum.*

1 Adeſt circa propoſitum dubium Textus *in 6. Decretalium c.* Vnico *Præsbyteri de cappellis Monachorum,* qui talis eſt. *Præsbyteri, qui ad curam populi per Monachos in eorum Eccleſijs præſentantur Epiſcopis, & inſtituuntur ab ipſis, cum debeant eſſe perpetui conſuetudine, vel ſtatuto quouis contrario non obſtante ab eiſdem nequeunt Eccleſijs niſi per Epiſcopos, & cauſa rationabili amoueri,* ex quo loco reſpondet Bordonus *in ſuis conſilijs reſolut.* 7. poſſe Epiſcopum ex rationabili cauſa dictos præſentatos Parrochos amouere, hic tamen notanda aliqua.

2 Primo, licet per citatum textum videatur, ſolum Epiſcopos poſſe amouere dictos præſentatos Parrochos; attamen, vt optimè ibi notat Gloſſa, hoc hodie facere etiam poſſunt Prælati Regulares; & ſic dicit Gloſſa, *hoc hodie facere poterunt, qui habent ex priuilegio Papæ, ſicut de Humiliatis fertur, & Præmonſtratenſibus,* & hoc dictum placet Archidiacono, & eſt conforme noſtræ ſententiæ adductæ in dubio præcedenti, in quo cumulatiuè dicimus in omnibus habere iuriſdictionē Prælatos circa ſuos ſubditos Parrochos cum DD. Epiſcopis.

3 Quæ autem ſit rationabilis cauſa habes ibi apud Gloſſam vbi dicitur, non eſſe leuem culpam, nec etiā grauem, ſi ad populi notitiam nō peruenit, citatos etiā leges multos textus ad hoc: ſuppoſito ergo, quod Prælati Regulares habeant hanc facultatem amouendi ſuos ſubditos Parrochos, ſtatim hic venit in mētem aliud dubium; An Regularis remotus ſine cauſa à ſuis Prælatis à Parrochia, ſeu beneficio poſſit recurrere ad Epiſco-

4 pum contra dictum prælatum. Negatiuè reſpondent communiter ferè Doctores, & præcipuè Vuameſius doctus ſcriptor *in ſuis conſilijs conſ* 65. *de iudicijs, & foro competenti,* & Fundamentum eſt; Quia cum Regularis ſeruo, aut filio familias comparetur; vt Innocent. in caput *cum olim* 2. *de Priuileg.* ſicut filius familias, & multo minus ſeruus nullam actionem, aut quærelam iniuriarum aduerſus Patrē, aut Dominum habet, etiam ſi atrox iniuria ſit, vt *ex l. Prætor edixit.* Ita nec Monachus immò multo minus cum vinculum obedientiæ arctius eum ſubdat ſuo Prælato: & ſic nec dum eſt Monachus ad curatam aliquam Eccleſiam translatus.

5 Attamen ſicut ſeruus, dum nimia, intolerabilique aſperitate per dominum malè tractatur aduerſus Dominum audiri poteſt, & in alijs etiam caſibus, vt habetur per legem *Vix certus* §. *de Iudic.* Ita etiam Monachus aduerſus prælatum poterit audiri, dum peſſimè ab eo tractatur, vt eſt ſuppoſitum in caſu noſtro. Immo per illum Prælatum expenſæ debent ſubdito miniſtrari in tali caſu, vt tradit Ioannes Faber in dictam leg. *Vix certus,* non permittitur tamen, vt ad quemuis iudicem recurrat; non vt ad Epiſcopum, ſed ad iudicem competentem, ad eum ſcilicet, qui Abbatis ſuperior ſit. Ita dictus Vuameſius, &

apud eũ alij celebres iuriſperiti Ioannes Andreas, Geminianus, Ioannes de Imola *in Clement. 1. de ſupplenda negligent, &c.*

An Regularis inſtitutus ad curam animarum poſſit reuocari ad Monaſterium à Prelatis inuito Epiſcopo. Dub. CLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Senſus dubij; eſt ratio dubitandi.*
2 *Parrochi Regulares inuito Epiſcopo poſſunt ad Monaſterium reuocari cum cauſa tamen.*
3 *Verba conſtitutionis Bonifacij VIII. habent ſolum locum reſpectu Clericorum ſæcularium.*
4 *Differentia in hoc inter Clericos ſæculares, & Regulares.*
5 *Regulares nec in Eccleſijs incorporatis poſſunt fieri ab Epiſcopo Vicarij perpetui,*
6 *Etiam ſi ob negligentiam Prælatorum Regularium, conferatur Regulari beneficium ab Epiſcopo, ſemper Regularis eſt reuocabilis a ſuo ſuperiori.*
7 *Qui exiſtimant conſtitutionem Bonifacij VIII. indiſtinctè loqui de omnibus.*

1 Non eſt ſermo de Parrocho Regulari cum diſpenſatione Summi Pontificis; nam certum eſt, non poſſe hunc iam ad libitum à ſuis Prælatis reuocari ad Monaſterium; ſed de Parrocho Regulari ab Epiſcopo inſtituto Parrocho cum licentia Prælatorum, ſiuè Parrochiæ ſæculari, ſi poteſt (de quo non diſputo modo,) ſiuè Parrochiæ annexæ monaſterio, & ratio dubitandi deſſumitur, *ex ca. 1. de cappellis Monachorum*, vbi per Bonifacium VIII. ſic ſtatuitur *Præsbyteri, qui curam populi per Monachos in eorum Eccleſijs præſentantur, & inſtituuntur ab ipſo, cum debeant eſſe perpetui conſuetudine, vel ſtatuto quouis contrario non obſtante ab eiſdem nequeunt Eccleſijs niſi per Epiſcopos, & cauſa rationabili amoueri*, ecce quomodo ex his verbis videtur colligi nullam in hoc eſſe Prælatis Regularibus poteſtatem amouendi dictos Parrochos,

2 Dico tamen: prædicti Parrochi Regulares ſemper cum cauſa poſſunt à Prælatis ſuis amoueri etiam Epiſcopo inuito. Ita Vuameſius *conſil. 61. num. 10* & fundamentum eſt, quia iſti Parrochi Regulares ſunt ſemper adhuc obedientiarij. Vnde à Prælatis
3 ad libitum poſſunt reuocari; nec obſtant verba ſupradictæ conſtitutionis Bonifacij; nam vt optimè ea explicat Vuameſius tantum habent locum in Præsbyteris ſæcularibus, qui præſentantur à Regularibus pro cura ſuarum Parrochialium, vt etiam idem explicat Ioannes Monachus, inſuper dat rationem diſcriminis Imola *in Clement. 1. de ſupplenda negligentia Prælator.*
4 Quia Præsbyteri ſæculares amoti à beneficio, in quo ſunt inſtituti perpetuò, non habent, quo ſe recipiant, Monachi autem, & Regulares ſuum Monaſterium, & ſic non ſine mſterio fuit poſitum in dicta Clementina verbum de non amouendis Præsbyteris, non autem de non reuocandis; facilius enim eſt reuocare, quam amouere, vt notat acutè dictus Vuameſius.

5 Ampliat dictam Doctrinam Bellamera *deciſ. 702. dicens*, etiam ſi Regu-

gu-

gulares ab Epis fiant Vicarij in Eccleſijs incorporatis;attamē nō poſſe fieri Vicarios perpetuos, ſed reſtringendum hoc eſſe ad Præsbyteros ſæculares; & non ad proprios Monachos Monaſterij præſentatos ab Epiſcopis, cum ſemper iſti non liberentur à iugo obedientiæ: Quæ eſt cauſa, vt nulli Religioſo aliquod beneficium perpetuum retinendum, aut poſſidendum committi poſſit, præciſa diſpenſatione Apoſtolica, cum ſemper per ſuum ſuperiorem poſſit reuocari.

6 Ampliatur ſecundò magis;Quando negligentia Abbatis, ſeu alterius Prælati Regularis collatio alicui' beneficij, vel Eccleſię, Regulari cōferri ſolita cōferatur iure deuoluto per Epiſcopū,ſiuè ordinaria, ſiuè Apoſtolica auctoritate illeRegularis,cui cōfertur beneficium, ſemper eſt reuocabilis à ſuo Pręlato,vt patet *in Clement.* 1. *de ſupplenda negligentia Prælator.* vt vult Idem Vuameſius: & ex hoc colligit Zabarella huiuſmodi Regularium beneficia manualia dici,& addit Capra ſupradictum *caput conclusione* 73. *numer.*4. non tam eſſe beneficia, quam obedientias ob id,quod in accipiendo, & dimmittendo illas obedire debent.

7 Sed nota hic, Ioannem Andream Geminianum, Philippum, Franchum omnes in caput 1.*Clement.* 1.*de cappellis Monachor.* exiſtimare dictam conſtitutionem Bonifacij citatam indiſtinctè loqui de omnibus ſiuè Pręsbyteris ſęcularibus, ſiuè Regularibus. Sed tu ne diſcedas à prima ſententia, nam ratio poſtulat, vt quamdiù Regularis eſt ſub obedientia, poſſit ſemper amoueri à ſuis Pręlatis. Vide Vuameſium *loco citato*, & non pigebit cum multa alia doctè in hanc materiam congerat.

An Epiſcopus debeat conferre per concurſum beneficia Regularia curata.
Dub CLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia communis eſt.*
2 *Bulla Sixti V. quam circa hoc edidit, habes ad verbum.*
3 *Quomodo cognoſcere quis poſſit quando Parrochialis ſit ſubiecta Monaſterio.*

1 NEgatiuè reſpondent Doctores communiter. Ita Garzias 1. *part.cap.*2.*num.*197.Caſtropallao *trac.* 13.*de beneficijs* §.5.*num.*10.Barboſa 3. *part.de poteſtate Epiſcopi alleg.*60.*n.*31. apud quos referuntur varię deciſiones Rotę Romanę:facit ad hoc mirè Bulla Sixti Quinti, quam habes apud Rodericum, & eſt poſita *num.* 22. tenoris ſequentis.

2 *Sixtus Papa Quintus ad futuram rei memoriam ex iniuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officio ad ea, quæ pro Eccleſiaſticarum præſertim Regularium perſonarum quiete, & tranquillitate ſtatuta, & declarata ſunt fouenda,& quantum in nobis eſt conſeruanda libenter intendimus, vt omnium querelarum, & litiū occaſionibus amputatis liberius Creatori noſtro iuxta laudabilia eorum ſtatuta famulentur. Nuper ſi quidem pro parte dilectorum filiorum Generalis, Abbatum, & aliorum ſuperiorum Congregationis Ordinis Sancti Benedicti in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Apoſtolica au-*

*thoritate inſtitutæ nobis expoſitum fuit,
quod licet alias per dilectos filios noſtros
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſu-
per declaratione, & interpretatione de-
cretorum Tridentini Concilij deputatos in
eorum congregatione fuerit declaratum
Parrochialium Eccleſiarum, & Regula-
rium beneficiorum, quibus animarum cu-
ra incumbit, nec non Vicariarum, etiam
perpetuarum Monaſterijs, & alijs Regu-
laribus locis, etiam perpetuo vnitarum,
quæ Regularibus perſonis conferri ſiue per
ſæculares Præsbyteros, & perpetuos Vi-
carios regi, & gubernari conſueuerunt
vacatione pro tempore occurrente mini-
mè licere locorum ordinarijs edicta pro-
ponere, & examen per concurſum iuxta
Concilij decretum ſeſſione 24. cap. 18. fa-
cere, ſed ſatis tunc eſſe, vt Regulares
quidem perſonæ Eccleſiis prædictis præfi-
ciendæ à dictis locorum Ordinariis exami-
nentur, & approbentur: Sæculares vero in
Vicariis, & aliis beneficiis prædictis inſti-
tuendi à Superioribus Regularibus prædi-
ctis nominentur: examen autem & appro-
bationem ad dictos tantum Ordinarios
iuxta felicis recordationis Pii Papæ Quin-
ti Prædeceſſoris noſtri conſtitutionem per-
tinere nihilominus nonnulli ex dictorum
locorum Ordinariis præfatorum declara-
tione huiuſmodi, vt par eſſet minimè ac-
quieſcentes, & Decretorum dicti Concilii
verba ad eorum ſenſum, & voluntatem
trahentes, Abbates, & alios dictæ Con-
gregationis ſuperiores in præmiſſis inquie-
tare, & deſuper moleſtare, ac eorum iu-
ribus priuare non verentur: Quare nos
honeſtis, & iuſtis huiuſmodi precibus in-
clinati, opportunum præmiſſis remedium
adhibere volentes, declarationi prædictæ
inhærentes eamque harum ſerie approbā-
tes, & confirmantes omnibus Archiepi-
ſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordi-
nariis in locis prædictis conſiſtentibus præ-
cipimus, & mandamus, vt Parrochiali-
bus, & aliis Eccleſiis in quibus per dictæ
Congregationis Fratres animarum cura
exercetur, & Vicariis etiam perpetuis
Parrochialium Eccleſiarum in quibus pro
earum cura ſæculares Clerici deputari cō-
ſueuerunt monaſteriis, & aliis locis Con-
gregationis eiuſdem perpetuo vnitis pro
tempore edicta proponere, & concurſum
iuxta Concilii decretum, quod de ſæcula-
ribus Eccleſiis tantum intelligendum eſt,
minimè de cætero facere præſumant, Sed
Regulares Ordinis, & Congregationis
præfatæ, ac ſæculares Clericos ab eiuſdem
Congregationis Abbatibus, & aliis dicto-
rum Monaſteriorum ſuperioribus iuxta
dictam conſtitutionem Pij V. debito tem-
pore nominandos, ſi ab ipſis idonei reper-
ti fuerint abſque edictis, & aliorum con-
curſu in Parrocchialibus Eccleſiis, & Vi-
carijs præfatis admittant, & inſtituant pro
vt nos admittendos inſtituendos eſſe de-
cernimus, & ſtatuimus. Inſuper etiam
volumus, & iuxtà eiuſdem Concilij diſpo-
ſitionem, & mentem ſtatuimus, & man-
damus, quod in Parrochialium Eccleſia-
rum, & beneficiorum curam animarum
habentium, quæ de eiuſdem ordinis, &
congregationis iurepatronatus Eccleſiaſti-
co extiterunt, & ſæcularibus Clericis con-
ferri conſueuerunt earum vacatione quan-
documque occurret, quamuis per dictos
Epiſcopos ad concurſum, & examen ad-
mitti poſſint alij vltrà eos, qui per eiuſdem
congregationis Abbates, & alios ſuperio-
res patronos erunt nominati, nequeant ta-
men per eoſdem Epiſcopos ſi eorum inſti-
tutio, & non ad alium pertineat inſtitui,
& ordinari, niſi illi tantum, qui inter ap-
probatos, & ab examinatoribus idoneos
repertos ab eiuſdem ordinis, & congrega-
tionis Prælatis patronis digniores, & ma-*

gis

gis idonei iudicati, & pro inſtitutione recipienda eiſdem Epiſcopis præſentati fuerint quod ſi inſtitutio non ab ipſis Epiſcopis, ſed ab alijs fuerit facienda, tunc quidem ſoli Epiſcopi ex dignis digniorem eligere debeant, ſed non ante ab eo, ad quem ſpectat inſtitui poſſint, quam ab eiſdem patronis ei fuerint præſentati, ſicque in præmiſſis per eoſdem, ac quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, & S. R. E. Cardinales in quauis cauſa, & inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & cæt. ex qua conſtitutione licet ſit data pro Regno Portugalliæ, habes tamen explicationem Concilij Tridentini. Vide Riccium virum doctiſſimum *in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ.* 421. in prima edition. in ſecunda vero *deciſ.* 358.

3 Si vis autem ſcire, & cognoſcere quando nam Parrochialis ſubiecta ſit Monaſterio. Vide deciſionem Rotæ apud Farinaccium 1. *tom. part.* 2. *deciſion.* 204. in qua latè habes ſigna omnia, per quæ cognoſci poteſt. Quando beneficium aliquod curatum ſiuè non ſit de menſa Monaſterij.

Quomodo ſe extendat Epiſcopi poteſtas in viſitando Eccleſias parrochiales Regularium.

Dub. C L X V.

S V M M A R I V M.

1 *Citatur Tridentinum* ſeſſ. 7. cap. 7. de reformatione.

2 *Epiſcopus poteſt viſitare Parrochiam annexam Monaſterio exempto, etiā ſi Monaſterium ſit alterius diæceſis.*

3 *Non poteſt tamen viſitare via ordinaria, & cauſæ cognitione.*

4 *Epiſcopus poteſt viſitare non ſolum Parrochiales dictas Regularium; ſed etiam perſonas curam animarum exercentes.*

5 *Poteſt etiam Epiſcopus viſitare beneficia exempta quæcumque illa ſint extra Diæceſim etiam, & quomodo.*

6 *An Epiſcopus poſſit viſitare Parrochias Regulares; in quibus Generales Ordinum degunt.*

7 *Non eximuntur à viſitatione Epiſcopi Monaſteria, quæ ſunt capita ordinum, ſed in quibus capita ordinum degunt.*

8 *Epiſcopus non poteſt ſequeſtrare fructus Eccleſiæ* Parrochialis *Regularium ad reparandam Sacriſtiam, vel Eccleſiam.*

9 *An Epiſcopus dum viſitat poſſit præcipere Regularibus ne excedant taxam ab eo præſcriptam in percipiendis emolumentis e cura.*

1 PEr Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *cap.* 7. *de reformatione* habetur: *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus collegiatis, ſeù alijs Eccleſijs, vel Monaſterijs beneficijs, ſeù collegijs, aut pijs locis quibuſcumque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur ab ordinarijs locorum annis ſingulis viſitentur,* ex quo loco Concilij Barboſa referens alios plures ad multos caſus extendit poteſtatem Epiſcopi pro hac viſitatione.

2 Primo poteſt Epiſcopus viſitare Parrochiam annexam Monaſterio exempto, etiam ſi Monaſterium ſit alterius diæceſis. Ita Henriquez *in Summ. lib.* 7. *cap.* 15. §. 4. *litter. I.* Intellige tamē ſi ſit extrà Monaſteriū, ſecus

autem ſi ſit in Monaſterio, nam tunc viſitat ſolum perſonas exercentes curam animarum iuxta Trident. *cap.* 15. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* fauet Rota in Piacens. iuriſdict. 15. Iulij 1590. coram Plato.

3 Secundo non poteſt tamen viſitare dictas Eccleſias Parrochiales vnitas Monaſterijs exemptis cum cauſę cognitione, & via ordinaria. Ita Garzias *part.* 11. *cap.* 2. *num.* 12. quod probat ex quadam declaratione Sacrę Congregationis, quę ſic habet *hoc decretum videtur habere locum in actu viſitationis non cum cauſæ cognitione, & via ordinaria procedendo ſi eſſent Monaſteria, & loca Regularia*, & ratio fundamentalis eſt, quia cauſę cognitio ſemper importat citationem illorum quorum intereſt. Ita Ruin. *conſil.* 76. *num.* 18. *volum.* 3. Gozzad. *conſ.* 2. *num.* 15. *conſil.* 92. *num.* 23. Cardinal Mantica *de coniecturis vltimarum voluntatum libr.* 11. *tit.* 11. *num.* 12. & alij apud dictum Garziam.

4 Tertio poteſt viſitare non ſolum Parrochiales dictas; ſed etiam perſonas curam animarum exercentes. Ita per Trident. alio in loco *ſeſſ.* 25. *de Regulari. cap.* 1. & ita deciſum fuiſſe teſtatur Armorandiz apud Barboſam *in hunc locum Concilij*.

5 Quarto poteſt etiam viſitare beneficia exempta quęcumque illa ſint, quę extra diœceſim ſunt, dummodo careant Pręlato iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente, & Cathedralis illa Epiſcopi viſitantis vicinior ſit.

6 Sed quęres hic; an Epiſcopus poſſit viſitare Parrochias Regulares, quę ſunt annexę Monaſterijs, in quibus ordinum Generales degunt. Affirmatiuè primo aſpectu videtur reſpondendum ex declaratione, quam teſtatur adeſſe Armerandiz apud Barboſam *in Concilium ſeſſ.* 7. *citata c.* 7. *de reform.* Vbi dicit poſſe viſitari ab Epiſcopo parrochias vnitas Monaſterijs Canonicorum Regularium, vbi degit Generalis.

Negatiuè tamen eſt reſpondendũ, vt reſpondet præcipuè Rodriquez *tom.* 1. *q.* 36. & colligitur clarè ex Cõcilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. in quo talia verba expreſsè habentur. *Excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam his monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates Generales, aut capita Ordinum ſedem ordinariã principalem habent atque aliis Monaſteriis, ſeu domibus, &c.* & hoc licet cura adminiſtretur per Clericos ſęculares. Ita Nouarius *de exemptorum priuilegiis nu.* 22. *par.* 2.

7 Nec eſt contra hoc id, quod teſtatur deciſum Armerandiz *loco ſupra* apud Barboſam, *& eadem ſeſſ. cap.* 9. *num.* 17. ſcilicet poſſe ab Epiſcopis viſitari parrochiales Eccleſias vnitas Monaſterijs, quæ ſunt capita Ordinũ; nam ſunt res diuerſæ, *ſeſſ.* enim 25. *cap.* 11. *citato* eximuntur à viſitatione Epiſcopi illæ Parrochiæ Regulares, in quibus degunt capita Ordinum principaliter, non autem Monaſteria, quę ſunt capita ordinum eximuntur: poſſunt enim aliqua Monaſteria eſſe capita Ordinum abſque eo quod in eis degant Generales, vt patet multas Religiones conſideranti.

8 Quæres ſecundo; An dum Epiſcopus viſitat Eccleſias Regulares Parrochiales poſſit ſequeſtrare partem fructuum ad reparandam Sacriſtiam, vel Eccleſiam. Negatiuè reſpondent Ioannes Franciſcus Leo *in theſauro*

cap.

cap.31.num.3. part.2. & campanil. *rubric.12.cap.13.* docentque huiuſmodi ſequeſtrationem tantum fieri poſſe ad reparanda ea, quę ad curam animarum ſpectant; vt ad adminiſtranda Sacramenta, puta calices, & decentia paramenta; & hoc ex declaratione Sacræ Congregationis, quam dictus Doctor adducit.

9 Quæres tertio; An Dum Epiſcopus viſitat, & cæt. poſſit prohibere Regularibus, ne excedant taxam ab illo præſcriptam in percipiẽdis emolumentis ex cura. Affirmatiuè reſpondent Nouarius *in Summ. Bullarum De exemptorum priuilegijs parte ſecunda num.* 15. Sellius *in Selectis, cap.* 112. *numer.* 11. Barboſa *in Collect. Doctorum ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *n.*16. *&* 23.

An Epiſcopus poſſit viſitare curatum in Eccleſis, Regularium quando ſuperiores Regulares habent iuriſdictionem temporalem in Parrochianos. Dub. CLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quod poſſit tunc cumulatiuè cum Prælato Regulari viſitare Epiſcopus talem eccleſiam curata docet Doctorum opinio.*
2 *Decìſio Rotæ Romanæ.*
3 *Quod ſi detur aliqua contrarietas inter decreta Abbatis, & Epiſcopi, præualere debent decreta Epiſcopi.*

1 NEgatiuè reſpondet Riccius, *in praxi Viſitationis Parte prima praxis Reſoluti.* 532. vt infrà videbimus, ſed non abſolutè, ita vt nullo pacto competat Epiſcopo viſitare talem curatum, ſed cumulatiuè affirmat poſſe, ideſt ſimul cum Abbate, non autem priuatiuè. colligit ex decìſione Rotæ Romanæ apud Seraphinum, *Decìſ.* 1067. quæ ſic habet.

2 *Etiam ſi cura reſideret penes Monaſterium ſtante Concilio Tridentino Epiſcopus non obſtante quacumque exemptione poteſt viſitare Eccleſiam illi vnitam iuxtà formam capit. 7. ſequent. Seſſ. 7. & idem ſi eccleſia ſit intrà locum Monaſterij, eique immineat cura animarum Iuxta formam capit.* 11. *de Regularib. ſeſſ.* 25. *in quo datur facultas Epiſcopo uiſitandi perſonas tam Regulares, quam ſaeculares curam animarum exercentes in eis, quæ ad curam, & adminiſtrationem Sacramentorum pertinent niſi verſemur in locis in quibus Abbates, & alij Superiores Regularium etiam iuriſdictionem temporalem in Parrochianos habeant*; & deinde ſubdit veniens ad caſum ibi poſitum & deciſum. *Quod hoc caſu non procedit, nec probari poteſt cum Ciuitas in temporalibus Regi, in Spiritualibus Epiſcopo ſubſit. Poſtremò etiam ex diſpoſitione iuris communis idem eſſet dicendum cum non conſtet de aliqua Monachorum exemptione in ventre reſpectu eorum, quæ ad curam pertinent, Neque docetur de aliqua præſcriptione, ideoque locum habet caput Cum Perſonæ de Priuilegijs in ſexto & Epiſcopus eſt manutenendus, cum habeat iuris communis aſſiſtentiam, vt fuit dictum coram bonæ memoriæ D. Bubalo in vna Valentina de Xatiua.*

Neque obſtat deciſio in cauſa Piſcienſis quia ibi conſtabat de exemptione, & nihilominus fuit data Præpoſito facultas viſitandi in his, quæ reſpiciunt curam cumulatiuè cum Abbate, Ità tamen, vt de-

decreta Ordinarij præualeant, vbi datur aliqua contrarietas, vel incompatibilitas, & ità concluſum 20. Octobris præteriti coram R. P. D. Penia, & huic conſonat deciſio Sacræ Congregationis, qua continetur perſonas, & locum viſitari poſſe in ijs, quæ curam reſpiciunt, nam hoc quodammodò venit in conſequentiam viſitationis perſonarum; vt inquiratur quomodò conſeruetur Santiſſ. Sacramentum, & Eccleſiaſtica ornamenta, quod citrà viſitationem eccleſiæ fieri non poteſt & ità concluſum pro moderatione inhibitionis. Vnde concludit Riccius dicta *deciſione* ſic dicens *Limita* 2. in locis, in quibus Abbates, & alij ſuperiores Regularium iuriſdictionem etiam temporalem in Parrochianos habere, quia tunc iuriſdictio cenſetur attributa Epiſcopo cumulatiuè cum Abbate, vt fuit reſolutum *in vna Ciuitatenſis Iuriſdictionis* 11. *Februarij*. 1594. coram Seraphino in eius deci-

3 ſionibus. Benè tamen verum eſt, quod ſi detur aliqua contrarietas inter decreta Abbatis, ſeu Prælati Regularis, tunc debent præualere decreta Epiſcopi Rota in vna *Bononienſi Iuriſdictionis* 20. *Octobris* coram Penia.

An Epiſcopus ſolus debeat aſſignare congruum ſalarium Religioſis ſeruientibus beneficijs ſeu eccleſijs Parrochialibus. Dub. CLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Notabilis conceſſio Regularibus facta a Ranucio legato auctoritate Summi Pontificis.*

2 *Aſſignare ſalarium congruum & cæt. ad Epiſcopum pertinet.*

3 *Adeſt in hoc conſtitutio Sixti V.*

1 SI vera, & ſubſiſtens eſſet conceſſio quædam facta a Rannucio ex auctoritate Summi Pontificis, vt referunt Rodriquez. *tom.* 1. *Quæſt.* 36. *art.* 2. & ex eo Lezzana *Tom.* 2. vbi agit de beneficijs, qua conceditur religioſis Sancti Eliſii, & eſt Religio Santi Ioannis Euangeliſtæ in Portugallia, vt poſſint pactum facere, & conuenire cum deſeruientibus ſuis beneficijs de ſalario, dummodò ſic deſeruientes idonei ſint, & approbati ab Ordinario, Ita vt nequeant ab Epiſcopo cogi ad ſoluendum maius ſalarium, quam fuerit conuentum inter eos, & deſeruientes, iam clarè haberetur, non poſſe Epiſcopos in aſſignando Salario ſe intromittere: ſed

2 Lezana *loco ſupra* non acquieſcit huic conceſſioni, quia contraria eſt Concilio Tridentino *Seſſ.* 7. *Cap.* 7. *de reformatione*, vbi habentur hæc verba formalia. *Beneficia Eccleſiaſtica curata & cæt. ab Ordinarijs locorum annis ſingulis viſitentur, qui ſollicitè prouidere curent, vt per idoneos vicarios etiam perpetuos, niſi ipſis Ordinarijs pro bono regimine, & cæt. ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut maiori, vel minori arbitrio ipſorum Ordinariorum portione etiam ſupra certa re aſſignanda ibidem & cæt.* Ad Epiſcopum ergò pertinet aſſignare Salarium quantum eſſe debet; Vnde cum ſit contraria hæc conceſſio Concilio, cautè in ea eſt procedendum. Deindè vt dicit ipſe Lezana non conſtat; an ſit priuilegium viuę vocis oraculo datum; quia ſi tale eſt iam nihil valet.

3 Verum

3 Verum quidem eſt; adeſſe in hoc conſtitutionem Sixti V. quam refert Rodriquez *loco ſupra*, qua indulget congregationi Santi Benedicti Regni Portugalliæ, Quod Parrochiales Eccleſiæ, quæ per Monachos Santi Benedicti ſolitæ ſunt curari, ad vitam ipſorum per Præsbiteros ſæculares, vel etiam per Monachos ad nutum remouibiles curentur, conſtituto eis ſalario decenti ab Ordinarijs locorum bene viſo; Reliqui vero fructus in vſus Monaſterij conuertantur, & hæc conceſſio adeſt *in Bullario Rodriquez num.* 24. inter Bullas Sixti V. quę cum non contrarietur Concilio, iam validè ſubſiſtit, & attendenda maximè eſt.

An Epiſcopus poſſit concedere Eccleſiam Parrochialem Regularibus de conſenſu capituli. Dub. CLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia multis rationibus probatur.*

2 *Concilium Tridentinum*, Seſſ. 24. cap. 13. de Reformatione *quod videtur obſtare explicatur.*

3 *Etiam cum bonis illa Eccleſia vertitur in Regulares.*

4 *Difficultati, quæ moueri poteſt, reſpondetur.*

1 HOc dubium mouet, & doctè reſoluit Moneta *Capit.* 11. *de Mutatione ſtatus Eccleſiarum in Tract. de commutatione Vltimarum Voluntatum num.* 96. &

Affirmatiuè reſpondet, probatur multis textibus ex cap. *Tua nuper* ex Cap. *Paſtoralis* in quibus ſemper dicitur non poſſe Epiſcopum ſine conſenſu Capituli dare Regularibus Eccleſiam baptiſmalem. Ergò a contrario poterit cum conſenſu. Hanc etiã ſententiam ſuſtinent Stephanus Gratianus. *Diſcept. forens.* Tom. 3. *Diſcept.* 473. *num.* 2. & Ioannes Randa *Tract. de Diſpenſatione Epiſcopi Caſ.* 16.

Quod ſi obicies Concilium Tridẽtinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de Reformatione* Vbi habetur, ne Parrochiales eccleſiæ monaſterijs quibuſcumque, aut Abbatijs vniantur.

2 Reſpondet multis modis dictus Moneta primo Ibi ſolum prohibere vnionem Parrochialis Eccleſiæ Monaſterio, non autem ſubiectionem, quæ ſunt longè inter ſe diuerſa, vt notat Petrus de Peruſis, *in Tractatibus de Vnionibus Eccleſia cap.* 1. relatus ab eodem Moneta. Secundo Mentẽ Concilij, quæ ſummopere attendenda eſt ex *leg. Fraus* & alijs *textibus*; eam eſſe, vt animarum cura per hanc vnionem non deferatur, atque adeò non quælibet vnio per ipſum prohibetur; Sed quæ titulum ſupprimit, & extinguit, quod contingit quando vnio fit acceſſoriè, non ęquè principaliter, in caſu autem noſtro vnio non tollit, & extinguit titulum, ſed cura animarum remanet apud Regulares. Tertio Concilium etiam loquī de vnione Parrochialis Eccleſiæ cum Monaſterio ſito in loco alterius diæceſis, ac ſit illa Eccleſia Parrochialis vnita, & patet ex Concilio *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. *de Reformat.* Deinde ipſum Concilium alio in loco *cap.* 7. *ſeſſ.* 7. *de Reformat.* approbat beneficia curata monaſterijs perpetuò vnita, modò in his cura ani-

ra animarum laudabiliter exerceatur.

3 Quod ità ampliandum eſt, vt dicit Gratianus citatus, vt etiam cum bonis illius Eccleſiæ conuertatur in Regularem; Vnde ſi in diuerſis Diœceſibus haberet illa Eccleſia mutata bona,& poſſesſiones ſufficeret etiam ad conuerſionem illius conſenſus Epiſcopi in quo ſitu eſt, nec requireretur conſenſus aliorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus ſitæ ſunt poſſeſſiones. Ità Innocent. Baldus, Felinus, Immol. & alij quos *loco ſuprà* citat Stephanus Gratianus.

Quod ſi dicas; Epiſcopus non poteſt de fructibus fabricæ vnius Eccleſiæ ſinè conſenſu Apoſtolico, etiam ſi ſint ſuperflui aſsignare fabricæ pauperi alterius Eccleſiæ; Ergò ſic in caſu noſtro.

4 Occurrit ſtatim Gratianus,& dat diſparitatem; nam in caſu primo facit hoc Epiſcopus contrà voluntatem illorum, quorum interreſt; at in noſtro nulla eſt contradictio miniſtrorum Eccleſiæ Sæcularis, & augetur cultus illius.

An ſi Parrochus Regularis ſit negligens tempore peſtis in adminiſtrãdis Sacramentis poſsit Epiſcopus Parrochiam illam ſæcularem facere. Dub. CLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui hanc facultatem Epiſcopis tribuebant.*

2 *Non poteſt Epiſcopus auferre illam Parrochiam a Regularibus.*

3 *Eccleſia Regularis Parrochialis numquam vacat.*

1 Marchinus de Peſte *parte* 1. *cap.* 4. habet caſum in terminis, & teſtatur fuiſſe aliquos, qui hanc poteſtatem Epiſcopis tribuebant, ex Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 11. *de Reformatione*,& ex *Conſtitutione Gregorij XV*. quæ incipit *Inſcrutabili* ex quibus colligebantur Epiſcopos potuiſſe auferre has Parrochias a Regularibus cum ſubdantur Regulare in adminiſtratione Sacramentorum per conſtitutionem dictam *Inſcrutabili* omnimodè Epiſcopo, & ſic conficiebant iſti argumentum, Ergò cum ſubduntur plenè in omnibus Epiſcopo iam in pænam poterunt illis Parrochijs priuari. Quo tamen non obſtante.

2 Dico, non poteſt Epiſcopus, & cæt.Ita Idem Marchinus,& probatur primo,Quia illius eſt priuare aliquem beneficio, cuius eſt illud conferre.Sed Regulares habẽt eccleſias Parrochiales a Summo Pontifice, Ergò a ſolo Papa poſſunt illis priuari. Quod autem Eccleſias Parrochiales habeant Regulares a Papa probatur.

3 Tum quia Eccleſia Regularis Parrochialis numquam vacat nec obtinetur per concurſum, & ob non vacantiam ſoluunt Regulares Cameræ Apoſtolicæ quindennium ex Conſtitutione Pij V. Quæ incipit *Apoſtolica Sedis*. Probatur ſecundo,Quia ſunt hæc duo diſtincta, & diuerſa,& quod Epiſcopus poſsit punire, & coercere delinquẽtes Parrochos, & quod poſſit ab eis auferre Parrochiales hoc ſecundum nullo modo competit Epiſcopis, Immò in oppoſitum ſunt plura indulta Pontificia, quorum aliqua

refert

refert Rodriquez *tom.* 1. *quæſt.* 36. *art.* 1. *tertio* in terminis adeſt declaratio, & decretum Sacræ Congregationis 1631. ſuper negotia Epiſcoporum, *in vna Mediolanenſi* ad fauorem Regularium, qui fuerant tempore peſtis priuati ſuis Parrochis à Vicario eiuſdem Ciuitatis cuius decreti ratio erat, quia datę ſunt tales Parrochiæ Regularibus à Summis Pontificibus, & ſic nequeunt auferri ab eis per Ordinarium.

Ad oppoſita fundamenta patet ex dictis.

An Epiſcopi (ſtante Breue Pij V.) poſſint auferre à Regularibus populos aliquos Indorum, & partem curæ ab Eccleſia Parrocchiali Regularium.
Dub. CLXX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*

2 *Nec etiam auferre partem curæ poteſt Epiſcopus, & applicare alteri Eccleſiæ.*

3 *Regulares, qui in Indijs officium Parrochi exercent non ſunt propriè Parrochi, tenentur tamen facere totum id, quod faciunt Parrochi.*

4 *Epiſcopus in illis partibus verè Paſtor eſt.*

5 *Regulares dicti non poſſunt alijs delegare licentiã audiendi confeſſiones.*

1 PRæcedenti dubio videtur ſtatim præſens addendum cum ſimile ſit. In Indijs aliqui Regulares, qui ibi degunt ad conuerſionem animarum habent priuilegium quoddam Pij V. per quod iam prohibetur Epiſcopis, ne auferant ab eis populos, & ne aliquid innouent circa hoc, & ſic negatiuè reſpondet Rodriquez *tom.* 1. *qu.* 35 *art.* 6. Si dictum breue fuerit intimatum Epiſcopis circa illos populos, iam aſſignatos, tempore dicti breuis, & etiam circa populos aſſignandos, Vndè ſubdit, quod ſi Epiſcopi dictos populos auferent nihil facerent, & poſſe dictos Regulares adhuc officiũ Parrochi exercere etiam inuitis Epiſcopis; Quia breue dicit, *Ordinariorum voluntate minimè requiſita*, & hoc intellige etiam ſi Epiſcopus ignoraret dictum breue, & ei minimè fuiſſet intimatum; Quia vt inquit Panormitanus ligat breue, à tempore datæ, & Alexander IV. decreuit irritas omnes ſententias quas Archiepiſcopi, Prælati, & Rectores præſumpſerint dare contra indulta Apoſtolica conceſſa Prædicatoribus, & etiam in poſterum concedenda.

2 Adde hic, nec poſſe Epiſcopum, (& eſt reſponſio ad 2. partem dubij propoſiti) diſmembrare partem curæ animarum ab Eccleſia Parrochiali Regularium; & applicare alteri Eccleſiæ ob numeroſitatem populi ex priuilegio conceſſo Religioni Hieroſolymitanę, quod refert Barboſa *de officio Parrochi* 2. *part. num.* 13. *cap.* 23. *in finem*, quo priuilegio gaudent alię Religiones ob communicationem.

3 Sed ſcias hic obiter, illos Religioſos, qui in Indijs officium Parrochi exercent, non eſſe propriè Parrochos, vt notat Rodriquez, *quæſt.* & *tomo citat. Ant.* 5. & patet ex breue ipſo Pij V. vbi dicitur *valeant officium Parrochi exercere, vt hactenus conſueuerant.* Sed antea nullo pacto erant propriè Par-

Parrochi dicti Religioſi; ergò. Quod autem antea non eſſent verè parrochi Regulares; probat Rodriquez, quia ſemper fugerunt dicti Religioſi tale onus; modo tamen tenentur dicti Religioſi in illis populis facere totum id, quod facere tenerentur ſi veri parrochi eſſent; & hoc ex iuſtitia. Quia ratio naturalis dictat, vt vnuſquiſque ſoluat damnum, quod ſua cauſa fuit illatum; ſed tales Religioſi ſunt cauſa, quod in illis populis non reſideant Clerici curati, & parrochi. Ergò ſi in adminiſtratione Sacramentorum aliquod damnum patiantur dictę gentes religioſi illi cauſa erunt. Ergo ex iuſtitia tenentur; & declaratur hoc exemplo. Quis incepit audire confeſſionem alicuius, dum incępit, ex charitate incępit: at audita, iam ex iuſtitia tenetur abſoluere, & cęt. ſi nullum ſit impedimentum. Ergò ſic in caſu noſtro, vt patet conſideranti.

4 Colligit ex dictis Rodriquez; Epiſcopum eſſe in illis partibus verum paſtorem, & poſſe illorum populorum confeſſiones audire, Sacramenta adminiſtrare, & punire delicta; Tum quia per hæc non impediuntur Religioſi, quin officium parrochi exerceant; Tum quia per breue PijV. non tollitur Epiſcopis iuriſdictio, & cęt.

5 Colligit ſecundo. Dictos Religioſos non poſſe delegarę alijs licentiam ad audiendas confeſſiones; etiam ſi modò poſt Tridentinum vera eſſet illa ſententia, quod Parrochi poſſent delegare alios ad hoc munus, & ratio eſt; quia tales Regulares verè Parrochi non ſunt, vt dictum eſt.

An Epiſcopus poſſit examinare parrochos Regulares, dum alios ſimplices confeſſores examinat.

Dub. CLXXI.

SVMMARIVM.

Affirmatiuè reſpondent aliqui reſpectu omnium Parrochorum.
2 *Alij cum diſtinctione procedunt.*
3 *Negatiua ſententia refertur.*
4 *Regulares Parrochi quomodocumque Parrochi ſint poſſunt audire confeſſiones, ſine approbatione Epiſcopi.*
5 *Illud æſtimatur perpetuum, quod certo tempore non præfinitur.*
6 *Non repugnat Regulares habere beneficia curata in titulum.*
7 *Cur Cappellani, & Coadiutores Parrochorum ſine approbatione Epiſcopi nequeant audire confeſſiones.*
8 *Parrochi Regulares, quatenus Parrochi ſunt, poſſunt, ſicut omnes alij Parrochi ſæculares, examinari ab Epiſcopis.*
9 *Quod poſſit Parrochus ſine approbatione audire confeſſiones, & quod poſſit examinari, non ſunt contradictoria.*
10 *Quid operetur examen.*

1 Affirmatiuè abſolutè reſpectu omnium Parrochorum reſpõdet Ioannes Sancius *in ſelectis diſputat. 50. per totam*, vbi latè, & doctè probat ſuam ſententiam.

2 Lezana autem cum diſtinctione videtur in hac re procedere *tom. 2. de regu-*

Regulari cap. 18. *num.* 6. nam cum dicat, Parrochialia beneficia Regularia non eſſe propriè beneficia cum ſint manualia, & amouibilia debet conſequenter dicere eſſe Regulares æquales, alijs ſimplicibus Sacerdotibus, & ſic poſſe ſicut poſſunt alij examinari maximè ab Epiſcopo de nouo aduenienti.

3 Laurentius vero de Peyrinis *in ſuo formulario littera C. cap.* 13. *à num.* 3. *vſque ad* 6. negatiuè abſolutè reſpondet de omnibus Parrochis, ſiuè Regularibus, ſiue ſæcularibus mouetur ad hanc ſententiam per illa verba Concilij *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformatione. Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parrochiale beneficium, aut ab Epiſcopo per examen ſi illi videbitur, & cæt.* Ergò cum Regulares ſunt Parrochi iā habēt beneficiū, & ſic nequeunt ab Epiſcopis examinari, res tamen meo iudicio melius, & clarius eſt explicanda. Vnde.

4 Dico primo. Regulares Parrochi quomodocumque Parrochi ſint poſſunt ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones ſæcularium (dixi quomodocumque Parrochi ſint ſiuè perpetui, ſiuè manuales, & amouibiles) dictum eſt cum Peyrino, contra Lezanam tamen, qui vt dixi docet, beneficia Regularia manualia non eſſe propriè beneficia. Probatur clarè per verba Concilij ſupra adducta, *niſi aut Parrochiale beneficium obtineat*, ſed Regulares obtinent, dum ſunt Parrochi beneficium, ergò ſine approbatione, & cæt. poſſunt audire confeſſiones, & cæt.

5 Nec obſtat, quod hoc beneficium habeant non perpetuò, ſed ſint amouibiles; nam non tollit eſſentialem rationem beneficij amouibilitas, vt docent plures Doctores (de quo tamen non diſputo) deinde etiam ſi ſint amouibiles adhuc perpetuum beneficium habere poterunt dici; Illud enim æſtimatur perpetuum, quod certo tempore non præfinitur.

6 Nec obſtat ſecundo, dicere illos Parrochos Regulares non habere Eccleſiam in titulum, nam reſpondet Peyrinus, illum Parrochum habere Eccleſiam in titulum, quia habet ius miniſtrandi Sacramenta in illo populo, & exigendi fructus tali adminiſtrationi annexos; & tenetur rationem ſuæ adminiſtrationis reddere. Ita Azorius *Inſtitut. Moral. parte* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *quæſt.* 2. communiter tamen dicitur non habere illam Eccleſiam Parrochialem in titulum, ſed ſolum iure adminiſtrationis; quia cum Regularis proprium habere non poſſit, non facit fructus ſuos, hoc tamen non facit quo minus dicatur habere illud beneficium in titulum, vt innuit Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 10. *de reformatione*, vbi habetur *Regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis prouideri conſueta*, ecce quomodò non repugnat Regulares profeſſos habere Regularia beneficia in titulum.

7 Nec obſtat tertio; Quod Cappellani, & Coadiutores Parrochorum, quales videntur eſſe iſti Regulares nequeant audire confeſſiones ſine approbatione Ordinarij, & cæt. nam

Reſpondeo, Cappellanos, ſeu Coadiutores Parrochorum non eſſe beneficiarios, cum non habeant ius, aut titulum beneficij, ſed ſolum functionem, & miniſterium, nos autem

Q hic

hic loquimur de Regularibus, qui habent titulum, & cæt. Vnde non valet paritas.

8 Dico ſecundo. Parrochi Regulares, quatenus Parrochi ſunt poſſunt, ſicut omnes alij Parrochi ſæculares examinari ab Epiſcopo, quando vult alios examinare (dixi quatenus Parrochi ſunt,) nam quatenus Regulares ob priuilegia res eſt dubia, & controuerſa inter Doctores hoc dictum eſt contra Peyrinum *loco ſupra*, eſt tamen cum Sancio *in ſelectis loco citato*, & probatur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 6.* per hæc verba. *Quia illeterati, & imperiti Parrochialium Eccleſiarum Rectores Sacris minus apti ſunt officijs, & alij propter eorum vitæ turpitudinem potius deſtruunt, quam ædificant Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, eiſdem illeteratis, & imperitis, ſi alias honeſtæ vitæ ſint coadiutores, aut Vicarios perpetuò deputare, vel aliter prouidere poſſint quacumque appellatione, & exemptione remota*, per quæ verba clarè patet, quod quando adeſt fama publica de inſufficientia, & ignorantia dictorum Parrochorum poſſit eos Epiſcopus ad ſe vocare, & examine cognoſcere; an ſufficientes ſint. Quando autem nulla eſt fama de ignorantia Parrochorum; adhuc Epiſcopi poterunt eos vocare ad examen, vt experiatur; an ſufficientes ſint, nam variabile eſt fundamentum ſufficientiæ, & ſic benè poterit Epiſcopus ad cognoſcendum certè; an ſit ſufficientia ſemper tales Parrochos examine experiri, latè probat hoc Sancius te ci remitto, ibi etiam multis ſatisfacit difficultatibus, quæ fiunt contra hanc opinionem.

Sed dices; poteſt Parrochus Regularis, vt beneficiarius audire confeſſiones ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi, ergo Epiſcopus illum nequibit examinare.

9 Reſpondeo eſſe duo valde diuerſa hæc, & quod poſſit Regularis Parrochus ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones ſæcularium, & quod poſſit ab Epiſcopo examinari, primum poteſt Parrochus Regularis facere, quia cenſetur idoneus ad talemunus, ac ſi examinatus eſſet, & repertus idoneus; at non per hoc ſequitur quod nequeat examinari, ſicuti iam examinatus poteſt audire confeſſiones; quia idoneus repertus eſt ad audiendas dictas confeſſiones, non tamen per hoc nequit examinari de nouo, ita in caſu noſtro de Parrochis Regularibus.

Quod ſi inſtes Parrochi Regulares aliquando ſunt perpetui, nec per Epiſcopum ſaltem ſunt amouibiles, ſed ſi poſſent examinari, etiam eſſent amouibiles, ergò

10 Reſpondeo concedo antecedens nego conſequentiam. Ita Sancius dictus *loco ſupra* nam ſunt duò valdè diuerſa, examen enim hoc operatur, vt ſaltem ſi non idonei ſint reperti illi Parrochi poſſint ſuſpendi eiſque coadiutor dare poſſit; ob quod benè poſſunt, & rationabiliter examinari. Sed ad maiorem dubij propoſiti explicationem, & intelligentiam, habe ſequens dubium.

An

An Prælatus Regularis Præfectus Monaſterij, quod annexam habet Parrochiam poſſit ſine approbatione Epiſcopi audire confeſſiones. Dub. CLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Fundamenta negatiuæ ſententiæ referuntur.*

2 *Non ſolum Prælatus, ſed etiam alius Religioſus deputatus ad curam poteſt audire confeſſiones ſine approbatione in ſententia aliquorum.*

3 *Prælati Regulares Monaſteriorum, quæ habent annexam curam animarum, & cura eſt demandata in ſua inſtitutiones, vel translatione Prælatis ſuccedentibus, poſſunt audire confeſſiones ſine approbatione, & cæt.*

4 *Locus Tridentini, explicatur.*

5 *Regulares Parrochi æquales ſunt Parrochis ſæcularibus.*

6 *Particula,* aut *diſiunctiua eſt.*

7 *Quieti Epiſcoporum bene prouiſum eſt, cum ſemper poſſit examinare dictos Parrochos Regulares.*

8 *Quid dicendum, Quando Prælatus Regularis alium deputat.*

9 *An Parrochi poſſint delegare ſuam iuriſdictionem alicui Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo.*

1 Negatiuè reſpondet Ioannes Angelus Boſſius, *de triplici Iubilæi Priuilegio ſect.* 3. *caſ. ſecundo, §. ſecundo, numer.* 54. & 55. & probat, tum quia ita habet praxis; Tum quia dicti Regulares non comprehenduntur nomine Parrochi, vt habetur in Tridentino *cap.* 15. *ſeſſ.* 23. *de reform.* Tum quia videtur Concilium velle, quod quis habeat beneficium Parrochiale ab Epiſcopo, ad hoc, vt ſine approbatione poſſit audire confeſſiones.

2 Affirmatiuè tamen reſpondet Henriquez *lib.* 6. *de Sacramento Pænitentiæ cap.* 6. *littera E,* vbi citat alios, & ſic habet. *Pro Parrochia annexa Monaſterio Prælatus Regularis aſſignat Vicarium ſine alia Epiſcopi approbatione, & tamen Epiſcopus viſitare illum poteſt; addunt Prælatus Regularis Monaſterij æquatur habenti Parrochiale beneficium, &c.* & ſic in hac ſententia non ſolum Prælatus ille Regularis poterit, vt alij Parrochi poſſunt audire confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi, ſed etiam ille Vicarius Regularis deputatus ab hoc Prælato, ſunt tamen hic aliqua clarius explicanda. Vnde

3 Dico primo: Prælati Monaſteriorum, quæ habent annexam curam animarum, & Parrochi ipſi ſunt; quia cura eſt demandata in ſua inſtitutione, vel translatione; Prælatis ſuccedentibus, & cæt. poſſunt audire tanquam alij Parrochi confeſſiones ſæcularium, & cæt. eſt contra dictum Ioannem Angelum Boſſiũ, dũ *loco ſupra citato* dicit *Mihi videtur præciſo pæculiari priuilegio neque Prælatos ipſos, neque Vicarios temporales deputatos ab ipſis poſſe licitè, & validè audire confeſſiones prædictorum Parrochianorum Sæcularium.* Probatur tamen; nam cum Concilium dicat, *niſi aut beneficium Parrochiale habuerit,* cum iſte Prælatus habeat beneficium Parrochiale, iam po e-

rit audire confeſſiones, & cæt.

Quod ſi dicas, Concilium loqui, de habentibus Parrochiale beneficiũ ab ipſo Epiſcopo, nõ verò ab alio, vt dicit, & explicat dictus Boſſius *loco ſupra*, & Fagundez etiam *in ſecundum Eccleſiæ præceptum libr.*7. *cap.*2.*num.*40.

4 Reſpondeo, non benè ſic reſtringi & explicari Concilium, maximè, cum ſimus in odioſis verba intelligenda ſunt ſicut ſonant; nam ſi vera eſſet hæc explicatio; nullus Parrochus, nec etiã ſæcularis poſſet audire confeſſiones ſinè hac approbatione Epiſcopi
5 quod non eſt verum. Regulares autem Parrochi ſunt æquales Parrochis ſæcularibus, vt dicit Sancius *in Selectis diſputat.*48. ſic, *& de his Regularibus officium Parrochorum exequentibus iudicandum eſt in omnibus ſicut de cæteris Parrochis ſæcularibus iuxta dicenda diſputat.* 50. *docet Panor. in caput finali num.*11. §.*ſi vero de foro competenti, Couarr. in pract. cap.*11.*num.*5. *Rota in vna Salmatenſi deciſ.*736. *numer.*2. *part.*1. *diuer. Seraphin. in vna Burgenſi deciſ.* 1058. *Sarauia tract. de iuriſdictione adiunctorum quæſt.*22. *num.*9. *Videndus Maur. Anton. variarum reſolutionum lib.* 1. *reſol.*112. *caſu* 50. *prope finem*. Ita Sancius. Si ergò æquales ſunt; ſicut Parrochi ſæculares, qui iam habent beneficium curatum poſſunt audire confeſſiones abſque approbatione Epiſcopi. Ita & Regulares Parrochi.

6 Secundo, ſi ità explicaretur benè Concilium, non eſſet cur ibi particula *aut* poneretur, quæ diſiunctiua propriè eſt, vt multis probat Barboſa *de dictionibus*, & probo, quod non poneretur talis particula, nam ſi beneficium deberet eſſe ab Epiſcopo collatum, ad hoc vt beneficiarius poſſet ſine approbatione audire confeſſiones, & cæt. cum ſemper dum confert beneficium approbet, idem eſſet dicere, *niſi aut beneficium Parrochiale habeat*, quam niſi approbatus ſit ab Epiſcopo; quod eſt alterum membrum ſeparatum ab hoc cum in Concilio addatur. *aut ab Epiſcopo per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat*, ecce quomodo approbationem obtinere eſt membrum diſiunctum per Concilium, ab eo, quod quis habeat beneficium.

7 Nec obſtat ratio fundamentalis contrariæ ſententiæ, quæ talis eſt, debet beneficiarius ille de quo loquitur in illo loco Concilium habere tale beneficium ab Epiſcopo, quia cum Epiſcopus habeat iuriſdictionem in Parrochianos illos, vt ſupponitur; & ſit proprius Paſtor illorum pro quiete ſuæ conſcientiæ voluit Concilium, vt nullus etiam Regularis poſſet confeſſiones illorum ſęcularium audire; niſi eſſet prius ab eo approbatos, vel de eius conſenſu deputatus, & cęt. nam. Reſpondeo quieti Epiſcoporum benè fuiſſe promiſum in hoc caſu, cum ſemper poſſint examinare dictos Parrochos Regulares, ſiuè Prælati ſint ſiuè non, vt alibi diximus, ſic enim iam cognoſcere poteſt idoneitatem dictorum Parrochorum, & ſuper hoc remedia neceſſaria adhibere. Vnde non eſt explicandum, ſeu vt melius dicam reſtringendum Concilium, cum poſſint illius verba, vti ſonant, ſaluari, & adimpleri.

Di-

8 Dico ſecundo. Si iſte Prælatus Regularis alium deputet pro exequendo officium Parrochi;& deputat tali modo, vt eum faciat Parrochum, & cæt. in caſu, quo hoc poſſit facere. Idem dicendum eſt de hoc deputato, ac diximus de eodem Prælato ob eaſdem rationes;ſi autem deputet cappellanum, qui in titulum non habet beneficium, iam debet ab Epiſcopo approbari; nam tunc non valet ratio beneficij, & hoc verum eſt ſiuè Cappellanus ille Sæcularis, ſiue Regularis ſit.

9 Sed ſub hoc dubio poſſet alicui alterum dubium ſimile occurrere, quod tamen commune eſt, an Parrochi Parrochialia beneficia habẽtes poſſint committere ſuas oues, & delegare ſuam iuriſdictionem alicui Sacerdoti, non approbato ab Epiſcopo, & ratio dubitandi eſt, quia ante Concilium Tridentinum hoc poterant. Deinde quia Parrochi ante Concilium habebant ius delegandi, & committendi ſuas oues alteri Sacerdoti, quod ius erat ordinarium; ſi autem hoc nequeunt modo, videntur priuari per Concilium ſuo iure, quod non videtur dicendum. His tamen non obſtantibus; fere communiter negatiuè reſpondent Doctores: Fagundez præcipuè *in ſecundum Eccleſiæ præceptum lib. 7. cap. 2. a num. 41. vſque ad 43.* & probatur; quia iam ita habet conſuetudo, quæ mentem Concilij eſt interpretata; nec Concilium tollit hoc ius, quod antea habebant Parrochi; ſed tantum requirit quaſdam conditiones ex parte deputatorum ſicut quando aſſignant Pontifices conditiones, quas debent habere Conſeruatores, non per hoc tollunt facultatem exemptis eligendi Conſeruatores. Vide Fagundez *loco ſupra* ſi exactiorem requiris in hoc ſolutionem; nam cum ad materiam noſtram directè non ſpectet, ſufficiat breuiter à nobis dictum.

An Regulares, qui Officium Parrochi exercent poſſint vagos ſine licentia Epiſcopi coniungere matrimonio.
Dub. CLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia, quæ habent Religioſi in Indijs, qui Parrochorum officium exercent.*
2 *Affirmatiua ſententia, & eius fundamenta.*
3 *Per Bullam Pij V. videtur derogari Concilio Tridentino.*
4 *Negatiua ſententia exponitur.*
5 *An Bulla Pij V. ſit reuocata per Gregorium XIII.*

1 RElgioſi multi in Indijs Parrochorum officium exercent; & multa habent, quo ad hoc priuilegia, & præſertim ex conſtitutione Pij V. quæ incipit *exponi nobis fecit*, ædita 1567. die 25. Martij vbi §. 2. ſic habetur. *Nos igitur qui ſingulorum præſertim Catholicorum Regum votis ad diuini cultus augmentum, & animarum ſalutem tendentibus libenter annuimus huiuſmodi ſupplicationib⁹ inclinati omnibus, & ſingulis Religioſis quorumcumque etiam Mendicantium ordinum Monaſterijs, vel de illorum ſuperiorum licentia extrà*

illa commorantibus, vt in locis ipſarum partium eis de ſimili licentia, & aſſignandis officium Parrochi huiuſmodi matrimonia celebrando, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueuerunt, dummodò ipſis in reliquis ſolemnitatibus dicti Concilij formam obſeruent, exercere & verbum Dei, vt præfertur, quatenus ipſi religioſi Indorum illarũ partium idioma intelligant de ſuorum ſuperiorum licentia, vt præfertur in eorum capitulis prouincialibus obtenta prædicare, & confeſſiones audire liberè, & licitè valeant licentiam, & facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus ex hac ergò conceſſione mouent dubium Doctores; an dicti Regulares officium Parrochi exercentes & cæt. poſsint coniungere in illis regionibus vagos ſine Epiſcopi licentia.

2 Affirmatiuè reſpondet Vera cruz *in Append. ad Speculum* relatus à Boſſio *de Matrimonio cap. 4. num. 44.* & mouetur; tum quia in dicta Bulla Pij V. conceditur, vt poſsint aſsiſtere matrimonijs; ſicut poterant antè Cõcilium, & conſueuerant, antè Concilium verò, ex conceſsionibus Adriani VI. & Leonis X. id poterant abſq; licentia Ordinarij; Tum quia etiam in dicta Bulla Pij V. dicitur, quod poſsint aſsiſtere matrimonijs & reliqua munera exercere non petita ordinariorum licentia, quę verba debent aliquem effectum habere cum priuilegium non debeat carere effectu. Ergò ſi licentia eſſet neceſſaria, iam nihil, quod eſſet nouum conce-deretur.

3 Nec obſtet quis, & dicat in Bulla Pij V. dicta non derogatur Concilio Tridentino; nam ſtatim contra eſt, immo colligitur ex mente Pontificis voluiſſe derogare Concilio, quia in principio motus proprij mentio fit de illius decreto, ratione cuius nõ permittitur Religioſis aſsiſtere matrimonijs. Vndè cum ex validis coniecturis conſtet de mente derogantis ſufficit ad derogationem; etiam ſi clauſula derogatoria non inſeratur, vt volunt Sarmiento *lib. 3. Select. cap. 14. num. 7.* & Henriquez *lib. 7. cap. 26. numer. 3.* & alij, quos refert Sanchez *diſput. 26. lib. 3. de Matrimonio num. 7.* his tamen non obſtantibus.

4 Negatiuè reſpondet. Ioannes Angelus Boſsius *loco ſupra citato* qui pro hac ſententia Doctores refert. Sanchez *dicto loco* Baſilium Pontium *lib. 5. cap. 15. numer.* & Portel Verb. *Matrimonium* Fundamentum eſt quia per illam conceſsionem Pij Quinti tantum poſſunt dicti Regulares id quod poſſunt alij Parrochi, nec eis conceſsit aliquid amplius. Vndè ſic ſaluatur Priuilegium habere aliquem effectum, & vt cõſideranti patet fundamenta contrarię ſententię corruũt. Addit inſuper idem Boſsius numquã derogari Tridentino niſi de illo mentio ſpecialis fiat; quod tamen non caret difficultatem, quam nos alibi aliquando attigimus.

5 Quod ſi Quæras hic obiter; num conceſsio hæc Pij V. ſit reuocata per Gregorium XIII. qui motu proprio priuilegia contraria Tridentino reuocauit in ſua conſtitutione *In Tanta* Affirmatiuè reſpondet Cenedo *in ſuis Quæſtionibus Canonicis quæſt. 30. num. 48.* Sed negatiuè reſpondet Idẽ Boſſius & Rodriquez etiam *To. 1. quæſt. 35. art. 1.* Cherubinus, *Schol. 2. ad dictam Bullam 34. Pij Quinti* & Pontius etiam

etiam *ſuprà*. Ratio eſt quia conceſſio hęc emanauit fauore fidei, pro qua multa fuerunt meritò conceſſa contra Tridentinum. Sed videat bene poſtea Boſſius quomodo negatiuam ſententiam in caſu poſito ſuſtineat, nam forte dicent aduerſarij in hoc etiam derogatum fuiſſe Tridentino, & ſic poſſe ſine licētia Ordinarij coniungere vagos, & cęt.

An Regularis Parrochus cogi poſſit ab Epiſcopo, vt accedat ad Proceſſiones. Dub. CLXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Communis affirmat.*
2 *Singularis in hoc Authoris opinio.*
3 *Diſtinctio inter Parrochos emancipatos, & non emancipatos, ideſt inter Parrochos, qui adhuc ſunt de corpore Religionis, & alios, qui extra obedientiam Prælatorum ſunt.*

1 Affirmatiuè abſolutè videtur reſpondere Bordonus *Reſolut.* 7. *num.* 133. *in ſuis conſilijs* dū dicit *Parrochus cogi poteſt, cum teneatur accedere vt deciſum fuit die* 5. *Aprilis* 1631. *contra Monachum curam animarū exercentem in Eccleſia Parrochiali vnita Monaſterio Ordinis Sancti Benedicti Cunenſis Diœceſis teſte Aldano in ſuo compendio lib.* 2. *titul.* 8. *num.* 14. apud Barboſam *Seſſ.* 25. *cap.* 13. *num.* 32. & ſubdit paulò inferius poſſe cogi dictum Parrochum ad incedēdum ſub cruce Parrochorum, non autem cum ſocijs eiuſdem ordinis; Sed hæc ſententia licet placeat quo ad illos Regulares, qui priuilegiati nō ſunt in hoc quo ad acceſſum ad proceſſiones; attamen quo ad priuilegiatos nō placet, vnde

2 Dico Regulares priuilegiatì in hoc nequeunt cogi ab Epiſcopis, vt accedant ad proceſſiones etiā ſi Parrochi ſint, & ratio eſt quia ex eo quod Parrochus ille Regularis ſit, non ammittit priuilegia ſuæ Religionis 2. etiam ſi Parrochus Regularis in his quæ ſpectant ad curam animarū ſubdatur Epiſcopo, attamen quo ad alia nequaquā. Vnde ſi delinquat quo ad alia neqnit ab Epiſcopo puniri; Incedere autē ad proceſſiones mihi nō videtur ſpectare ad curam animarū niſi remotiſſimè. Vnde puto in hoc nō eſſe Epiſcopo ſubiectū. Quod confirmo inſuper inſtantia quę meo iudicio optima eſt, Regularis *v. g.* priuilegiatus in commutandis votis, in abſoluēdo, &c. Si fiat Parrochus ammittit forte hæc priuilegia, quis hoc dicet? Ergò cur dicendum erit ammittere, dum eſt Parrochus, priuilegium non incedēdi ad proceſſiones? ſcio aduerſarios hanc ſemper adducere rationē quod ſcilcet incedere ad proceſſiones ſit quid pertinens ad curam animarum; ſed hoc debent probare, & demonſtrare, hoc enim ipſe nego, cū non videam quomodo hoc ſpectet

3 ad dictam curam, & hoc maximè verum puto de Parrochis illis, qui eccleſias curatas habent vnitas Monaſterijs ſuis, nec ſunt Parrochi, vt ita dicam emancipati; nam de alijs poſſet eſſe difficultas iuxta Doctrinam traditam a Cokier *parte quinta quæſt.* 17. *De Iuriſdictione in Exemptos*.

An Epiſcopus mandare poſſit Parrochis Regularibus, vt accedant ad Congregationem caſuum conſcientiæ.
Dub. CLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones diuerſæ referuntur.*
2 *Non poſſunt Parrochi Regulares ad hoc cogi ab Epiſcopis.*
3 *Nimis remotè pertinet ad curam animarum accedere ad Cõgregationes caſuum Conſcientiæ.*
4 *Obiectio proponitur, cui ſatisfit.*
5 *Grauius eſſet Parrocho Regulari vocari ad Congregationem caſuum, quam ad examen.*
6 *Cur ad Synodum poſſit cogi, & non ad Congregationem caſuum conſcientiæ.*
7 *Nec alij Regulares poſſunt cogi ad talem Congregationem.*
8 *Fundamentum contrariæ ſententiæ reſoluitur.*

1 Affirmatiuè abſolutè de omnibus Regularibus tam Parrochis, quam non Parrochis reſpondent Georgius Pollacus §.22. & noſter Duardus *lib.*1. *in Bullam Cœnæ cap.* 1.*quæſt.*3. Affirmatiuè verò, quo ad Parrochos reſpondet Homobonus *part.*4.*examinis reſponſ.*86.quo ad alios vero Regulares negatiuè.

Scroffa *quæſt.*36. negatiuè abſolutè videtur reſpondere, quo ad omnes Regulares tam Parrochos, quam non Parrochos: probat varijs rationibus, quarum plures non habent multam vim, vnde hic eas breuitatis gratia omitto. Deinde cum non ſe bene explicet, nec mentionem faciat de Parrochis Regularibus, vt videtur; debere fieri in hoc, cum ratione Parrochiæ in multis ſubdantur Parrochi Regulares Epiſcopis, in quibus non ſubduntur alij, hinc eſt, quod rationibus dicti Scroffæ, vti nos modo non egeamus.

2 Dico ergò breuiter Parrochi Regulares nequeunt ad hoc cogi ab Epiſcopo. Probatur: nequeunt alij Regulares ſimplices, vt ferè communis ſententia docet. Ergò nec Parrochi: nam alioquin eſſent peioris conditionis dicti Parrochi, quam alij ſimplices Regulares, quod videtur abſurdum.

Neque dicas in eis, quæ ad curam ſpectant ſubduntur Parrochi Regulares Epiſcopo, & ſic licet alij non ſubdantur, adhuc tamen benè poterunt ſubdi Parrochi. nam

3 Reſpondeo nimis remotè pertinere ad curam animarum accedere ad Congregationem caſuum conſciẽtiæ; maximè ſi conſideremus Regulares, qui quotidie domi ſolent habere tales exercitationes; ſi autem Epiſcopi in hoc caſu poſſent procedere, & haberẽt iuriſdictionem in Regulares, iam in multis alijs caſibus ſimilibus haberent hanc iuriſdictionem, & ſic redderetur inanis fere in omnibus exemptio Regularium ab Epiſcopo: omnia enim, quæ eis præciperent poſſent in ordine ad animarum curam præcipere, etiam ſi remotiſſimè

ſimè talem curam reſpicerent res præceptæ.

4 Quod ſi obijcias per nos Regulares etiam Parrochi poſſunt examinari ab Epiſcopo ad hoc, vt cognoſcant, an idonei ſint, & cæt. Ergo à fortiori poterunt ad Congregationem Caſuũ Conſcientiæ vocari.

Reſpondeo dando diſparitatem, nam quod Epiſcopus velit per examẽ experiri, an idoneus Parrochus ſit, videtur eſſe quid immediate attingens curam animarum, quæ debet adminiſtrari ab idoneo & ſufficienti; non ſic autem eſt illum obligare ad congregationem caſuum; nam eſt quid antecedens ipſum examen; & quoddam exercitium, per quod fit poſt Regularis promptus ad examen: ſi autem illa omnia exercitia poſſet præcipere Epiſcopus Parrocho Regulari, per quę redditur habilis ad examen, & ad rectè gerendam curam animarum; vel per quæ reddi poteſt talis, in quot rebus eſſet ſubditus miſer Parrochus Epiſcopo? poſſet ei Epiſcopus præcipere, vt domi maneret, & ſtudijs vacaret; vt tales tractatus, & libros ediſceret, quæ omnia mihi videntur ridicula. Deinde non diximus nos ſine cauſa, & ſuſpicione aliqua inſufficiẽtiæ Parrochi dicti Regularis poſſe Epiſcopum illum ad examẽ ad libitum vocare: quidquid dicat Sanctius *in ſelectis diſput. 50. ferè per totam*. Sed fortè hoc tantum poteſt dum habet ſuſpicionem inſufficientiæ Parrochi, & ſic nec abſolutè poſſet præcipere, vt accederent ad Congregationem caſuum, & cæt. ſed tunc tantum, dum dubitaret de tali inſufficientia.

5 Inſuper grauior obligatio, & ſubiectio eſſet Regulari Parrocho cogi accedere ad congregationem dictam, quæ ſæpè fit, & quam ad examen, quod rarò ſolet indici ab Epiſcopis, & in multis locis non indicitur reſpectu Parrochorum: conſideret ergo lector diſparitatem, & differentiam moralem inter vnum caſum, & alterum, & difficultatem poſitam non tanti faciet.

6 Quod ſi quis vrgeat poteſt cogi accedere ad Synodum Parrochus hic Regularis, Ergo ſic à pari. Reſpondeo, eſſe etiam inter hos caſus diſcrimen; nam in Synodo multa ordinantur, & præcipiuntur, quæ ſcire tenetur Parrochus Regularis, quatenus Parrochus eſt, quod non accidit in congregatione caſuum.

7 Si autem aliquis ſcire cupit; quid de alijs Regularibus, qui Parrochi non ſunt, ſed ſimplices confeſſores, dicendum: Reſpondeo ex dictis immo à fortiori, nec hos poſſe ad dictam Congregationem compelli, vt tenet multis rationibus Scroffa, nec placet in hoc diſtinctio Homoboni, quæ talis eſt *loco ſupra*, ſi iſti Regulares iam ſint approbati ad Confeſſiones nequeunt compelli; ſi vero non ſint poſſunt; nam quid refert, quod ſint approbati, vel non? ſemper in hac materia ſunt exempti, vt diximus, nec per approbationem datam tolleretur hęc facultas Epiſcopis ſi illam haberent, nam ſicut antea ad experiendam idoneitatem poterant ad congregationem dictos Regulares vocare, ſic poſt approbationem ad idem experiendum poſſet etiam vocare, cum variabile ſit fundamentum idoneitatis.

8 Fun-

8 Fundamentum contrariæ ſententiæ, quod tale eſt; poſſe ſcilicet Epiſcopos ad tales congregationes vocare Regulares; ne ſine tali exercitio inſufficientes fiant, remanet ex dictis ſolutum, vt conſideranti patebit.

An Epiſcopus poſſit modo ad libitum deputare Vicarios perpetuos in beneficijs curatis vnitis Monaſterijs.
Dub CLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Ante Concilium poterant Prælati, & Monaſteria Vicarios amouibiles ponere.*
2 *Non poſſunt Epiſcopi deputare Vicarios perpetuos, &c.*
3 *Conſtitutio Pij V. non fuit abrogata per aliam Conſtitutionem Gregorij XIII.* In Tanta.
4 *Poſſunt Epiſcopi deputare Vicarios perpetuos, etiam ſi in litteris vnionis expreſſa ſit clauſula, vt poſſint deſeruire Vicarij amouibiles.*
5 *Non tollit Concilium Tridentinum vim decreti ſeſſ.* 25. de Regularibus.
6 *Quid dicendum quãdo vnio fuit facta per viam pacti, & concordiæ à Sede Apoſtolica.*
7 *Nominatio etiam talium Vicariorum, qui perpetui ponuntur ſpectat ſemper ad Prælatos Regulares.*
8 *An Regularis Vicarius perpetuus conſtitutus cum debitis requiſitis poſſit poſtea contradicente Epiſcopo à Prælato reuocari.*
9 *Perpetuitati non repugnat reuocabilitas.*
10 *Etiam ſi Epiſcopus poſſit reuocare talem Regularem, & cæt. hoc etiam facere poteſt Prælatus Regularis.*
11 *Prælatus Regularis, etiam poteſt reuocare à cura ſuum ſubditum, quando ob propriam negligentiam Epiſcopus elegit, & inſtituit illum ad curam.*

1 Ante Concilium Tridentinum Vicarios ad nutum amouibiles poterant Prælati, & Monaſteria ponere, & ratio erat, quia cum in huiuſmodi beneficijs titulus ſemper ſit apud Cœnobium, & Monaſteria non erant ibi Vicarij perpetui conſtituendi: numquam enim vacare dicuntur tituli Eccleſiarum Monaſterijs annexarum. Ita Rebuffus, Gonzalez, Hoyeda, & alij apud Tamburinum *tom. 3. de iure Abbatum diſput. 9. quæſit.* 18. *num.* 1. Sed cum Concilium Trident. *ſeſſ. 7. cap. 7. de reformatione* determinauerit, vt poſſint Ordinarij locorum deputare Vicarios perpetuos in beneficijs quibuſcumq; curatis vnitis Collegijs, & Monaſterijs, quibuſcumque priuilegijs, & exemptionibus non obſtantibus; Quod etiam declarauit congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Tridentini. Hinc oritur poſitum dubium; an modo poſſint etiam Epiſcopi deputare ad libitum, & independenter à Prælatis dictos Vicarios perpetuos, quod etiam mouet Tamburinus *loco ſupra*.

2 Reſpondeo ergò iam non poſſe modo Epiſcopos hos Vicarios perpetuos deputare, & hoc per conſtitutionem Pij V. quæ incipit. *Ad*

exe

exequendam per hæc verba. *Volumus inſuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarij perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, ſed ad nominationem illorũ in quorum Eccleſijs vnitis ponentur, cum ipſorum Ordinariorum, ſeu eorum Vicariorum præuio examine, & approbatione deputentur.*

3 Nec obijcias hæc Conſtitutio fuit abrogata per aliam Gregorij XIII. quæ incipit *In Tanta numer.9.* nam reſpondeo non fuiſſe abrogatam; & probo ex verbis ipſis Conſtitutionis Gregorianæ, quæ ſunt. *Eam deinceps fore diſpoſitionem, & deciſionem pro ſubiecta materia, quæ ſiuè ex iure veteri, ſiuè ex ſacris dicti Concilij decretis, ſiuè alias legitimè antea dictarum litterarum, & conſtitutionum æditionem erat.* Ecce quomodo diſiunctiuè res reducat Gregorius ad terminos iuris communis. Sed de iure communi deputare, & ponere hos Vicarios pertinebat ad Prælatos; Ergò etiam nunc.

Deinde adeſt in hoc declaratio Sacræ Congregationis teſte Tamburino *eodem loco* in hæc verba.

S.D.N. Gregorius XIII. non habet pro reuocata Bullam Pij V. de Vicarijs perpetuis in Parrochialibus vnitis Monaſterijs Regularium, vbi Epiſcopus ad nominationem deputat vnum, & cæt. quod autem non fuerit per Gregorium abrogata tenet Garzias *de beneficijs part. 11. cap. 2. num. 3.* ſed quidquid ſit de hoc certum eſt, circa ſubiectam materiam res eſſe redactas, vel poſſe redigi ad ius commune antiquum.

4 Notat hic vero Barboſa, & alij apud ipſum *ſupradictum locum Concilij*; quod ſtando in diſpoſitione Concilij Epiſcopi poſſunt deputare Vicarios perpetuos; etiam ſi in litteris vnionis expreſſa ſit clauſula, vt poſſint deſeruire Vicarij amouibiles; ſi huiuſmodi litteræ ſint datæ ante Concilium Tridentinum.

5 Aduertit ſecundo; Concilium per hunc locum non tollere vim decreti infra *ſeſſ. 25. de Regularib.* Vbi ſupponit in Eccleſijs Monaſteriorum Vicarios amouibiles poni poſſe; nam in loco præſenti non negat id, ſed ſolum relinquit arbitrio Epiſcopi, vt ſi viderit expedire, Vicarios perpetuos ponat.

6 Limitanda tamen eſt in hoc poteſtas Epiſcopis. Quando vnio fuit facta per viam pacti, & concordiæ à Sede Apoſtolica cum clauſula de ſeruiendo beneficio per Vicarium ad nutum amouibilem, quia non tollitur per Concilium pactum, & concordia, Ita plures, & præcipuè Sanchez *in decalog. tom. 2. libr. 7. cap. 29. nu. 191.*

7 Scias tamen hic, etiam, quod quando Epiſcopus poneret hos Vicarios perpetuos in beneficijs curatis annexis Monaſterijs, & cæt. ſemper nominatio ſpectaret ad Prælatos Regulares. Habe etiam priuilegium circa hoc conceſſum Religioſis S. Ioannis Hieroſolymitani, teſte eodẽ Barboſa *loco ſupra* per quod Vicarij ab eis dependentes, tantum examinari poſſunt ab Epiſcopis, & ſi Idonei reperti fuerint ſimpliciter debent approbari non ad tempus, etiam ſi ſint manuales, & amouibiles, nec poſſunt ſine cauſa eos iterum examini ſubdere. Vide Barboſam *loco ſupra*, qui multa alia congerit circa Vicarios, ſiuè perpetuos, ſiue amouibiles.

8 Sed dato quod Epiſcopus cum requiſitis, &c. conſtitueret aliquem Regularem in beneficio curato Vicarium

rium perpetuum poſſet ne poſtea hic Vicarius reuocari ad libitum a ſuo Prælato Epiſcopo contradicente? Vuameſius *in ſuis Conſil. Tom. 2. Conſil.* 465. habet dubium latè, doctèque diſcuſſum, Vndè hic breuiter exponam quid mihi videtur dicendum.

Reſpondeo ergò, ſemper poſſe dictum Regularem a ſuo Prælato reuocari, etiam renuente Epiſcopo. Ità Vuameſius, quià licet per Concilium *cap. 7. de Reformat. ſeſſ.* 7. detur facultas hæc Epiſcopis faciendi Vicarios perpetuos, non tamen per hoc tollitur facultas Prælatis Regularibus reuocandi ſuum ſubditum ad Monaſterium, ſicut non tollitur obedientia a Monacho. Sed Vicarius Regularis etiam perpetuus habet ſibi coherentem hanc obedientiam; ergò.

9 Nec obſtat dici dictum Regularē Vicarium perpetuum; nam vt optimè notat dictus Vuameſius *loco citato*, perpetuitati non repugnat reuocabilitas; Ita enim perpetuus habetur, quatenus a ſuo Prælato non reuocatur. Perpetuum enim pro re ſubiecta variè accipitur, & in hoc caſu perpetuus cenſetur, qui ſinè præfinitione alicuius temporis in beneficio inſtituitur, & qui in potentia eo loco eſt, vt quamdiù vixerit poſſit eſſe Rector beneficij. Baldus in leg. *Ex facto in finē de Hæredibus* Dæcius *conſil.* 472. ſufficit ergò quod deſtinatiuè perpetuus ſit.

10 Nec etiam valet obiectio: illius eſt deſtituere, cuius eſt inſtituere; Sed ad Epiſcopum ſpectat inſtituere ad curam Regularem illum ergò ad Epiſcopum pertinebit illum reuocare, nec poterit hoc facere Prælatus Epiſcopo inuito.

Reſpondeo enim; concedendo poſſe Epiſcopū remouere illum Regularem Parrochum; quia etiam inſtituit: adhuc tamen ſalua manet poteſtas reuocandi in Prælato; quia vt ſupponitur obedientiarius eſt Regularis ille, nec adhuc, vt loquuntur Doctores, emancipatus a poteſtate ſuorum Prælatorum.

11 Vndè addit Vuameſius, poſſe etiam Regularem promotum ad curam reuocari a ſuo Prælato in caſu, in quo Epiſcopus ſupplendo Prælati negligentiam, qui tempore debito non præſentauit ad curam Regularē ſubditum eligit monachum, & ipſum inſtituit. ob eandem rationem; & ſic teſte eodem Vuameſio dicit Gloſſa in *Clementin.* 1. *de ſupplenda Prælator negligent.*

An Epiſcopus debeat dare licentiam Parrocho Regulari, vt abſit a Parrochia, vel hoc ſpectet ad Prælatum; qui eum præſentauit. Dub. CLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex abſque dubio iuſta de cauſa poteſt dare facultatem Parrocho, vt abſit, & perpetuò abſit.*
2 *Epiſcopus poteſt darè facultatem, vt abſit ad tempus.*
3 *Pertinet ad Epiſcopum dare talem facultatem Parrocho Regulari.*
4 *Prælati etiam alij, qui iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent, & nullius diæceſis ſunt & cæt. hanc facultatem dare poſſunt.*

5 *Quan-*

5 *Quantum ſit tempus, & quæ nam cauſæ.*

1 CErtum eſt Summum Pontificem iuſta de cauſa poſſe dare beneficiario curato licentiam vt perpetuò abſit: non ſolet tamen Papa concedere talem facultatem, vt quis perpetuò abſit vt colligitur ex cap. *vltimo de reſcriptis in 6.* & docet Gloſſ. *in dicto capite.*

2 Epiſcopus autem poteſt concedere licentiam ad tempus, ex cap. *licet canon. de electione in 6.* & ſic etiam legatus Papæ in prouincia, in qua eſt Legatus, poteſt illam concedere facultatem, quam cōcedere poteſt Epiſcopus. Ita Ioannes Selua *de beneficij parte 4. quæſt. 9.* cum ſit ordinarius in illa, *cap. primo de officio legati*, & *cap. 2. eodem titulo in 6.* Idem ſuſtinent. Gambara *de officio legati lib. 3. part. 3. num. 78. & 207.* Creſcenti *Deciſion. 180. alias 8. de priuilegijs* & alij plures apud Sanctarellum *in varijs reſolution. quæſt. 5. num. 2.* & hoc non ſolum verum eſt de Legatis a Latere; ſed etiã de alijs, quia non ſolum Legati a Latere, ſed etiam alij in prouincia vbi ſunt Legati Ordinarij ſunt, vt aſſerũt Gloſſ. *in cap. 2. de officio Legati in 6.* & ibi Franc. *in principio*, notat tamen Sanctarellus cum alijs *loco ſuprà*, quod licet Legati ſint ordinarij; attamen non ſunt ordinarij naturales; ſed extraordinarij, & ſuper inducti; & ſic odioſi ſed veniamus ad dubij propoſiti ſolutionem.

3 Reſpondeo ergò pertinere ad Epiſcopũ dare talẽ facultatẽ Parrocho Regulari etiam ſi conferatur ei talis Parrochia a Prælato Regulari. Ità Garzias *de beneficijs part. 3. cap. 2. nu. 179.* Barboſa *de officio & Poteſtate Parrochi cap. 8. num. 62.* & colligitur ex Concilio Mediolanenſi 5. vbi *tit. de reſidentia*. Sic habetur. *Epiſcopi cura ſit, vt cui parrochialis Eccleſia intra diæceſis ſuæ fines poſita ab alio inferiori etiam Regulari, qui illius conferendæ ius habet collata eſt, is in illius ſtatione reſideat, perſonaliſque reſidentiæ munera præſtet, nec verò id ad illum inferiorem, qui contulit ſpectat.*

4 Scias tamen, Prælatos illos, etiã Epiſcopo inferiores, ſi habeant quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem poſſe dare talem facultatem. Ità Azorius *parte 2. lib. 6. cap. 10. quæſt. 4.* Poſſeuinus & alij apud eundem Barboſam *loco ſupra.*

5 Quantum verum ſit tempus; & quæ nam ſint cauſæ, ob quas poſſit dare talem facultatem, Vide dictum per Barboſam *Capite 8. citato per totũ.* non enim hęc ſunt ad noſtram materiam; ſed communia omnibus Parrochis, tam ſæcularibus, quam Regularibus.

An Quando Parrochia eſt annexa Monaſterio omnes Regulares qui ſunt de gremio Capituli ſint Parrochi. Dub. CLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Idem dicendum putat author de Regularibus talis Monaſterij, ac de Canonicis Collegiatæ, quæ habet curam animarum.*

2 *Titulus curæ ſemper remanet apud Capitulum.*

3 Par-

3 *Parrochia annexa Monaſterio adhuc vnicum habet ſponſum, & Parrochum.*

4 *Canonici, qui in Collegiatis curam animarum habentibus ponuntur, debent eſſe in ea ætate conſtituti, quæ requiritur ad exercendam curam animarum.*

5 *Eccleſiæ Regularium in fauorabilibus eccleſiæ Collegiatæ dicuntur, & earum nomine veniunt.*

6 *Cum Epiſcopus reprobat; & ſuſpendit licentias datas ad confeſſiones non cenſentur reprobatæ licentiæ datæ huiuſmodi Regularibus.*

1 DVbium hoc non inueni apud Doctores; licet notabile valdè ſit; & ex ipſius ſolutione multa dependeant, quæ valdè vtilia eſſe poſſunt; & Regularibus ipſis, & Epiſcopis.

Dico ergo idem puto dicendum de Regularibus talis Parrochiæ, ac de Canonicis Collegiatæ, quæ habet curam animarum annexam, Sed Canonici talis Collegiatæ, vt notat noſter Alphōſus de Leone *De officio Cappellani quæſt.* 3. *num.* 26. *& ſequentibus,* ſunt omnes curati, & ad omnes cura talis ſpectat, vt colligitur ex declaratione, quam affert Pariſius *in ſuo opere de reſignatione lib.* 8. *quæſt.* 9. *num.* 93. in qua dicitur, quod quando Eccleſia in prima ſua inſtitutione, & origine eſt Parrochialis, & poſtea erigitur in Collegiatam, cum retentione curæ animarum illius curæ exercitium ſingulis de Collegio incumbit; vt ab ipſis Canonicis per turnum adminiſtretur, & tunc fructus qui ex cura proceaunt, debent diuidi æqualiter inter Canonicos, & dignitates ſicut onera fuerunt communia. Ergo idem proportionaliter dicendum de Regularibus niſi aliter in inſtitutione vel trāſlatione fuerit ordinatum.

2 Et licet apud Regulares curæ exercitium non fiat per turnum a ſingulis; ſed ſoleat committi alicui Cappellano, qui eſt extra gremium Capituli; attamen titulus ſemper manet apud Capitulum, nec potuit trāſferri in dictum Cappellanum; & liberari Capitulum etiam immemorabili tempore, vt aduertit dictus Alphonſus de Leone.

3 Nec obſtat dicere. Parrochiam vnam nō poſſe habere plures Rectores; ſicut vna ſponſa plures Sponſos, *ex cap.* 1. *de Sponſa duorum,* nec vnum corpus poteſt habere duo capita, quia eſſet monſtrum ex *cap. pleriſque de officio Ordinarij,* Vndè ſic etiam eccleſia nec duos, vel plures Parrochos ſeu curatos per caput, *cum non ignores de Præbendis.* & per *caput in Apibus* 7. *quæſt.* 1. & per caput *ſicut vnaquæque* 22. *quæſt.* 2. nam

Reſpondeo talem Parrochiam annexam Capitulo, & Monaſterio habere vnicum tantum Parrochum, & Sponſum, habet enim Capitulum, & & ſingulos Capituli, quatenus Capi-

4 tulum conſtituunt. Hinc eſt, quod Campinilis dicit, quod huiuſmodi canonici, ſcilicet qui in his eccleſijs collegiatis curam animarum habentibus ponunt, debent eſſe in ea ætate conſtituti, quæ requiritur ad exercendam curam animarum. *Ita Rubric.* 7. *cap.* 6. quia licet non ſinguli Canonici ſint Curati; ſed totū Collegium, attamen a ſingulis exercetur cura animarum.

5 Quod ſi obijcias, monaſteria non poſſunt

poſſunt dici propriè eccleſiæ collegiatæ; quia in od oſis non venit nomine Collegiatę Eccleſia Regularių, vt vult Rodriquez. *Tom.* 1. *quæſt.* 43. *art.* 12. Vnde ex hoc concludit, non teneri Regulares cantare duas miſſas, in caſu in quo Collegiatę ſeculares tenentur; vt tradit Gauantus *in Rubrica Mißalis,Parte tertia Titul.* 12. *numer.* 12.

Reſpondeo, Eccleſias Regularium ſaltem in fauorabilibus eſſe Collegiatas, & tales ęſtimari, ſed modò ſumus in fauorabilibus ergò, Quod autem Eccleſiæ Regularium Collegiatæ ſint; habet Moneta *cap.* 11. *de mutatione ſtatus Eccleſiarum num.* 39.

6 Ex poſita doctrina Collige omnes illos Religioſos, qui ſunt in Monaſterijs ſic curam animarum habentibus, cum debitis conditionibus, ſcilicet ſacerdotes & cæt. eſſe tamquam Parròchos reputandos, Vndè cum Epiſcopus reprobat, & ſuſpendit licētias datas pro confeſſionibus, iam non debent cenſeri reprobatæ licentiæ, quas habent dicti Regulares, ſicut non cenſentur reuocatæ, & ſuſpenſæ licentiæ iſtę reſpectu Canonicorum Eccleſiæ Parrochialis, erectæ in Collegiatam, vel Eccleſię Collegiatæ, quę habet annexam curam animarum. vt docet Alphonſus de Leone, *loco citato num.* 30. qui in facto ſe ſcripſiſſe teſtatur in hac materia pro canonicis Eccleſiæ Colligiatæ Sancti Ioannis in Perſiceto. Diæceſis Bononienſis, qui erant curati, &c. Idem ergò proportionaliter dicendum de Regularibus degentibus in Monaſterijs curam animarum habentibus, alias etiam multas caſuum ſolutiones, & allata Doctrina ſtudioſus lector poterit colligere, quas ego hic ipſius conſiderationi relinquo.

An Regularis, qui cum diſpenſatione Summi Pontificis eſt Parrochus Parrochiæ ſęcularis poſſit abſque noua Prælati licentia ad aliud beneficium Parrochiale aſſumi. Dub. CLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Requiri licentiam Epiſcopi dicunt aliqui*
2 *Opinio probabilior, docet, nec requiri licentiam Epiſcopi, nec Prælati.*

1 IMola *in Clement. p. num.* 41. *de electione* dicit, in caſu poſito non requiri licentiam ſuperioris Regularis, requiri tamen licentiam Epiſcopi ad hoc; vt ad aliam Parrochialem transferatur, concludit tamen requiri vel licentiam Superioris Regularis; vel licentiam Epiſcopi Ancharanus e cōtra in caput, *Si Religioſo num. vltim. de Electione in* 6. Lapus. *ibidem*, Francus item *num* 3. *verſ. quod autem de Religioſo iam electo ad Prælaturam & qui erigitur ad illam*, docent nullo pacto exigi licentiam Abbatis.

2 Lauretus de Franchis, *in Controuerſ. pag. mihi* 422. *quæſt.* 91. tradit, nec licentiam Pręlati Regularis, nec Epiſcopi in dicto caſu requiri; ſicut non requirebantur dum primo fuit, ad Parrochiam ſęcularem inſtitutus cum diſpenſatione Summi Pontificis; additque ſolum requiri licentiam, & auctoritatem Epiſcopi in illis caſibus, in quibus eſſet, neceſſaria reſpectu promotionis aliorum Clericorum ſęcula-

cularium, quia nullo alio ſpeciali modò Epiſcopo ſubditur, quam alij ſæculares beneficiati & hæc ſententia mihi placet.

An Parrochi Regulares, poſſint prommitere obedientiam Epiſcopo in his, quæ ad curam animarum ſpectant. Dub. CLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia amplectitur ab Auctore.*

2 *Diſcrimen inter Parrochos, qui adhuc cum Religione vniti ſunt & alios, qui emancipati dicuntur a Doctoribus.*

1 AFfimatiuè reſpondent Sperellus *deciſ. 2. num.* 83. Motta; Piaſecius citati ab illo.

Nec obſtat; iam per obedientiam eſſe traditos ſuis Prælatis, & Religioni, Vndè videtur non poſſe amplius illo vinculo ſe alteri alligari, nam in diuerſis eſt alligatio; & ſupponitur in hoc conſenſus Prælati & Religionis, immò etiam ſi non ſupponeretur, adhuc poſſet Regularis Parrochus ſe tali vinculo Epiſcopo alligare affert Sperellus exemplum de equitibus Religioſis, qui obedientiæ voto tenentur ſuis Magiſtris, & tamen etiam ligari poſſunt vinculo matrimonij.

2 Quod ſi dicas militares iſti Religioſi contrhaunt quidem matrimonium, ſed non vt cæteri, debent enim habere ad hoc facultatem ſui Magiſtri. Ergo ità dicendum de Parrochis quod ſcilicet ſine facultate nequeant ſe obligare voto, cum Epiſcopo. Reſpondeo, vel eſt ſermo de Parrochis, qui ad nutum amoueri poſſunt, & adhuc ſuæ Religioni vniti ſunt, & tũc iam facultas adeſt Prælatorum ad tale votum; dum eis facultas datur, vt ſint, Parrochi, vel de alijs cum diſpenſatione Apoſtolica factis Parrochis, qui iam extrà Religionem degunt, nec cum dependentia ab ea & cæt. & tunc etiam ſinè hac facultate ſe ligare poſſunt tali voto cum Epiſcopo, Immò ſubduntur Epiſcopo, vt docẽt Gloſſ. verb. *Clauſtrum* Clement. *Ne in agro* §. *ad hæc* Nauarrus *conſil.* 19. *de cler. non reſid. num.* 9. *&* 11. *conſil.* 79. *de Regul. Compend. reſolut.* 15. *num.* 9. *&* 58. Sed de hoc vltimo alibi habes, *in hoc capite*, dubitationem.

An dum Parrochi Regulares delinquunt in ſuo officio poſſint puniri a Prælatis, nullius diœceſis, in qua ſunt & delinquunt. Dub. CLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Poſſe puniri a Prælatis nullius Diæceſis, & cæt. docet ferè communis ſententia.*

2 *Auctor negat facultatem puniendi Regulares his Prælatis inferioribus, & cæt.*

3 *Aliud eſt eſſe Epiſcopum, & habere iuriſdictionem quaſi Epiſcapalem.*

1 POſſe, & debere, tunc puniri ab eis Prælatis, nullius diæceſis, & cæt. docet communis Doctorum ſententia,

tia, & præcipuè Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullarum Parte 2. de exemptorum priuilegijs, num. 13. & ſequentibus*, Vidè quando Monaſterium curatum eſt in loco nullius Diæceſis, tunc Religioſus deputatus examinandus eſt ab eo Abbate, ſeu Prælato qui habet iura quaſi Epiſcopalia, vt refert reſolutum ſæpius Barboſa, *Seſſ. 25. cap. 11. numer. 30.* Ita Nouarius.

2 Ego tamen licet verum putem, debere Regulares a Prælatis nullius Diæceſis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, approbari ad cōfeſſiones, & cęt. attamen quo ad puniendos dictos Regulares non video quomodo dictis Prælatis nullius diæceſis competat talis facultas puniendi; nam nec per Concilium Tridentinum, *cap. 11. ſeſſ. 25.* datur eis talis poteſtas, & licet, ſubdantur Regulares per dictum decretum etiam Pręlatis inferioribus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus, vt apud Barboſam in dictum locum Concilij, *num. 28.* habet *Rota in Piſcienſi Iuriſdictionis. 16. Octobris 1580. & 5. Maij 1589. coram Gipſio, & in eadem 20. Octobris 1593. coram Penia, & 15. Iunij 1590. coram Plato* Attamen, Gregorius XV. *in ſua Cōſtitutione de exemptorum Priuilegijs*. Epiſcopis tantum dat talem facultatem puniendi, vt tenet Ioannes Antonius Nouarius, *in eadem Bullam Parte 2. num. 21.* & hoc etiam ſi alij Prælati eſſent exemptorum iudices ordinarij. Gloſſ. *in Clement. 1. verb. Diæceſanis de vita, & honeſtate Clericor.* & ſic data exemptione in ſtatu nullius diæceſis Prælatus exemptorum neque haberet talem iuriſdictionem ex vi conſtitutionis Gregorij XV. quia Diæceſanus in ſtatu huiuſmodi eſt Summus Pontifex Gloſſ. in caput *Authoritate, verb. Sedis Apoſtolicæ de priuilegijs in 6.*

3 Et ſic cum aliud ſit eſſe Epiſcopum, vt vult Conſtitutio, & aliud habere iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, iam non poſſunt prætendere ex vi dictę Conſtitutionis Prælatis inferiores, nullius Diœceſis habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem punire Regulares dum delinquunt circa curam animarum, & cæt. Quia Bulla Inſcrutabili. Diæceſanis dat hanc poteſtatem tantū, & ſic circà finem habet Conſtitutio hæc formalia verba. *In his, quæ huiuſmodi curam ſeù adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diæceſani Epiſcopi*, ecce quomodo Diæceſano tantum det facultatem; per Diœceſanum autem ſolus Epiſcopus & non alius inferior intelligitur.

QVO AD BENEFICIA Cap. IX.

An Epiſcopus in defectu Regularium poſſit beneficia Regularia dare ſæcularibus quandò ipſe eſt ordinarius collator.
Dub. CLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia proponitur.*
2 *Quando dicantur beneficia data in ſubſidium.*
3 *Regulariter collatio beneficiorum Regularium ſpectat ad Prælatos Regulares.*

4 *An Epiſcopus poſſit commendare beneficium ſæculare Regulari, cum quo fuit a Summo Pontifice diſpenſatum, vt ſimil cum beneficio Regulari, obtineat aliud beneficium ſæculare.*

1 Affirmatiuè reſpõdent Gonzalez, *Gloß.* 8. *num.* 43. & 78. Riccius, *parte* 4. *Deciſion.* 358. Garzias *parte* 7. *cap.* 10. *num.* 16. Azorius *parte* 2. *Inſtitut. lib.* 3. *cap.* 26. *quæſt.* 5. Reginaldus, *in praxi fori Pœnitential. lib.* 30. *Trac.* 3. *num.* 158. Laiman, *In Summa Theol. libr.* 4. *trac.* 2. *cap.* 4. *num.* 2. *Verſ. excipe* 5. & alij apud Barboſam, *Seſſ.* 14. *capit.* 10. *de Reform.* & hoc non ſolum, ſi ille ſæcularis velit profeſſionem emittere in religione, nam tunc beneficium Regulare ei poteſt abſolute conferri, & abſque ſubſidio, ut deciſum a Sacra Congregatione refert Gonzalez *loco ſupra*; & hoc intellige de beneficijs qui adminiſtrationem non habent, nã illa quæ adminiſtrationem habent ſolis Regularibus profeſſis ſunt conferenda, ſed loquimur de beneficijs datis in ſubſidium.

2 Quando verò dicantur beneficia Regularia data in ſubſidium ſęcularibus, & e contrà (nam etiam in defectu ſęcularium poſſunt beneficia ſęcularia dari Regularibus) habes ex Abbate *in cap. Inter quatuor*, quem ſequitur Azorius *loco ſupra* aſſerens húc eſſe ordinem ſeruandum in collatione horum beneficiorum in ſubſidium vt ſi alij Regulares eiuſdem Cœnobij fuerint, hi adhibeantur; ſin minus, aduocentur alij Regulares alterius ordinis quod ſi hi etiam deſiderentur, iam tunc ſæculares debent inſtitui ad illa beneficia.

3 Dixi autem in titulo dubij quando Epiſcopus eſt ordinarius collator, nam regulariter collatio talium beneficiorum Regularium ſpectat ad Prelatos, & Superiores Regulares; vt habet Lezana Verb. *Beneficium numer.* 12. qui ſic dicit: *Quemadmodum beneficia ſecularia conferre pertinet pro toto orbe ad Papam, pro ſua diæceſi ad Epiſcopum, cum quo concurrit Legatus a Latere, & aliquandò ad Capitulum pro vt habet Laimanus lib.* 4. *Trac.* 2. *Cap.* 10. *Sic etiam beneficia Regularia conferre pro toto ordine pertinet ad Generalem, pro tota prouincia ad Prouincialem, & pro aliquo loco in particulari ad Superiorem, localem, vel ſimul cum Conuentu vel ſeorſum iuxta varias Religionum conſuetudines, Præmiſſo tamen examine, & approbatione Epiſcopi*, poterunt ergo ſolum rariſſimè ſe ingerere in hac collatione beneficiorum Epiſcopi; ad ſupplendam ſcilicet negligentiam Prælatorum, etiam dum in ſubſidium conferuntur.

4 Quæres autem hic; An Epiſcopus poſſit ſaltem commendare beneficium ſęculare Regulari, cum quo fuit a Summo Pontifice diſpenſatum, vt ſimul cum beneficio Regulari poſſit aliud ſęculare obtinere.

Negatiuè reſpondent Rodriquez. *tom.* 1. *quæſt.* 34. & Rebuffus *de Diſpenſationibus* cum *Regularibus facta n.* 14. qui ſic habet. *Verum ſi diſpenſatus fuerit, cum Regulari, vt vna cum Prioratu, vel alio Regulari beneficio, poſſit vnum ſæculare beneficium vel cum cura, vel ſine cura, ſi ſibi alias canonicè conferatur recipere,*

pere, & quo ad vixerit retinere, &c. non valebit tamen Ordinarius commendare beneficium ſæculare illi Monacho, quia ſæculare beneficium non datur nec ex Papa in commendam Religioſo niſi in Signatura ſit expreſsè conceſſum, quod etiam Ordinarius eidem commendare poſſit. Nota quia non inuenio appoſitum a noſtris interpretibus.

Et ſcias hic etiã obiter; quod quãdo Regulares qui habent ius pręſentandi, vel inſtituendi ad beneficia, intra debitum tempus non conferunt dicta beneficia, vel pręſentant ad ea tunc collatio, deuolitur ab Epiſcopũ, Ita per Clement. *vnic. de ſupplenda negligentia Prælatorum*, tradit Riccius, *in praxi aurea, in Praxi poteſtatis Epiſcopi, in Regulares Reſolut.* 169. *tom.* 2. nouiſſimæ impreſſionis Venetę.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum Regulari, vt ſit capax beneficij ſimplicis. Dub. CLXXXIII.

SUMMARIUM.

1 *Opiniones variæ referuntur.*
2 *Legatus a Latere non poteſt in hoc cum Regulari diſpenſare.*
3 *Legatus a Latere id poteſt circa diſpenſationes in ſua prouincia, quod poteſt Epiſcopus in ſua diæceſi.*
4 *Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt Religioſus promotus ad beneficium Parrochiale, habeat ſimul beneficium ſimplex.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Staphilęus, *de litteris gratiæ trac. de varijs modis vocationis* apud Sanchez *lib.* 7. *tom.* 2. *In Decalog. cap.* 29. *nu.* 76. ſed Negatiuè ferè communiter reſpondent Doctores, Ità Roſel.a, Tabiena, Armilla, Silueſter, Cucus, Hoiedd, Caraſius, Graſſius, & innumeri alij apud Sanchez loco citato, quos ipſe ſequitur. Fundamentum eſt; quia Epiſcopo nullibi cõceditur talis facultas, & ex alio capite Regularis incapax eſt beneficij ſimplicis ſęcularis, ut habetur, ex Concilio Hiſpalenſi 2. & hanc ſententiam docent pluſquam quadraginta Doctores citati a Sanchez, & eſt ferè communis, hanc etiã tradit Laurettus de Franchis, *in ſuis controuerſijs inter Epiſcopus & Regula-*
2 *res quæſt.* 90. *pag. mihi* 418. ubi addit etiam contra Gambaram, *de Officio, & poteſtate Legati lib.* 8. *cap. vltim. num.* 28. nec Legatum a Latere poſſe in hoc cum regulari diſpenſare; nam licet ſit ſuperior exemptorum, attamẽ ut docte notat Laurettus citatus non per hoc poterit diſpenſare, ſicut, nec alij Superiores exemptorum; pertinet enim hoc ad ſolum Summum Pontificem, ut tradit, ſpecialiter Mãdoſius, *in Regul. Cancellar. quæſt.* 8. &
3 ratio eſt; quia Legatus a Latere, ut etiam alibi diximus, ex ſua poteſtate ordinaria niſi aliud ei ſpecialiter cõmittatur tantum poteſt circa diſpenſationes in tota ſua prouincia, quod poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. Hinc
4 etiam deducit dictus de Franchis, nec poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut Religioſus promotus ad beneficium Parrochiale, ſimul etiam habeat beneficium ſimplex; quia ultra inhabilitatem ad beneficium ſimplex, occurrit etiam aliud impedimentum; quod eſt beneficiorum pluralitas, quę in Regularibus ſpecialem habet incompa-

tibilitaté,& fauent,huic ſentẽtiæ,quę certa eſt. Ioannes Andreas, Ancharan. Dominicus, Iacobus de Graffis omnes citati a Lauretto de Franchis, *loco ſupra*.

An Epiſcopus poſſit vnire Monaſterio beneficium aliquod. Dub. CLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Exceptis quibuſdam caſibus hoc poteſt facere Epiſcopus.*

2 *Statuere poteſt Epiſcopus, vt beneficium ſæculare vnitum Monaſterio, & religioni ab ipſo datum regatur per Regulares.*

3 *Per illam vnionem non fit beneficium illud ſæculare; Regulare.*

4 *An poſſit Epiſcopus inquirere, & examinare vniones perpetuas beneficiorum factas a Regularibus circa quadraginta annis, a publicatione Tridentini.*

5 *Pij V. Conſtitutio, quæ incipit*, Et ſi Mendicantium.

6 *Etiam ſi Epiſcopus fiat delegatus Sedis Apoſtolicæ non per hoc in Regulares habet poteſtatem.*

7 *Cauſæ, quæ requiruntur ad has vniones faciendas.*

8 *Epiſcopus poteſt facere has vniones, cũ cõſenſu tamen eorũ, ad quos ſpectat.*

1 Affirmatiuè reſpondet Sanchez, *in Opuſc. lib. 7. cap. 29. num. 187.* Sed duas requirit condictiones prima eſt, vt beneficium non ſit extrà diœceſim, in qua ſitum eſt monaſterium. 2. ne ſit beneficiũ curatũ, quia Conciliũ Tridentinum interdicit vnionem beneficij curati cum loco Religioſo, ſed de hoc iam habes capite præcedenti quomdo debeat intelligi locus Concilij, & vt illum explicat doctus Moneta. In his ergò duobus caſibus nequit Epiſcopus in omnibus alijs poteſt, cum exceptio firmet regulam in cõtrarium Ex *leg. neq; Liquido*, cũ ergò Conciliũ excipiant hos duos caſus in tegra manebit Epiſcoporũ poteſtas.

2 Et aduerte hic, poſſe Epiſcopum ſtatuere, vt beneficium ſæculare ab ipſo religioni vnitũ, regatur per Religioſos: quod ſtatutum diſpenſatiuè valet cum Religioſo Monacho præficiendo illi beneficio, licet Epiſcopus nequeat diſpenſare in hac translatione. Ita Sanchez *loco ſupra*.

3 Non putes tamen per hoc, beneficium illud ſæculare factum eſſe Regulare per illam unionem; tum quia nullo iure cauetur, ut tale fiat per unionem; Tum quia cõtrarium ſignificare uidetur textus in caput, *Extirpandæ §. qui vero de præbendis*, cum ibi notatis a Doctoribus, niſi per litteras unionis, uel per conſuetudinẽ factum fuerit beneficiũ Regulare, ut fieri poteſt per caput *Cum de beneficio de præb. in 6.* Ita Nauarrus *conſ. 51. de ſtatu Monach.* & Laurettus de Franchis, *in Controuerſijs. quæſ. 85. pag. mihi 412.*

4 Queres; an Epiſcopi poſſint examinare, & inquirere circa uniones perpetuas beneficiorũ factas a Regularibus citra quadraginta annis a publicatione Tridentini.

Reſpõdeo licet Cõciliũ Tridẽtinũ *ſeſſ. 7. ca. 6.* ſtatuat vniones perpetuas poſſe examinari ab Epiſcopis; & maxime eas citra quadraginta annis factas a publicatione Cõcilij, quod decretum fuit confirmatum per idem Concilium, *Seſſ. 24. cap. 13.* & licet

per

per hoc decretum aliqui Epiſcopi in-
cæperint moleſtare in hoc Regu-
lares attamen Pius Quintus per
ſuam Conſtitutionem, quæ incipit,
Et ſi Mendicantium, prouidit ne in hoc
ſe poſſit amplius ingerere Epiſcopi, &
5 moleſtares Regulares per hæc verba
§. 23. *Ac ipſis Ordinarijs ne quaſ-
cumque vniones etiam perpetuas, vel
alias, vt præfertur hactenus, factas, &
pro tempore faciendas, de beneficijs Eccle-
ſiaſticis, ſeù illorum fructibus, quin ſuum
ſortiantur effectum impediant omninò
etiam prohibemus, & alias pœnas per eos
in contradictores in tempore latas nullius
eſſe roboris vel momenti ſimiliter decer-
nimus, & declaramus*, ecce quomodo
tollat talem potenatem ab Epiſcopis
Summus Pontifex.

Quod ſi dicas talem Conſtitutio-
nem, *Et ſi Mendicantium* fuiſſe iam
reuocatam per Gregorium XIII. in
ſua Conſtitutione *In tanta*. Ergo nihil
ex illa poſſumus ad rem noſtram de-
ducere.

Reſpondeo fuiſſe reuocatam cir-
ca ea quæ Tridentino aduerſantur,
ſed conceſſum a Pontifice non aduer-
ſatur Concilio, cum ſit explicatio
quædam Concilij, Concilium enim
citata *ſeſſ.7. cap.6. de Reformatione*, &
ſeſſ. 24. cap.11. de Regularibus, non lo-
quitur expreſsè nec tollit ibi eorum
priuilegia; & licet faciat Epiſcopum
6 Sedis Apoſtolicæ delegatum non per
hoc, ei in Regulares poteſtatem ali-
quam communicat; vt alibi fauente
Deo dicemus, Hinc eſt, vt optimè no-
tat Tamburinus, *Tom.3. de Iure Ab-
batum diſput.* 15. *Quæſ.* 4. quod Re-
gulares non includuntur in *Regula* 13.
Cancellariæ in quà reuocantur om-
nes vniones factę quauis auctoritate,
& hoc ex priuilegio Leonis X. quod
conceſſit Congregationi Camaldu-
lenſi, & ex priuilegio Eugenij IIII. da-
tum Congregationi Sanctę Iuſtinę qui
bus priuilegijs gaudent omnes com-
municantes in priuilegijs illarum Re-
ligionum.

7 Si autem cupis videre cauſas,
quę requiruntur ad has vniones fa-
ciendas vide dictum Tamburinum
Eodem loco *Sed quæſito* 3. nam cum
non pertineat hoc ad materiam no-
ſtram illi te remitto.

8 Aduerte hic vltimo; ne te fallat
dubij titulus, Epiſcopum poſſe face-
re has vniones, cum conſenſu tamen
illorum ad quos ſpectat (puta Capi-
tuli; vel Patroni, & cęt.)

An Laici poſſint dare Ius patronatus Religioſo loco ſine conſenſu Epiſcopi. Dub. CLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Ex cap.* Cura Paſtoralis de Iure Patron. *videtur negatiuè reſpondendum.*

2 *Affirmatiuè tamen reſpondet cum multis author.*

3 *Iura, quæ in contrarium videntur eſſe, quomodo explicanda.*

4 *Qualecumque ſit ius patronatus ſemper poteſt dari a laico Religioſo loco.*

5 *Per hoc iuſpatronatus intelligitur ius præſentandi.*

6 *Locus Religioſus dicitur non ſolum locus Regularium ſed etiam Clericorum ſæcularium.*

7 *Ad quid requiratur conſenſus Epiſcop i*

tibilitatē,& fauent,huic ſentētiæ,quę certa eſt. Ioannes Andreas, Ancharan.Dominicus, Iacobus de Graffis omnes citati a Lauretto de Franchis, *loco ſupra*.

An Epiſcopus poſſit vnire Monaſterio beneficium aliquod. Dub. CLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Exceptis quibuſdam caſibus hoc poteſt facere Epiſcopus.*

2 *Statuere poteſt Epiſcopus, vt beneficium ſæculare vnitum Monaſterio, & religioni ab ipſo datum regatur per Regulares.*

3 *Per illam vnionem non fit beneficium illud ſæculare; Regulare.*

4 *An poſſit Epiſcopus inquirere, & examinare vniones perpetuas beneficiorum factas a Regularibus circa quadraginta annis, a publicatione Tridentini.*

5 *Pij V. Conſtitutio, quæ incipit*, Et ſi Mendicantium.

6 *Etiam ſi Epiſcopus fiat delegatus Sedis Apoſtolicæ non per hoc in Regulares habet poteſtatem.*

7 *Cauſæ, quæ requiruntur ad has vniones faciendas.*

8 *Epiſcopus poteſt facere has vniones, cū cōſenſu tamen eorū, ad quos ſpectat.*

1 Affirmatiuè reſpondet Sanchez, *in Opuſc. lib.7.cap.29.num.*187. Sed duas requirit conditiones prima eſt,vt beneficium non ſit extrà diæceſim,in qua ſitum eſt monaſterium. 2. ne ſit beneficiū curatū, quia Conciliū Tridentinum interdicit vnionem beneficij curati cum loco Religioſo, ſed de hoc iam habes capite præcedenti quomdo debeat intelligi locus Concilij,& vt illum explicat doctus Moneta. In his ergò duobus caſibus nequit Epiſcopus in omnibus alijs poteſt,cum exceptio firmet regulam in cōtrarium Ex *leg.neq; Liquido*,cū ergò Conciliū excipiant hos duos caſus integra manebit Epiſcoporū poteſtas.

2 Et aduerte hic,poſſe Epiſcopum ſtatuere, vt beneficium ſæculare ab ipſo religioni vnitū, regatur per Religioſos: quod ſtatutum diſpenſatiuè valet cum Religioſo Monacho præficiendo illi beneficio, licet Epiſcopus nequeat diſpenſare in hac translatione. Ita Sanchez *loco ſupra*.

3 Non putes tamen per hoc,beneficium illud ſæculare factum eſſe Regulare per illam unionem; tum quia nullo iure cauetur, ut tale fiat per unionem; Tum quia cōtrarium ſignificare uidetur textus in caput, *Extirpandæ §.qui vero de præbendis.*, cum ibi notatis a Doctoribus,niſi per litteras unionis,uel per conſuetudinē factum fuerit beneficiū Regulare,ut fieri poteſt per caput *Cum de beneficio de præb. in 6.*Ita Nauarrus *conſ.51.de ſtatu Monach.*& Laurettus de Franchis, *in Controuerſijs.quæſ.85.pag.mihi* 412.

4 Queres;an Epiſcopi poſſint examinare,& inquirere circa uniones perpetuas beneficiorū factas a Regularibus citra quadraginta annis a publicatione Tridentini.

Reſpōdeo licet Cōciliū Tridētinū *ſeſſ.7.ca.6.* ſtatuat vniones perpetuas poſſe examinari ab Epiſcopis; & maxime eas citra quadraginta annis factas a publicatione Cōcilij, quod decretum fuit confirmatum per idem Concilium, *Seſſ.* 24. *cap.* 13. & licet

per

per hoc decretum aliqui Epiſcopi incæperint moleſtare in hoc Regulares attamen Pius Quintus per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit, *Et ſi Mendicantium*, prouidit ne in hoc ſe poſſit amplius ingerere Epiſcopi, &
5 moleſtares Regulares per hæc verba §. 23. *Ac ipſis Ordinarijs ne quaſcumque vniones etiam perpetuas, vel alias, vt præfertur hactenus, factas, & pro tempore faciendas, de beneficijs Eccleſiaſticis, ſeu illorum fructibus, quin ſuum ſortiantur effectum impediant omninò etiam prohibemus, & alias pœnas per eos in contradictores in tempore latas nullius eſſe roboris vel momenti ſimiliter decernimus, & declaramus*, ecce quomodo tollat talem poteſtatem ab Epiſcopis Summus Pontifex.

Quod ſi dicas talem Conſtitutionem, *Et ſi Mendicantium* fuiſſe iam reuocatam per Gregorium XIII. in ſua Conſtitutione *In tanta.* Ergo nihil ex illa poſſumus ad rem noſtram deducere.

Reſpondeo fuiſſe reuocatam circa ea quæ Tridentino aduerſantur, ſed conceſſum a Pontifice non aduerſatur Concilio, cum ſit explicatio quædam Concilij, Concilium enim citata *ſeſſ. 7. cap. 6. de Reformatione*, & *ſeſſ. 24. cap. 11. de Regularibus*, non loquitur expreſsè nec tollit ibi eorum priuilegia; & licet faciat Epiſcopum
6 Sedis Apoſtolicæ delegatum non per hoc, ei in Regulares poteſtatem aliquam communicat; vt alibi fauente Deo dicemus, Hinc eſt, vt optimè notat Tamburinus, *Tom. 3. de Iure Abbatum diſput.* 15. *Quaſ.* 4. quod Regulares non includuntur in *Regula* 13. Cancellariæ in qua reuocantur omnes vniones factę quauis auctoritate, & hoc ex priuilegio Leonis X. quod conceſſit Congregationi Camaldulenſi, & ex priuilegio Eugenij IIII. datum Congregationi Sanctę Iuſtinę quibus priuilegijs gaudent omnes communicantes in priuilegijs illarum Religionum.

7 Si autem cupis videre cauſas, quę requiruntur ad has vniones faciendas vide dictum Tamburinum Eodem loco *Sed quæſito* 3. nam cum non pertineat hoc ad materiam noſtram illi te remitto.

8 Aduerte hic vltimo; ne te fallat dubij titulus, Epiſcopum poſſe facere has vniones, cum conſenſu tamen illorum ad quos ſpectat (puta Capituli; vel Patroni, & cęt.)

An Laici poſſint dare Ius patronatus Religioſo loco ſine conſenſu Epiſcopi.
Dub. CLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Ex cap.* Cura Paſtoralis de Iure Patron. *videtur negatiuè reſpondendum.*

2 *Affirmatiuè tamen reſpondet cum multis author.*

3 *Iura, quæ in contrarium videntur eſſe, quomodo explicanda.*

4 *Qualecumque ſit ius patronatus ſemper poteſt dari a laico Religioſo loco.*

5 *Per hoc iuſpatronatus intelligitur ius præſentandi.*

6 *Locus Religioſus dicitur non ſolum locus Regularium ſed etiam Clericorum ſecularium.*

7 *Ad quid requiratur conſenſus Epiſcopi*

dum laicus vult concedere ius patronatus alijs locis qui religioſi non ſint.

8 *Opinio Doctorum, quæ docet, etiam ſine conſenſu Epiſcopi poſſe laicos, alijs laicis, iuſpatronatus concedere.*

9 *Quando poſſit Patronus in præiudicium hæredum deſcendentium concedere alijs hoc iuſpatronatus.*

1 NEgatiuè prima facie videtur reſpondendum ex *cap. Cura Paſtoralis de Iure Patronatus* & ex *cap. nullus eodem titulo*, ex quibus videtur colligi, non poſſe dari ius patronatus, ſine conſenſu Epiſcopi. Immò talis donatio ſic facta in pœnam videtur irrita. Quibus tamen non obſtantibus.

2 Affirmatiuè reſpondent Panormitan. *ſuper dictos textus de Iure Patron. Rochus de Curtijs in tractatu de Iure Patronat. quæſt. 7. num.* 16. Paulus de Cittadinis *in eodem tractatu*, Lambertinus, *ibidem lib. 1. Parte 2. Quæſt.* 1. *art.* 2. Molina, *de Hiſpanorum Primogen. lib. 1. Cap. 24. numer.* 13. Azorius, Stephanus Gratianus, Suarez, *tom.* 1. *de Religione lib. 4. de Simonia Cap.* 28. *num.* 16. Barboſa, *de Poteſtate Epiſcopi parte 3. Allegat.* 71. & Rota Romana *pluribus in locis*, quos omnes citat Tāburinus *to. 1. de Iure Abbatum Diſput. 9. Quæſi. 2.* & Fundamentum eſt; quia iam tunc laicus, dat illud ius quod habet, nec ſic fit aliqua iniuria Diæceſano, & Epiſcopo, nam ſemper habet Epiſcopus inſtitutionem, præſentationem autem ſolum habet Eccleſia, ſeu ille Religioſus locus cui ſuit ſacta donatio

3 Nec iura in contrarium habent vim aliquam, nam optimè reſpondet Tāburinus, ſolum intelligenda eſſe de alienatione Iuris Patronatus quo ad titulum, & proprietatem, non autem quo ad ius patronatus tantum. Vnde Gloſſa in *capite Nullus de Iure Patronatus*, habet, *dicunt multi quod ius patronatus poteſt laicus donare loco Religioſo, etiam ſine auctoritate Epiſcopi, Sed eadem Gloſſ. in capite citato Paſtoralis contrarium docet, dum dicit, nec etiam iſtud ius quod habent ſcilicet ius patronatus poſſunt conferre ſine auctoritate Epiſcopi, placet tamen in hoc diſtinctio, quam affert eadē Gloſſ. in c. nullus, §. Eccleſiaſtici iuris, ſcilicet ſpiritualis, quia ſi eſſet temporale ius ibi nullius auctoritas requiritur dummodo tamen res ſit donantis.*

4 Dico Ergo, ſiue ius patronatus ſit quid ſpirituale, ſiue quid temporale (de quo diſputant Doctores,) & aliqui putant eſſe quid temporale alij ſpirituale, vt teſtatur Emanuel Sà *in Aphoriſmis. Verb. Ius patronatus*, poteſt patronus laicus tale ius concedere loco Religioſo nullo conſenſu Epiſcopi requiſito; vt tenent communiter Doctores, Iulianus Viuianus *in Praxi Iuriſpatronatus Parte 1. lib. 1. cap. 2. num.* 76. & latè Abbas in caput, *Illud de Iurepatron.* Licet hoc ius nequeat laicus concedere alijs; probatur varijs textibus, & clarè habetur

5 in capite citato *Illud* per hoc autem ius patronatus quod poteſt concedere intellige ius præſentandi; nam non poteſt concedere Eccleſiam neque in proprietatem neque in titulum ſinè conſenſu Epiſcopi per locum autem

6 religioſum non ſolum intellige locū Regularium, ſed etiam Clericorum ſæcularium; differentia autem cur poſſit tale ius concedere loco religio-ſo

ſo non autem alijs ſine conſenſu Epiſco pi aſſignatur ab Abbate loco ſupra; quia laici magis conſueuerunt aggrauare Eccleſias, quam clerici cap. *Laicos* & caput *Laici* 2. quia ſi clerici excedunt terminos ſuos, facilius poſſunt compeſci ab Epiſcopis, quod etiam ſuo modo valet reſpectu religioſorum, qui in multis ſubduntur Epiſcopis,& facilè poſſunt coram eo conueniri; Vide omnino Abbatē; nam multa ibi congerit vtilia valdè, hic nos paucis,quæ ad materiam noſtram ſpectant contenti ſumus.

7 Sed quæres ad quid requiritur conſenſus Epiſcopi, dum Patronus vult alijs concedere hoc ius patronatus, ſeu ius pręſentandi. Reſpondet Abbas, vt videat; an expediat mutare patronum, nam ſi patronus vellet concedere tale ius alicui tyranno, ſeu alicui potentiori Epiſcopus nollet. Item vt videat; an interueniat aliqua fraus, ſeu venditio,

8 Sed ſcias hic, adeſſe Doctores qui docent etiam ſine conſenſu Epiſcopi poſſe concedere laicum ius patronatus alijs laicis. Ità Innocentius, & quidam alij apud Abbatem.

9 An autem poſſit patronus, & quando in præiudicium hæredum deſcendentium, concedere alteri, & renunciare iuſpatronatus vidè Rotā Romanam *In Antiquis deciſ. vlt. nu.* 4. & Viuianum *loco ſuprà num.* 8. qui citat etiam Rochum, hic enim ſi vellem hoc inquirere, & reſoluere tranſirem limites meos.

An ſine licentia Epiſcopi poſſit Nouitius beneficium, quod habet renunciare.

Dub. CLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Variæ opiniones referuntur.*

2 *Non requiritur conſenſus Epiſcopi ad talem renunciationem faciendam, ſicuti ad renunciationem aliorum bonorum ex vi Concilij.*

3 *Beneficium abſolutè, nec in pendenti renunciatur.*

4 *Renunciatio beneficij ſemper debet fieri cum conſenſu Superioris vnde requiritur conſenſus Epiſcopi.*

5 *Nec poteſt fieri renunciatio beneficij ad cuius titulum, quis fuit ordinatus ſine licentia Superioris.*

6 *Beneficium ad cuius titulum, quis fuit ordinatus, non poteſt renunciare, niſi facta mentione, ſe ad illius titulum fuiſſe ordinatum.*

7 *Cum ordinatus ad beneficium habet tamen aliunde, vnde viuere poſſit, tunc poteſt validè ſine licentia Epiſcopi beneficium reſignare ſecundum aliquos.*

1 Lezana verb. *Nouitij tom.*4. Azorius *tom.*2. *inſtitution. libro* 7. *cap.* 20. *quæſt.*6. Suarez *tom.*3. *de religione libr.*5. *cap.*16. *num.*12. Sanchez,& alij plures docent, in hac renunciatione requiri facultatem Epiſcopi, & fundamentum eſt, quia eadem eſt ratio de hac renunciatione, ac de renunciatione aliarum rerum, ſic enim etiam tolleretur libertas Nouitij in profeſſione.

Garzia de Beneficijs *part.11.cap.9. à num.12.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi allegat.99. à num.19.* contrarium docent Rodriqnez *in ſumma 2.parte cap. 7.*cum diſtinctione procedit; vel eſt beneficium ad cuius titulum eſt ordinatus Nouitius, vel non ſi primum dicit requiri licentiam Epiſcopi ſi ſecundum nequaquam.

2 Dico ergò ex vi Concilij Tridentini, quod requirit ad renunciationem Nouitij licentiam Epiſcopi ante duos menſes proximos profeſſioni, & cæt. non comprehenditur renunciatio beneficij, vt vult ſecunda ſententia. Probatur, quia renunciatio beneficij debet eſſe abſoluta, nec in pendenti ſtare debet; ſed renunciatio facta à Nouitio cum debitis requiſitis non eſt abſoluta: cum ſuum effectum ſolum habeat ſecuta profeſſione. Ergo de renunciatione beneficij, non potuit, nec debuit loqui Concilium.

3 Nec fundamentum primæ ſententiæ habet vim aliquam, nam eſto quod tolleretur libertas Nouitij, per talem renunciationem beneficij, & ſic iam ſit ratio motiua Concilij in caſu poſito, non tamen per hoc voluit innouare Concilium eſſentialia renunciationis beneficij, inter quæ eſt quod abſolutè, & non in pendenti renuncietur.

4 Dico ſecundo. Renunciatio beneficij ſemper debet fieri cum licentia, ſeu auctoritate Superioris. Vnde non ex vi Concilij *loco ſupra* ſed alia de cauſa requiritur conſenſus Epiſcopi ſi Superior ſit ad talem renunciationem. Ita Garzias *part.11. cap.3. §.3. num.219.* & colligitur ex *cap. admonet,* & ex cap. *quod in dubijs,* & cap. *niſi cum pridem*: quod adeo verum eſt vt ſic facta renunciatio non valeat nec etiam in præiudicium renunciantis, nec beneficium per illam dicitur vacare, vt plures Doctores tradunt apud dictum Garziam *loco citato*.

5 Hinc à fortiori collige, nec poſſe fieri renunciationem beneficij ad cuius titulum quis fuit ordinatus ſine licentia Superioris, vt tradit Rodriquez; ſed non ex vi Concilij, dum agit de renunciatione Regularium Nouitiorum, ſed ob aliam cauſam, ne ſcilicet ſic renuncians cum non habeat vnde viuere poſſit facta illa renunciatione teneatur poſtea Superior illum alere, & cæt.

6 Vnde vt notat, & docet optimè Garzias: beneficium ad cuius titulum, quis fuit ordinatus reſignari non poteſt niſi facta mentione, quod ad illius titulum fuit promotus & aliter facta reſignatio nulla eſt. Ita *2.parte cap.5.num.192.*

7 Verum tamen eſt, quod quando renuncians habet aliunde vnde viuere poſſit, quod renunciatio ſine licentia Epiſcopi etiam valida eſt, vt Garzias *loco ſupra num.186.* contra Quintanaducñam, & Burſattum, & alios; ego tamen puto etiam in hoc caſu valere generalem doctrinam de renunciatione beneficij, quæ debet fieri cum licentia Superioris.

Quomodo ſe gerere debet Epiſcopus cum Regularibus, quo ad prębendam Theologalem Cathedralis. Dub. CLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *In Eccleſijs Cathedralibus, vbi Regulares inſeruiunt cogendi ſunt Monachi,*

chi, vt prouideant de Lectore idoneo, & cæt.

2 *Quid facere debeat Epiſcopus, quando Clericus ſæcularis idoneus non reperitur, qui legere poſſit, & quomodo ſe gerere debeat cum Regularibus.*

1 HOc quoque prætereundum non eſt breuiter tamen.

Dico ergò in Eccleſijs Cathedralium, vbi Regulares inſeruiunt, quæ multæ ſunt, in quibus præbendæ non ſunt diſtinctæ, Epiſcopus non debet ipſe deputare Theologum, ſed cogendi ſunt Monachi, vt prouideant de Lectore idoneo Theologiæ, qui publicè legat non ſolum ipſis Monachis, ſed omnibus audire volentibus. Ita Barboſa *de Canonicis, & dignitatibus cap. 27. num. 2.* afferens Sacrę Congregationis Concilij declarationem in *Pampilonenſi 9. Septembr. 1573.*

2 Secundo, quando Clericus ſæcularis non reperitur pro dicta prębenda Theologali idoneus Pius Quintus & Gregorius XIII. ſtatuerunt collationem talis canonicatus ſuſpendendam eſſe, donec inueniatur idoneus Theologus ſæcularis ſi fieri poſſit, interim verò nullum eſſe ab Epiſcopo cuſtodem, aut curatorem deputandum fructuum ipſius canonicatus; ſed eos omnes Superiori alicuius Monaſterij tradendos, qui curet, vt aliquis idoneus Theologus ex ſuis Regularibus publicè Sacram Scripturam in Cathedrali doceat, eique in primis neceſſaria ſubminiſtret ex dictis fructibus. Quod ſi quid reliquum erit in Monaſterij vſum conuertatur. Ita fuiſſe reſolutum dicit Barboſa ex Zerola citato *verb. præbenda Theologalis*. Ibi tamen Zerola nihil de hoc dicit, ſed tantum, quod poſſit Regularis aſſumi ad hoc munus deficiētibus Clericis. Imò etiam addit poſſe alios Theologos ſæculares de fructibus tamen applicandis nihil dicit. Quomodo autem hoc reducatur ad praxim videant DD. Epiſcopi.

An Patronus poſſit trahere coram Epiſcopo Regularem, quem præſentauit ſi delictum aliquod circa beneficium commiſit dictus Regularis.

Dub. CLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ferè communis.*

2 *Aliqua ſupponuntur ante ſolutionem.*

3 *Authoris opinio communi contraria.*

4 *Licet cauſæ beneficiales pertineant de iure ad Epiſcopum non ſubduntur in eis Regulares exempti.*

5 *Etiam ſi ab Epiſcopo inſtituantur Regulares ad talia beneficia non per hoc poſſunt Regulares puniri ab Epiſcopo.*

6 *Vera eſt poſita doctrina quando beneficium eſt ſimplex.*

7 *Patronus poſtquam cum ſuo conſenſu Epiſcopus donauit iuſpatronatus loco Religioſo; iam non poteſt ſibi vendicare tale iuſpatronatus.*

1 DVbium hoc non adeò facilè inuenies obſeruatum à Doctoribus paucos ego vidi qui de hoc agerent, & omnes reſpondent poſſe tunc patronum trahere coram Epiſcopo Regulares ad talia beneficia inſtitutos, & citant pro ſe Abbat. in caput

Cum

eum & plantare lib. 5. Decretal. de Priuilegijs, qui tamen non loquitur de dubio poſito; nam *num. 6.* ab eis citato; habet ſic, *Sed quantum ad propoſitum concludo, quod Religioſi quandoque habent Eccleſiam ſubiectam, ita vt poſſint redditus conuertere in vſus ſuos quandoque habent ſolam collationem, quandoque habent pleno iure. Primo caſu quando habent tantum Iuſpatronatus dic, quod ſiue ſint exempti, ſiue non non habent iuriſdictionem in Praesbyteros inſtituendos, & poſſunt exigere rationem generalem de adminiſtratione temporalium, & ſi reperiant aliquid correctione dignum debent referre ad Epiſcopum, & pro hoc cap. 1. 16. quaſt. 5. & cat.* Ecce quomodo hic loquitur Abbas de Religioſis trahentibus alios coram Epiſcopo, non autem de Religioſis tractis coram Epiſcopo, qui caſus diuerſus ſanè eſt. Antequam ego exponam quid ſentiam debeo aliqua ſupponere pro intelligentia propoſitæ difficultatis.

2 Primo nos agere hic de Regularibus præſentatis, & inſtitutis ad beneficia ſæcularia cum debitis requiſitis; nam cum ſint incapaces talium beneficiorum, iam ſine diſpenſatione, &c. nequeunt ad talia beneficia inſtitui; & hoc ſiue beneficia ſimplicia ſint, ſiue curata.

Secundò, Patronum etiam laicum poſſe ſe opponere ſi alienationes beneficio nociuæ fiant ex cap. *Filijs 17. quaſt. 7.* his breuiter poſitis.

3 Dico Regulares exempti inſtituti ad talia beneficia ſi delinquant circa adminiſtrationem bonorum temporalium beneficij nequeunt trahi corã Epiſcopo à patrono opponente in terminis non vidi Doctores hoc dictũ ſuſtinentes; adhuc tamen probatur ſic: Regulares ſunt exempti ab Ordinario non ſolum ratione perſonæ, ſed etiam ratione rei, & ſic fuit à Sacra Congregatione reſponſum Procuratori Generali Carmelitarum ſub Paulo V. vt alibi nos dicimus, Vide Lezanam verb. *cauſa Iudicialis Regularium*, qui ſe ipſum alio in loco citat, nec obſtat caput *volentes*, vbi habetur *declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque ſint exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti ſiue contractus, aut rei de qua agitur ritè poſſunt coram locorum Ordinarijs cõueniri*; nam dictum caput volentes, vt ferè communiter dicunt Doctores tantum loquitur de exemptis ratione loci, non autem de alijs vniuerſaliter exemptis, vt modo ſunt Regulares. Faueat Barboſa *de Officio, & poteſtate Epiſcopi allegat. 105. num. 23.*

4 Cum ergo hoc ſit verum, licet cauſæ beneficiales pertineant de iure ad Epiſcopum, de quo non diſputo; attamen nõ video quomodo in eis ſubdantur Regulares Epiſcopis, qui ratione rei etiam ſunt exempti, ita vt etiam ſi res exempta non ſit, attamen ratione eius nequeunt coram Epiſcopo, & Ordinario conueniri.

5 Quod ſi obijcias, inſtitutio ad beneficia ſæcularia pertinet ad Epiſcopum, etiam ſi inſtituti ſint Regulares exempti, ergo etiam cognitio cauſæ talis beneficij.

Reſpondeo negando conſequentiã ſic collatio ordinum ſpectat ad Epiſcopum, & tamen ſi Regulares poſtea delinquant circa ordines quis dicit ſpectare punitionem ad Epiſcopum. Debebunt ergo Regulares tunc trahi à Patrono coram proprijs conſeruatoribus, & hoc veriſſimum puto ſi bene-

beneficium,quod habet Regularis ſit ſimplex; nam ſi ſit beneficium curatũ quia aliquo pacto ad curam animarum ſpectat diſſipario bonorum beneficij, nam eis diſſipatis difficilè obuium habebunt paſtorem, qui talem curam exerceant,tunc puto poſſe cõueniri coram Epiſcopo Regulares cũ in eis, quæ curam animarum concernunt ſubdantur Epiſcopis; non ſic autem ſubduntur in eis, quæ concernũt beneficium vt ſic, quod vtique deberent probare Doctores, qui vt certũ ſupponunt ſubdi Epiſcopis Regulares beneficiatos beneficio ſæculari. Contrarium tamen opinionem probabilem etiam puto.

7 Quæres hic obiter; an ſi Epiſcopus concedat Regularibus Ius patronatus cum conſenſu Patroni poſtea patronus poſſit ſibi vendicare Ius patronatus. Reſpondet negatiue Hieronymus Venerus Leyua *lib.6. cap.10.n.5.* & ratio eſt, quia videtur donaſſe tale Ius patronatus per ſuum conſenſum, & hoc diſponitur in fauorem Religionis, quæ nimis fauorabilis eſt in cap. *Paſtoralis de donatione,* vbi Abbas.

An Epiſcopus, qui conceſſit Eccleſiam Regularibus, & habebat fructus in ea, poſſit facta donatione recipere dictos fructus, dum in donatione nullam de eis fecit mentionem.

Dub. CLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*

2 *Cur Epiſcopus ſemper habeat ius ad Cathedraticum etiam dum nullam facit mentionem de tali Cathedratico.*

1 Reſpondet negatiuè doctus Epiſcopus Venerus Leyua *in ſuo examine lib.6. cap.10.* & ratio eſt quia videtur eos vniſſe, & donaſſe, nam Eccleſia, & fructus pro eadem re reputantur; & acceſſorium ſequitur, naturam principalis. Vnde concludit dicens huiuſmodi conceſſiones ſemper debere fieri cum magna cautela, ab Epiſcopo reſeruando ſemper ſibi,& ſucceſſoribus viſitationem fructuum iuriſdictionem, & alia, quæ ſemper poſſunt ſeruari.

2 Quod ſi dicas, dum Epiſcopus dat Eccleſiam, etiam ſi nullam faciat mentionem de cathedratico ſemper tamen retinet ius exigendi dictum Cathedraticum; vt communiter Doctores, Abbas in cap. *Paſtoralis num.1. & 8.* ergò ſic etiam de prouentibus alijs, & iuribus dicendum eſt. Reſpondeo eſſe diſparitatem; nam Cathedraticum ſoluitur in ſignum ſubiectionis, & honoris: cum ergo Epiſcopus nequeat ex toto à ſe abdicare, & eximere Eccleſiam, vt Doctores communiter: hinc eſt, quod nec tollere iusexigẽdi Cathedraticum,quod conſiſtit in ſolutione duorum aureorum annuatim, non tamen eſt in vſu in multis locis, vt obſeruat Abbas *loco citato*, non currit tamen eadem ratio de alijs prouentibus, & fructibus; & ſic concedendo Eccleſiam, etiam eos conſequenter concedere videtur Epiſcopus.

An

An quando Abbatia eſt incorporata Epiſcopatui ea, quæ mortuo Epiſcopo ſunt bona ex Abbatia ſint Monaſterij, aut quis ſuccedat in eis. 2
Dub. CLXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Succedit in illis bonis Eccleſia non Monaſterium.*

2 *Vacante Sede dicti fructus conſeruari debent pro ſucceſſoribus.*

1 Vvameſius breuiter,& doctè dubium reſoluit *conſ.* 431. *tom.* 2. afferens exemplum Epiſcopatus Maldeburgenſis cui Abbatia Beatæ Mariȩ eſt incorporata.

Reſpondet ergo in illis bonis acquiſita ex Abbatia mortuo Epiſcopo ſuccedere Eccleſiam, & non Monaſterium, & hoc de iure communi ex *cap.*2.*&* 3.*de pæculio*. Vide textus, & *cap. Quia nos de Teſtamento*, & prob. à pari nam ſicut Abbas vnius Monaſterij ad maiorem dignitatem; puta ad Epiſcopum alterius Eccleſiæ translatus omnia, quæ poſt conſecrationem acquirit Epiſcopatui, ſeu Eccleſiæ acquirit; vt habetur in cap. *Statutum tit.* 18. *q.* 1. & c.*Cum olim de priuilegijs.* Ita quoque Abbatia translata, & incorporata alteri maiori dignitati acceſſionem fructuum Abbatiæ: Eccleſiæ Epiſcopali facit, non Monaſterio, lege ſi cupis maius fundamentum videre dictum Vuameſium hic enim fuit contentus adducere breuiter quæſtionem: vt quidquid videtur controuerſiam inter Epiſcopos, & Monaſteria poſſe parere, in mentem veniat Lectori, nec pro viribus aliquid in hac materia ommittatur, quin ſaltem indicetur.

2 Addit citato *conſil.* Vuameſius: vacante ſede, fructus Epiſcopatus tam ex dicta Abbatia, quam ratione Epiſcopatus obuenientes, vna, cum prius acquiſitis, & per eum relictis reſeruandos eſſe futuro ſucceſſori in Epiſcopatu, nec cedere capitulo, aut Canonicis Cathedralibus, vt dicta bona inter ſe diuidere, aut ad alios vſus applicare poſſint. Adducit caput, *Quia de electione lib.6.* Gloſſam *in caput dictum*, & alios textus.

An Regulares inſtituere poſſint ad beneficium curatum, quando pleno iure habent iuriſdictionem in Eccleſiam, ſine conſenſu Epiſcopi.
Dub. CLXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo hic accipiatur inſtitutio.*

2 *Negant communiter Doctores.*

3 *Præſcriptione tamen acquiri poteſt inſtitutio authorizabilis, quam dicunt.*

4 *Quomodo explicandum ſit caput* ſatis de officio Archidiaconi.

1 Hic accipimus inſtitutionem pro pæculiari modo prouidendi, qui à collatione diſtinguitur, vt notat Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg.* 72. *num.* 172. nam collatio libera eſt nulla ſcilicet pręcedente patroni pręſentatione, vel alterius nominatione, vel electione, Inſtitutio autem fit à patroni præſentatione. Vnde in poteſtate

ſtatc conferendi non continetur poteſtas inſtituendi; quia hæc duo diuerſa ſunt. Eſt ergo in caſu noſtro Inſtitutio, conceſſio Eccleſiæ, ſeu beneficij auctoritate legitima Ordinarij facta non cuiuis, ſed ei, qui eſt à patrono præſentatus. Ita Azorius *Inſtitutio moral. par.2. lib.6. cap.22. q.1.*

2 Communis ergo Doctorum ſententia docet; Quod licet Eccleſiæ pleno iure Religioſis ſubijciantur ideſt in temporalibus, & ſpiritualibus, vt tradũt in cap. *Quoniam 21. de Priuileg.* Butri. *num. 26.* Card. *numer.1.* Decius *num.17. & 13.* in caput *Cum & Plantare §. in Eccleſijs eod. titul.* Rebuffus *in Concordant. tit. forma mandati, verb. plenum.* Cardinal. Tuſcus *concluſ. 364. n. 3.* Sayrus *de cenſibus lib.1. cap.6. n.12.* Eraſmus Cokier, *de Iuriſdictione in exemptos par.4. quæſt.67. num.5.* omnes relati ab Auguſtino Barboſa *de clauſul. vſu frequentio concluſ.101.* Docet ergo communis ſentẽtia; traditionem curæ in populum, qui dictis Regularibus ſubiecta non eſt nullo pacto poſſe fieri abſque conſenſu Epiſcopi.

3 Barboſa tamen dicta allegatione citata *ſupra 72.* docet præſcriptione acquiri poſſe etiam à Regularibus, & alijs Prelatis inferioribus inſtitutionẽ, quam dicunt authorizabilem etiam in caſu poſito quo ad traditionem curæ. idem tradit Viuianus *de Iure patronat. par.2. lib.12. cap.3.* & id clariſſimè videtur ſupponere textus *in Clement. 1. verſ. quidam præterea de exceſſibus Prælatorum.* Quia nihil obſtat, quod ſi Religioſi acquiruit Eccleſiam pleno iure, quo ad omnimodam iuriſdictionem poſſint ſi etiam acquirere poteſtatem tradendi curam animarum.

4 Nec obſtat caput *Cum ſatis de officio Archidiaconi*, vbi habetur. *Quoniam igitur obtentu alicuius conſuetudinis non debes contra Sanctorum Patrum conſtitutiones venire, & quod ad tuum non ſpectat officium vendicare mandamus, vt nemini ſine licentia, & mandato Epiſcopi curam præſumas committere animarum.* nam

Reſpondetur, Loqui textum de præſcriptione non completa; Alij in præſcriptione ſine titulo, & bonę fide dicunt procedere, alij diſtinguunt inter præſcriptionem, & conſuetudinẽ, & dicunt loqui textum de conſuetudine non autem de præſcriptione. Vide Barboſam dicta *allegatione* citata *num.186.* & Viuianum *de Iurepatronat. loco ſupra num.3.* Sed reſponſio magis ſatisfacit, quam colligit ex textu dictus Barboſa, & eſt Innocentij, Card. Felini, Balb. ſcilicet ſolum in dicto textu prohibere Summum Pontificẽ conſuetudinem, ſeu præſcriptionem, per quam aliquis inferior intendit inſtituere in beneficijs nomine proprio, non autem ſi hoc faciat nomine, & vice Epiſcopi, & colligitur hoc illis verbis, quæ ſunt in textu *ſine licentia, & mandato Epiſcopi*, quæ verba indicant. Quod ſi quis præſcribat, vt faciat tamquam de mandato Epiſcopi, non eſſe talem inſtitutionem factam ex vi præſcriptionis prohibitam, & hoc ſufficiat pro ſolutione difficultatis.

Quid

Quid poſſit facere Epiſcopus dum Regulares Patroni præſentant ad Eccleſiam Parrochialem.

Dub. CXCII.

SVMMARIVM.

1 *Dum alios, qui non ſunt Regulares præſentant, non autem dum ſe ipſos procedit dubium.*

2 *Epiſcopus poteſt aſſignare præſentato à Regularibus congruam redditum portionem, ſi præſentantes Regulares non aſſignant.*

3 *Non poteſt Epiſcopus deputare Vicarios perpetuos Religionis inuitis, quando ex iiſdem Religioſis deputantur illi, quos Ordinarius idoneus iudicat.*

1 HIc loquimur dum Regulares præſentans tamquam patroni alios ad gubernationem Eccleſię Parrochialis, cuius patroni ſunt; nam ſi ſe ipſos præſentent ideſt aliquos ex gremio capituli tunc concurſu dicũt omnes non eſſe ab Epiſcopo admittendos; beneficia enim quæ ſunt Regularia, vt certum eſt non dantur, & conferuntur per concurſum. At quando alios ſæculares præſentant, vt patroni, tunc Epiſcopi per concurſum præſentatos debent admittere, nam Eccleſia Parrochialis, quæ eſt Iuri patronatus Eccleſiaſtici prouidetur per concurſum, vt tradũt communiter Doctores. & hoc etiam ſi inſtitutio pertineat ad inferiores, & ad ipſos Regulares, ita apud Barboſam *in collectan. ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 18. *num.* 138. Garzias *par.* 9. *cap.* 2. *num.* 262.

2 Secundo, Epiſcopus, & Ordinarius poteſt aſſignare præſentato à Regularibus congruam redditum portionem; ſi præſentantes non aſſignent intra terminum eis præfixum ab ordinario, tũc poteſt Ordinarius ex officio congruam portionem, & cæt. aſſignare præſentatis; Quod ſi in tali aſſignatione modus excedatur nimis ſcilicet onerando præſentantes Religioſos, tunc poterunt appellare ad ſuperiores ordinariorum, vt ipſe ſuperior prædictam taxationem reducat; & reddat moderatam. Hæc omnia Viuianus *de Iurepatron. lib.* 14. *cap.* 7. per totum. Quando autem inferiores Epiſcopo inſtituunt ad beneficium, & cæt. adhuc debent recurrere ad Epiſcopum, ſi congrua ſuſtentatio inſtituto non aſſignetur; vt aſſignet; Ita per *Clement.* 1. *in princip.*

3 Tertio, non poteſt Epiſcopus deputare Vicarios perpetuos Religioſis inuitis, quando ſcilicet ex eiſdem Religioſis deputantur illi, quos Ordinarius præuio examine idoneos iudicauerit. Ita Garzia *de beneficijs p.* 9. *d. c* 2. *num.* 13. Auguſtinus Barboſa *de officio* Epiſcopi *allegat.* 72. *numer.* 189. apud Viuianum dicto *libro, & cap. de Iurepatron. num.* 15.

An Canonici Regulares etiam modò cum ſola licentia Prælatorum poſſint promoueri ad beneficia curata ſæcularia ab Epiſcopo.

Dub. CLXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Diuerſæ opiniones referuntur.*

2 *Multa*

2 *Multa conditiones requiruntur ad hoc, vt promoueri poſſint Regulares, &c cat.*

3 *Per Concilium Regulares non poſſunt promoueri ad beneficia curata ſæcularia, exceptis Canonicis Regularibus.*

4 *Milites Clerici S. Stephani, ſeu Sancti Iacobi non poſſunt accedere ad concurſum pro collatione talium beneficiorum.*

5 *Quæritur an Canonici Regulares poſſint eſſe Vicarij Epiſcopi.*

1 Apud Tamburinum *tom.3. de iure Abbatum diſput.9. quæſit.8.* & ibi Conſilio docto ſanè habes dubij deciſionem, hic ego breuiter referam Doctorum ſententias, te dicto Tamburino remittens.

Negatiuè reſpondent, quod ſcilicet nequeant Canonici Regulares, cum ſola licentia Prælatorum, ſed requiratur diſpenſatio Summi Pontificis, Frater Ludouicus Miranda *in Manual. Prælator. tom.1. quæſtio.32. art.5.* Nicolaus Garzias *de beneficijs parte 7. cap.10. num.31.* Aldan. *in compend. canon. reſolutio lib 2. tit.5. num.11.* & innumeri alij, quos citat Tamburinus *loco ſupra* Quarant. *in Summ. Bullarum verb. Canonicus Regularis* Nicolaus Garzias *par.7. cap.10. nu.32.* Gabriel Pannott. *lib.2 Hiſtoriarum Tripart. Canonicor. Regulari cap.72. num.7. circa med.*

Sed Affirmatiuè reſpondent alij plures, & Tamburinus videtur idem dicere de omnibus alijs Regularibus citato loco. Vnde limitat concluſionem.

2 Primo, niſi ſpecialibus alicuius Religionis ſtatutis hoc interdicatur; vt interdicitur in ſocietate Ieſu.

Secundo debet adeſſe vtilitas, & neceſſitas Eccleſiæ curatæ ſæcularis. Tertio, debet illa Eccleſia curata cui Regularis præficitur eſſe curata actualiter non ſufficit autem ſi ſit habitu talis; nam eſt fauor conceſſus in fauorem animarum; ſi autem non eſſet actualiter Eccleſia curata, iam ceſſaret talis fauor. Quarto, non debet præſcriptio adeſſe quadragenaria; vt illa Eccleſia regatur per ſæculares cum excluſione Regularium. Quinto demum requiritur, vt etiam ſupponitur in principio dubitationis Prælatorum licentia cum his conditionibus & limitationibus, videtur docere Tamburinus, etiam alios omnes Regulares poſſe cum ſola Prælatorum licentia ad talia beneficia curata ſæcularia promoueri. Sed attento iure
3 communi, & antiquo tantum nam attento Concilio Tridentino *ſeſſ.14. cap.11.* iam videntur excluſi Regulares, & eis prohibitum promoueri ad beneficia curata ſæcularia ſine diſpenſatione Apoſtolica exceptis Canonicis Regularibus per illa verba. *Ac taliter translatus etiam ſi Canonicorum Regularium fuerit ad beneficia ſæcularia etiam curata omnino incapax exiſtat.* Ergo de alijs Regularibus non eſt locus iam dubitationi cum, & per ius nouum Trident. & per plures alias declarationes Sacræ Congregationis alij Regulares ſint incapaces beneficij curati, & ſine diſpenſatione Pontificis nequeunt promoueri ad talia beneficia curata. De Canonicis autem Regularibus eſt dubium, & pro vtraque opinione Doctores afferuntur. Tamburinus citatus, reſpondet poſſe ſine diſpenſatione Apoſtolica promoueri ad talia beneficia; & probat

bat latè, & doctè. Alij e contra negant hoc modò, per declarationem Sacræ Congregationis anno 1603. *ſub die 1. Septembris* Ioannes Maria Nouarius verb. *Canonici Regulares in Lucerna Regularium*, mihi magis placet prima ſententia adducta, & probata
4 à Tamburino, in qua debemus dicere poſſe accedere ad concurſum dictos Canonicos, qui capaces beneficij ſunt, non tamen per hoc arguitur etiam Clericos Sancti Stephani, ſeu Sancti Iacobi poſſe ab Epiſcopo admitti ad concurſum pro collatione talium beneficiorum, quia per Trident. Concilium dato, quod dicti Milites ſint Regulares iam excluduntur, & redduntur incapaces talium beneficiorum. Ita docent Garzias *de beneficij part. 7. cap. 10. num. 32.* quem ſequitur, & citat Barboſa *in Collectan. ſeſſ. 24. cap. 18. de reformat. num. 61* licet *de officio Epiſcopi Allegat. 57. à nu. 172.* & ſequent. dicat. Equites Cappellanos Sacrę Religionis Sancti Stephani, & alios huiuſmodi, qui non emittunt tria vota ſubſtantialia eſſe capaces beneficij ſæcularis, & ſic conſequenter etiam dicendum poſſe ad concurſum admitti, quod confirmatur à Viuiano dum notat tales Cappellanos Clericos Sancti Stephani, etiam ſi habeant proprias Eccleſias eidem Religioni ſubiectas, adhuc poſſe præſentari ad alias Eccleſias ſæculares *de Iurepatronat. parte 2. cap. 2. num. 5.*

5 Quæres hic obiter; an Canonici Regulares poſſint eſſe Vicarij Epiſcopi.

Habe hic ad verbum ſententiam Iacobi Sbrozzi *de officio Vicarij libr. 1. q. 37.* per totam; *Quæro etiam an idoneus ad Vicariatum Epiſcopi dicatur eſſe Canonicus Regularis; Reſpondeo quòd ſic, Doctor in caput Si quis 68. diſtinct. Ioannes de Imola in caput final. de Clerico ægro, quod refert, & ſequitur Paris. conſil. 40. num. 19. in 4. Cuccus inſtitution. Iuris can. de Vicar. Epiſcopi num. 57. libr. 2. Franc. Marc. quæſt. 1287. in princ. part. 1. mouentur iſti auctoritate Gloſſ. in dictum caput Si quis in maiorem diſtinc. 78. quæ de Monachis loquitur. Quibus adſtipulatur hæc ratio, nam Canonici Regulares per ſe ipſos Clerici cenſentur cap. 1. & cap. generaliter 16. quæſt. 1. & D. Thomas 22. quæſt. 169. art. 4. in reſponſo ad ſecundum argumentum vbi inquit, quod ordini Canonicorum Regularium qualitas Clericatus per ſe competit, ſed Monachis competit per accidens, quem ſequitur conſulendo Port. Imola conſil. 165. numer. 93. cum ſequent. & num 23. per textus in caput Cum tibi, in verſicul. conſultationi tuæ de verbor. ſignificatione, vbi Clericorum appellatione Canonici continentur nulla habita diſtinctione ſæcularium, vel Regularium cum ergò Clericus Vicarius Epiſcopi eſſe debeat cap. in noua 16. quæſt. 7. & dixi ſupra qu. 31. nil mirum ſi etiam Canonicus Regularis eſſe poteſt, qui Clerici appellatione continetur. Secundo facit hæc altia ratio, Canonicus Regularis poteſt creari Archidiaconus Gloſſ. 2. in caput Præterea de prebend. Port. Immola conſil. 165. num 40. Ergo eodem modo creari poteſt Vicarius Epiſcopi, cum Archidiaconus Epiſcopo abſente dicatur eius Vicarius ipſo iure cap. 1. vbi Gloſſ. & But. cap. ad hæc. §. ſecundum, & §. atem Epiſtola de officio Archidiacon. Declaratur, vt procedat quando interueniſſet Superioris licentia Rebuff. in pract. beneficior. tit. de Vicar. Epiſcopi num. 3. Franc. Mar. d. qu. 1287. in princip. Concilij Tridentin. in caput 4. ſeſſ. 25. tit. de Regul. & Monial. vbi pro-*

prohibetur quibuſcumque Regularibus ſine ſuorum Superiorum licentia ſubijci obſequio alicuius Prælati, Cuccus Inſtitut. Iuris Canon. de Vicar. Epiſc. num. 58. *quamuis abſque huiuſmodi licentia Canonicum Regularem eligi poſſe ad Vicarium Epiſcopi ſcribant Cardin. Flor. Clement.* 1. *§. ad prioratus de Regul. & Conrad. de Conſtitut. Epiſcop. num.* 5. Hæc Sbrozzius loco ſupra; ſed dubium agitatur in cõmuni in hoc tractatu *Cap. quo ad varia*. An Regulares poſſint eſſe Vicarij Epiſcopi. Vnde melius ex ibi dicendis patebit huius etiã quæſiti ſolutio

QVO AD CONCIONES. Cap. X.

An Epiſcopus poſſit examinare Concionatores Regulares de doctrina. Dub. CLXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio.*

2 *Docent aliqui, nec ſine præuio examine poſſe Epiſcopum dare facultatem Concionandi Religioſo, etiam ſi ei conſtet, eſſe doctum, & idoneum.*

3 *Campanilis ſententia arridet authori, & ad verbum adducitur.*

4 *Fundamenta contrariæ ſententiæ adducuntur, & reſoluuntur.*

5 *Data ſententia, quod Regulares Concionatores debeant examinari, methodus examinis traditur.*

1 AFFIRMATIVE reſpondet Homobonus *part.* 5. *reſponſ.* 262. & citat Rodericum, Mirandam, & Campanilem, qui tamen, vt mox vidimus contrarium docent, cum tantum dicat hoc eſſe in conſuetudine in aliquibus Diæceſibus. Imò apud dictum Homobonum, Venerius Leyua in *examine Epiſcop. lib.* 6. *cap.* 9. docet nec Epiſcopum poſſe ſine examine præuio dare licentiam alicui Religioſo, Concionandi, etiam ſi ſibi conſtet eſſe doctum ob aliqua fundamenta, quæ læuia ſunt, & infra ponemus. Verum in hac re.

3 Campanilis ſententiam mihi adducere in medium ſufficiat, qui cum vt Epiſcopus ſemper ſoleat Epiſcopi partes agere, in dubio tamen poſito attende lector quid dicat *Rubr.* 12. *c.* 13. ait ergo ſic. *Verum Concionatores ipſi Regulares poſſint ne ab Epiſcopis examinari de doctrina ſi quæratur; annuit Henriquez in Summ. Theolog. Moral. lib.* 10. *c.* 23. *in Gloſſ. litt. L. inquiens Epiſcopis licere examinari Regulares ad ordines Confeſſiones, & Conciones, & adſtipulatur Rodericus in ſuis quæſtionibus Regular. q.* 32. *art.* 6. *tom.* 3. *dum vult Regulares ſemel ab vno Ordinario approbatos fore iterum approbandos ſi rurſus prædicare velint; ex quibus verbis oſtendit non ſolum illos eſſe approbandos ideſt examinandos circa doctrinam, verũ inſuper denuò examinandos, cui tamen ſententia reſiſtit conſtitutio* 15. *Leonis X. in Concilio Lateranenſi edita, & exordiẽs ſupernæ Maieſtatis præſidio, dum inquit ſacro approbante Concilio ſtatuimus, & ordinamus, vt nullus tam clericus ſæcularis, quam cuiuſcunque etiam Mendicantium ordinis Regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi, tam de iure, quam de conſuetudine, vel priuilegio, aut alias pertinet ad huiuſmodi officium exercendum, admittatur, niſi prius per Superiorem ſuum reſpectiuè diligenter examinatus, & cæt. Illa igitur*

verba per Superiorem ſuum reſpectiuè inſinuãt, vt Regularis à Regularibus, Sæcularis, à Sæcularibus, & conſequenter illi non ab Epiſcopo ſunt examinandi, quæ Cõſtitutio quatenus aliquas admitteret implicantias poſteriori Concilij Tridentini diſpoſitione expreſſius definitum apparet in c. 2. ſeſſ. 5. ſub Rubr. de Reformatione, volente, vt Regularis prædicare intendens, à Superiori de vita, moribus, & ſcientia examinatus, & approbatus obtenta ab eo licentia cum ea perſonaliter ſe coram Epiſcopo præſentare debeat, & ab eo benedictionem petere, ſi in Eccleſia ſui Ordinis, quod ſi in aliena, quæ ſui Ordinis non ſit vltra licentiam ſui Superioris, etiam Epiſcopi licentiam habere teneatur. Vult igitur, vt examen fiat à Superiori Regulari. Hæc Campanilis, qui Epiſcopus fuit. Quid ergo dicere debent alij Auctores Regulares?

4 Modò videamus Fundamenta contrariæ ſententiæ, & præcipuè Venerij Leyua, qui nimis rigidus in Regulares ſolet eſſe. Primo mouetur per aliquas declarationes Cardinalium Concilij Interpretum, ſed cum non conſtent authenticè tu ab eis ne mouearis; Secundo, Quia Pontifex ſemper ſolet ad Epiſcopatum promotos examinare etiam ſi ſint Auditores Rotæ; & ſimiles: Sed quid hoc facit contra nos; nam licet ſoleat examinare, attamen quis neget non poſſe examen ommittere? Deinde examinantur Epiſcopi coram Pontifice, quia nulli alij demandatur cura eos examinandi, ſicut demandatur cura examinandi Regulares, qui concionari volunt, ſcilicet proprijs Prælatis, & Superioribus eorum.

Tertio, Mouetur Leyua, ne detur occaſio, ne alius, qui doctus non ſit, petat etiam ad munus prædicandi admitti ſine examine, ſed quis non videat ſufficere, quod poſſit Epiſcopus tollere examinando ſi velit tale periculum, etiam in ſententia affirmante Epiſcopum poſſe dictos Regulares examinare? Idem eſſet dicendum de admiſſis ad Confeſsiones; & tamen videmus multos ſine examine admitti. Deinde in noſtra ſententia, aut vt melius dicam in ſententia Campanilis hæc omnia pericula tolluntur per examen, & approbationem præuiam Superiorum Regularium.

5 Et nota hic, ſi affirmare velis ab Epiſcopo poſſe Concionatores Regulares examinari methodum examinis traditum ab Homobono *loco ſupra*, qui tradit dictos Concionatores eſſe examinandos, quo ad cauſas vniuerſales; nempè cauſam efficientem numquid ſine licentia Superioris concionari valeant; An non Sacerdos poſsit hoc munus exercere. Qui ſit Concionis finis; Qua intentione debeat quis concionari. Quæ nam materia Concionis. Quomodo circa Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis ſe gerere debeant. In quas pęnas incidant ſi ſuadeant populum, ne ſoluant decimas; vel Eccleſiarum Pręlatis detrahant; An liceat non approbata miracula publicare, vel Indulgentias, & ſimilia.

An

An Epiſcopus poſſit, & debeat exigere profeſſionem fidei à Concionatoribus Regularibus dum in alienis Eccleſijs volunt concionari.

Dub. CLXXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Vnde colligant aliqui Doctores poſſe Epiſcopos exigere profeſſionem fidei à Regularibus, antequam accedant ad concionandum.*

2 *Poſt Bullam Pij V.* Et ſi Mendicantium *non poſſunt iam Epiſcopi exigere profeſſionem fidei à Regularibus, & cæt. & hoc ſecundum aliquos Doctores.*

3 *Authoris opinio.*

1 VIdi in aliquibus Diæceſibus exigi hanc profeſſionem fidei per Epiſcopos à Regularibus. Sed fundamentum, quo hoc faciunt DD. Epiſcopi videre non potui.

Ioannes Franciſcus Theſaurus *parte 1 de verbi Dei prædicatione cap. 8. numer. 9.* dicit talem facultatem competere Ordinarijs ex illis verbis Concilij Trid. *ſeſſ. 24. de reform.* Vbi dicitur, ne vllus ſæcularis, ſeu Regularis etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum prædicare præſumat contradicente Epiſcopo: Inquit igitur dictus Leo per illa verba contradicente Epiſcopo Ordinarijs eſt conceſſum; vt etiam à Regularibus antequam officium prædicandi aſſumant profeſſionem fidei poſſint exigere; ſed vt verum fatear non video quomodo ex illis verbis talis facultas colligatur.

2 Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum, de Regularium, & ſæcularium prædicatione numer. 6.* docet, modò poſt Bullam Pij V. *Et ſi Mendicantium*, iam non eſt teneri Regulares profeſſionem fidei facere antequam concionandi officium aſſumant licet poſſit Ordinarius eo tempore quo concedit licentiam prædicandi ab eiſdem exigere hanc fidei profeſſionem, ſi videatur expedire, refert Armerandiz *ad recopil. Legum Nauarri libr. 2. tit. 18. num. 35.* Sed hoc totum quod aſſeritur à Nouario mihi difficile videtur, primo. Quia in illa Conſtitutione Pij V. nulla fit mentio de profeſſione fidei exigenda, vt legenti patet, ſecundo. Quia ſi Regulares per ipſum iam modo non tenentur facere hanc fidei profeſſionem, nec Epiſcopi poſſunt illos ad illam faciendam cogere fruſtatorium enim eſſet priuilegium in hoc illis conceſſum.

3 Dico ergò; non debent DD. Epiſcopi in hoc grauare Regulares, cum eis non detur talis facultas, & ſicuti per me; & doctum Epiſcopum Campanilem nequeunt examinari ab Epiſcopis Regulares antequam concionentur, ergò à fortiori in caſu poſito. Deinde quando adeſt obligatio faciendi hanc profeſſionem clarè explicat illam Concilium ſic *ſeſſ. 24. de reformati. cap. 12.* vbi dicitur habere hanc obligationem de beneficio prouiſum, promotum ad Epiſcopatum Prælatum Regularem, & alios, vide Barboſam in dictum locum Concilij, vbi innumeros fere congerit Doctores, qui agunt de his, qui tenentur

S 2 emit-

emittere hanc profeſſionem, & de pęnis in quas incurrunt omittentes eam; Sed ibi de Concionatoribus, nec verbum quidem habetur.

An Regulares, qui ſine licentia, vel benedictione Epiſcopi prædicant poſsint ab eo puniri.
Dub. CXCVI.

SVMMARIVM.

1 *Quænam ſit communis Doctorum ſententia.*

2 *A Patre Diana noua aliquorum opinio, & probabilis ſanè adducitur.*

3 *Vrbani VIII. Bulla reuocatoria Conſtitutionis* Inſcrutabili *non eſt vniuerſalis, ſed localis, vt volunt aliqui.*

4 *Alij dicunt eſſe vniuerſalem, & valere pro tota Hiſpania ſaltem.*

5 *Author eam reuocatoriam, ſi extet vniuerſalem facit & quare.*

6 *An Regulares contradicente Epiſcopo poſſint prædicare.*

7 *Num poſſint aliquando Regulares prædicare ſine licentia Epiſcopi.*

8 *In Eccleſijs Diſciplinatorum dummodo Eccleſiæ ſint clauſæ poſſunt Regulares ſine licentia Epiſcopi concionari.*

9 *Sermones per quartam partem horæ publicè etiam fieri poſſunt à Regularibus ſine licentia Epiſcopi.*

1 MOdo poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs*, omnes Doctores ferè docent, iam Concionatores Regulares ſine licentia, ſeu benedictione, ſi prædicent in proprijs Eccleſijs poſſe immediatè ab Epiſcopo puniri ſicut ante dictam Conſtitutionem fere omnes docebant, non poſſe ab Epiſcopo in dicto caſu Regulares puniri.

2 Sed nouiſsimè noſter Pater Diana *in ſeptima ſua parte tractat. 12. reſolut.* 25. referens noſtrum Patrem Dominum Auguſtinum de Bellis virum doctiſsimum, *in allegatione Hiſpano Idiomate* ab ipſo confecta videtur aliquam difficultatem ſuſcitare contra communem hanc ſententiam; dum ait. Conſtitutionem *Inſcrutabili* Gregorij XV. fuiſſe reuocatam ab Vrbano Octauo per aliam ſuam datam 13. *Maij* 1625. ad inſtantiam omnium Regularium Regnorum Hiſpaniæ, de qua tamen Bulla Doctores etiam nouiſsimi, vt ſunt Lezana, Tamburinus, & alij, nec verbum quidem dicunt, aduertit tamen Diana ſe vidiſſe huius Bullæ mentionem eſſe apud Ioannem Antonium Nouarium *in Summ. Bullarum titul. de exemptorum Priuilegijs numer.* 51. & credo verè adeſſe talem Bullam Vrbani Octaui, dum hoc teſtatur dictus de Bellis dicens: *eſta Bula ſobredicha de Vrbano VIII. con todos los Priuilegios que confirma à Regulares hallaſe en vn librillo impreſſo, y legalizado por orden del Eminentiſſimo Señor Cardenal Pamphilio entonçes Nunçio Apoſtolico en eſtos Reinos de Eſpaña.*

Suppoſito ergo, extare verè talem Bullam, in qua præcipuè confirmatur decretum Sacræ Congregationis Concilij, quod ſic habet *Congregatio Concilij*

Concilij cenſuit Regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi decreto eiuſdem Concilij ſeſſ. 5. *cap.* 21. *contrafecerint non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus*, hoc ergo ſuppoſito veram ſcilicet eſſe talem Bullam Vrbani VIII. reuocatoriam Conſtitutionis *Inſcrutabili.*

3 Reſpondet Ioannes Antonius Nouarius *loco ſupra* teſte Diana, non obſtare, quin hodie Regulares poſſint puniri ab Epiſcopis, dum concionantur ſine licẽtia, aut benedictione, quia hæc Conſtitutio eſt tantum localis lata ſcilicet pro Ciuitate, & Diæceſi Giennenſi.

4 P. De Bellis è contra tradit poſt dictam Conſtitutionem iam Regulares in tota Hiſpania non poſſe puniri ab Epiſcopis dum concionantur, &c. Sed res ſe haberi ſicut ante, ante ſcilicet Conſtitutionem *Inſcrutabili* ſic habet: *Dado caſo que dicha Bula eſtuuieſſe reçebida en Eſpaña, aun no tiene fuerça porque eſta reuocada por nueſtro Santiſſimo Padre Vrbano VIII. por vna Bula fecha a* 13. *de Maio de* 1625. Ego vellem videre Conſtitutionem dictam Vrbani VIII. antequam exponerem meam ſententiam. Interim

5 Reſpondeo, ſuppoſita illa Bulla, iam omnes forte Regulares eſſe exẽptos in hoc à iuriſdictione Epiſcopi, nec poſſe puniri ab eo dum concionantur, &c. ſicut nec poterant puniri antea, ratio eſt, quia priuilegia cõceſſa certis etiam domibus, & Regularibus, omnibus alijs domibus, & Regularibus per communicationem conceduntur, vt volunt aliqui Auctores apud Lezanam *tom.* 2. *Summæ cap.* 1. *num.* 52. quam ſententiam ipſe Lezana exiſtimat veram, quando militat eadem ratio, vel ſaltem ſimilis, vel æquiualens, ob quam etiam aliæ Religiones, alij Regulares debent, & poſſunt illis frui; ſed vt puto eadem eſt ratio, ob quam Regulares illi Diæceſis Giennenſis, & alij omnes debent in hoc liberari à iuriſdictione Epiſcopi. Ergo attamen, vt dixi verba Bullæ attendenda ſunt, nec putandum adeo facilè eſt; priuilegium illud eſſe communicabile, eſt enim quædam exceptio, qua Regulares illius Diçceſis Giẽnenſis excipiuntur, & ſic ad illam quçſtionem recurrendum eſt an exceptio ſit priuilegium.

6 Sed quæres hic primo; an Regulares contradicente Epiſcopo poſſint prædicare. Reſpondeo in Eccleſijs ſuorum ordinum poſſe, excepto tempore, & hora qua Epiſcopus prædicare voluerit. Ita Miranda, Tamburinus, & Nouarius omnes relati à Lezana verb. *Concionari, & Concionator n.* 6. Sed; an poſſint quando non ipſe Epiſcopus prædicat, ſed quando alium facit prçdicare, habes infra particulare dubium propoſitum.

7 Quæres ſecundo; an non obſtante dicta Conſtitutione Gregori XV. & Concilio ipſo Tridentino, poſſint aliquando Regulares Concionari ſine licentia Epiſcopi. Pro reſponſione habe verba Lezanæ *tom.* 1. *cap.* 20. *Putant aliqui poſſe Regularem doctum, & idoneum prædicare pro duabus, aut tribus vicibus ſolum de licentia Parrochi in ſua Parrochia*, Henriquez *lib.* 7. *de Indulgẽtijs cap.* 16. *hoc vero ſolum admitterem ſi pro tali perſona, aut occaſione præſumeretur licentia tacita, vel interpretatiua Epiſcopi, & eſſet in oppidis, vbi non ſunt Epiſcopi, ſed tantum Parrochi eſſetque hoc*

legitima conſuetudine receptum cautè enim procedendum eſt,maximè poſt Conſtitutionem Gregorij XV. vbi viget. Hæc Lezana, ſed infra habes in terminis dubium;an Parrochus ſolus poſſit dare facultatem bis, aut ter concionandi.

8 Quæres tertio;an poſſit modo Regularis prædicare ſine licentia obtenta in ſcholis Diſciplinatorum, & Eccleſijs Monialium.

Reſpondet Lezana, poſſe dummodo Eccleſiæ ſint clauſæ, & ratio eſt, quia Prædicatio, & Concio propriè dicta eſt ſermo publicus habens certã formam introductam conſuetudine, ſcilicet quod Concionator habet gradum diſtinctum, quo ad locum, & quo ad modum, vt ſumat thema, inuocet Spiritum ſanctum, quæ omnia fieri non ſolent in Scholis, & cũ Monialibus, huic ſententiæ etiam fauet Bordonus, *reſolut. 6. in ſuis Conſilijs* ob eamdem rationem.

9 Quæres quarto;an non obſtantibus prædictis poſſint Regulares publicè prædicare per aliquod breue tempus ſine licentia Epiſcopi. Reſpondet affirmatiuè Lezana *loco ſupra* ſic dicens. *Idem credo dicendum de breuibus quibuſdam ſermonibus ſolum per quartam partem horæ, vel paulo amplius, qui in aliquibus Eccleſijs etiam Romæ, vt in Monaſterio Carmelitarum apud Sanctam Mariam Tranſpontinam poſt Veſperas in Dominicis fiunt non eſſe propriè prædicationes.*

An Regulares poſſint prædicare in ſuis Eccleſijs, dum Epiſcopus non prædicat,ſed alium facit prædicare in Cathedrali.

Dub. CLXXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Diuerſæ opiniones Doctorum circa dubium poſitum.*

2 *Vrbanus VIII.in vna Bituntina non limitat dum Epiſcopus alium facit prædicare.*

3 *Non poſſunt pauperes commendare Regulares in ſuis Concionibus ſine licentia Epiſcopi.*

4 *Benè tamen poſſunt propria Monaſteria commendare.*

1 Negatiuè reſpondent multi Doctores, & præcipuè Gauantus *in Manuali Epiſcop. verb. Concio ſacra num.* 52.& fundantur in Clement.*Dudum de Sepulturis*, vbi habetur *hora illa dumtaxat excepta in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe ſolemniter facere prædicare*, Gauantus autem mouetur ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij 1525.

Lezana dicit poſſe tunc Regulares prædicare, ſed dummodo Epiſcopus non contradicat. Ita *tom. 1. cap. 20. num.6.*

Affirmatiuè tandem abſolutè reſpondent alij. Ita Peirinus *in Conſtitutionem Pij Quinti*, quæ incipit, *Ad hoc nos Deus*, vbi ait Summus Pontifex, *& inſuper quod Fratres, dicti Ordinis ab eorum tamen Superioribus approbati in eorum Eccleſijs,quando eis placuerit*

rit etiam ſi in Cathedrali Eccleſia non tamen ab ipſomet prædicetur, liberè & licitè abſque aliquo impedimento, ſiue etiam ipſius Epiſcopi contradictione, & abſque eo, quod coram dicto Epiſcopo ſe præſentauerint, nec eidem licentiam prædicationis huiuſmodi exhibuerint, & ab eodem Epiſcopo benedictionem non obtinuerint prædicare, & munus huiuſmodi prædicationis exequi, ex hac Conſtitutione Peirinus *in Conſtitutionem ſeptimam Pij V.* mouetur ad hanc ſententiam; ſed aduertit, & optimè iam per Conſtitutionem *Inſcrutabili de exemptorum Priuilegijs*, debere Regulares petere benedictionem ab Epiſcopo, vt prædicent in ſuis Eccleſijs, quam licet non obtineant poterunt prædicare; huic ſententiæ ipſe quoque adhæreo.

2 Nec obſtat Vrbanum VIII. in vna Bituntina ſub die 2. Maij 1629. teſte Barboſa *de Officio, & Poteſtate Parrochi c.* 14. *n.* 2. mãdaſſe quod cũ Epiſcopus prædicat ſilere debeant alij Regulares, & Prædicatores, nam ibi non limitat, dum Epiſcopus alium facit prędicare, nec de hoc verbum faciũt, qui adducunt talem declarationem.

3 Sed quæres hic obiter; an Concionatores poſſint in concionibus pauperos commendare ſine licentia Epiſcopi, negatiuè reſpondent Bordonus *reſolut.* 6. *num.* 30. & Bariola verb. *Prædicator*, & fundantur, quia fuit deciſum à Sacra Congregatione 8. Maij 1602. in gratiam Epiſcopi Sauonenſis. Addit tamen Lezana *tom.* 1. *cap.*

4 20. bene poſſe commendare propria Monaſteria; & hoc ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcopor. ſed in praxi video ſeruatum, à Regularibus in ſuis Eccleſijs omnes pauperes, quos volunt commendari ſine licentia Epiſcopi, quod iam fortè poſſunt dicti Regulares facere conſuetudine, & præſcriptione.

An Parrochus ſolus poſſit dare facultatem Regularibus bis, aut ter in propria Parrochia concionandi. Dub CLXXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Variæ Doctorum opiniones referuntur.*
2 *Authoris opinio.*
3 *Multorum ſententiæ refelluntur.*

1 Negatiuè reſpondet Barboſa de poteſtate *Epiſcopi fol.* 202. *cap.* 14. *num.* 9. nam licet Parrochus de iure communi ante Concilium Tridentinum poſſet ſe ſolo dare facultatem prædicandi quoties vellet in ſuis Eccleſijs; attamen modo attento Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reformatione*, & *ſeſſ.* 5. *ca.* 5. & ex declaratione quadam Clementis VIII. quam adducit Zipęus *in Analitica poſtremi iuris Eccleſiaſtici lib.* 3. *tit. de Parrochis numer.* 3. iam non poteſt hanc facultatem dare, & hoc adeo verum eſt, vt neque Epiſcopo alicui ſine licentia Dięceſani liceat concionari.

Affirmatiuè tamen reſpondent Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs cap.* 28. *numer.* 8. Nauarrus *in Summa cap.* 25. *num.* 141. Ricciu *part.* 1. *praxis deciſ.* 755. Campanilis *Rubric.* 12. *cap.* 13. Peirinus *de ſubdito cap.* 22. §. *aduerto vlterius*.

Ioannnes Antonius Nouarius cum diſtinctione procedit. *In ſumma Bullarum de Regularium Prædicatione numer.* 40. vel enim eſt ſermo dicit ille de

S 4 Priui-

Priuilegiatis Regularibus: vel de non priuilegiatis, ſi de primis iam poterit Parrochus eis dare talem facultatem, ſic v.g. Patribus ſocietatis poterit dare hanc facultatem, quia Gregorius XIII. eis conceſſit, vt ab ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad id deputati poſſent quandocumque non repugnantibus curatis verbum Dei prædicare, dummodo id non faciant in oppidis, & locis vbi adeſt Ordinarius; nam tunc requiritur eius licentia de reliquo ſufficit illa Parrochi. Ita etiam Rodericus *quæſt. 32. tom. 3. art. 6.*

2 Ego idem proportionaliter in hac re dicerem, ac dixi cum Paſqualigo, *cap. quo ad celebrationem Miſſarum dubio. An Epiſcopus poſſit dare bis, aut ter facultatem celebrandi in Oratorijs priuatis non obſtante decreto Concilij Tridentini*, vbi reſponſum fuit affirmatiuum; quia dare talem facultatem aliquibus vicibus; puta duabus, vel tribus non eſt contrauenire Concilio, quod ſolum prohibet Epiſcopis dare vniuerſaliter has facultates, & frequenter ad tollendos multos abuſus, quæ ratio non adeſt, dum rarò illa facultas conceditur. Sic ergo à pari in caſu poſito, licet Concilium Tridentinum velit, licentiam concionandi eſſe dandam ab Epiſcopis; attamen ſi bis, aut ter Parrochus det hanc facultatem non videtur contrauenire Concilio, quia non militat eadem ratio; ac ſi vniuerſaliter poſſet Parrochus hanc facultatem dare.

3 Non placet ergo ſententia Barboſæ; nec etiam Ioannis Antonij Nouarij, nam datis illis priuilegijs, vel ſuperflua eſt licentia Parrochi dummodo non contradicat, & ſic ſemper poterunt prædicare non duabus, vel tribus vicibus; vel ſi requiritur licentia Epiſcopi, vbi degit Epiſcopus: nihil poterit iam in hoc Parrochus vtrumque autem affirmare mihi diſplicet, ſicut etiam diſplicet, & modò præcipuè opinio, quam adducit Diana noſter, & ſequitur, vt habes in *ſua Summ. verb. Regularium priuilegia in prædicando*. Cui etiam fauet Villalobos *tom. 2. tract. 35. difficult. 5.* qui ſic habet *haſe de aduertir açerca deſto con Frai Iuan dela Cruz, que en eſte decreto del Concilio ſe reuocò vn priuilegio que hauia conçedido Paulo III. a los Religioſos dela Cōpañia de Ieſus el año de mil y quiniēto, y quarēta y çinco, que pudieſſen predicar en todas partes, porque eſte decreto ſe hizo el año 1546. mas no ſe reuocò el priuilegio de Gregorio XIII. que fuè deſpues, en que ſe reualidò el dicho priuilegio de Paulo III. y ſe conçedio a los Religioſos dela compañia, que alias fueſſen idoneos que con ſola la prima tonſura pudieſſen predicar la palabra de Dios en qualquiera parte con licençia de ſus Prelados no obſtante qualſequiera Concilio General. & cat.* Ita Villalobos, hæc inquam opinio iam ſubſiſtere non poteſt per Conſtitutionem *Gregorij XV. Inſcrutabili*. Sed nec puto priuilegium illud Gregorij XIII. adeo abſolutum eſſe, vt vult Villalobos.

An Regulares dum volunt concionari in proprijs Eccleſijs extrà Aduentum, & Quadrageſimam teneantur benedictionem petere. Dub. CLXXXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*

2 In

2 *In quocumque tempore, quo Regulares volunt prædicare petunt benedictionem ab Epiſcopo.*

3 *An pro benedictione ſe debeant Regulares perſonaliter præſentare Epiſcopo.*

4 *An Epiſcopus poſſit cogere Regulares, vt admittant Concionatores etiam extraneos in ſuis Eccleſijs.*

1 NEgat teneri Regulares hoc facere Bordonus in Conſilijs *reſolut.7.quæſt.11.num.15.* dicens *vſus autem obtinuit apud Regulares prædicandi in proprijs Eccleſijs abſque alia Epiſcopi benedictione, quam ſolum petunt pro Quadrageſima, & Aduentu, & non pro alijs feſtis infra annũ.* Ita Bordonus, ſed

2 Contrarium docet Diana *in 7. parte tract.12. reſolut.24.* & dicit ſe valdè dubitare; an adſit talis vſus, nam in quocumque tempore quando Regulares volunt in ſuis Eccleſijs prædicare ſe præſentant coram Epiſcopis, & petunt ab eo benedictionem iuxta Concilium Tridentinum *ſeſſ.24.cap.6.* vbi abſolutè loquitur, nec diſtinguit de tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, fauet etiam huic ſententiæ Sacra Congregatio (teſte Gauanto) *In Manuali Epiſcopor. verb. Concio Sacra num.16.* in declaratione 16.Octobris 1601.

3 Quæres hic; an pro benedictione debeat ſe perſonaliter præſentare Regularis Concionator reſpondet debere accedere perſonaliter; & non per litteras, Bordonus *loco ſupra*, & citat Zerolam *in praxi Epiſcoporum parte 1. verb.prædicatio* §.3. Franciſcum Leo *in Theſauro fori Eccleſiaſt. part.1. capit.8. numer.10.* & Peirinum, *tom.3. cap.2. numer.11.*

4 Quæres obiter; an Epiſcopus poſſit cogere aliquando Regulares: vt admittant Concionatores, etiam extraneum in ſuis Eccleſijs. Habe hic Venerum Leyuam, *in examine Epiſcopor. lib.6. cap.9. ſic dicentem. Si in aliqua Ciuitate ſit conſuetudo, vt in Eccleſia Regularium populus audiat prædicationes poterit ne Epiſcopus cogere Regulares tales, vt admittant aliquem Prædicatorem ſæcularem, vel alterius ordinis? poterit; ſed in æqualitate præferendus eſt Prædicator ſui ordinis*, non adducit tamen rationes, nec fundamentum, quo hoc aſſerat Vnde non video quomodo talem facultatem concedat Epiſcopis. Sed nil mirum ipſe Epiſcopus erat.

An Epiſcopus poſſit prohibere, ne Regulares prædicent in ſuis Eccleſijs.
Dub. C C.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones circa hoc oppoſitæ referuntur.*

2 *Non poſſunt hoc negare Regularibus DD. Epiſcopi.*

3 *Si Regularis petat benedictionem, & non obtineat, etiam contradicente Epiſcopo poterit prædicare.*

4 *Dubium eſt an Epiſcopi poſſint in Eccleſiis Regularium ipſis inuitis prædicare.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Portel. *in dubijs Regul. verb. Prædicatores num.7.* Piaſecius *in praxi parte 2. cap.3. Articul.6. num.7.* Franciſcus Leo *in Theſauro part.1.cap.8.num.9.*

Ne-

Negatiuè tamen reſpondent Cenedo *in qq. Canon. quæſt.* 26. *num.* 13. & Vegha *in Summa tom.* 2. *cap.* 86. *Caſu* 40. Bordonus etiam *Reſol.* 7. *num.* 15. Laurentius de Peirinis, *tom.* 1. *ſuper Priuilegia Minimor. in Conſtitut.* 2. *Gregorij XIII.* §. 2. *num.* 21. omnes apud Dianam, *Tract.* 2. *de Dubijs Regularium Parte* 3. *Reſolut.* 58.

2 Dico ergo nequeunt Epiſcopi negare hanc facultatem prædicandi in ſuis Eccleſiis Regularibus. Probatur ex Bulla Pij V. *& ſi Mendicantium*, quæ licet per aliquos fuerit a Gregorio XIII. reuocata, attamen non fuiſſe reuocatam probabilius aſſarit Peirinus *loco ſupra*, addit tamen Diana in hoc cautè debere procedere Regulares, nec expedire ipſos prędicare contradicente Epiſcopo ob ſcandalum, quod poſſent generare; Sed DD. Epiſcopi non deberent negare talem facultatem. Non enim ipſos iuuat In Concilio Tridentino haberi. *Quod nullus poteſt prædicare etiã in propria Eccleſia contradicente Epiſcopo*, quia hoc debet intelligi, Quando Epiſcopus per ſe, vellet ſolemniter facere prædicare quod conforme eſt, *Clementin. Dudum de Sepulturis*, Ita Bordonus, *Reſolut. citata* 7. *num.* 15. & Miranda etiam, *tom.* 1. *quæſt.* 50. *art.* 3. & Barboſa *parte* 3. *de officio Epiſcopi Allegat.* 76. *num.* 20.

3 Vndè collige, quod ſi petat Regularis concionaturus benedictionẽ, & non obtineat, etiam contradicente Epiſcopo poterit prædicare in ſua Eccleſia excepto ſcilicet caſu poſito.

4 Dubitabis hic; an Epiſcopi poſſint in Eccleſiis Regularium ipſis cõtradicentibus concionari Peirinus negatiuè abſolutè reſpondet per Doctrinam Cardinalis in Clementin. *Archiepiſcopo* quia exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in ſuo priuilegio, niſi quatenus exprimitur. Ità *in Priuileg. Minimorum tom.* 1. *conſtitut.* 26. *Leonis X* §. 25. *num.* 47 Aliqui tamen affirmant, apud Dianam, quos ſine nomine citat. *Parte* 3. *Trac.* 2. *de Dubijs Regular. Reſoluit.* 109. quia talis actus videtur honoris, qui Epiſcopo non debet denegari.

An Regularis Concionator ſemel admiſſus ab Epiſcopo teneatur iterum coram eodem ſe præſentare, & nouam licentiam obtinere. Dub. CCI.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi, ob quam dicunt aliqui ſemel admiſſum ad conciones, teneri ſemper coram Epiſcopo ſe præſentare.*

2 *Non tenetur ſemel admiſſus ad conciones, ſe iterum præſentare in ea diœceſi, in qua fuit admiſſus.*

3 *Non ſunt iura, quæ decernant debere toties quoties, Regulares pro concionibus approbari.*

4 *Ab eadem radice prouenit facultas audiendi confeſſiones & concionandi in Regularibus.*

1 CAſus eſt adeo practicabilis, & reſpondet affirmatiuè Rodriquez *tom.* 3. *q.* 32. *de Prædicator. Euangelicis*, nam licet Confeſſarij Regulares admiſſi pro ſæcularibus ſemel approbati ab Ordinario teneantur coram eodem ſe præſentari, vt tenet ferè communis Doctorum ſententia; Concio-

natores

Digitized by Google

natores tamen non gaudent tali priuilegio: etenim Confeſſarij eo fruuntur indulto; quia à Domino Papa habent iuriſdictionem; quam ab eis non vult Papa pro libito Ordinariorũ auferri; At Prædicatores ad prædicandum nõ recipiunt iuriſdictionem; ſed ſolum quamdam approbationem, quam Summi Pontifices voluerunt ſemper mendicari, & pro libito reuocari ab Epiſcopi, nam munus prædicandi apud ipſos principaliter reſidet, & ſignificant ſacri Canones, & Concilium Tridentinum nos docet *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. *& ſeſ.* 24. *cap.* 4. Ita Rodriquez *loco citato.*

2 Oppoſito tamen adhæreo, quod docet Miranda 12. *Manual. quæſt.* 50. *art.* 7. & Fundamentum, quo moueor eſt; quia ex eadem radice, & facultas audiendi Confeſſiones, & Concionãdi prouenit Regularibus; nam ſi ex c. *Dudum de Sepulturis* colligunt eſſe datam iuriſdictionem à Papa Regularibus pro Confeſſionibus excipiendis. idem colligitur ex eo de Concionibus; vt patet legentibus dictam Clementinam. Si ergo ex vi dictæ Conſtitutionis colligũt Doctores ſemel Regulares approbatos ad Confeſſiones nõ teneri iterum ab eodem Epiſcopo approbari: Idem debent dicere de Prædicatoribus, qui etiam à Pontifice cum hac conditione, quod approbentur ab Ordinarijs habent facultatem Concionandi.

3 Nec video, vbi nam Pontifices ſtatuunt toties quoties Regulares voluerint Concionari; debere ab eo ſemper approbari, etiam ſi ſemel fuerint approbati, ſicut nec ſtatuunt hoc circa approbatos ad confeſſiones.

4 Nec etiam diſparitas illa, quam conatur adducere Rodriquez *loco citato* vim aliquam exiſtimo habere; nam facultas; tum audiendi confeſſiones; tum etiam concionandi habent Regulares de iure communi à Papa; & ſic Epiſcopus, dum dat facultatem iuxtà decretum Tridentin. cõcionandi Regularibus facit hoc tãquam delegatus. Ita Pater de Bollis *in ſua alibi citata Allegat. Hiſpana Corolar.* 2. per hæc verba *El oficio de predicar y confeſſar compete a Regulares de Iure communi exceptando las horas, que quiere el Obiſpo predicar, ò mandare predicar en ſu preſençia. Eſtà claramente declarado por el Sumo Pontifice Sixto IIII. cap. vices in extrauag. y la ſiguen Rodriquez in explicat. Bullæ Cruciatæ* §. 9. *nu.* 32. *Mirand. tom.* 1. *quæſt.* 41. *art.* 6.

Prueuaſe por lo dicho porque la iuriſdiction, que ſe da a Regulares. ſe les da, por el derecho comun de las Clementinas nombradas, y eſto ſin dependençia de Obiſpos luego les compete de Iure communi, y aunque quando ſe les concedio al principio era priuilegio deſpues aſſentado que fue in corpore iuris ſe hal hecho Ius commune ni ſe puede dezir mas priuilegio por lo que hemos prouado con Bart. y otros muchos Doctores en el vltimo aſſunto fol. 38. *num.* 18.

Deſto ſe ſigue, que la iuriſdiçion, que ſe da al Obiſpo por el Concilio de Trento para que Regulares haian de pedirle licencia para predicar en Igleſias agenas no es ordinaria ni de iure communi ſino delegada, y eſpecial. Aſſi miſmo la que tiene para ſuſpenderles el predicar. La raçon porque ſiempre y quando iuriſdictio ordinaria alteratur, & augetur cenſetur fieri delegata, por lo que hemos prouado arriba con Felino y otros Doctores mas es aſſi que de iure Communi los Obiſpos por la Clement. no teniam

tenian antes iuriſdiçion en materia de predicaçion con Regulares, y abora por el Cõcilio ſe les da, y acreçienta la ordinaria que tienen luego ſeria delegada.

Mas el miſmo Concilio quando en la
1 *Seſſion 5. cap. 2. dà facultad al Obiſpo para ſuſpender predicadores Regulares dize claramente, que lo baga (tam quam Sedis Apoſtolicæ delegatus, & auctoritate Apoſtolica) luego es delegada no ordinaria Que mas? Gregorio XV. quando quisò dar autoridad al Obiſpo para caſtigar a Regulares que predican ipſo contradicente ſe declara darſela delegada, & Tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato.* Hęc doctus Pater de Bellis ex quibus infertur prædicandi, facultatem habere etiam Regulares a Pontifice, & tantum requiri licentiam Epiſcopi tamquam conditionem; nec Epiſcopum habere ius ordinarium dandi eis talem facultatem; ſed tantum delegatum; & ſic non video diuerſitatem, quam conatur demonſtrare Rodriquez inter caſum de Confeſſoribus, & Prædicatoribus Regularibus.

An Epiſcopi poſſint admittere Prædicatores Regulares ad conciones, qui viuunt extrà clauſtra, & obedientiam Prælatorum. Dub. CCII.

SUMMARIUM.

1 *Concilium Tridentinum*, Seſſ. 5. de Reformat. cap. 2.
2 *Non poſſunt eiecti admitti per Epiſcopos ad conciones.*
3 *Bulla Sixti IV. quæ hoc eiectis prohibet.*
4 *Concilium Tridentinum loquitur de illis Regularibus qui prætextu priuilegiorum extrà obedientiam viuunt.*

1 Concilium Tridentin. *Seſſ.* 5. *de Reformat.* 2. habet; *Caueant præterea Epiſcopi ne aliquem, vel eorum qui cum ſint, nomine Regulares extrà clauſtra tamen, & obedientiam religionum ſuarum viuunt, vel Præsbiterorum ſacularium niſi ipſis noti ſint; & moribus; atque doctrina probati etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu in ſua ciuitatè vel diæceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re Sancta Sedes Apoſtolica conſulatur, a qua priuilegia huiuſmodi niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.* Hæc ſunt verba Cõcilij quę conſideranda benè ſunt, nam poſſunt aliquas mouere dubitationes.

2 Principaliter: Dubitare quis poteſt; an Epiſcopus ex vi talis cap. poſſit dare facultatem expulſo a Religione concionandi ob crimina, ſi poſt talem eiectionem bene viuat, & ratio dubitandi eſt; quia in Concilio habetur, *niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati*, Ergò dum ſunt tales eiecti poſt eiectionem iam poterunt admitti ab Epiſcopis ad Concionandum. Reſpondeo tamen negatiuè, & ità habet Hieronymus Rodriquez in *Compendio reſolut.* 112. *de Prædicatorib.* dum dicit poſſe Epiſcopos impedire expulſos a Religione pro ſuis culpis, a prædicationis officio, & caſtigare etiam ſi ſciuerit prædicationis munus ab eis exerceri, cum a Sede Apoſtolica hoc officium ſit eis interdictum, ſi ergo eſt eis a Sede Apoſtolica interdictum

dictum nequeunt ab Epiſcopis admitti ſine eiuſdem Sedis Apoſtolicæ auctoritate: Quod autem Pontifices interdicant tale munus concionandi eiectis habes ex Bulla Sixti IV. quæ eſt apud Bullar. Rodriquez, *num.* 14. & Incipit, *Regimini Vniuerſalis Eccleſiæ num.* 24. *per hæc verba, Inhibemus etiam ne quis ab ordine veſtro pro ſuis culpis, per Generalem, ſeu Prouinciales miniſtros aut Cuſtodes expelli contigerit, vel qui egreſſi fuerint proprio motu prædicare, cõfeſſiones audire & cæt. niſi ad alium Ordinem in quo licitè exercentur huiuſmodi officia tranſierint de veſtra, vel dictorum miniſtrorum licentia*, Ecce quomodò dictis eiectis per ſummos Pontifices tollatur facultas, & habilitas omnis prædicandi, & ſic nec ab Epiſcopis eam obtinere poſſunt.

4 Quod ſi dicas, Cõcilium videtur abrogare hanc conſtitutionem Sixti IV. dum remittit Epiſcopi ius admittendi ad concionandum eos, qui extra obedientiam viuunt; ſi moribus, & doctrina eis probati ſint. Reſpondeo, Concilium loqui de illis Regularibus. Qui prætextu priuilegiorũ extra obedientiam viuunt, & patet ex textu ipſo, dum dicitur. *Donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re Sancta Sedes Apoſtolica conſulatur, a qua priuilegia huiuſmodi niſi tacita veritate, & expreſſo mendacio ab indignis extorqueri veriſimile non eſt*, Expulſi autem non degunt extra clauſtra prętextu priuilegiorum, vt patet; Ergò eis concedere facultatem concionandi non poſſunt Epiſcopi.

An Epiſcopi poſſint ſuſpendere Regulares a concionibus tantum in caſibus a iure expreſſis.
Dub. CCIII.

SVMMARIVM.

1 *Sex tantum aſſignantur caſus per aliquos, in quibus ſuſpendere poſſunt Epiſcopi conciones Regularibus.*

2 *In praxi ob alios etiam caſus ſuſpendunt a concionibus Regulares DD. Epiſcopi.*

3 *Verba aliqua Conſtitutionis.* Inſcrutabili, *de exemptorum priuilegijs referuntur.*

4 *Etiam dum Regulares concionantur circa Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis ſubduntur correctioni Epiſcopi.*

1 Pater noſter de Bellis aſſignat tantum ſex cauſa, ob quas poſſunt ſuſpendere Epiſcopi Regulares ab officio Prædicandi, tres, quæ habentur in Concilio Lateranenſi *ſeſſ.* 11. & ſunt; dum prædicant miracula falſa, aut incerta, ſecundo; dum concionãtur prophetias, quæ in Sacra Scriptura non fundentur; tertio ſi detrahant in concionibus Epiſcopis; aut alijs Prælatis; Alias tres cauſa habet Tridentin. *Seſſ.* 5. *cap.* 2. *de Reformatione*, & ſunt prima, Si Regularis concionetur propoſitiones erroneas, ſecunda ſi ſcandaloſas, tertia, ſi hæreticales ob has ſex cauſas tantum. Pater de Bellis docet, poſſe Regulares ſuſpendi ab officio prædicandi *in ſua Allegat. Hiſpana Corollario quarto*, probat doctè ſuam ſententiam.

2 Sed

2 Sed vt notat noſter celebris Diana, 7. *parte Tract.* 12. *Miſcellan. Reſolut.* 30. Epiſcopos, hanc opinionem in praxi non admittunt; quia aſſerunt habere facultatẽ ſuſpendendi Regulares, etiam non explicata cauſa, ſtante declaratione Sacræ Congregationis, quam adducit Barboſa *in Collect. Congregat.* verb. *Prædicatores num. vltimo & de Poteſt. Epiſcoporum part.* 3. *Allegat.* 16. *num.* 28. Franciſcus Leo, *in Theſaur fori Eccleſiaſtici parte* 1. *cap.* 8. *num.* 9. Piaſecius, *in praxi parte* 2. *cap.* 3. *num.* 41. & modò certe non video quomodo poſt Bullam, *Inſcrutabili de Exemptorum priuilegijs*, ſub Gregorio XV. poſſit ſuſtineri opinio Patris de Bellis, nam licet fortè ipſe in dicta ſua allegatione in Hiſpania facta in fauorem Regularis in Hiſpania degentis conſequenter loquatur, dũ Bulla illa Gregorij XV. *Inſcrutabili* in Hiſpania fuit abrogata per Vrbanum VIII. vt diximus; adhuc vniuerſaliter dubitatur in alijs regionibus an poſſit dicta opinio amplecti, verba Conſti-
3 tutionis *Inſcrutabilis*, me mouent ad contrariam ſententiã, verba ſunt hæc §. 6. *At demum habeat Epiſcopus tamquam dictæ Sedis delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam ſæculares quam Regulares qui in alienis Eccleſijs, aut quæ ſuorum ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente. Ita vt Epiſcopi in ſupradictis caſibus in prænominatas perſonas in præmiſſis omnibus, & ſingulis aut circà ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quandò opus fuerit, etiam extra viſitationem per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas vti eiuſdem Sedis delegati procedere omnemque iuriſdictionem exercere liberè, & licitè valeât.* ecce quomodò etiam alij caſus dantur, & præcipue ſi ſine licentia prædicent, quibus Epiſcopi procedere poſſunt in Regulares concionantes, etiam pœna ſuſpenſionis a concionibus, cum omnibus alijs conuenientibus pœnis poſſint concionatores. Regulares delinquentes punire.

4 Regulares etiam ſubduntur correctioni Epiſcopi ſi concionentur circa Beatiſs. Virginis Cõceptionem. Vide Portel. verb. *Conceptio Deiparæ nu.* 8. & Hieronymum Rodriquez *in Cõpendio De Conceptione Beatæ Mariæ num.* 123. & ſic etiam ſi in illis caſibus exprimatur a iure pœna imponenda Prędicatoribus; attamen in alijs caſibus, cum non exprimatur cur debemus dicere, quod nequeat tunc ſuſpenſio Regularibus imponi ob hæc, & ob declarationes multas Sacræ Congregationis in hac materia adductas non adhæreo ſententiæ Patris de Bellis, fateor tamen, præciſa Conſtitutione *Gregorij X V. Inſcrutabili*; non eſſe omnino improbandam, & maximè pro Regnis Hiſpaniæ adhuc poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili* dictam ſententiam probabilem puto.

Quomodo debeat intelligi Concilium Tridentin. *Seſſ.* 24. *Cap.* 4. *de Reformatione* dum habet, quod nullus Regularis prædicet Contradicente Epiſcopo. Dub. CCIV.

SVMMARIVM.

1 *Aliqua ante ſolutionem dubij ſupponuntur, & notantur.*

2 Re-

2 *Regulares, illa hora, qua concionatur Epiſcopus ipſo contradicente non poſſunt concionari.*

3 *Conſtitutio Gregorij XIII. numquam fuit publicata.*

4 *Etiam ſi Bulla* In Tanta *reuocauerit Pij V. Conſtitutionem*, Et ſi Mendicantium, *non reuocauit tamen articulum poſitum.*

5 *Dato etiam, quod Bulla* In Tanta, *reuocauerit Bullam,* Et ſi Mendicantium, *adhuc non reuocauit declarationes Concilij Tridentini.*

6 *Adhuc viget, quod ſæculares audire poſſint Miſſam in Eccleſiis Regularium.*

7 *Quarta Funeralium ſoluenda eſt tantum ex eo quod offertur in die ſepulturæ.*

8 *Fundamentum principale ſententiæ adductæ.*

9 *Tantum lex vltima reuocat priorem, quando manifeſtè eſt contraria.*

10 *Leges, quæ diſtant a iure communi, & ſunt odioſæ debent limitari.*

11 *Ad intelligentiam legum debet attendi mens legiſlatoris.*

12 *Vt iuris correctio euitetur poſſumus ſenſum verborum torquere.*

13 *In Dubijs ius antiquum non cenſetur reuocatum, & correctum.*

14 *Epiſcopus habet facultatem ſuſpendendi conciones Regularibus*, ex vi ſeſs. 5. cap. 2.

15 *Non poſſunt Regulares concionari in alienis Eccleſiis ſine licentia Epiſcopi.*

16 *An Contradicentibus Vicarijs foraneis poſſint Regulares feſtis diebus prædicare.*

17 *Solum contradicente Epiſcopo, non verò alijs nequeunt Regulares concionari.*

1 MVltos vidi Doctores, qui doctè tradunt intelligentiam talis decreti, ſed inter omnes exactius puto tradi a noſtro Patre D. Auguſtino de Bellis *in ſua Allegat.* alibi citata, vndè hic lectoris ſtudioſi commoditate commendabo latino ſermoni, quod ipſe Hiſpano ſcripſit; vt occaſio, qua ſcripſit requirebat.

Supponit ergo primo per ius commune per *Caput Dudum de ſepulturis*, & per Clementin. *ſuper Cathedram eodem titulo*, Regulares poſſe in proprijs Eccleſiis concionari; ſecundo, In Plateis publicis etiam ſine facultate Epiſcopi; tertio, In alienis Eccleſiis non poſſe ſine Parrochorum, aut earum Superiorum facultate; quarto, poſſe Epiſcopum precipere eis, ne concionentur ea hora, qua ipſe Epiſcopus concionabitur, aut alium coram ſe concionari mandauerit, hoc poſito, 2 venit ad Intelligentiam Cócilij, & adducit Cóſtitutioné Pij V. *Et ſi médicátiũ*, In qua Pótifex declarat méte Cócilij ſic dicens. *Nos igitur motu proprio & ex certa ſcientia declaramus canonem ſeſſ. 24. cap. 4. per quem omnibus Regularibus etiam in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum ſunt contradicente Epiſcopo officium prædicationis interdicitur Mendicantium Fratres non comprehendere. Immo volumus, quod abſque contradictione Epiſcopi (niſi ipſe prædicauerit) prædicare poſſint*. Ergò dicit Pater de Bellis per ly verbum *declaramus*, ſignnm eſt non derogare Summum Pontificem Concilio, ſed tantum velle declarare, quid ſibi velit Concilium, dum ponit illa verba *contradicente Epiſcopo, & cæt.*

per

per quæ nihil aliud vult Concilium, niſi quod Regulares illa hora, qua concionatur Epiſcopus, non concionentur ipſo contradicente.

Quod ſi dicas cum multis Doctoribus quos hic citare prætermitto; hanc Conſtitutionem, *Et ſi Mendicantium* fuiſſe reuocatam per Gregorium XIII. in ea, quæ incipit *In Tanta*.

3 Reſpondetur primo. Talem conſtitutionem *In Tanta* numquam fuiſſe publicatam, vt habet Nauarrus *cap. 27. num.* 291. in Impreſſione Antuerpiæ 1584. his verbis, *quia promiſimus inſerere Bullam Gregorij XIII. ſi exiret, quæ quia non exiuit, & cæt.* idem firmant alij etiam Doctores.

Secundo. Reſpondetur, dato etiam, quod dicta Conſtitutio publicata fuerit, non habet vim reuocandi Conſtitutionem Pij V. & hoc ob multas rationes. Primo, quia Gregorius XIII. clarè fatetur ſe motum fuiſſe ad talem Conſtitutionem faciendam, quia intellexerat ab eodem Pio V. fuiſſe dictam Conſtitutionem, *Et ſi Mendicantium* reuocatam; ſed numquam Pius V. eam reuocauit, vt tradit Nauarrus *cap. 25. num.* 5. ergò

2 Secundo. Dato etiam, quod vim habuerit dicta conſtitutio Gregorij XIII. reuocandi illam Pij V. allatam adhuc non reuocauit articulum poſitum, circa materiam agitatam de Prædicatione Regularium contradicente Epiſcopo, & probatur, quia in dicta Cōſtitutione, *Etſi Mendicantium* ſunt aliqua contraria Concilio Tridentino, & aliqua non, ſed tantum declaratoria Concilij; prima reuocantur à Cōſtitutione Gregorij XIII. *In Tanta*: ſecunda neqnaquam. Immò clauſulæ declaratoriæ Concilij, quæ erant in citata Conſtitutione, *Et ſi Mendicantium*, iterum fuerunt confirmatæ à Gregorio, vt tradit Rodriquez in expoſitionem Cruciat. §.9. *dub.* 1. nu. 32. & etiam Portel. *parte 2. caſuum caſ. 26. num.* 7. Sed quod diſponit Pius V. circa Regulares concionantes eſt declaratorium Concilij non reuocatorium. ergò

5 Tertio. Probatur etiam, ſtante quod Bulla *In Tanta* ſit reuocatoria Bullæ, *Et ſi Mendicantium*, quod reuocabat erat omne, quod eſſet priuilegium à Pio V. conceſſum, ſed declaratio Concilij, etiam in fauorem Regularium non eſt priuilegium. Ergo, & confirmatur, quia omnes declarationes, quas fecit in dicta Bulla Pius V. ſunt adhuc in obſeruantia, ergò ſignum eſt non fuiſſe reuocatam talem Conſtitutionem quo ad clauſulas declaratorias, quas ibi habet Concilij Tridentini, ſic declaratio ibi facta

6 *cap. 9. ſeſſ. 22.* adhuc viget, quod ſæculares ſcilicet audire poſſint Miſſam in Eccleſijs Regularium roborata etiam fuit ab Vrbano VIII. anno 1625. ſic viget altera declaratio *cap. 15. ſeſſ. 23. & cap. 10. ſeſſ. 25.* vt dicit de Bellis; ſed ego puto poſt Cōſtitutionem *Inſcrutabili* fuiſſe ibi decreta reuocata, ſic in robore ſuo eſt declaratio, quam ibi fecit Pius V. *cap. 2. ſeſſ. 5.* ex qua habetur Regulares in proprijs Eccleſijs concionantes examini Epiſcoporum non ſubiacere: ſic vim etiam adhuc habet illa declaratoria *c. 13. ſeſſ. 25.* vbi

7 habetur, quartam Funeralium tantum ſoluendam ex eo, quod offertur in die ſepulturæ; quod etiam confirmatum fuit ab Vrbano VIII. *anno* 1625. Ergò omnes declarationes ferè, quas ibi fecit Pius V. & erant declara-

clarationes Concilij adhuc ſeruantur modò; quo ad has non fuit igitur reuocata Conſtitutio, *Et ſi Mendicantium* à Conſtitutione,*In Tanta* Gregorij XIII.

8 Secundo. Fundamento principali,quo mouetur dictus Pater de Bellis ad talem intelligentiam Concilij, quod ſcilicet velit; tantum dum concionatur Epiſcopus ipſo contradicente, non poſſe Regulares concionari, eſt quia ſi aliter intelligatur ille locus, debemus neceſſario fateri per Concilium Tridentin. in hoc abrogatum, & caſſatum fuiſſe ius commune, in Clement. *Dudum de Sepultur.*& Clement.*Super Cathedram eodem titul.* per quod tantum in duobus dictis caſibus datur facultas Epiſcopis; vt poſſint prohibere Regularibus, ne concionentur; quando ſcilicet ipſi concionari volent, vel alium coram ſe audire Concionantem.Quod autem Concilium talia iure abrogare voluerit, non poteſt præſumi ob multas rationes, quas ibi adducit Pater de Bellis, quarum aliquæ non placent; vnde hic eas non infero, & tantum breuiter, adhærendo tamen adductis à Patre de Bellis aliquibus vtar. Primo correctio, & reuocatio iurium ſemper quantum fieri poteſt, & vitanda; & cum leges oppoſitæ videntur,ſemper ſunt conciliandæ; quia non eſt credendum Summos Pontifices, qui iura debent tueri, velle poſtea, tam facile leges præteritas abrogare;& hoc adeò verum eſt, vt etiam ſi leges nouæ habeant clauſulas derogatorias, attamen ſi poſſunt conciliari cum antiquis,vtique debēt cōcordari limitationibus,diſtinctionibus,& ſimilibus.

Quod ſi dicas in *cap. Licet de conſtit. in 6.* ſtatuitur,legem vltimam ſemper abrogare priorem, etiam ſi de illa mentionem non faciat; ergo licet Concilium mentionem non faciat *Clement.* iam abrogatur ius *Clement.*

9 Reſpondeo caput illud *Licet*, tantum ſtatuit legem vltimam reuocare priorem, quando manifeſtè eſt contraria, quando autem poteſt concordari, iam vltima lex non reuocat priorem.

Tertium Fundamentum; leges, quæ diſtant à iure communi, & ſunt odioſæ debent limitari; ſed hæc lex Concilij eſt odioſa, & cæt.Ergo debet limitari.

11 Quartum fundamentum, vt habeamus intelligentiam legum debet attendi mens Legislatoris magis quam verba ipſa legum; ergò ex leg. *Labeo ff.du.ſup.libr.1. nominis, & rei §. verbum.ff. de verb. ſignific.* ergo debemus intelligere mentem Concilij talem eſſe, vt nolit abrogare ius antiquum *Clementin.* & ſic per illa verba *contradicente Epiſcopo* intelligit, non poſſe Regulares ea hora concionari, qua ipſe concionatur, ſi contradicat.

Dices; verba ſunt intelligenda ſicut ſonant, & ſecundum communem vſum loquendi ex leg. *librorum §.quod tamen*, ergo verba *contradicente Epiſcopo* abſolutè debent intelligi.

12 Reſpondeo, vt iuris correctio euitetur, etiam poſſumus ſenſum verborum torquere Anton.*cap.Cum Dilectus num.15.De conſuet.* Imol. *ibi numer.12.* Abba.*cap.Cum olim fin.de re iud.* Felyn. *c.non poteſt eod.tit. n.8.verſ.limita* Alex. *conſ.85.n.12.lib.3.*Gozad.*conſ.43.n.2.* Gutier.*li.2.pra.q.15.n.34.*ergò ad cōcordādū Concil.cū Clemēt.poſſumus ad noſtrū ſenſū trahere verba *textus*

multas alias rationes habet, & quidem optimas Pater de Belliis in dicta ſua allegatione Hiſpana *à pag.* 32. *vſque ad* 40. quas non hic pono: & tantum concludo, ſic demus etiam, quod adhuc res dubia ſit; an ſcilicet Concilium *Clementin.* reuocauerit; attamen,

13 tunc Doctores dicunt in dubijs non eſſe ius antiquum reuocatum, & correctum, & ratio affertur à Portel. verb. *lex, nu.* 15. quia in dubijs res ſtat pro poſſidente.

Inſtabis adhuc; Epiſcopus non habet facultatem ſuſpendendi conciones Regularibus; per Concilium autem habet talem facultatem. Ergò Concilium Tridentinum reuocat *Clementin.*

14 Reſpondeo; Epiſcopum non habere talem facultatem ex vi *capitis* 4. *ſeſſ.* 24. vbi habentur hæc verba *Contradicente Epiſcopo*, ſed ex vi *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. vbi expreſsè habetur Epiſcopum poſſe ſuſpendere conciones Regularibus.

Vrgebis adhuc per Clement. non datur facultas Regularibus prædicandi in alienis Eccleſijs. Ergò Concilij Tridentini decretum, quod non prædicent contradicente Epiſcopo in alienis Eccleſijs adhuc in robore erit; etiam abſolutè loquendo.

15 Reſpondeo, non poſſe Regulares in alienis Eccleſijs concionari ſine licentia Epiſcopi, & hoc ex vi *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. dum autem *ſeſſ.* 24 *cap.* 2. dicit Concilium, *nullus Regularis prædicet contradicente Epiſcopo*, ſemper intelligitur iuxtà *Clement.* vnde nec in alienis Eccleſijs, & hora, qua prædicat Epiſcopus debet prædicare ſi contradicat; *ſeſſ.* autem 24. *cap.* 4. loquitur de Regularibus in proprijs Eccleſijs prædicantibus ad hoc non requiritur licentia, ſed benedictio tantum; vt patet legenti, nam de Concionantibus in alienis non eſt dubium.

16 Sed quæres hic; an contradicentibus Vicarijs foraneis poſſint Regulares feſtis diebus prædicare, reſpondet pro Regularibus ſui Ordinis; Hieronymus Rodriquez *Reſolut.* 112. in hæc verba. *Prædicator Minorita inſtante Prætore, ſeu Correctore Ciuitatis in executionem Tridentini decreti, quo præcipitur omnibus diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnioribus poteſt populo prædicare; quia in ſua Regula tantum prohibetur fratribus Minoribus prædicare contradicente Epiſcopo. Vicarius autem Foraneus non eſt Epiſcopus.*

17 Idem ego reſponderem de omnibus Regularibus; nam eis prohibetur in proprijs Eccleſijs prædicare contradicente Epiſcopo, non autem alijs inferioribus Prælatis, qui nomine Epiſcopi non veniunt, ſicut poſſunt venire nomine Ordinariorum. Contrarium tamen dicunt deciſum Barboſa, *in collect. ſeſſ.* 24. *cap* 4. *num.* 19. & apud eum Sailius *cap.* 23. *num.* 27. ſi Prælati illi habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſint nullius diœceſis, & cæt.

An Regularis vnius Ordinis poſſit prædicare in Eccleſia alterius Ordinis cum ſola Epiſcopi benedictione. Dub. CCV.

SVMMARIVM.

1 *Vnde deſſumatur dubitandi ratio.*
2 *Regulares prædicantes in Eccleſiis etiã alio-*

aliorum Ordinum tantum debent petere benedictionem.

3 *Poteſt Regularis in Eccleſia exempta cum ſola benedictione prædicare.*

4 *Etiam ſi Superior loci exempti non habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*

5 *Cum ſimus in odioſis debemus exemptionem Regularium ſaluare omni meliori modo, quo poſſumus.*

1 APud Doctores non vidi dubium in terminis, quia forte ipſis non occurrit dubitandi ratio; Ego puto poſſe eſſe aliquam difficultatem per verba Conſtitutionis *Gregorij XV. Inſcrutabili*, quæ talia ſunt. *Ac demum habeat Epiſcopus tamquam dictæ Sedis delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente præſumpſerint prædicare* per verba *in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum*, quis poſſet dicere; ergo Regulares prædicantes ſolum in Eccleſijs proprijs ideſt Ordinũ; quorum ſunt prædicantes indigent benedictione Epiſcopi; in alienis autem Eccleſijs, etiam aliorum Ordinum, & benedictionem, & licentiam debent habere; ſed hoc non obſtante.

2 Dico, Regulares prædicantes in Eccleſijs etiam aliorum Ordinum, tantum debent habere benedictionem ab Epiſcopo; ſicut ſi prædicarent in Eccleſijs proprij Ordinis, hanc opinionem puto certiſſimam, & in praxi vidi practicari. probatur autem; nam eadem eſt ratio, ſi prædicent in Eccleſijs proprij Ordinis, vel alterius Ordinis. Etenim ſi aliqua eſt ratio, ob quam tantum indigent benedictione, dum prædicant in Eccleſijs proprij Ordinis eſt, quia dictæ Eccleſiæ ſunt exemptæ; ſed etiam Eccleſiæ alterius Ordinis ſunt exemptæ, ergo; & confirmatur deinde per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. cap. 2.* vbi habetur. *Si verò quod abſit Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiam ſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet Epiſcopus ei prædicationem interdicat*, ecce quomodo videtur idem dicendum de prædicatione in propria Eccleſia, & de prædicatione in Eccleſia alterius Ordinis.

Quod ſi dicas; etiam poſſet Regularis in Eccleſia ſæculari exempta cum conſenſu Superioris illius ſine licentia Epiſcopi prædicare; nam tunc etiam Eccleſia illa eſt exempta, & videtur de ea idem dicendum, ac de Eccleſia Regularium: Sed falſum eſt conſequens, ergo, & antecedens.

3 Reſpondeo concedendo poſſe Regularem prædicare in Eccleſia exempta cum ſola benedictione Epiſcopi, vti quando prædicat in Eccleſijs ſui Ordinis; vel alterius Ordinis, & ita fortè dicit Angel. *in ſua Summ. verb. Prædicare* apud Riccium *parte 2. Praxis, reſolut. 290.* dum dicit. Poteſt Abbas dare licentiam Prædicatoribus ad prædicandum in ſuo diſtrictu, & eos examinare, & approbare.

Inſtabis, verum eſt dictum ſi loquamur de prædicantibus in Eccleſia exempta, vbi Superior habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, non autem ſi loquamur de Prædicatori-

bus in Eccleſia exempta, vbi Superior non habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, primum admittitur à pluribus Doctoribus, ſecundum non.
4 Reſpondeo in vtroque caſu veram eſſe noſtram ſententiam non ſolum de Concionantibus in Eccleſia exempta ſi ibi Superiores non habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; ſed in alijs etiam, & videtur expreſsè noſtram opinionem tradere Tamburinus *de Iure Abbatum tom.2.diſput.*11. *quæſit.*2.*num.*5. dum habet. *Igitur regulariter Abbates, & Prælati Regulares in proprijs Eccleſijs poſſunt abſque vlla Epiſcopi, vel Ordinarij licentia requiſita prædicare, vel prædicari facere præterquam, quod hora in qua locorum Ordina-*
5 *rij concionati fuerint*, & confirmatur magis poſita ſententia; nam cum ſimus in odioſis ſicuti eſt ſubdere Regulares Epiſcopis, iam ſaluare debemus Regularium exemptionem; eo maiori modò, quo poſſumus; Ergo cum poſſimus ſaluare verba Concilij, vti ſonant; & ita illa explicare, vt ſimul etiam exemptio Regularium ſaluetur; quantum poteſt ſaluari debemus dicere per ly *in ſuis Eccleſijs* intelligi omnes Eccleſias Regularium, & non tantum illas, quæ ſunt illius Ordinis, ex quo eſt Prædicator.

An Epiſcopi poſſint præcipere Regularibus, vt cum certo quodam habitu concionentur. Dub. CCVI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia exponitur.*

2 *Epiſcopus poteſt cogere Regulares Prælatos, qui habent annexam curam animarum Monaſterio, vt aliquando populo concionentur.*

1 HIc adducam verba Patris de Bellis, qui ob poſitum dubium coactus fuit edere ſuam alibi à nobis citatam Allegationem Hiſpano ſermone conſcriptam, habet ergò in dicta Allegat. *pag. mihi* 17. §. 4. *Però quando todo lo dicho quiſieramos baraxar y conceder que predicar con eſtola eſtè mal hecho enſeñe el Fiſcal del qual Concilio, Canon, ò Bula Pontificia ſaca tener iuriſdicion el ordinario, y mucho menos Sede vacante para prohibirlo a Regulares, dic nobis in qua poteſtate hæc facis? muchos caſos carrean los Doctores, en los quales eſtan Regulares ſugetos al Ordinario però a ninguno dellos ſe puede por lo menos redocir eſto vea a Rodriquez reſolut.*67.*numer.*24.*Cened. quæſt.*26. *num.*6. *Barboſ. allegat.*105. *prax. Epiſc. verb.excomm. material. Cokier tom.*1.*parte* 2.*qu.* 2.*qu.* 45.*y todos los que quiſiere, que nunca hallara tal Major acuerdo huuira ſido el del N. imitan en eſta parte el Obiſpo Liuonienſe in cap. Deus, qui Eccleſiam de vita, & honeſtate Clericor. el qual reparando, que ſus Liuonienſes quedauan eſcandalizados de ver predicar Religioſos cadauno con ſu habito, y trage differente de miedo, que alborotos paraſſen en naufragios de la Fe (pues aun no acabauan de ſalir de mantillas en la criança della por eſtar aun tiernos, y recien baptizados.) pensò remediar, que haria, & cæt. mas preſto huuò recurſo al Pontefice, que lo mandò executar.* Ecce quomodo Epiſcopus Liuonienſis, nō ſe intromiſit cū Regularibus, ſed ad S. Pōtificē recurſū habuit; vt in hoc Regulares coerceret.
2 Quæres hic obiter, & ſit coronis præſentis capitis; an Epiſcopus poſſit co-

cogere Regulares Prælatos, qui habentMonaſterio annexam curam animarum, vt concionantur populo aliquando. Affirmatiue reſpondeo, & ita conſequenter debet reſpondere Tamburinus *De Iure Abbatum tom. 2. diſput. 11. quæſit. 1.* dum dicit Abbates, & Prępoſitos Monaſteriorum, quibus cura animarum incumbit, & ſunt nullius Dięceſis poſſe compelli à Metropolitanis ad munus prædicationis præſtandum. Adde, quod hoc munus maxime ſpectat ad curam animarum. Vnde talem curam habentes, etiam ſi Regulares ſint in hoc ſubduntur Ordinario.

QVO AD PROCESSIONES. Cap. XI.

An Regulares ſubſint Epiſcopo, quo ad Proceſſiones. Dub. CCVII.

SVMMARIVM.

1 *Subſunt regulariter loquendo Regulares Epiſcopo, quo ad proceſſiones.*

2 *Aliquæ Religiones ſunt in hoc exemptæ, & priuilegiatæ.*

3 *Ad proceſſiones tantum publicas poſſunt cogi, & quæ nam ſint iſtæ proceſſiones publicæ.*

4 *An à ſolo Epiſcopo, vel à Prælatis inferioribus poſſint cogi Regulares ad proceſſiones.*

1 RESPONDEO ſubſunt; ſed vt videre facilius poſſis quomodo, & quãdo ſubſint habe hicConſtitutionem Leonis X. quæ incipit, *Dum intra*, & vide Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 13.* In Conſtitutione Leonis habes §. 5. *ab eiſdem Prælatis ad proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca Suburbana vltra vnum milliare à Ciuitatibus reſpectiuè non ſint remota.*

2 Sed non omnes Regulares ſubſunt in hoc Epiſcopo, nã multæ ſunt Religiones, quo ad proceſſiones priuilegiatæ tales ſunt Carthuſiana, Camaldulenſis, Theatini, Clerici Regulares Sancti Pauli, Societatis Ieſu, Miniſtrantium infirmis, aliqui etiam aſſerunt eſſe in hoc exemptos Benedictinos, & Ciſtercienſes, Sed re vera non ſunt, & praxis hoc docet, ſunt etiam priuilegiati Monachi Sanctiſsimæ Trinitatis, & Collegia omnia Mẽdicantium ſtudijs vacantia. Hæc omnia Bordonus *reſolut. 7.* qui citat loca, & Bullas, priuilegia hæc concedentia, ſunt etiam aliæ Religiones priuilegiatæ. Vide dictum Bordonum, & Ioan. Antonium Nouarium *2. par. Bullar. de proceſſionibus, &c.* vbi alios Regulares adducit, qui ſunt exempti.

3 Attamen non poſſunt cogi ad omnes proceſsiones, ſed tantum ad proceſsiones publicas, vt volunt communiter Doctores, Proceſsiones autem publicæ ſunt illæ, quæ fiunt in Litanijs Maioribus, & Minoribus, in feſto Corporis Chriſti, vel quæ fiunt ob bonum publicum; vt ſunt illæ, quę fiunt pro ſalute Principum, puta Regum, & ſimilium; quę fiunt pro peſte, pro electione Summi Pontificis, vel pro alia publica neceſsitate. Ita Leyua Venerus *in ſuo Examine lib. 6. ca. 18.* Zerola autem *in Praxi verb. Proceſſio*, has omnes dicit proceſsiones publicas, & addit inſuper illam dici proceſsio-

Digitized by Google

ceſsionem publicam, vbi adeſt Pręlatus, ex Concilio Prouinciali Neapolitan. *cap.30. de Proceſſionibus*. Bordonus autem etiam proceſsionem publicam dicit, quę fit pro aduentu noui Epiſcopi. Vide Quarantam *In Addit. verb. Præcedentia*. Vide etiam Aloyſium Riccium *reſolut. 308. num. 7. & par. 4. Deciſionum deciſ. 379.* Dianā etiam *reſolut. 106. De Regularibus p. 3.*

4 Quęres hic; an à ſolo Epiſcopo poſsint ad proceſsiones conuocari Regulares; docent à ſolo Epiſcopo poſſe ad has proceſsiones compelli Regulares, Rodriquez *tom. 4. Summ. cap. 105. num. 1.* & Portell. verb. *Proceſſio num. 7.* Villalobos etiam, & Bordonus *reſolut. 7.* Fundamentum eſt, quia inferiores Prælati Epiſcopo nullam habent iuriſdictionem in Regulares: Sed contrarium docent Franciſcus Leo *in Theſauro par. 1. cap. 8. n. 18.* & Campanilis *rubr. 12. cap. 13. n. 117.* & hæc ſententia magis mihi placet, quia hæc auctoritas cogendi ad proceſsiones relinquitur à Concilio illi Ordinario, qui habet ius eas indicandi. Ita Lezana verb. *Proceſſio quo ad Regulares n. 4.* Sed ius indicendi proceſsiones habēt etiam alij Inferiores Prælati. Ergo contrariam tamen ſententiam non iudices improbabilem, lector.

An Regulares debeant vocari ad proceſſiones, perſonaliter, vel ſufficiat ſi vocentur per edictum Epiſcopi. Dub. CCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia amplectitur.*

2 *Requiſitio, & vocatio fit per Nuncium.*

1 Peirinus loquens in terminis ſic habet. *Sed an debeant vocari perſonaliter per Clericos, an ſufficiat edictum neminem hucuſque vidi tractantem, puto tamen perſonaliter, etiam ad conſuetas, tum quia quando Tridentinum vult, vt ſufficiat vocatio per edictum, id dicit expreſsè, vt patet ſeſſ. 24. cap. 18. de Reformatione. Ibi per edictum etiam publicum vocentur. Tum quia edicta, vt plurimum à Regularibus non leguntur, & cum determinare horam ad Epiſcopum pertineat. Si Regulares de ea informati non ſint, non poterunt hora ſtatuta comparere, & ita ſeruatur in praxi in hoc Archiepiſcopatu Genuenſi.* Ita Peirinus, & poſt eum negatiuè etiam reſpondent Bordonus *reſolut. 7. numer. 142.* & Lezana *tom. 1. cap. 9. nu. 47.* Fundamentum eſt, quia 2 in Concilijs tam Lateranenſi, quam Tridentino habentur hęc verba *requiſiti, & vocati*, requiſitio autem, & vocatio fit per Nuncium, ex Gloſſ. in caput *Quod ſicut De electione*. Vnde cum non teneantur Regulares diſcurrere per plateas, & Cathedrales ad hæc inquirenda. Iam hoc eis debet per nuncium manifeſtum fieri.

An ob numerum, vel diſtantiam nequeant aliquando Epiſcopi cogere Regulares ad proceſſiones. Dub. CCVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Singularis opinio refertur circa poſitum dubium.*

2 *Quan-*

Digitized by Google

2 *Quanta debeat eſſe diſtantia, ad hoc, vt Regulares nequeant cogi ab Epiſcopo ad proceſſiones variæ ſunt Doctorum ſententiæ.*

1 QVando ob numerum nequeunt; Regulares cogi ab Epiſcopis ad proceſſiones; vidi ſolum Bordonum dicentem ſic. *Vbi non ſunt duodecim Religioſi non videntur teneri ad proceſſiones in Vrbibus, quia non videtur condecens erigere Crucem cum paruo numero Religioſorum, præter quam, quod eorum Conuentus in hoc, & tam paruo numero æquiparantur hoſpitio, in quo exiſtentes non tenentur accedere ad proceſſiones, vt habemus exemplum Mediolani Canonicorum Regularium Sancti Saluatoris in Monaſterijs Sancti Celſi.*

2 Quando verò ob diſtantiam aliqui dicunt ſi diſtent per miliare integrum ab Vrbe iam non poſſe Regulares cogi ad proceſſiones. Ita Venerus Leyua in *examine lib.6. cap.* 18. *numer.* 20. & conſonat, cum Bulla Leonis X. citato ſuperius, *dummodo eorum loca ſuburbana, vltra vnum milliare à Ciuitatibus reſpectiuè non ſint remota.*

Sed modò fere communiter docent Doctores ſufficere ſi diſtent dimidium milliare, vt nequeant cogi, & compelli ab Epiſcopis ad proceſſiones. Ita Ioannes Antonius Nouarius. *De proceſſionibus in Summ. Bullarum num.*8. qui citat Gratianum, & D. Riccium *in praxi fori Eccleſiaſtici deciſ.*361.& Farinacium in recollatione *part.*1. *deciſionum deciſ.*24. adeſt circa hoc priuilegium conceſſum Cõgregationi Beatæ Mariæ Fulienſis factum per decretum Cardinalium Congregationis Concilij, & ſubſcriptũ ab Eminentiſſimo Hieronymo Cardinali Pamphilio, vide *Priuilegia Ordinis Ciſtercienſis* collecta à Chryſoſtomo Henriquez *pag.*430.

An Regulares qui ex conſuetudine non ſolent accedere ad proceſſiones, poſſint cogi ab Epiſcopo, vt accedant.
Dub. CCX.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſe tunc cogi ab Epiſcopo docet fere communis Doctorum ſententia.*

2 *An Regulares, qui ſponte accedunt ad proceſſiones aliquibus vicibus teneantur poſtea coactè accedere.*

1 OMnes Doctores ferè cõmuniter docent, non poſſe cogi. Ita Bordonus, *reſolut.*7. *num.*134. Rodriquez *tom.*4. *cap.*105. *num.*2. Peirinus *tom.*3. *cap.*2 *num.*29. qui alios citat, & hoc intellige etiam ſi ſine titulo præſcriptio cępta ſit. Sed cum multa requirantur ad hoc, vt conſuetudo tollat, & abroget legem, & ius poſitiuum tu bene conſidera;an hæc multa concurrant in caſu noſtro; Quod autem hoc poſſit per conſuetudinem introduci ab exemptis docet nouiſſimè Moronus *Reſponſ.*12. *à numer.*30. *vſque in finem.*

2 Sed à contrario quæres hic; an Regulares exempti, ſi ſponte accedant aliquibus vicibus ad proceſſiones teneantur poſtea coactè accedere.

Negatiuè reſpondet Emanuel Rodericus *in Compendio, de Proceſſionibus numer.*5. Vbi tamen limitat, & dicit, quod de hoc debet fieri proteſtatio

iuridica à Regularibus coram notario, & publico inſtrumento in forma Collegij ſaluo iure ſui priuilegij; addit tamen ſi per vnum, vel plures actus contraueniant ſuis priuilegijs, ſcienter, vel ignoranter adhuc non fieri præiudicium dictis priuilegijs, in bonum totius Religionis conceſſis, & hoc ex Indulto conceſſo Regularibus Lateranenſibus.

Alij tamen abſolutè, & ſine hac limitatione loquuntur, docentque, etiam ſine proteſtatione poſſe accedere ad proceſſiones, aliquibus vicibus; & tamen non per hoc poſtea poſſe ad illas coactè conuocari. Ita Lezana Verb. *Proceſſiones*, & Bordonus, *Reſolut.* 7. Ioannes Antonius Nouarius *in Summ Bullarum de Proceſſionibus*, & ratio eſt, quia priuilegiū eſt facultatis & poſſunt ire ſi volunt, & ſi nolunt abſtinere; Tum quia precariò videntur acceſſiſſe, & ſic nullum ius videtur Epiſcopo acquiſitum, fauent etiam dictis in ſpecie Calderin. *Conſil.8. De Regulari*, Felinus *in Caput Dilectus de Officio Ordinarij*. Adde etiam Alterum fratrem Ioannem Mariam Nouarium in *Lucerna Regularium verb. Proceſſio*, & Portel.etiam *eodem verbo*.

An Epiſcopus poſſit conuocare proceſſiones in Eccleſijs Regularium.
Dub. CCXI.

SVMMARIVM.

1 *Oppoſitæ ſententiæ circa hoc; negatiuam tamen ſequitur Author.*

2 *Etiamſi in Eccleſijs Regularium poſſit pontificalia exercere; non tamen in eis proceſſiones conuocare, & quare.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Bordonus *reſolut.*7. *De exemptione, & ſubiectione num.*132. ſed

Negatiuè reſpondent Portel. *verb.proceſsio num.*10. Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. de proceſsionibus*, & apud ipſum Vital.*n.*53. Sanchez *in Opere Morali libr.6. cap.9. num.*32. Rodriquez *lib.*7. *de Indulgentijs cap.*26. §. 5. ratio eſt quia talis actus eſt potius officij, quam honoris, & potius iuriſdictionis contentioſæ.

2 Nec obſtat Fundamentum Bordoni Epiſcopus poteſt in dictis Eccleſijs pontificalia exercere etiam inuitis ipſis Regularibus. Ergò ſic etiam ibi poterit proceſſionaliter adire, nam reſpondeo conuocare proceſſiones non eſſe purum actum Pontificalium; ſicut nec ordinare, & degradare, vnde cum habeat admixtum aliquid iuriſdictionis, iam non poterit Epiſcopus talem actum in Eccleſijs exemptis Regularium exercere ipſis inuitis.

An Regulares poſsint facere Proceſſiones extra Eccleſiam ſine licentia Epiſcopi.
Dub. CCXII.

SVMMARIVM.

1 *Aliud eſt quod Eccleſia potiatur priuilegio immunitatis, & aliud, quod iuriſdictio Monaſterij ad illud ſpatium extendatur.*

3 *In*

2 *In Hiſpania ſolent Regulares facere proceſsiones extra ſuas Eccleſias etiam ſine licentia Epiſcopi.*

3 *Circa propoſitum dubium declaratio Sacræ Congregationis affertur.*

4 *Sufficit conſenſus Parrochi, vt Regulares poſsint proceſsiones extra ſuas Eccleſias facere.*

5 *Fratres Dominicani habent notabilem priuilegium circa hoc.*

1 IAcobus de Graſſis, quem refert Lezana verb. *Proceſsio quo ad Regulares* tenet poſſe extrà Eccleſiam per triginta paſſus fieri ſine licentia Epiſcopi, & colligit ex Cap. *Sicut Antiquitus* 17.*quæſt*.4. vbi habetur Eccleſiam gaudere immunitate per triginta, aut quadraginta paſſus. Sed

Contrarium docent ferè communiter Doctores, ipſe Lezana *loco ſupra* Bordonus *reſolut*.7. *de exemptione, & ſubiectione, & cæt.* & apud ipſum Rodericus, Diana *part*.3. *tract*.2. *de dubijs Regular. reſolut*.77.

Nec valet fundamentum primæ ſententiæ; nam vt bene notat Lezana aliud eſt quod Eccleſia potiatur priuilegio immunitatis, & aliud, quod iuriſdictio Monaſterij ad illud ſpatium extendatur, cum Abbatis territorium dicatur tantum ipſum Monaſterium. Idem tradit Campanilis *Rubric*.12.*cap*.13. teſtantur etiam hi Doctores adeſſe in hoc declarationem Sacræ Congregationis.

2 Et nota hic cum Lezana, & Portel. *verb. Proceſsio num*.8. in Hiſpania & præcipue in Regno Portugalliæ. Regulares ſolere facere proceſſiones extra ſuas Eccleſias, & Monaſteria ſine licentia Epiſcopi; Quando autem adeſt conſuetudo in contrarium putat Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi allegat*.78.*numer*.7. poſſe Regulares proceſſiones extra Eccleſias facere. Sed res dubia mihi eſt. Circa verò dubium propoſitum, habe hic quamdam declarationem Sacræ Congregationis, quam affert ex Nouario Lezana *loco ſupra*, & eſt talis.

3 *Sacra Congregatio ad tollendas difficultates, quæ quotidie oriuntur circa proceſsiones fiendas, tam per Regulares, quam per Confraternitates in Eccleſijs Regularium, inhærendo decretis alias in ſimilibus factis, & ſignanter in Cæſaraugustana 17. Martij 1627. cenſuit in proceſſionibus fiendis, tam per Regulares, quam per Confraternitates laicorum ità in poſterum ſeruari debere, vt in Eccleſijs habentibus clauſtrum proceſſiones fieri non poſſint niſi intra clauſtra, & non extra. In Eccleſijs verò carentibus clauſtris fieri poſſint extra ambitum, hoc eſt propè muros Eccleſiæ, ſiue exeundo à Ianua Eccleſiæ, & per aliam intrando, ſiue per eamdem, & propè muros Eccleſiæ. Extra verò ambitum Eccleſiæ non licere neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere proceſſiones niſi de licentia, conſenſu, aut cum Cruce Parrochi, exemptis tamen illis Eccleſijs, quæ habent in hoc ſpeciale priuilegium faciendi proceſſiones per alia loca, quibus per hoc decretum Sacra Congregatio non intendit præiudicare.*

4 Et nota per illa verba, *niſi de licentia conſenſu, aut cum Cruce Parochi* ſufficere conſenſum ſolius Parrochi ad hoc, vt Regulares poſſit extra Eccleſias, & Monaſteria proceſſiones facere. Ita Gauantus *verb. Proceſsiones in praxi Viſitationis* Barboſa *de officio Parrochi cap*.12.*nu*.13. qui adducit eamdem declarationem ſupra adductã; & hoc

hoc intellige ſaluis priuilegijs Regularium, ſi quæ habent circa hoc, vt habere conſtat Fratres Dominicanos ex Declaratione Sacræ Congregationis Rituum in proceſsione Corporis Chriſti. Declaratio eſt tenoris ſequentis.

5 *Sacra Rituum Congregatio audita relatione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Cardinalis de Monte, coram quo de mandato eiuſdem Congregationis deducta fuerant, voce, & ſcripto iura, & rationes Fratrum Prædicatorum Ciuitatis Peſaurienſis prætendentium poſſe virtute litterarum Clementis VIII. ampliare viam ab illis alias electam per proceſsiones faciendas Dominica infra Octauam Corporis Chriſti, eadem S. Congregatio audita relatione, vt ſupra iuxta formã litterarũ felicis Recordationis Papæ Clementis Octaui, in quibus expreſſum dicitur, quod Fratres Dominicani dictam eorum proceſsionem Sanctiſsimi Sacramenti facere per vicos, plateas, & loca ab eis electa, & ſemel tantum eligenda, declarauit dictos Fratres Dominicanos in dicta eorum proceſsione, quam in Ciuitate Piſauri facere ſolent in Dominica Infra Octauam Feſtiuitatis Corporis Chriſti debere incedere per eamdem viam, per quam proceſsionaliter prima vice inceſſerunt, quando dictam proceſsionem facere inceperunt.*

Ecce quomodo talis Religio in huiuſmodi proceſsione priuilegiata eſt.

An Epiſcopus poſſit compellere Regulares ad proceſſiones pro Oratione 40. horarum, vel pro Indulgentijs. Dub. CCXIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſunt Epiſcopi Regulares compellere ad proceſſiones pro Indulgentijs.*

2 *Nec etiam pro Oratione quadraginta horarum.*

3 *Aliqua obiter notantur ad materiam pertinentia.*

1 NEgatiuè quo ad Indulgentias reſpondet Bordonus, *Reſolut. 7. quæſit.* 45. Ratio ipſius eſt; quia non videtur talis proceſſio publica, ſed potius ordinatur ad honorem illius Eccleſiæ in qua Indulgentiæ exponuntur; licet indulgentia ipſa ordinetur ad tale bonum.

2 Negatiuè etiam reſpondent, quo ad Orationē quadraginta horarum. Ioannes Antonius Nouarius, *De Proceſſionibus In ſumm. Bullar.* & Bordonus *loco ſuprà*, citatur etiam Genuenſis, *in praxi Curiæ Neapolitanæ cap. 64. num. 3.*

3 Quæres hic obiter. An Regulares dum tenentur accedere ad proceſſiones, debeant accedere ad Cathedralē, Reſpondetur affirmatiuè, Ità Seraphin. *deciſ.* 15. Illuminatus Moronus, *Reſponſ.* 12. *num.* 21.

Secundo, An ad Epiſcopum ſpectet determinare viam qua debeat incedere proceſſio, Reſpondetur pertinere ad Epiſcopum, & eo abſente ad eius Vicarium; Ità cum multis citatis

Digitized by Google

ta^r^is, citatus *loco ſupra*, Moronus intellige tamen hoc poſſe Vicarium cũ conſenſu Capituli, Vide Barboſam de poteſtate Epiſcopi, *parte tertia allegat.* 78.

Terto, An poſſit Epiſcopus determinare habitum, quo Regulares debent accedere ad proceſſiones, Reſpondeo negatiuè cum Bordono, *Reſolut.* 7. *num.* 142.

An Epiſcopus poſſit obligare ad proceſſiones Recollectos quos dicunt. Dub. CCXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quis ſint iſti Recollecti.*

2 *Nequit Epiſcopus hoc Regulares recollectos, qui ſunt in prouincijs non recollectis ad proceſſiones obligare.*

3 *Declaratio Sacra Congregationis.*

1 Supponendum eſt adeſſe in Hiſpania aliquos Conuentus Fratrum Minorum, qui Recollecti dicuntur, & ſunt aliquæ Prouinciæ integræ Recollectorum, tunc non ſolent accedere ad proceſſiones; & ſic de illis non eſt dubium, cum per vſum & conſuetudinem iam nõ teneantur accedere, De his vero Recollectis loquendo, qui ſunt in prouincijs non recollectis, & ad quos poſſunt tranſire Religioſi nõ recollecti, adeſt aliqua difficultas, & habet illam in terminis Portel. *tom* 2. *Caſuum. Caſu* 107.

2 Dico ergò nequit Epiſcopus hos Regulares Recollectos qui ſunt in prouincijs non recollectis ad proceſſiones obligare, & probatur ex declaratione Congregationis Cardinalium Sacri Concilij Interpretum, qui DD. interrogati; qui nam eſſent Religioſi, qui dicendi ſunt viuere in ſtrictiori clauſura, reſpõderunt in quadam ſua declaratione, eſſe illos, qui neque canunt in choro, neque vadunt ad mortuos ſepeliendos. Sed iſti recollecti, teſte Portel. non vadunt ad mortuos ſepeliendos, Ergò hanc declarationẽ Cardinaliũ adducit Cappucinus Sorbo ad compendium Mendicantium. Verb. *Proceſſiones*, & eſt tenoris ſequentis.

3 *Declarauit tamen Sacra Congregatio Cardinalium ſuper hoc decretum Concilij hoc debere intelligi dummodò proceſſiones ſint eius generis, quod Bulla ſupradicta comprehendit, & dummodò Regulares non ſint ex illis conuentibus qui Collectanei nuncupantur, qui in eadem Bulla excipiuntur, videlicet, in quibus fratres arctiori clauſura degunt; Ita vt, nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant*, Vide Portel. *loco citato*.

An Epiſcopus debeat præcedere Prelatos Regulares in proceſſionibus, quæ fiunt in Monaſterijs. Dub. CCXV.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus debet præcedere & cæt.*

2 *Cappellanus maior capellæ Regalis omnes Epiſcopos, & Archiepiſcopos præcedit.*

1 Affirmatiuè & merito reſpondet Mauritius de Alzedo, *De Concilio Generali, & Synodali parte* 2. *cap.* 1. *num.*

*num.*63. ſic etiam Rodriquez, *tom.*2. *quæſt.*59. *art.*1. qui ſic habet: 2. *Infertur, quod ſi ingrediatur Epiſcopus in aliqua proceſſione in monaſteria exempta in ſuo territorio exiſtentia debet Epiſcopus præcedere Prælatum illius Monaſterij, etiam ſi Prouincialis aut Generalis ſit; cũ Epiſcopus ſit in ſuo territorio, & hac ratione Sacri Canones determinarunt; quod non ſolum licentia Papæ, ſed etiam Epiſcopi ad ædificationem Monaſterij eſt neceſſaria, cum in ſuo territorio Monaſterium debeat ædificari, de quo in ſuperioribus latè diximus*. Ità Rodriquez.

2 Sed nota hic obiter Cappellanum maiorem Cappellæ Regalis in Regia Cappella omnes Epiſcopos, & Archiepiſcopos præcedere, & ſi Rex præſens fuerit in qualibet Eccleſia etiam in Cathedrali. Ita Alzedo *loco ſupra*, & Emanuel, *to.*3. *c.*61. *n.*1. & 2.

An Epiſcopus poſſit decidere controuerſias ortas inter Regulares in Proceſſionibus.
Dub. CCXVI.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi poſſunt, nec appellatio admittitur, decidere controuerſias & cæt.*

2 *Hoc tamen poſſunt Epiſcopi ſecundum aliquos, quando ſequitur ſcandalum.*

3 *Debet tamen decidere has controuerſias Epiſcopus ſummariè, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij.*

4 *Quomodo Epiſcopus poſſit bene decidere has controuerſias.*

1 Reſpondeo poteſt, nec admittitur appellatio Ità Clare colligitur ex Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de Regulari cap.* 13. & communiter dicunt Doctores adeſt etiam Conſtitutio Gregorij XIII. quæ incipit, *Expoſcit Paſtoralis* apud Confettium, *pag.* 250. & Quarantam Ver. *Præcedentia*, Sed quo ad appellationem quæ non admittitur: Salgado, *de Protectione Regia tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. *num.* 99. intelligit quo ad effectum ſuſpenſiuum, vndè non tollit Concilium appellationem deuolutiuam. Bordonus etiam teſtatur, *Reſolut.* 7. *num.* 139. adeſſe Deciſionem Rotæ, *in Colonienſi Præcedentia*.

2 Aliqui tamen apud Barboſam in dictum locum Concilij dicunt tunc Epiſcopum poſſe prædicta, quando ſequitur Scandalum, ſecus ſi nullum, quod tamen exploditur tamquam falſum a Bordono *loco ſupra* eſt tamen maximè notandum.

3 Decidere tamẽ debet Epiſcopus has controuerſias ſummarie, & de plano ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, vt refert Campanilis declaratum *Rubric.* 12. *Cap.* 13. *num.* 120. apud Lezanam *Verb. Proceſſio*, quo ad Regulares, & Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullar. de Proceſſionibus*.

4 Vt autem Epiſcopus bene poſſit & ſciat decidere cõtrouerſias dictas, ortas inter Regulares videre potes Lezana Verb. *Præcedentia Inter Regulares*, qui ſingillatim præcedentiam cuiuſcumque Ordinis aſſignat, & dat etiam alium modum decidendi has controuerſias ortas in proceſſionibus. Verb. *Proceſſio quo ad Regulares n.* 5. & eſt, vt controuertentes ſi de iure non poſſit in continenti conſtare, eiciantur ex proceſſionibus ſalua eorum iuſtitia.

An

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares nolent accedere ad Proceſſiones. Dub. CCXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones oppoſitæ circa hoc.*
2 *Authoris opinis negatiua, & Fundamentum.*
3 *Declarationibus multis adductis in contrarium ſatisfit.*
4 *Allegationes circa poſitum dubium.*

1 AFfirmatiuè reſpondent apud Barboſam, *in caput* 13.*ſeſſ.*25. *Concilij Trident.* Perez de Lara, Cenedus, Salgado, Aloiſius Riccius, Stephan. Gratian,& alij; Vndè hi omnes poſſunt addi Zerolæ, & Lauretto de Franchis citatis in dubio, in quibus caſibus poſſit Epiſcopus Regulares excommunicare.

Negatiuè vero apud eundem Barboſam *eodem loco*, reſpondent. Henriquez, Sanchez,Portel.Scortia, Laurentius de Peirinus, Tamburinus, & celebris Diana.

2 Dico ergò;non poſſunt Epiſcopi excommunicare Regulares, qui nolunt ad proceſſiones indictas accedere. Prob. per Concilium tantum habetur, *Exemptis autem omnes tam Clerici Sæculares, quam Regulares, quicumque etiam Monachi ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur his tantum exceptis & cæt.* nihil habet Concilium de cenſuris,quas quando vult, vt poſſint in Regulares fulminari expreſsè de eis mentionem facit. ſecundo, Probat ex *cap.*1. *de Priuilegijs* §. *in eos autem quibus nec interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quoquam valeant a Sede Apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt Religioſi quamplures in quorum priuilegijs continetur ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Monaſterium ſuorum Monachos pro vlla cauſa, vlloue loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat. Idem Ordinarij Iuriſdictionem ſuam quantum ad iſta, vbicumque illi fuerint pænitus exercere nō poſſunt*, Ergò cum Regulares ferè omnes habeant hoc priuilegium, quo frui mendicantes plures Doctores teſtantur: Hinc eſt, quod non poterunt ab Epiſcopis excommunicari niſi ſpecialem habeant ſuper hoc commiſſionem: Sed in caſu poſito non habent hanc ſpecialem commiſſionem, Ergo

3 Ad Multas declarationes quas adducunt aduerſarij Reſpondet, & optime Villalobos.*Tract.*35.*Difficult.* 5. *Parte* 2. *num.* 17. non loqui has declarationes in caſibus, in quibus Regulares ſunt priuilegiati ne poſſint excommunicari; Sed melius etiam, meo iudicio reſpondet Lezana, *Verb. proceſſio quo ad Regular. num.* 2. nihil obſtare has declarationes non ſolum reſpectu Religioſorum, qui priuilegiati ſunt, ſed etiam aliorum exemptorum qui talis priuilegia non habent, & Ratio eſt quia Quando Concilium voluit dare hanc auctoritatem Epiſcopi, vt cenſuras ferant in Regulares exemptos ſolet exprimere. Ergò cum in hoc caſu non exprimat nō debemus concedere talem facultatem Epiſcopis. Deindè tales declarationes authenticæ nō extant; Vndè non cogimus eis dare fidem. Inſuper aliæ fuerunt declarationes contrariæ, vt teſtantur Barboſam, & Quarant. apud eundem Lezanam: Sed ad dubij maio-

maiorem intelligentiam habe hic lector aliquas doctorum virorum allegationes quæ Romæ factæ fuerunt in ſimili controuerſia hoc anno 1646. ex quibus certè exactius propoſiti
4 dubij ſolutionem habebis.

Papien. nullitatis Interdicti.

EMinentiſs. & Reuerendiſs. Domine Ex alias deductis, & comprobatis ex ſolita benignitate reaſſumendis, in facto reſultat.

Primo quod R. P. Canonici Regulares Congregat.onis Lateranen. Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Oliueti, & Congregationis S. Hieronymi mei principales, quorum Eccleſiæ, per Reuerendiſſimum D. Epiſcopum Papien. dicuntur ſuppoſitæ interdicto, ob non acceſſum ad Proceſſionem S. Marci præſentis anni, inter complura alia priuilegia eorum ſingulis, per diuerſos pro tempore Romanos Pontifices conceſſa, & reſpectiuè communicata, & ſucceſſiuè vſque ad hæc moderna tempora ampliſſimè confirmata, etiam ex titulo oneroſo ingentium præſtationum, quæ ſingulis annis vna cum alijs duodecim Congregationibus Reu. Cam. Apoſtolicæ inceſſanter impendunt,

Fuerunt, & ſunt realiter, & perſonaliter in ampliſſima forma exempti a Iuriſdictione quorumcumque Ordinariorum, & immediatè ſubiecti Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, & ſub eius protectione recepti. Pro cuius exemptionis ſubiectionis, & receptionis recognitione perſoluunt eidem Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ ſingulis annis in vigilia Feſtiuitatis S. Petri vnam vnciam auri.

Ac etiam exempti ab acceſſu ad Proceſſiones, & ad defunctorum funera, & quod non poſſint ab ijſdem Ordinarijs ſuſpendi, interdici, & excommunicari, ita quod ſuſpenſiones, interdicta, & excommunicationes à dictis Ordinarijs contra formam dictorum priuilegiorum proferenda ſint nulla, & irrita, nulliuſq; roboris, vel momenti, vt patet reſpectiuè, ex eorum priuilegijs in Bullar. in Bulla Iulij II. 12. §. 23. *Sixti IV.* 10. §. 11. *ac etiam Martini V. quod datur ad partes.*

Ponderando ſignanter illud Sixti IV. quod eſt poſterius cap. 1. de priuileg. in *6. qui mandat, quod dicti locorum Ordinarij, nullam in Monaſteria, Eccleſias, perſonas, & loca Congregationis Lateranenſ. præheminentiam, Superioritatem, & Iuriſdictionem quomodolibet exercere poſſint, etiam ratione contractus, vel delicti, ſeù rei, de qua agitur vbicumque ipſa conſiſtat, cum decreto, & quod omnes, & ſinguli proceſſus, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſententiæ, cenſuræ, & pœnæ, quas, & quidquid contra dicta Congregationis Canonicos, Monaſteria, perſonas, Eccleſias, & loca haberi, & fieri contigiſſet, ſeù etiam promulgari, irritos, & inanes, nulliuſq; roboris, & momenti eſſent, ac pro nullis, & infectis haberi deberent, etiam quod exemptio Congregationis (quam tanquam notoriam, & manifeſtam haberi voluit) allegata, ſeù aliter de ea mentio facta, non eſſet.*

Secundo, quod modificatis per particularem conſtitutionem æditam in Concilio generali Lugdunen. de qua in cap. 1. de priuileg. in *6. omnibus priuilegijs exemptionum, ita quod ex tunc de cætero dictis exemptionibus non attentis, poſſent huiuſmodi exempti ratione delictorum contractuum, & rei ſitæ, coram locorum Ordinarijs conueniri, fuit expreſsè præſeruatum quod in eos, in quibus nec interdici, ſuſpendi, vel excommunicari à quocumque valerent, à Sede Apoſtolica erat indultū.*

Iidem

Iidem Ordinarij, quantum ad Interdictum, ſuſpenſionem, & excommunicationem vbicumque dicti exempti fuiſſent, ſuam Iuriſdictionem penitus exercere non poſſent. Et quod eundem decretalem dicti cap.de priuileg. in *6. innouandam cenſuit, ac innouauit* Conc.Trident. ſeſſ.7 cap.14.de reformat.

Tertio quod dicti principales audito quod dictus Reuerendiſs. D. Epiſcopus Papien. volebat indicere quandam nouã Proceſſionem Nouenam ab ipſo nuncupatam ad quam accedere non tenebantur, promptè obtulerunt ipſos ad illam acceſſuros, quatenus vrbaniter, non autem per viam edicti pænalis inuitati fuiſſent: dictus Reuerendiſſimus hac Religioſa oblatione ſpreta, & recuſata, declarauerat velle illos ad dictam Proceſſionem auctoritatiuè compellere, prout effectiuè mediante pænali Edicto in locis ſolitis affixo, & publicato compellere tentauit.

Ad euitandum huiuſmodi iniuſtum compulſum obtinuerunt ab Auditores Cameræ tamquam dictorum priuilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum Executore ſolitas litteras citatoriales, & inhibitoriales pro dd. priuilegiorum obſeruatione, ac etiam pro obſeruatione decretorum factorum ad fauorem R R. Monachorum Congregationis Caſinen. reſtringentium eorum acceſſum ad Proceſſionem quoad illam Corporis Christi tantum; dictaſque inhibitiones perſonaliter intimare fecerunt DD. Vicario Generali, & Promotori dicti Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi ſub diebus 12. 13. *&* 23. *Aprilis proximè præteriti, vt in originalibus penès Illuſtriſs. D. meum Secretarium alias dimiſſis.*

Quarto et denique quod dicti principales citati per duas diſtinctas citationes ad dicendum cauſam, quare non debebant declarari incidiſſe in pænas interdicti comminati in dicto Edicto ob non acceſſum ad dictam ab ipſo inſtitutam Proceſſionem, quã fecerat die Dominico in Albis 23. *et ad Proceſſionẽ S. Marci die* 25. *eiuſdem mẽſis Aprilis, repetierũt dictas inhibitiones Auditoris Cameræ, vt ſupra præſẽtatas proteſtando, & reproteſtando ſpecialitèr, & expreſsè, quod non poterat nec debebat deuenire ad declaratoriam dicti præ tenſi incurſus abſque notorio ſpretu dictarum inhibitionum, & vlterius à comminatione Interdicti, ab eodemque Interdicto (quatenus proferretur, omnique vlteriori proceſſu) ad Sanctam Sedem Apoſtolicam appellarunt, & ſucceſſiuè ab illius ſubſequuta declaratoria denuò appellarunt, vt in Summario præcedentis poſitionis* num.3. *vt ſupra reaſſumendo.*

His præhabitis, nullum, & inualidum fuit, & eſt dictum Interdictum. Primo quia dictus Reuerendiſſimus ad illud proceſſit ſine Iuriſdictione, & contra formam dictorum priuilegiorum, & contra litteralem diſpoſitionem dicti cap.1.§.in eos de priuileg. in *6. illiuſque innouationem factam per dictum Concilium Tridentinũ* d.cap.14.ſeſſ.7. de reformat. *hanc interdicendi facultatem Ordinarijs penitus adimentem. Et propterea tamquam latum ab eo, qui in hoc nullam pænitus Iuriſdictionem vt ſupra habebat, Interdicti nomen, nec minus meretur* l.prima §.fin. ff.Tertullian. *cum alijs per* Vantium de nullit. ex defect. Iuriſdict. num. 1.

Quibus non obſtat diſpoſitio Concilij Tridentini cap.13. ſeſſ. 25. de Regularib. *concedens Ordinarijs facultatem cõpellendi exemptos ad accedendũ ad Proceſſiones. Quia concedit compulſum, non autem facultatem illum exercendi per cẽſuras, prout expreſsè conceſſit in alijs locis in quibus voluit illos compelli poſſe per cenſuras, vt articulo magiſtraliter diſcuſſo*

opti-

optimis rationibus, fundamentis, & auctoritatibus firmat Sanchez de matrimonio lib.7.cap.33. alias citatus.

Minus obſtant prætenſa decreta Sacrarum Congregationum diſponentium, vt ex aduerſo prætenditur, quod Ordinarij poſſint compellere exemptos ad Proceſſiones per cenſuras. Primo quia huiuſmodi decreta hactenus allata non fuerunt. Et ſi afferrentur, apparebit, quod illa non fuerint facta citatis, & auditis dictis principalibus, & res inter alios acta non præiudicat.

Præſertim quia nec etiam apparebit, quod fuerint facta contra illos Regulares, qui habent priuilegia, quod non poſſunt ſuſpendi, interdici, vel excommunicari, cum decreto irritanti aduerſus ſuſpẽſiones, interdicta, & excommunicationes contra formam dictorum priuilegiorum promulganda, & conſequenter contra noſtros principales in hoc ſpecialiter vt ſupra priuilegiatos nullum ſtatum firmare poſſunt.

Minùs obſtat decretum Congregationis Concilij Tridentini declarans, quod Ordinarij poſſint compellere Regulares ad dictas Proceſſiones omnibus pœnis ſibi benè viſis.

Quia ſi dictum prætenſum decretum ſub vniuerſalitate pœnarum Ordinarijs benè viſarum, comprehenderet pœnas cenſurarum contra iſtos priuilegiatos, qui non poſſunt ab Ordinarijs excommunicari; Vtiq; non eſſet declaratorium, ſed deſtructorium ipſius Concilij.

Quandoquidem cum dictum Conciliũ in dicta præcedenti Seſſ. 7. cap. 14. *innouauerit diſpoſitionem dicti* cap. 1. de priuileg. in 6. *In qua expreſsè prohibetur dictis Ordinarijs, quod non poſſint ſuſpendere, interdicere, vel excommunicare exemptos habentes à Sede Apoſtolica priuilegia, quod ab Ordinarijs ſuſpendi, & interdici, & excommunicari non poſſint,*

Perneceſſè conſequitur, quod in ſequenti Seſſ. 25. de Regularib. dicti cap. 13. *mandando ſimpliciter dictos exemptos compelli non potuerit intelligere de compulſu per cenſuras, quas per innouationem* dicti cap. 1. de priuilig. in 6. in dict. præcedentis Seſſ. 7. cap. 14. vt ſupra prohibuerat.

Eoque magis quod, idem Concilium quando voluit concedere hanc facultatem Ordinarijs, illam conceſſit expreſsè, non autem per ſubauditos intellectus, vt benè aduertit Sanchez. loco ſupra citato.

Præterea dictum decretum præſeruat priuilegia obtenta poſt Concilium Tridentinum, & principales prætendunt quod cõfirmationes dictorum priuilegiorum obtẽtæ poſt dictum Concilium ex dicto titulo oneroſo dictarum ingentium annuarum præſtationum, habeant vim quaſi nouæ, & reiteratæ conceſſionis eorumdem priuilegiorum.

Nec obſtat eſſe confirmata cum clauſula quatenus non obſtant Sacr. Concil. Tridentin.

Quia vt dictum eſt non ſolum non obſtant, ſed ab illo ſunt confirmata dicta ſeſſ. 7. cap. 14.

Nec obſtant Doctores, qui obitèr loquendo, contrarium dixerunt; Tum quia fundantur in dictis prætenſis decretis, & reſolutionibus, quæ ut ſupra oſtendi caſui noſtro non adaptantur. Tum quia pro parte negatiua adſunt alij numero, auctoritate, & rationum pondere longè maiores aliàs deducti, & denuo deducendi per DD. meos in iure ſcribentes, firmantes, quod Ordinarij in his terminis Proceſſionum non poſſunt vti cenſuris, ſed benè alijs pœnis per gloſ. d. cap. 1. de priuileg. in 6. *enarratis, ſicque dictum compulſum, non*

eſſe

eſſe fruſtratorium, vt gratis exaduerſo dicebatur.

Nec etiam obſtat cap.22. ſeſſ.25. de Regularib. *quod pro obſeruantia diſpoſitorum in omnibus capitulis eiuſdem ſeſſionis derogauerit omnibus priuilegijs.*

Primo, quia dicta derogatio non extenditur ad priuilegia clauſa in corpore iuris Nauar.conſ.7.de priuileg.nu. 17.to. 2.iuxta impreſſ. Roman. *Quod autem priuilegia Regularium, quod nõ poſſint ab Ordinarijs excommunicari, hodiè ſint clauſa in corpore iuris, clarè, & litterraliter patet ex* d.cap. 1. §. in eos de priuil.in 6.*Innouato, etiam vt dixi per Conc. Trid.* d.ſeſſ.7.cap. 14. de reform.

Secundo, quia dicta generalis derogatio intelligenda venit ſingula ſingulis cõgruè referendo, nempè quod in illis materijs, in quibus Conciliũ mandat procedi per cenſuras *quod ad illas procedi poſſit non obſtantibus dictis priuilegijs. In illis vero in quibus hoc non expreſſit, priuilegia in ſuo robore remaneant.*

Et iſte intellectus eò magis venit amplectendus, quia Conſtitutiones reuocantes priuilegia debent ſtrictiſſimè intelligi. Tùm quia eorum reuocatio eſt odioſa, cũ de natura priuilegiorum ſit, vt durent, & nõ reuocentur Regula decet.de reg.iur. in 6. *Tùm quia dicta reuocatio aufert Ius alijs acquiſitum* Gemin.conſ.35. num.2.

Secundo, fuit, & eſt nullum, & inualidũ tamquã prolatum in ſpretũ inhibitionum Auditoris Cameræ, quæ ſiuè iuſtæ, ſiuè iniuſtæ erant timendæ, & reuerenter recipiẽdæ Rota in terminis ſimilis inhibitionis Auditoris Cameræ deciſ.179.num.3.& 4.part.7.recent.

Non obſtat, quod Reuerendiſs. D. Epiſ. prætendat ipſum reperiri in poſſeſſione interdicendi, & ob id, ex regula, Qui continuat, non attentat, *potuiſſe procedere ad dictum interdictum, non obſtantibus dictis inhibitionibus.*

Primo, quia Marius Anton.in ſua reſolut. 103. *cui innititur Reuerendiſs. D. Epiſcopus gratis, & ſine fundamento ſuppoſuit hanc immaginariam poſſeſſionem; quinimò ex actis factis de anno* 1603. *quãdo ipſe erat Vicarius Papien. & compilauit dictam reſolutionem, nõ deuenit ad Interdictũ, nec deuenire potuit; Quia cauſa nõ acceſſus ad Proceſſiones, de qua tunc agebatur cõtra Ven. Caſſinẽſes, & alios, deuoluta ad hanc Sacram Congregationem, nil aliud actũ fuit, certoq; certius eſt, quod nec ipſe, nec aliquis ſuorum Prædeceſſorũ deuenit ad interdictum, etiam ſi iſti Regulares priuilegiati ad Proceſſiones non acceſſerint, vt ex proprijsmet Iuribus tranſmiſſis per ipſum Reuerendiſſimum, alias oſtẽdimus dicto Illuſtriſ. D. meo Secretario.*

Præterea dicta regula (*etiãſi in præſenti non deficeret fundamentum poſſeſſionis interdicendi, ſine qua nõ poteſt dari d. prætenſa continuatio*) *adhuc ſubiaceret omnibus limitationibus contra eam afferri ſolitis, nempe quod non procedit, ſtante dicta inhibitione Auditoris Cameræ, pro qua militat eadẽ ratio quod ad Iudices inferiores nõ ſpectat cognoſcere de illius viribus, quàm reſpectu inhibitionis Rotalis pro limitatione* dictæ Regulæ *conſiderant* Adden.ad Gregor.deciſ.303.n.7.

Et quod pariter eadẽ regula *non procedit quando inhibitio impedit illum actũ, qui ab inhibito continuari prætẽditur. Nec minus quãdo quis vtitur diuerſo modo poſſidendi ab eo, quo vtebatur antè motã litẽ vt firmãt ijdẽ* Addẽt.ad dec.Greg.557. n.5. *prout diuerſimodè proceſſit d. Reuerẽdiſ. cũ ante hãc litẽ ad ſimile interd. ct. nec ipſe nec Prædeceſſores nũquã deuenerint.*

Tertio, fuit, & eſt nullum, & inualidum, quia à comminatione d. interdicti

V *fuerat*

fuerat appellatum, & certum eſt quod per appellationem interpoſitam antè promulgationem cenſurarum ſuſpenditur ſententia excommunicationis, & declarationis poſteà proferendæ cap. præterea 40. de appell. Sayr. de cenſur. lib. 1. cap. 16. n. 18. Scacc. de appell. quæſt. 17. lim. 22. n. 54. *vbi quod Clericus excommunicatus poſt interpoſitam appellationem, poteſt illa pendente abſq; aliqua irregularitate celebrare, & proſequi officium ſuum in diuinis, ſubiungens quod appellatio præcedens ſententias cenſurarum, ſuſpēdit earum effectus, illaſque reddit nullas ipſo iure &* Dec. in l. vt vim. nu. 27. ff. de inſt. & iur. firmat *quod Iudici procedenti poſt appellationem reſiſti poteſt, ex eo quod appellatio eum reddit tanquam priuatum, & Iuriſdictione deſtitutum. Idque procedere, etiam ſi dubium ſit an appellatio interpoſita habeat, vel non habeat locum.*

Accedit vlterius quod dd. Principales poſtquam declarati fuerunt incurriſſe in d. prætenſum interdictum, à dicta declaratoria iterum appellarunt. Ideoq; poſt d. appellationem non poterant denunciari, nedū de iure communi vt ex Franch. & Lancellott. firmat idē Scacc. dicta quæſt. 17. limit. 22. num. 41. *ſed etiam in vim prænarratorum priuilegiorum, quæ ad remouendum Doctorum controuerſias,* an exēpti excōmunicati, poſſint per loco rū Ordinarios denunciari, *adimunt dictis Ordinarijs, etiā facultatē promulgādi.*

Vndè cum quælibet ex dictis nullitatibus ſit de per ſe ſufficiens ad firmandam dictam inualiditatem, eò concludentius illam firmant ſimul iunctæ.

Concurrit etiam notoria in iuſtitia. Primo quia Concil. Tridentinum d. cap. 13. ſeſſ. 24. de Regular. *non loquitur de illis exemptis, qui vltra exemptionem habent etiam priuilegia ſpecialia de non accedendo ad Proceſſiones, eaq; ex dicto titulo oneroſo ante, & poſt ipsū Conciliū cōfirmata.*

Secundo, quia Sanct. mem. Pius V. declarauit cum particulari Conſtitutione relata à Quarāta in verb. Priuilegia Regularium §. Poſtremo, *quod dictum Capitulum intelligi debet de illis Proceſſionibus, ad quas exempti accedere conſueuerāt ante Concilium. Vndè cū dicti principales ante dictum Conciliū attentis priuilegijs ad Proceſſiones non accederent, d. capitulum ipſos non afficit.*

Nec obſtat, quod poſt d. Concilium ad illas acceſſiſſe prætendantur. Quia d. acceſſus ſtantibus dictis priuilegijs de non accedendo fuit & eſt facultatiuus, & voluntarius, & propterea dictis priuilegijs & declarationi Pij V. nullum intulit præiudicium Calderin. conſ. 8. de regul. *quem refert, & ſequitur* Felin in cap. dilectus ſub nu. 7. de offici. ordinar. *& iſtis relatis* Quaranta in ſumm. verb. Præcedētia §. an in caſu in fin.

Sed hunc articulum pro nūc omittimus, cum ſit materia indigens ſua particulari inſpectione, ſufficit que pro nunc declarare quòd dictus Reuerendiſſimus non potuerit compellere dictos principales per cēſuras, prout ſupplicamus, & ex ſolita iuſtitia, & benignitate ſperamus. Quare &c.

Papien. nullitatis Interdicti.

EMinentiſs. Domine Vt oſtendam Epiſcopos non poſſe ſub prætextu Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. per cenſuras cogere Canonicos Regulares Monachos Oliuet. & S. Hier. vt accedant ad proceſſiones.

Supponendum eſt ipſos habere ampliſſima priuilegia exemptionis, immo in ſpecie ne poſſint ab Ordinarijs excōmunicari interdici, vel ſuſpendi, vt videre eſt in Sixti Quarti Bulla. X. §. 11. & reſpectu Oliuetanorum

tanorum in Iulij II. Bulla 12. §. 23. *vbi decreuit irritas & inanes nulliuſque roboris,& momenti,cenſuras contra eos aliquo modo latas, vt in ijs latius continetur; Et ſtatimatque Papa ſignat huiuſmodi priuilegia, admit iuriſdictionem ab Ordinarijs; itaut Sententia lata, dicatur a non ſuo Iudice,vt ratiocinatur* Hoſtien.in c. 1. nu. 13.de priuil.in 6.& ibid.Gemin.num. 2.& Ancar.nu.4. verſ.8.noto, & alij, & firmauit Rota coram Buratto deciſ. 146.num.1.ad med. & 2.

Quo ſtante,primo demonſtratur veritas opinionis negatiuæ ex text.in d.cap.1.§. in eos de priuil.in 6. *vbi conceſſa fuit Epiſcopis Iuriſdictio in exemptos delinquẽtes, vel contrahentes extra locum exemptum,& tamen dicitur non cenſeri conceſſam facultatem cenſurandi eos,qui habent priuilegium,ne poſſint excommunicari,vel interdici,vel ſuſpendi, Ergo ſi Canonici Regulares,litiſq; conſortes,nolunt venire ad proceſſiones, debent aliter puniri, non autem cenſurari: quia Concilium loquitur de exemptis,non autem de priuilegiatis, qui non poſſint cenſurari: & in ſpecie, hoc textu in indiuiduo noſtrę quæſtionis vtitur* Calderin. conſ. 8. ad med.de regular. *quem cæteri infra allegandi ſequuntur.*

Secundo,quia duo ſunt obſtacula, exẽptio *à iuriſdictione, &* priuilegium *ne cenſurentur; ſed quando duo ſunt obſtacula, derogatio vnius non trahitur ad aliud, ſed ſingulis debet derogari* Bald.in l. 1.n. 27.ad med.verſ.vnum etiam ſcias,C. de furtis,Felin.in cap.nonulli nu. 21. ad finem de reſcript.Gonzal.gloſ.13. nu.97.& ſeqq.Put.deciſ.193.n. 1. lib. 1.Gregor.deciſ.109.n.6.Reuerendiſs. Vrgellen.deciſ.5.num.10.

Hinc eſt quod promittens non impetrare abſolutionem,& ea obtenta non vti,nõ ſufficit ſi obtineat derogari primæ parti promiſſionis de non obtinendo, ſed requiritur vt etiam derogetur alteri de non vtendo Roman. conſ. 326. per tot. Felin. in cap. conſtitutus nu. 14. de reſcrip. Reuerendiſs. Vrgellen.deciſ. 5. num. 8.& ſeqq.

Tertio,quia lex noua diſponens aliquid, intelligitur,& diſtinguitur,prout diſtinguebatur antiqua de eadem materia loquens cap.cum expediat 29.de elect. ideo, 26.vbi gloſ.ad med.ff.de legibus Bar. in auth.de filijs ante dotal.inſtrum.n. 1.& Angel.ante fin. Gemin.in cap.cũ qui nu.7.verſ.ſe à conſtitutio & Frãc. num.1.de præben.in 6.Roman.conſ. 57.nu.3.Crauet.conſ.70.nu. 16. Maſtrill.deciſ.112.nu. 34. Rota in Toletana Cappellaniæ coram bon. mem. Card.Hieronymo Pamphilio impreſſa per Garziam part.11.cap.5.n.224. verſ. non obſtat quod Capitulum.

Sed de iure antiquo cogi poterant Religioſi exempti,vt accederent ad proceſſiones,& tamen non poterant excommunicari,vt in terminis benè explicat Calderin. conſ.8.ad med.de regul.*dicens præciſè, nõ poſſe excommunicari,ſed alijs penis puniri,eumq; ſequuntur* Felin. in cap. dilectus num.7.in fin.verſ.ad idem vide Calderinum,de officio Ordinarij,Aufrer.ad Capell.Tholoſan. deciſ. 485. incipit vtrum Archiepiſcopus ad fin. & Gambar.de offic.legati lib.8.tit.de poteſtate in exemptos num.78.*Ergo, nec etiã poterũt excõmunicari poſt Conciliũ Trid.Et rogo benè ponderari, quia hoc fũdamẽtum ſolidã reſpõſionẽ nõ admittit.*

Quartò,quia quoties Tridentinum voluit concedere facultatem excommunicãdi exẽptos,dixit expreſſè,vt in ſeſſ.25.c.16. dum cocedit facultatem Epiſcopis, vt cogant Regulares reſtituere bona nouitijs exeuntibus etiã per cenſuras;Et cap. 5. vt clau-

clauſurã Monialibus imponãt, & puniant inobediẽtes etiã per cẽſuras, ſeſs. 22. in decreto de vitãdis in celebratione miſſæ, pariter dat facultatẽ puniẽdi etiã per cẽſuras. Ergo in caſibus, in quibus ſpecialiter nõ cõceſſit, cẽſetur noluiſſe, vt benè arguit Sanchez, & ferè oñes alij inferius allegãdi; Et eſt fortiſſimus arguẽdi modus, quando voluit, expreſſit; ergo ſi hic voluiſſet expreſſiſſet, l. vnica §. fin autẽ deficiẽtis verſ. uã ſi cõtrariũ volebat C. de caduc. tollen. ca. inter corporalia verſ. vnde ſi circa trãslationem de translat. Epiſc. ca. ad audientiam de decimis, Gregor. deciſ. 433. num. 4. & alij paſſim.

Quintò, quia Sacr. Cõcil. ſeſſ. 7. c. 14. expreſsè innouat, & mãdat ſeruari Textũ in d. c. 1. priuil. in *6. Ergo cẽſetur præſeruata diſpoſitio eiuſdẽ in omnibus alijs partibus eiuſdẽ Cõcil. & ſic perinde eſt, ac ſi in quolibet Capitulo eſſet denegata facultas procedẽdi ꝑ cẽſuras aduerſus habẽtes particulare priuilegiũ, ne ab Ordinarijs poſſent cẽſurari, & maximè in iſto capite de quo agitur, quod eſt poſterius. Nã quãdo præcedit caput ſtatuti diſtinguẽs, ſi poſtea in alia parte libri ſequatur ſtatutũ generale, debet diſtingui poſterius à priori, vt eſt Theorica* Io. Andr. ad Specul. li. 2. tit. de execut. Sentẽtię §. poſtremo, verſ. cõtrariũ vide, *vbi infert, quod ſi ſtatutũ det formã ſẽtẽtiãdi, in poſteriori autẽ capite diſponatur vt quælibet Sẽtẽtia exequatur, nõ obſtante quouis ſtatuto, debet intelligi,* dummodo ſeruetur forma primi ſtatuti, *Ex prædicta ratione, quia poſterius diſtinguitur a priori; ſequũtur,* Ancar. in c. canonũ ſtatuta nu. 238. poſt med. verſ. hic etiam quæro de conſtit. Corn. conſ. 199. nu. 67. lib. 2. Cranet. conſ. 70. num. 15.

Ergo etiã in caſu noſtro debet ſimili modo exponi Cõcil. vt Epiſc. cogat exẽptos ex diſpoſitione dicti c. 13. ſeſſ. 25. Quatenus tamen non habeant priuilegium, ne poſſint cenſurari, vt ſeruetur diſpoſitio d. cap. 1. innouati in d. ſeſſ. 7. c. 14.

Authoritates autẽ pro negatiua opinione adſunt plures, quarũ Anteſignanus poterit poni, Calderinus loc. ſupr. citat. qui hãc expoſitionẽ dedit iuri cõmuni dãtis facultatẽ cogẽdi exẽptos, vt eant ad proceſſiones; Et quãta ſit authoritas huius ſũmi viri nemo neſcit, cũ Bald. in cõſ. 389. n. 4. li. 5. *vocet eũ* virũ magnæ virtutis, & ſciẽtiæ: *Nec nõ Felin. qui fuit* Auditor Rotę, & maximę authoritatis: *Auſerius pariter magnus Canoniſta, & Gamma pariter,* Rotæ Romanæ Auditor inſignis.

Et poſt concilium, & ad eius declarationem idem firmarunt infraſcripti quos in fonte vidi, & diligenter recognoui.

Henriquez in ſumma lib. 7. cap. 25. num. 7. ad med. verſ. hinc ſequitur. Rodriquez in Summa tom. 1. c. 140. nu. 6. ſecundum nouiſ. impreſſ. lingua hiſpana fol. mihi 204. Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 33. nu. 23. qui benè, & doctè vt ſolet hanc opinionem firmat. Scortia ad Bullas Pontific. theorem. 393. verſ. ſi autem regulares. Quaranta in Summ. Bullarum verb. præcedentia verſ. an in caſu. Chokier. de iuriſdictione Ordinar. in exemptos parte 5. quæſt. 99. iuxta Modern. impreſſ. Peyrinus de priuil. Minimorũ to. 1. conſt. 2. Sixti IV. nu. 60. fol. mihi 28. ſecundum Modern. impreſſ. Portel. dubia regul. verb. Epiſcopus in addit num. 5. Pater Diana reſol. moral. rom. 3. tract. 2. reſol. 76. Roderic. Iun. reſol. regul. cap. 60. num. 15. & cap. 118. num. 1. Tamburin. de Iure Abb. tom. 1. diſput. 24. quæſ. 8. num. 7. P. Lezzana in Summa romo 4. verb. proceſſio numero 1.

Mar-

Marcellus Vulpe in praxi fori Eccleſ.c.42.n.26. vbi optimè cõprobat.

Nouar. in Lucerna Regul. verb. excommunicare.num.4.& 5.

Alfonſus de Leone in tract.de Cenſuris.recollect.2.num.488.& ſeq.fol. mihi 133. vbi benè comprobat.

Sic etiam in ſimili caſu, ſed ex eodem mer indiuiduali fundamento deſumpto ex d.cap.1.de priuil.in 6.*docuerunt* Villalobis,& Roderic.Iunitor qui eum refert.in Compen.reſol.regul.reſol.62. num.6.*non poſſe Scholaſticum Salamantinum aliquem Religioſum excommunicare,etiam ſi ratione Collegij ei ſubſit,& habeat amplum priuilegium procedendi per cenſuras,etiam contra exemptos.*

Pariter Congregatio S.Concilij mandauit Epiſcopis,vt coercerent Regulares etiã exemptos, ne accederent ad Monaſteria Monialium, non tamen tribuit facultatem Epiſcopis puniendi per cenſuras, quando habent prædictum priuilegium, ne poſſint excommunicari,vt declaratum fuiſſe referunt Quaranta verb.Monaſteria Monialium verſ. dubitari fol.350.Roderic.qq.Regul.tom.1.q.45.art.2.ante fin.Campan.in diuerſ. Iur. Canonici; rubr.12.cap.16.nu. 40. ad fin. Vulpe in praxi cap. 4.num.8. Suarez de Relig.tom.4. lib.1.cap.10.num.27. poſt med.fol.47.Lezzana tom. 1. cap. 25. numer.35.Tamburin.de iure Monialium diſp.25.q.9. num. 1. Barboſ. de poteſt.Epiſc.part.3. allegat. 102. nu. 73.iuxta tertiam impreſſ. fol.476. P. Diana tom.3. tract.2. reſol. 103. Alfonſ.de Leone d.recoll.2. nu. 472. *Et circa hoc datur votum manuſcriptum euidentiſſimis rationibus hoc idem demonſtrans,quæ optimè applicãtur caſui noſtro.*

His Actis,facilè diluuntur ex aduerſo adducta a Maceraten. lib.1.reſol.2lt. caſu 35.& Gratian. dec. March.232. num.15.*Dum enim Maceraten.dicit alias pænas eſſe fruſtrataneas,& inutiles; apparet non loqui legaliter; Quis enim unquã dixit fruſtrataneas eſſe mulctas,& pignorationes,& miſſiones in poſſeſſionem bonorum, quas permittere cenſentur Summi Pontifices, dum concedunt priuilegium, ne poſſint cenſuris puniri? vt benè aduertit* gloſ. in d.cap.1.§. in eos de priuil. in 6. verb.quantum. Archid.num. 2. ante med.verſ.iſta ſcilicet,& alij,& ita bene reſpondet Sanchez loco citat.n. 24. ad fin.verſ.nec eſt fruſtatanea. *Et poſſet Epiſcopus recurrere ſemper ad S.Cõgregationem,quæ poſſet prouidere,non autem extendere ſuam iuriſdictionem ad ea, quæ Pontifices abſtulerunt.*

Fallitur etiam & egregiè Gratian. dũ arguit, Concilium non dare formam coercendi,ergo remittere arbitrio Ordinarij.

Quia vbi lex noua nõ diſtinguit, debet recurri ad legem antiquam, & ius commune, non autem ad arbitrium Ordinariorum, ex ſupra allegatis.

Eiuſdem farinæ eſt argumentum ab eodem Gratiano deſumptum ex clauſula derogatoria priuilegiũ in fine eiuſdẽ seſſionis. Quia vt benè reſpondet Vulpe d.ca. 42. nu.26.ad fin.& Alfonſ.de Leone loco pręcitato n.488. poſt med. *Derogatoria iſta loquitur de priuilegijs cõtrarijs,& tamen hoc,de quo agitur,nõ eſt contrariũ, ſed potiùs diuerſũ, quia Conciliũ non dicit expreſſè,quod poſſint excommunicari, vel interdici,ſed ſimpliciter cõpelli; Quæ coactio cũ poſſit alijs modis fieri,nõ debet vllo pacto licere per cenſuras contra formam priuilegij his Religionibus conceſſi.*

Et hæc reſponſio euidenter firmatur ex doctrina Bart.in extr. ad reprimendũ in gloſ.non obſtantibus.n.6. *vbi dicit, quòd ſi in lege noua dictũ ſit,* nõ obſtãte

aliqua lege;nõ per hãc tollitur,ne per priores diſtinguatur, & limitetur, ſed intelligitur non obſtante lege aliqua; ſcilicet contraria,quæ non poſſit cum hac ſubſtineri,&c. *Sunt eius verba præciſa,communiter ab alijs approbata,vt teſtantur* Alexand. conſ.80.numer.4.lib. 1. Roman.conſ.40.numer.5.Crauet. conſil.70. num.16. Bertazol.conſ. ciuil.112.num.6. & ſeqq.

Eò magis,quia Concilium renouauit diſpoſitionem d.cap.1. de priuil.in 6.*ergo derogatio debet intelligi de alijs priuilegijs, non autem de iſto, ex doctrina Ioan. Andreæ quam expendi ſupra in quinto fundamento.*

Obſeruantia à Mario Antonino *adducta non probatur, prout exaduerſo probanda eſſet; Quia non datur caſus aliquis in quo excommunicati fuerint, vel interdicti Religioſi habentes priuilegium prædictum, & conſuetudo debet probari in ſpecie,nec ſufficiunt atteſtationes Doctorũ, quibus non ſtatur quantumuis verſati ſint in foro,vti de ſtylo Bononienſi noluit* Rota credere Beroo coram Card. Mantic. deciſ.357. num.6.& in Bononien. de Boatterijs 8.Aprilis 1644.coram Reuerendiſs.D. meo Corrado.

Edicta autem,quæ dicuntur facta quolibet anno aduerſus omnes ſeculares, & regulares nullius ſunt momenti.

Quia certum eſt,edicta non ſufficere cõtra Regulares,ſed requiri,vt citentur ſpecialiter ſingularum Religionum Prælati, cum hoc ſignificet illud verbum vocati, *quo vtitur Concilium, vt optimè aduertit* Peyrinus de priuil. regni. part.1.conſtit.2. Sixti Quarti numer.57.fol. mihi 28. *vbi reddit rationem,quia Regulares non legunt edicta in angulis Plateарũ appoſita,& quia Tridentinum dum vult ſufficere citationem per edictum, ſtatuit hoc expreſsè, vt in ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *ibi* per edictum publicum vocentur.

Addo, quod de Iure,quando certæ ſunt perſonæ, quæ habent intereſſe, debent ſpecialiter citari, nec ſufficit ſi per edictum Alex. conſil. 106. numer. 14. lib. 5. Cephal. conſil. 203. numer. 76. Menoch. recuper. Rem. 8. numer. 103. Roland. conſ.72.numer.15.lib.3.Capic.dec.87.n.2.Gratian.diſcept.194. num.3.& ſeqq. Put.deciſ.6. lib.2.

Vlterius etiam ſi potuiſſent citari per edictum, tamen nõ ſequitur inde quod potuerint actualiter cenſurari, nam Sacra Congregatio aliàs tenuit, Epiſcopos poſſe huiuſmodi pœnas comminari ad terrorem, ſed ad exequutionem deuenire non poſſe ſine ſpeciali ordine Sacræ Congregationis, vt refert Barboſ. de vniuerſ. Iure Eccleſ.1.cap.43.num.163.ante med. *Et ſic edicta non probant executionem, de qua ſola eſt præſens quæſtio.*

Sed omnis tollitur hæſitatio, quia non eſt controuerſia quoad regulares habentes ſolam exemptionem cui per Concilium fuit derogatum in prædicto capite, ſed eſt quæſtio quoad Regulares habentes etiam priuilegium ne poſſint excommunicari, interdici, vel ſuſpendi, prout habent Canonici Regulares, illiſque conſortes, & ſic non ſufficit oſtendere edicta contra Regulares, ſed debent oſtendi contra habentes prædictum priuilegium, aliàs non poteſt prætendi obſeruantia, quæ debet probari in ſpecie cum omnibus qualitatibus caſus controuerſi Surd.conſ.354.num.26. Gregger.deciſ.451.numer.7.recen. deciſ. 264. num.28.par.6.& in alijs.

Ex prædictis patet opinionem prædictã rationibus longè præualere, prout etiam præualet authoritatibus, ſi attendatur, prout ſupplico diligenter aduerti, nullum contradicentem exceptis Gratiano, & Mace-

Maceratenſi, diſcutere rationes, ſed decepti a Zerola, qui in ſua praxi atteſtatus fuit, Sacram Congregationem Concily cõtrarium determinaſſe, detulerunt tantæ authoritati, abſque diſputatione aliqua.

Verum quia talis reſolutio non probatur vllo pacto facta, ſequitur, vt corruente fundamento, corruat etiam ædificium, vt in ſpecie ad effectum, vt ceſſet authoritas Doctorum, arguit Honded. conſil. 75. num. 50. lib. 2.

Sacra autem Congregatio potius tenuit negatiuam opinionem: Nam, vt in reſolutione quæ datur, reſcripſit Epiſcopo Vercellen. 20. *Maij* 1616. *poſſe Epiſcopum comminare cenſuras, ſed ſi regulares non obediunt, non poſſe actualiter excommunicare, vel interdicere ſine ordine Sacræ Congregationis, eamque refert etiam* Barboſa de Iure Eccleſiaſtico lib. primo cap. 33. num. 163. ante med. *Et per conſequens declarauit hoc non poſſe facere ſuo marte, & ex ſua iuriſdictione, ſed ſolùm, quando à Sacra Congregatione demandatur.*

Et veritas eſt referri exaduerſo in confuſo, Nos autẽ non defendere exẽptos ſimplici defenſione; ſed habentes priuilegiũ ne poſſint cenſurari, ideo declarationes ſimpliciter loquentes, non debent trahi ad caſum noſtrum, cum & Bullæ, & Conſtitutiones nouæ, diſtinguantur ſecundum antiquos canones de eadem materia loquentes cap. cum expediat 29. de elect.

Vltra quod, cum ex prædictis pateat rationes euidentiſsimas repugnare affirmatiuæ opinioni, non eſt incongruum inſtare, vt Sacra Congregatio recedat à prætenſis reſolutionibus, cum magis attendi debeat ratio, & veritas; quam authoritas licet multum valeat, vt de opinione Rotæ dixit Card. Seraph. deciſ. 1360. num. 14. poſt med. *Quare, & cæt.*

An tunc ſolum teneantur Regulares ad Proceſſiones accedere, quando Epiſcopus perſonaliter in eis reperitur. Dub. CCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia maximè notanda multorum Doctorum.*

2 *Referuntur verba capitis* Nimis praua de exceſſibus Prælatorum.

1 MVlti Doctores docent tunc tantum Regulares poſſe compelli ad proceſſiones; quando perſonaliter Epiſcopus in eis procedit. Ita Hieronymus Rodriquez *in Compendio reſolut.* 118. Villalobos *Tratad.* 35. *del eſtado de los Religioſos difficultad.* 5. *nu.* 8. & nouiſſimè Illuminatus Moronus *in ſuis centum Reſponſis reſponſ.* 12. monẽtur, vt video ex cap. *Nimis praua de exceſſibus Prælator.* vbi ſic dicitur. *Cum quidam viri Religioſi, vt puta, Fratres Prædicatores, & Minores quorum Ordinem, & regulam Sedes Apoſtolica noſcitur approbaſſe in arctiſſima paupertate Chriſto pauperi famulentur plerique Prælati, & alij eos ad Synodos ſuas cogunt accedere, ac ſuis conſtitutionibus ſubiacere, nec his contenti capitula, & ſcrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos ſe comminantur fidelitatem iuramento firmatam ab eorum miniſtris, & cuſtodibus exigentes, eis quoque, vt tam extra ciuitates, quam intra cum eis proceſſionaliter veniant ex leui cauſa mandantes, & cæt.* Hunc textum conſiderans Villalobos *loco ſupra* ſic ait *y aduiertaſſe, que las proceſſiones en que deuen ir los Religioſos ſon en las que van los miſmos Obiſpos como ſe*

colige del Abad y dize Fuſco, que eſſas ſon las proceſsiones publicas de manera que ſe no es en las Yglesias Cathedrales donde el Obiſpo aſsiſte o en algun lugar donde ſe hallare no pueden compeler a los Frayles Predicadores y minores a ir a las proceſsiones aunque ſe hagan por cauſa graue porque el texto citado dezia a quella palabra cum eis, que es con los miſmos Obiſpos y ſegun el derecho antiguo ſe ha de entender el nueuo. Hęc Villalobos, quę doctè ſanè meo iudicio dicta ſunt vnde huic ſententiæ vtpotè Regularibus exemptis fauorabili ego etiam adhæreo. Dubitare tamen quis poſſet, an ſi abeſſet Epiſcopus, & adeſſet Vicarius Generalis tenerentur tunc Regulares accedere ad proceſſiones. Reſpondeo affirmatiue, quia Vicarius Generalis cenſetur vna, & eadem perſona cum Epiſcopo, & facit idem auditorium, & conciſtorium cum Epiſcopo, & ideo à ſententia Vicarij Generalis non datur appellatio ad Epiſcopum tamquam ab eodem ad ſe ipſum Vide Sbrozzium *de officio Vicarij lib.* 1. *quaeſt.* 27. *nume.* 7. Ergo dum adeſt Vicarius poſſunt Regulares ad proceſsiones compelli.

QVO AD SEPVLTVRAS. Cap. XII.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares, quo ad Sepulturas.
Dub. CCXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt Epiſcopus prohibere, ne Regulares vendant ſepulturas.*

2 *Locus honoratior dicitur reſpectu alicuius rei temporalis, non autem Spiritualis.*

3 *Non poteſt quis in Eccleſijs Regularium ſepeliri ipſis inuitis.*

4 *Caput* corpora Sanctorum de Conſecratione *explicatur.*

5 *An Epiſcopi licentia requiratur, vt Regulares poſſint exhumare cadauera afferuntur Doctorum ſententiæ.*

6 *Summi Pontificis facultas requiritur ad exhumanda cadauera.*

7 *Priuilegium Leonis X. conceſſum Regularibus adducitur.*

8 *Limitatio Dianæ refellitur.*

9 *An Epiſcopus poſſit præcipere Regularibus exemptis, ne ſepeliant excommunicatos, vſurarios, & quod ſepultos humo eximant.*

10 *Clement.* eos de ſepulturis *refertur.*

11 *Vnde Epiſcopi habeant facultatem in caſu poſito ſupra Regulares (ſi illam habent) de quo dubitat auctor.*

12 *Non poteſt Epiſcopus adſtringere hæredes Defunctorum, vt conuocent tantum Clericos Parrochiæ ad funus, non autem Regulares.*

13 *Quod procedit etiam, ſi eſſet conſuetudo in contrarium, eſſet enim conſuetudo ſcandaloſa.*

14 *Quæritur; An Epiſcopus teneatur præcipere Parrochis, ne plus recipiant pro ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium quam in alijs.*

15 *Conſtitutio Vrbani VIII. circa hoc adducitur.*

16 *Hæredes Defunctorum non ſunt obligandi, vt tot officia faciant apud Parrochos, quot faciunt apud Regulares.*

17 Con-

17 *Confirmatur varijs rationibus idem.*

18 *Decretum Clementis VIII. circa hoc ad verbum refertur.*

19 *Statutum, quo decerneretur ne aliquis vocaret religioſos ad ſepeliendum ſuum Defunctum, niſi etiam vocaret Capitulum, eſſet iniuſtum.*

20 *Labor Clericorum Parochorum compenſatur varijs vijs.*

21 *Non poſſunt Regulares compelli ab Epiſcopis ad ſoluendam Quartam Funeralium.*

22 *Nec per Clement.* Dudum de ſepulturis *datur hæc facultas Epiſcopis compellendi Regulares, ad Quartam Funeralium ſoluendam.*

23 *Nec per Concilium Tridentinum in hoc Epiſcopis ſubduntur Regulares.*

24 *Statutum Epiſcopale, ne ſepultura detur alicui ſine conſenſu Epiſcopi, non ligat Regulares.*

25 *Presbyteri Sæculares, non poſſunt poſtquam corpus aſſociarunt cantare Officia in Eccleſijs Regularium.*

26 *Regulares vocati ad aliquod funus tenentur accedere ad Parrochialem Eccleſiam, & inde cum Parrocho ſe conferre ad Domum, e qua funus efferendum eſt.*

27 *Parrochus proprius ſemper vocari debet ad aſſocianda cadauera, quod tamen limitatur in aliquo caſu.*

28 *Corpora ſepelienda in Eccleſijs Regularium deferenda ſunt prius ad Eccleſiam propriam Parochialem.*

29 *Parrochus determinat iter in aſſociando cadauere.*

30 *Dum Parrochus vocatus non vult accedere ſepeliri poſſunt corpora à Regularibus ſine Parrocho.*

31 *Quis debeat dare facultatem ſepeliendi Defunctos ſæculares intra clauſtra Monialium.*

1 PRIMO, Mouet dubium Abbas; an Epiſcopus poſſit prohibere, ne Regulares vendant ſepulturas, vt habetur in c. *Abolendæ de Sepult.* & reſpõdet negatiue his verbis. *Nũquid exẽptis poſſit hoc præcipere? & videtur, quod ſic, quia exẽpti ſunt in Diœceſi, nõ tamẽ ſunt de Diœceſi, nec per verba generalia præſumitur, quod Papa voluerit dare iuriſdictionem circa exemptos in Gloſſa* 1. *ibi*; An autem vendere ſepulturam ſit ſimonia; Vide Lezanam verb. *Sepultura num.* 14. Vbi omnia, quæ circa hoc dici poſſunt doctè, & breuiter more ſuo explicat, & dicit ibi non eſſe ſimoniam, ſi accipiatur pretium pro loco honoratiori ſepulturæ cum Naldo, Sanchez, Ioanne de la Cruz, & Diana contra Suarez, Reginaldum, Fillinccium; & alios; Inſuper addit locũ, in quo nullus eſt ſepultus, nec eſt deputatus ad ſepulturas, nec benedictus eſſe omninò prophanum, & conſequenter poſſe vendi. Item aſſerit locum, in quo aliquis eſt ſepultus, licet ſecundum ius ciuile ſit Religioſus, attamen non eſſe talem, nec inuendibilem ſecundum ius Eccleſiaſticum.

2 Sed aduerte hic locum honoratiorem dici reſpectu alicuius rei temporalis, non verò reſpectu alicuius rei ſpiritualis, vt v. g. ſi ſit propinquior altari, in quo Sanctiſſimum ſeruatur, alia plura lege apud dictum Lezanam; non enim ad materiam noſtram pertinent.

3 Et ſcias hic etiam obiter, non licere inuitis Regularibus, quod aliquis in eorum Eccleſijs ſepeliatur; Ita reſpondit Sacra Congregatio apud Lezanam loco ſupra in hæc verba. *Non licet Curatis ſepelire cadauera Defunctorum, nec Officia facere in Eccleſijs Regularium abſque expreſſa licentia Guardiani, aut Superioris Eccleſiarum ipſorum Regularium, non obſtante etiam contraria conſuetudine.*

4 Secundo, Dubitari poteſt; an Epiſcopi licentia requiratur, vt Regulares poſſint exhumare cadauera, & transferre in alium locum in ſuis Eccleſijs.

Per caput *Corpora Sanctorum de Conſecrat.* habetur, quod nequeunt exhumari cadauera, & transferri in alium locum ſine licentia Epiſcopi, Quod intelligitur per Doctores de cadaueribus perpetuæ ſepulturæ traditis, & non per modum depoſiti; Ita Hieronymus Rodriquez *in Compendio qq. Regul. reſol.* 127. & Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tract.* 31. *diff. cult.* 6. *num.* 4. Ad quæſitum ergo.

5 Negatiuè reſpondet Diana *par.* 2. *tract.* 2. *reſolut.* 120. quando ſcilicet cadauer fuit datum Regularibus, vt ponerent illud vbicumque placuerit.

Affirmatiuè verò reſpondet Lezana verb. *Sepultura quo ad Regulares.*

6 Dico ergo; Epiſcopi facultas non requiritur ad hoc, ſed ſolum Summi Pontificis ſufficit, patet ex cap. citato *Corpora Sanctorum* vbi disiunctiuè, vel Papæ, vel Epiſcopi licentia requiritur, propria autem auctoritate non poterunt transferre, &c. nec etiam in caſu, quem dicit Diana.

7 Quòd ſi dicas, adeſt priuilegium Leonis X. quo concedit Minoribus in ſuis Eccleſijs poſſe transferre de loco ad locum defunctum. Reſpondetur; eſſe iam ablatum tale priuilegium cum fuerit viuæ vocis oraculo conceſſum; Ita Lezana loco ſupra.

8 Nec valet limitatio illa Dianæ; nam hæc exhumatio non fuit prohibita reſpectu conſanguineorum defuncti, ſed ob venerationem defunctis debitam; Vnde impertinenter ſe habet conſenſus conſanguineorum in hoc. Quod autem non reſpectu conſanguineorum hoc fiat, patet ex Nauarro citato à Barboſa in hoc caput *Sanctorum*, qui dicit hoc fuiſſe ſtatutum, ne illis locis, in quibus ſepulta ſunt illa corpora, fiat iniuria (puta ſi eſſet Sanctus Defunctus, & incluſus in aliqua cappella.)

9 Tertio, Dubium eſſe poteſt; an Epiſcopus poſſit præcipere Regularibus exemptis, ne ſepeliant excommunicatos, vſurarios, & quod ſepultos humo eximant.

Affirmatiuè reſpondet Tamburinus *diſput.* 15. *tom.* 1. *de iure Abbatum quæſit.* 7. *num.* 4. & adducit Abbatem in caput *Sacris de Sepulturis*, qui ſic habet. *Quæro vltimo, ſæpè contingit, quod Fratres, & alij exempti ſepeliant de facto vſurarios, & excommunicatos, & interdictos. Numquid Epiſcopus loci poſſit obſeruare, quod hic dicitur, ſcilicet intrare Eccleſias, ſeu Cœmiterium exemptorum iſtorum, & de facto facere corpora iſtorum exhumari & procul proijci, Ego credo, quod poſſit, in caſibus de quibus in Clement. Eos, vt in excommunicatis publicè, in vſurarijs manifeſtis, nominatim interdictis, & hoc, quia textus in fine tollit omne priuilegium, quo ad illos caſus. In Reliquis vero non credo, quod Epiſcopus poſſit hanc auctoritatem exercere*

in

in loco exempto, quia perinde eſt, ac ſi non eſſent in Diæceſi ſua, poſſet tamen dare remedium, vt impediat ſepulturam antequā corpus ducatur ad locum exemptum, nam cum delinquat in territorio ſuo poteſt obuiare, & illud in loco priuato facere ſepeliri. Hæc ſunt verba Abbatis, quę nos vocāt ad Clement. *Eos de ſepultu-*
10 *ris.* Verba autem Clement. hæc ſunt. *Eos, qui propriæ temeritatis audacia Defunctorum corpora nō ſine contemptu clauium Eccleſiæ in Cæmeterijs interdictis tēpore in caſibus non conceſſis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel vſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere, ex qua nullatenus abſoluātur niſi prius ad arbitrium. Diæceſani Epiſcopi, eis quibus præmiſſa ſit iniuria irrogata ſatisfactionem exhibuerint competentem, circa præmiſſa exemptionis, vel quouis alio priuilegio ſub quacumque verborum forma conceſſo aliqualiter ſuffragante.* Sed ex hoc loco non video quomodo Epiſcopus auctoritatem habeat, ad compellendum Regulares.

11 Dico ergò; ſi hanc auctoritatem habent fortè Epiſcopi in Regulares, vt communiter tradunt Doctores eſt ex *c. Epiſcoporum* Vbi clarè dicitur poſſe compelli ab Ordinario illos omnes, qui contra ſuam ſententiam fecerint verba talia ſunt. *Qui verò contra præſumpſerint præter alias pœnas à iure ſtatutas, ingreſſum Eccleſiæ ſibi nouerint interdictum donec de tranſgreſſione huiuſmodi, ad arbitrium eius, cuius ſententiam contempſerunt ſatisfecerint competenter.* Sed nec ex hoc loco, vt verum fatear Epiſcopi in exemptos aliqua facultas, & poteſtas colligitur vnde vellem ſcire communis opinionis, quod nam ſit fundamentum, vt cum communi poſſem libenter incedere.

12 Quarto. Dubitare quis poſſet, an Epiſcopus poſſit adſtringere hæredes Defunctorum, vt conuocent tantùm Clericos Parrochiæ ad Funus non autem Regulares.

Negatiuè reſpondet Laurettus de Franchis *quæſt.* 65. *pag. mihi* 390. & Sotus apud ipſum *de iuſtitia, & iure quæſtio* 6. *art.* 2. *verſ. hic autem* Silueſter in
13 verb. *Immunitas nu.* 11. & hoc amplia etiam ſi eſſet conſuetudo in contrarium. nam eſſet conſuetudo ſacrilega & ſcandaloſa, & ratio eſt, quia ſic videtur reſtringere libertatem Eccleſiaſticam, facit pro hac ſententia cap. *veſtra de locato, & conducto.* Vbi cum DD. Epiſcopi præciperent, ne aliquis locaret decimas ſuas niſi Parrochis, Præsbyteris, Monachi quidam petierunt à Summo Pontifice ſuper hoc ſibi prouideri, cum grauiter læderentur, & ſic reſponſum fuit Monachis illis, poſſe locare fructus decimarum, cum his omnibus, cum quibus Eccleſiæ conditionem facere poſſunt meliorem, his verbis. *Veſtra nobis relatio declarauit, quod cum ad formam fructus veſtrarum dare conſueueritis decimarum, & infra Diæceſanorum Epiſcoporum edicto contrario non obſtante veſtrarum decimarum prouentus illis liberè locare poteſtis, cum quibus Eccleſiæ veſtræ conditionem poteritis facere meliorem,* ſicut ergo in hoc ſtatutum Epiſcopi non debet ſeruari quia pernitioſum Eccleſiæ videtur. Sic in caſu noſtro, in quo vt patet, conſideranti læditur libertas, & multæ aliæ Eccleſiæ damnificantur, eò quod Parrochiales in hoc percipiant vtilitatem.

14 Quinto quæri poteſt; An Epiſcopus

pus teneatur præcipere Parochis, ne plus recipiant pro ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium, quàm in alijs.

Habes clarè huius quæſiti ſolutionem per conſtitutionem nouiſſimam Vrbani VIII. quæ incipit, cum ſicut *Dilectus Filius*, & cæt. & eſt tenoris ſequentis.

15 *Cum ſicut dilectus Filius Blaſius Procurator Generalis Fratrum Ordinum Minorum Conuentualium Sancti Franciſci Nũcupatorum nobis nuper exponi fecit diuerſæ extorſiones exceſſiuæ a dilectis Filijs capitulo, & Canonicis, ſæcularis, & collegiatæ loci de Vegliæ Brunduſinæ Diæceſis; nec non etiam à diuerſis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis ſepulturæ, in Eccleſijs Ordinis huiuſmodi nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, vt de opportuno in præmiſſis remedio prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

Nos igitur dictum exponentem ſpecialibus gratijs proſequi volentes à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pænis a iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat ad effectum præſentium dumtaxat conſequendũ harum ſerie abſoluendum, & abſolutum fore cenſendum huiuſmodi ſupplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotijs præpoſitorum conſilio, Ordinarijs locorum per præſentes committimus, vt prouideant omnino, vt abuſus huiuſmodi tollatur, & decernant, ne Parochi plus percipere poſſint in ſepulturis, quæ fiunt in Eccleſijs Regularium, quàm in eis, quæ fiunt in proprijs, ſeu aliorum Clericorum. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrarijs quibuſcumque, Datum Romæ, & cæt.

16 Sexto dubitabit quis, an Epiſcopi, vel Parochi, & ſimiles obligare poſſint hæredes Defunctorum, vt faciant tot officia, & legata apud ſe, quot fiunt apud Regulares.

Reſpondeo dubij huius ſolutionem fore vtilem, ob prauam conſuetudinem, quam plures Doctores teſtantur eſſe in Inſulis Canarijs.

Dico ergo, non poſſe ad hoc hæredes defuncti obligari. Ità in terminis reſpondet Portel. *par. 2. Caſuum caſ.* 12. qui latè, & doctè probat hoc.

17 Primo, Quia, cum iſta obligatione impoſita deterrent homines à liberà erectione ſepulturæ, ius autem ſepulturę liberum eſſe debet. Secundo hoc redundat in magnam læſionem Conuẽtuum Pauperum Regularium, qui ob talem obligationem impoſitam ammittunt eleemoſynas ſepeliendorum apud ſe, & ſic Clemens VIII. fecit decretum noſtræ ſententiæ valde fauorabile, quod habetur apud Rodriquez in ſuo Bullario *fol.* 1225. & eſt tale.

18 *Informatus Papa, quòd Rectores, & Parochi in Indijs Occidentalibus petebant plures eleemoſynas propter fideles Sepultos apud Conuentus D. Franciſci, quàm petebant pro defunctis apud Eccleſias Parochiales, mandat Papa prædictis Parochis ſub pæna excommunicationis, ne talem exactionem eleemoſynæ faciant*, & aſſignat Summus Pontifex hanc cauſam, quod ſcilicet ſit minus oneroſum fidelibus hoc. Tertio, adduci poteſt pro confirmatione huius ſententiæ alius caſus ſimilis adductus à Syluestro verb. *Immunitatis Eccleſiæ* 3. *quæſt.* 9. & verb. *Simonia quæſt.* 11. in fi-

nem

19 nem vbi ait, quod ſi capitulum, vel collegiũ faceret ſtatutũ, quo decerneretur, ne aliquis Parrochianus vocaret Religioſos ad ſepeliẽdũ ſuũ defunctũ,niſi etiam vocaret ipſum capitulum pro aſſociando eodem Defuncto, vt eidem Capitulo aliqua eleemoſyna donaretur, dicit Syluester, quod tale ſtatutum eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam, ac proinde iniuſtum, cum priuet Religioſos illo commodo, ad quod habent ius, & addit idem Doctor eſſe ſimoniam negatiuam ſcilicet tale ſtatutum; quia non vult concedere ius illud ſpirituale, quod habent Religioſi ſepeliendi mortuos, niſi pro alio commodo temporali, quod ipſi capitulo obueniт; ſic ergo à pari in caſu noſtro.

20 Nec obſtat huic Doctrinæ Clericorum ratio, dum dicunt, ſe imponere hanc obligationem ob laborem, ex adminiſtratione Sacramentorum, quam fecerunt in vita illis ſuis Parrochianis Defunctis; Non obſtat hæc ratio,quia prædictus labor iam compenſatus fuit ſimpliciter alijs vijs. Deinde vellem certè in ſtatera ſi poſſem ponderare laborem Clericorum in miniſtrandis Sacramentis, & laborem Regularium.

21 Septimo ſuppoſito, quod Regulares teneantur ſoluere Quartam Funeralium, (de quo agunt paſſim Doctores fusè, & latè) Dubitabit quis; an poſſint compelli ab Epiſcopo ad illam ſoluendam.

Negatiuè reſpondeo, & ita reſpõdet Scroffa *in ſuis quæſtionibus quæſt.13. num.12.* & ratio deſumitur ex priuilegio Sixti IV. ex quo non ſolum adimitur hæc facultas, DD. Epiſcopis; ſed etiam imponitur pena excõmunicationis latæ ſententiæ omnibus alijs qui in hoc ſe velint ingerere; Epiſcopis verò interdicitur ingreſſus Eccleſiæ.

22 Neque dicas *Clement. Dudum de Sepulturis*, dat hanc facultatem compellendi ad ſoluendum Quartam Funeralium. Ergo;

Reſpondeo;namque hoc indultum Sixti IV. eſſe poſterius illa Clement. vnde reuocatam, quo ad hoc debemus exiſtimare. Inſuper per illam Clementinam tolluntur omnia priuilegia Regularium, quatenus impediunt ſolutionem Quartæ; non autem tollitur exemptio à iuriſdictione Ordinarij.

23 Neque Tridentinum etiam, dum præcipit ſoluendam Quartam Funeralium, vbi eſt conſuetudo ante quadraginta annos dicit, quod Religioſi ab Ordinarijs compellantur, vel poſſint compelli, ſed obligat tantum dictos Regulares ad talem ſolutionem, nec ab eis tollit exemptionem.

24 Octauo, poſſet quis quærere; an ſtatutum Synodale, vel Prouinciale ne ſepultura, vel locus pro illa à cuiquam detur ſine conſenſu Epiſcopi, etiam teneat contra Regulares exemptos. Reſpondet Rodriquez.*Tom.3. quæſt.58.art.9.* tribus modis poſſe locum ſepulturæ dari Primo vt is cui datur fiat Dominus. Secundo vt habeat ius ſepeliendi in eo mortuos ſuos. Tertio, vt non poſſit ſepelire aliquem in eo, vt colligitur ex iure, ſi primo modo res ſe habeat nulli poteſt dari dictus locus, etiam cum auctoritate Epiſcopi, quia rei Sacrę dominium nullus habere poteſt ſi ſecundo modo non poteſt dari ſine au-

ctoritate Epiſcopi, neque cum illa niſi ex iuſta cauſa; & ſeruatis conditionibus in alienandis rebus Eccleſiæ requiſitis, ſi tertio modo poteſt dari à quolibet habente ius admittendi in ſuis Eccleſijs ad ſepulturas; & hoc ſine licentia Epiſcopi, & ſic concludit cum res tertio modo ſe habet, non ligari Regulares à ſtatuto illo Prouinciali, ſeu Synodali, quo prohibetur, ne quis det Sepulturas ſine licentia Epiſcopi.

25 Nono. Inquires; An in Eccleſijs Regularium poſſint Præsbyteri ſæculares, poſtquam corpus aſſociarunt cãtate Officia, & cæt. Reſpondeo non poſſe, ſed hoc debet fieri per Regulares ipſos, vt cenſuit Sacra Congregatio *In vna Turritana* 1617. & hoc non obſtante quacumque conſuetudine. vide Tamburinum *diſput.* 15. *quæſit.* 18. *Tom.* 1.

26 Decimo. Quæres; An Regulares vocati ad aliquod funus teneantur accedere ad Parrochialem Eccleſiam, & inde cum Parrocho ſe conferre ad Domum, e qua funus efferendum eſt. Reſpond. affirmatiuè; ita Sacra Congregatio *in Senogall. 26. Auguſt.* 1616. teſte Illuminato Morono *in ſuis centum Reſponſis, Reſponſ.* 51. *nu.* 24.

27 Vndecimo. Quæres; An Parrochus excludi debeat ab aſſociando Cadauere, dum Defunctus iubet tantum Regulares acceſſiri. Reſpondeo Parrochum proprium ſemper debere vocari; vt determinauit Sacra Congregatio in vna Montiſpiloſi de anno 15ᶜ1. niſi tamen cadauera ſint Regularium, quia iſta poſſunt inconſulto Parrocho ſepeliri; eadem Sacra Congregatio in *Puteola* 22. *Maij* 1615. Quod etiam dicendum eſt de Tertiaris, ſi qualitates habeant à Leone X. requiſitas; qualitates autem ſunt, quod viri collegialiter, vel clauſtraliter viuant; mulieres vero virginalem, vel cælibem vitam ducant ſub voto in Tertiariorum habitu ſimiliter ita ſepeliendi etiam ſunt in Eccleſijs Regularium illi, qui decedunt cum habitu Religionis illius à Superiore, vel ab alio, cui id ſuperior commiſerit; Ita ex Sacta Congregatione teſte Morono *in ſuis reſponſis reſponſ.* 51. *n.* 18.

28 Quæres duodecimo. Vtrum, dum corpora Defunctorum ſepelienda ſunt in Eccleſijs Regularium, & ſunt in aliena Parrochia prius deferenda ſint in Eccleſiam propriam Parrochialem, & poſtea in Eccleſias Regularium, Reſpond. prius eſſe dicta corpora deferendi in Eccleſiam propriam Parrochialem; vt ibi vltimam benedictionem recipiant à Parrocho; ſed ſi Parrochus vocatus nolit accedere recto ttamite poterunt dicta corpora ad Eccleſias Regularium deferri; Ita teſte Morono loco ſupra *num.* 29. Sacra Congregatio.

29 Quæres decimotertiò, ad quem nam ſpectet determinare iter in aſſociando cadauere. Reſpondeo ſpectare ad Parrochum; Ita Sacra Congregatio *in vna Caſtellanatenſ.* teſte eodem Morono *loco ſupra num.* 27.

30 Quæres Decimoquarto; an cadauer poſſit ſepeliri ſine Parrocho à Regularibus, dum vocatus noluit accedere. Affirmatiuè reſpondeo. Ita Sacra Congregatio Rituum in vna Capuan. 22. Decembr. 1629. & hoc intellige etiam proceſſionaliter, nam data facultate ſepeliendi conceditur etiam facultas deferendi mortuum proceſſionaliter. Oldrad. *conſil.* 225. *nu.*

*num.*13.*&*14.Sebaſtian Med.*de Sepulturis part.*2. *quæſt.*7. Tuſcus *litter. A concluſ.*77.*numer.*9.& 10.omnes apud Moronum *loco ſupra num.*27.

31 Quæres Decimoquinto; An cum licentia Ordinarij poſſint Moniales concedere ſepulturam alicui, (puta mulieri nobili) intra clauſuram. Reſpondet Portel. verb. *Sepultura nu.*14. apud Marzillam *in ſuo libr. declaration. Cardinal. lib.*1. *cap.*10. adeſſe declarationem ſub Gregorio XIII. qua ſtatuitur corpora volentium ſepeliri in Monaſterio Monialium debere ſepeliri in Eccleſia exteriori, & non intra clauſtra, ex qua videtur docere dictus Marzilla,& cũ ipſo Portel.etiã idem ſentire, quibus adde nouiſſime Pellizarium *De Monialibus cap.* 7. *quæſit.*10.quod abſque licentia Papæ non poſſit eligi ſepultura intra clauſtra; & conſequenter necMoniales talem ſepulturam poſſe concedere;quod quidem placet; ſicut diſplicet id, quod poſtea addunt dicti Doctores, talem electionem ſepulturæ non poſſe fieri niſi de licentia eius, qui poſſit dare. Quiſnam eſt hic, qui poteſt hanc facultatem dare? explicare ſe debent; hoc eſt enim, quod quęritur: certe ſi prohibet Pontifex abſolutè, (vt teſtatur Marzilla) ſepeliri corpora intra clauſtra Monialium: Epiſcopi facultas ſuperflua erit;videnda ergo eſt declaratio, ſi ei fidem adhibere vult lector. Vnde ea pręciſa non reperio in iure prohibitionem aliquam, circa hoc, & tantum Epiſcopis facultas aliqua competit forte in poſito caſu, quatenus Delegatus eſt Sedis Apoſtolicę circa clauſuram.

QVO AD HONOREM EPISCOPO debitum. Cap. XIII.

An Regulares teneantur venerari Epiſcopos ſub mortali. Dub. CCXX.

SVMMARIVM.

1 *Regulares tenentur ſub mortali venerari Epiſcopos.*
2 *Quid ſignificet, & quam vim habeat verbum* monemus.
3 *Ad ius reuerentiale, quod debetur Epiſcopis pertinent multa, quæ congerit alijs capitibus Auctor.*
4 *Non poſſunt cogi Regulares, vt eant obuiam Epiſcopo, eique Miſſæ celebranti aſſiſtant.*
5 *Nec tenentur Regulares ire obuiã Epiſcopo prima vice ingrediẽti Ciuitatem.*
6 *Epiſcopus debet præcedere Prælatos Religionis exemptæ etiam in proprijs eorum Monaſterijs.*
7 *Ampliat hoc Auctor.*
8 *Abbates Generales poſſunt incedere cum Mozzetta, & Cappucio etiam coram Epiſcopo.*
9 *Abbates nequeunt dare populo benedictionẽ ſolemnẽ, præſente Epiſcopo.*
10 *Conſtitutio Bonifacij IX.*
11 *Aliqua notabilia, quæ circa hoc tradit Lezzana.*

1 RESPONDEO affirmatiuè, & ita etiam reſpondet Peirinus *in Conſtitutionẽ* 26. *Leonis X.* §.24. & colligitur ex verbis illius Cõſtitutionis,quę talia ſunt.*Eoſdẽ inſuper Fratres in virtute Sanctæ Obediẽtiæ*

nia monemus, vt eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos pro debita, & noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia congruo honore, & conuenienti obſeruantia venerentur ly monemus interpretatur Peirinus, pro pręcipimus, nam verba deſeruiunt intentioni, non intentio verbis, vel explica ſic mone-
2 mus, vt fratres Epiſcopos venerentur, & hoc in virtute ſanctę obedientię, quę verba licet non ſemper inducant peccatum mortale, inducunt tamen pro ſubiecta materia, & adeſt text. *in cap. Re vera* 3. *qu.* 8. vbi Gloſ. ſic. *Ergo venerandi ſunt Epiſcopi à Regularibus, qui licet ſint exempti, attamen non ſunt exempti à iure reuerentiali; vt docent communiter Doctores.*

3 Sed quęres; quę nam ſunt illa, quę pertinent ad dictum ius reuerentiale, multa ſunt, quę ab omnibus Doctoribus admittuntur ſine dubio, aliqua, quę non adeo certè hic nos, quę circa hoc venire in mẽtem potuerunt breuiter ponemus: nam aliqua iam alibi poſſuimus, vt an poſsint Doctores Epiſcopi in Eccleſijs Regularium prędicare ipſis inuitis cap. *quo ad Conciones*, An poſsint proceſsiones in Regularium Eccleſijs conuocare Cap. *Quo ad Proceſſiones*, & ſimilia, hic habe alia.

4 Primo. Quæres; an Regulares poſſint cogi ab Epiſcopo, vt ei aſſiſtant in Miſſa; & obuiam eant.

Negatiuè reſpondeo cum Ioanne Antonio Nouario in *Summ. Bullarum de Baldachino num.6.* vbi ſic habet. *Nec Regulares cogi poſſunt ad aſſiſtendum Miſſæ, vel ei occurrere, ſeu obuiam facere, cum hoc potius ſit de honeſtate, & ea quæ ſunt honeſtatis non inducunt coactionem.*

5 Quæres ſecundo; An Regulares teneantur ire obuiam Epiſcopo prima vice Ingredienti Ciuitatem, & Diæceſim.

Affirmatiuè reſpondet Laurettus de Franchis *pag. mihi* 395. & apud ipſum Felynus in cap. *Cum non liceat* circa principium *de Præſcriptionibus*, & hoc ob honorem, & reuerentiam debitam Epiſcopo. Vnde addit dictus Felynus, hoc eſſe verum; etiam ſi Epiſcopus concedat exemptionem alicui, vt ſibi obuiam non eat, qui tamen prius ire ſolebat, cum talis conceſſio ſit in præiudicium honoris debiti Eccleſiæ, & dignitati, qui nec per pactum poteſt remitti *ex leg. Alia.ff. eleganter.*

Negatiuè tamen reſpondent Sanchez in opere Morali *li.6.cap.9.dub.1. num.36.* Paulus de Caſtro *in leg. Finali C.de Bonis*, & Mandoſius *in ſignatura gratiæ. Verb exemptiones ab Epiſcopo* §. *non autem exemptio.*

6 Quæres Tertio; An Epiſcopus debeat præcedere Prælatos Religionis exemptæ etiam in eorum Monaſterijs.

Reſpondet Affirmatiuè Laurettus de Franchis *pag. mihi* 346. & citat Felinum in cap. *cum liceat de Præſcription.* ratio eſt, quia, vt diximus ſuperius ius reuerentiæ numquam tollitur; e-
7 tiam per exemptionem; Et ego puto eſſe hoc verum, non ſolum in Monaſterijs, quæ ſunt intra Diæceſim illius Epiſcopi; ſed etiam in alijs: & confirmatur ex Doctrina Baldi in *leg. Finali C.de Bonis*, ex qua habetur Eccleſiam exemptam, ſiuè liberatam teneri nihilominus exhibere reuerentiam Epiſcopo, & ire obuiam perſonaliter more aliorum; Tum quia Epiſcopus attento iure antiquo in eius territorio

Regu-

Regularium curam, & diſciplinam habebat *cap. Monaſterium* 18. *quæſt.* 2. *cap. Venerabilis de exemption.* Tum quia regimen omnium animarum ſuę Diœceſis ſuſtinet.

8 Quæres quarto; An ob hanc reuerentiam debitam Epiſcopo, Abbates Generales poſſint incedere cum Mozzetta, & Cappucio coram illo.

Affirmatiuè reſpondeo; & ita habet Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verb. Mozzetta:* & hoc ex reſponſo Sacræ Congregationis *ſub die 9. Decembris* 1617. & etiam per aliud Decretum ſub Cardinali Creſcentio *die* 31. *Martij* 1621. ſicque Abbates Generales Mozzetta poſſunt vti cum Cappuccio: ſic Abbas Montis Caſſini, & alij plures Abbates tam Regulares, quam Sæculares in Gallia, Hiſpania, & Germania; Abbas S. Andreæ Congregationis Vercellenſis, & Mozzetta ſuper Mantelleto poſſunt vti Abbates Generales Celeſtinorum. Vide Nouarium loco ſupra.

9 Quæres quinto; An Abbates poſſint benedictionem ſolemnem dare Populo dum Epiſcopus eſt præſens.

Suppono benedictionem ſolemnem eſſe illam, quæ datur incipiendo illis verbis, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*

Reſpondeo ergo negatiuè, & patet clarè ex Conſtitutione Bonifacij Noni tenoris ſequentis, quam habet Tamburinus *tom.* 1. *de Iure Abbatum, diſput.* 21. *quæſt* 5.

10 *Expoſcit veſtræ deuotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, vt vos, quos ſpeciali deuotione proſequimur, quã Monaſterium veſtrum dignis honoribus attollamus. Hinc eſt, quod nos veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, & vt filij Abbas, & ſucceſſores tui Abbates dicti Monaſterij, qui pro tempore fuerint, mitra, annulo, & baculo, ac alijs Pontificalibus inſignijs liberè poſſitis vti, nec non in dicto Monaſterio, & Prioratibus ſubiectis, ac Parrochialibus, ac alijs Eccleſijs ad vos communiter, vel diuiſim pertinẽtibus, quamuis vobis pleno iure nõ ſubſint benedictionem ſolemnem poſt Miſſarum, Veſperarum, & Matutinorum ſolemni; dummodo in benedictione huiuſmodi aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit elargiri poſſitis; Felicis recordationis Alexandri Papæ Quarti prædeceſſoris noſtri, quæ incipit Abbates, & alijs quibuſcumque conſtitutionibus in contrarium editis nequaquam obſtantibus: vobis, & eiſdem ſucceſſoribus auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia, tenore præſentiũ indulgemus, nulli ergo hominum liceat, &c.* Habes ergo clarè quæſito reſponſionem; Ita etiam tradit Lezana, qui addit aliqua
11 ſcitu digna verb. *Benedicere*. Primo, non poſſe Abbatem dare hanc benedictionem niſi in Eccleſijs, non autem per vias; nam alias fieret præiudicium Epiſcopis. Ita Azorius *tom.* 1. *Inſtitut. lib.* 12. *cap.* 20. *quæſt.* 7. Rodriquez *tom.* 1. *qq. diſput.* 23. *quæſt* 1. *numer.* 1. qui refert declarationem Sacræ Congregationis. Secundo, etiam ſi Abbates ſint in alienis Eccleſijs extra ſuam iuriſdictionem, poſſe tamen dare talem benedictionem; Ita Tãburinus *diſp.* 21. *to.* 1. Tertio, Addit adeſſe priuilegium conceſſum à Sixto IV. Abbati S. Mariæ de Pace, vt etiam præſente Epiſcopo benedictionem ſolemnem dare poſſit; & teſtatur fuiſ-

ſe in praxi datam præſentibus duodecim Cardinalibus; Ita etiam Gabriel. Pannottus, & alij apud dictum Lezanam.

An oblationes factæ Epiſcopo celebranti in loco exempto Regularium ſint Epiſcopi, vel loci.
Dub. CCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Iura, quæ probant oblationes acquiri Rectori Parrochialis Eccleſiæ.*

2 *Sunt qui docent Epiſcopo celebranti in loco exempto oblationes non deberi.*

3 *Epiſcopus poteſt celebrare in loco exempto; vel exequendo Officium Paſtorale, vel voluntariè.*

4 *Regulares priuilegium habent, per quod oblationes facta in eorum Eccleſijs, & locis exemptis ipſis debentur.*

1 MOuet dubium Barboſa *de poteſtate Epiſcopi part.3. Allegat.*80. *num.*11.& ſunt variæ Doctorum ſententiæ.

Prima docet, deberi Epiſcopo; cum oblationes indiſtinctè cedant, & acquirantur Rectori Parrochialis Eccleſiæ per cap. *Quia*, & cap. *Sanctorum* 10. *quæſt.*1. & cap. *Nulli.*12. *qu.*2. & cap. *ex tranſmiſſa de reſcriptis*. Cum ergo tota Diœceſis dicatur Parrochia Epiſcopi; iam Epiſcopi ſunt dictæ oblationes; Ita Marcus Antonius Genuenſis *in pract. cap.*57. Afflictus *in Conſtitutiones Regni Neapolitani lib.*1. *rubric. de decimis*. Troilus Maluetius *de oblationibus imagini factis parte* 4. *num.*2.& alij.

2 Secunda negat; Ita videtur ſentire Barboſa loco ſupra,& Bellettus *de bonis Clericorum* §.3 *.numer.*50. vbi habet *ſecus ſi celebret in loco exempto; quia tunc ei debentur, ad quem ſpectant iura Parrochialia*; & addit per Felynum, hoc etiam valere, ſi Epiſcopus celebraret in loco non exempto, quod tamen ei non placet; tum quia Felynus ad hoc nihil allegat; tum quia contra ipſum ſunt multi Doctores allegati ab eodem Belletto.

3 Tertia diſtinguit; & dicit ſic, vel Epiſcopus celebrat exequendo Officium Paſtorale, vel voluntariè, ſi primum ei debetur oblatio, ſi ſecundum nequaquam. Ita Petrus de Ancharano in Clement. *Archiepiſcopo de Priuilegijs*.

Quarta, etiam diſtinguit,& docet, de Vrbanitate dandas eſſe oblationes Epiſcopo, de iure autem nequaquã; Ita Cardinalis Zabarella in dictam *Clement.*

Quinta dicit in hac re recurrendum eſſe ad priuilegia,& conſuetudinem, Soccin. *in tractat. de oblationib. libr.*18 *.numer.*60*.cum ſequent.* Cokier etiam *de Iuriſdictione in exemptos part.*4. *quæſt.*18. Cum ergo Regulares habeant hoc priuilegium, quod oblationes factæ in ſuis Eccleſijs, & locis exemptis ſint loci, & Monaſterij; vt habet Bellettus *loco ſupra num.*2. Hinc iuxta eorum priuilegia eſt incedendum, priuilegium autem, quod habent circa hoc eſt tenoris ſequentis. Bonifacij VIII.

Bo-

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Abbati Monaſterij Ciſtercienſis, eiuſque Coabbatibus, & Conuentibus vniuerſis Ciſtercienſis Ordinis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem; Series oblatæ nobis veſtræ petitionis habebat, quod licet ea, quæ in Eccleſijs Monaſteriorum veſtri Ordinis, piæ deuotionis affectu à Chriſtifidelibus in Miſſarum ſolemnijs offeruntur Fratrum Monaſteriorum ipſorum vſibus ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ debeant deputari, nonulli tamen Eccleſiarum Prælati ducti auaritiæ ſpiritu, cum in eiſdem Monaſteriorum prædictorum Eccleſijs prædicta ſolemnia celebrant oblationes, quæ ad manus eorum huiuſmodi celebrationis tempore fieri dignoſcuntur ad ſe pertinere, indebitè aſſerentes prædictas oblationes à Monaſterijs ipſis aſportare præſumunt, in ipſorum Monaſteriorum, & perſonarum detrimentum ſuper quo petiſtis humiliter per Apoſtolicæ Sedis clementiam prouideri. Nos itaque ad veſtrum, & Monaſteriorum, ac perſonarum in ipſis degentium ſtatum felicem, & proſperum pijs ſtudijs intendentes auctoritate Apoſtolica diſtrictius inhibemus, ne aliqui Prælati cum ipſos in eiſdem Eccleſijs Monaſteriorum prædictorum ſolemnia celebrari contigerit, prælibatas oblationes tunc prouenientes ibidem ſibi quomodolibet vendicare præſumant, ſed eas in Monaſterijs ipſis, ſeu locis eorum omnino dimittant Fratrum Monaſteriorum, vel locorum ipſorum vſibus profuturas, & cæt. Datum Anagniæ V. Idus Septembris Pontificatus noſtri anno 1.

An Epiſcopi poſſint erigere Baldachinum in locis exemptis Regularium.
Dub. C C X X I I.

S V M M A R I V M.

1 *Poſſunt Epiſcopi erigere Baldachinum in Eccleſijs Regularium ipſis inuitis.*
2 *Non tamen poſſunt diebus illis, quibus ex priuilegio celebrant in Pontificalibus Abbates Regulares (eſt auctoris pæculiaris reſponſio.)*
3 *Non obſtat deciſio Rotæ Romanæ.*
4 *Etiam in Monaſterijs exemptis Regularium poſſunt Epiſcopi erigere Baldachinum.*
5 Clement. 2. de priuilegijs *explicatur.*
6 *Et ante Decretum Clementis VIII. poterant hoc facere Epiſcopi inuitis Regularibus.*
7 *An Epiſcopi exteri poſſint de conſenſu Diœceſani erigere Baldachinum in Eccleſijs exemptis Regularium.*
8 *Quæ nam ſint inſignia Pontificalia Epiſcoporum.*
9 *Abbates in Eccleſijs Monialium ſubiectarum erigere poſſunt Baldachinum ſi vſu Baldachini fruantur, & cæt.*

1 QVod Epiſcopi poſſint erigere Baldachinum in Eccleſijs ipſis etiam inuitis, adeſt clara Sacræ Congregationis declaratio, quam referunt ad verbum plures Doctores, & præcipuè Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. de Baldachino*, ex quo decreto clarè habes, etiam poſſe Epiſcopum procedere cenſuris in Regulares illos, qui recuſant in ſuis Ec-

Digitized by Google

cleſijs talem erectionem. Ita Lazarius *in prac.9. tit. de Blaſphemijs*, & Campanilis *in rubr.9.cap.5.num.3.* ſed hoc tantum habet locum, dum actus ipſi cum Pontificalibus peraguntur.

2 Hic in mentem occurrit dubium; an ſtante hoc decreto poſſint etiam Epiſcopi inuitis Regularibus illis diebus erigere Baldachinum, & Pontificalia exercere in eorum Eccleſijs, quando Abbates habent priuilegium, vt ſub Baldachino, & cum Pontificalibus celebrent. Aliqui Doctores, quos viua voce conſului; affirmabant etiam tunc poſſe Epiſcopos celebrare, non tamen adducebant rationes ob quas mihi videatur adhærendum huic ſententiæ. Vnde potius ego dicerem, non poſſe tunc Epiſcopos celebrare, & ratio, quæ me mouet eſt; quia quod poſſit Epiſcopus in Eccleſijs, & locis Regularium exemptis erigere Baldachinum eſt priuilegium illi datum, & odioſum Regularibus: vnde cum reſtrictione potius, quam ampliatione debet intelligi, ſufficit ergo dicere, quod poſſit regulariter erigere etiam inuitis Regularibus, nõ autẽ quod poſſit etiã, dum aliquibus certis diebus poſſunt etiam ex priuilegio in ſuis Eccleſijs Abbates Regulares Pontificalia exercere.

Deinde ius quando vult, quod Regulares nequeant aliquid in ſuis Eccleſijs facere contradicentibus Epiſcopis ſolet exprimere, ſic Tridentin. dum vult, quod Regulares nequeant in proprijs Eccleſijs concionari contradicente Epiſcopo clare exprimit, ſic ergo in caſu noſtro.

3 Nec obſtat deciſio Rotæ, quam adducit Martha *tom.6. tit. Epiſcopus cap.20.* nam tunc Epiſcopo locus erat dandus in Eccleſia Sancti Ambroſij Mediolani, quia erat in poſſeſſione, non verò alia de cauſa.

Secundo, poteris dubitare; an etiã in Monaſterijs exemptis Regulariũ poſſint Epiſcopi erigere Baldachinũ.

Reſpondent affirmatiuè Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. de Baldachino num. 4.* Fuſcus *de Viſitatione cap.8. lib.2. nu.5.* ex text. *in Clemen. 2.* de Priuilegijs. Fundamentum eſt, quia hæc omnia æquiparantur, nec eſt maior ratio de vno, quam de alio, & ſimilium eſt idem iudicium.

5 Quod ſi obijcias *in dicta Clementin.* hæc facultas tantum datur Archiepiſcopo, & patet ex verbis *Archiepiſcopo quæuis loca exempta ſuæ Prouinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti, & Crucem ante ſe liberè portare faciat, benedicat populo, Diuina Officia priuatam, vel publicè, &c.*

Reſpondet ſtatim Nouarius dictus; & apud ipſum Vital. Couuarruias, Tuſcus, & Rota, non excludi per eam Epiſcopum cum data fuerit dicta Clementina in contingentia facti; immo ex ipſa verſus finem includitur etiam clarè Epiſcopus his verbis. *Sic tamen, quod prætextu huiuſmodi conceſſionis in locis ipſis exemptis, vel circa hoc priuilegiatis nullam aliam Iuriſdictionem idem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus exerceat.* Ecce quomodo includat etiam Epiſcopum, nec in hoc video difficultatem concludendum, ergo Epiſcopum poſſe vbique in Eccleſijs, & locis exemptis Regularium Pontificalia exercere, & Baldachinum erige-
6 re, inuitis etiam Regularibus, & ſcias etiam nec ante decretum Clementis VIII. potuiſſe Epiſcopos prohiberi à Regularibus, ne erigerẽt Baldachinũ,

ſed

Sed tantum Epiſcopi, (dum de hoc erat quæſtio) debebant agere coram Superioribus exemptorum. Modo vero iam per ſe ſolos ex vi huius decreti poſſunt Regulares hoc vetantes punire.

7 Tertio petes; An exteri Epiſcopi poſſint de conſenſu Diæceſani erigere Baldachinum in Eccleſijs exemptis Regularium.

Affirmatiuè reſpondet Ioannes Antonius Nouarius; Fundamentum eſt; quia quæ ſunt iuriſdictionis poſſunt delegari, ex textu in caput *Aqua de Conſecratione*: & confirmatur à pari, Eccleſia poteſt conſecrari ab alio Epiſcopo de conſenſu Diæceſani, vt tradunt Azorius *Inſtitut. Moralium parte* 1. *lib.* 11. *cap.* 26. *quæſt.* 10. Miranda *In Manuali Prælator. tom.* 2. *quæſt.* 38. *art.* 1. *concluſ.* 3. & multi ali apud Barboſam *de Poteſtate Epiſcopi part.* 2. *Allegat.* 27. *numer.* 1. qui enim per alium facit per ſe ipſum facere videtur.

Oppoſita tamen ſententia non caret ſua probabilitate, nam facultas Diæceſani in hoc priuilegium eſt forte perſonale, & ſic non poteſt alius ab eo, ad tale munus delegari; Deinde dum per ius commune Diæceſanis datur facultas celebrandi Pontificalia, & cæt. in Eccleſijs Regularium tamen, alia non datur iuriſdictio.

8 Quæres Quarto. Quæ nam ſint inſignia Pontificalia Epiſcoporum. Reſpondeo habes apud Barboſam *de Poteſtate Epiſcopi Allgat.* 6. *num.* 9. qui dicit eſſe, Mitram, Chirothecas Baculum, Dalmatica, & Sandalia. Ita Moſco *in ſuo tract. de Magiſtr. Militar. Eccleſiæ part.* 1 *libr.* 1. *cap.* 8. *verſ. Ornamenta* Campanilis vero addit *rubric.* 6. *cap.* 3. Mozzettam, Cappam Pontificalem, Galerum, quem duplicis formæ eſſe dicit. Et ſic ſuſpenſus à Pontificalibus prohibetur etiam ab eis, quæ ſunt dependentes ab eis, vt ab Ordinum collatione, Chriſmatione, Virginum, & Baſilicarum conſecratione.

9 Quæres 9. An Abbates habentes vſum Baldachini poſſint erigere illud in Eccleſijs Monialium ſubiectarum. Reſpondetur affirmatiuè. Ita Pellizzarius, *de Monialibus cap.* 9. *quæſit.* 21. quia in decreto Sacræ Congregationis habetur *in proprijs eorum Eccleſijs*, ſed tales ſunt Eccleſiæ Monialium ſubiectarum, ergo, Non impedire igitur poſſunt DD. Epiſcopi talem erectionem.

An Regulares poſſint cogi ad ſtandum dum examinantur, coram Epiſcopis. Dub. CCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Examinandus conſideratur, vt ſubditus.*

2 *Dum Regularis examinatur etiam ſi Doctor tamquam perſona priuata reputatur.*

3 *Maiores honorandi ſunt à minoribus.*

4 *Inter Sacerdotes graduatos, & non graduatos nullum eſt diſcrimen.*

5 *Quando iniuria redundat in dignitatem iudex quis poteſt eſſe in propria cauſa.*

1 Caſum habet in terminis Bordonus *reſolut.* 36. *quæſt.* 34. & reſpōdet affirmatiuè, & poſſe etiam puniri ſi contraueniat. Primo probat; Quia examinandus ſe habet, ac ſi eſſet ſub-

 ditus

ditus; ergò nullum habet ius ad honorem ſeſſionis; etiam ſi Doctor, & Magiſter ſit, nam quis poteſt eſſe Sacerdos, & Confeſſarius ſine magiſterio.

2 Quod ſi dicas, eſſe perſonam publicam non priuatam; quia priuata perſona eſt, quæ caret dignitate. Gloſſ. *verb. Priuati cap. qui contra* 32. 24.*qu.eſt.*1. Reſpondeo, tunc Regularem ſpectari tamquam perſonam priuatam, non vt Doctorem. Secundo, Probatur etiam; quia ſe habet formaliter tunc, ac ſi eſſet ſubditus, vt ergo appareat aliqua differentia inter ſuperiorem, & ſubditum, ratione honoris, & reuerentiæ, debet Religioſus

3 ſtare coram Prælato ſedente. Tertio, quia maiores honorandi ſunt à minoribus, à quibus obſequium præſtandum eſt, *leg.*1.*C.de Officio Rector cap. à Subdiacono diſt.*93.*& tit. de Maior.* Ergo cum Sacerdos Regularis examinandus ſit minor, & cæt. debet ſtare.

4 Quarto, inter Sacerdotes ſiue graduati ſint, ſiue non nulla eſt differentia in ordine ad examen. Ergo nec inter Regulares graduatos, & alios. Ita Bordonus loco ſupra; qui addit potuiſſe Vicarium procedere etiam carcere in Regularem, qui illum in actu examinis iniuriauit, dum volebat ſedere; nam etiam ſi nullus punire poſſit ſibi iniuriantem, cum nemo ſit iudex in propria cauſa per varia iura;

5 attamen hoc fallit quando iniuria redundat in dignitatem; ſeu officium iniuria affecti; vt notatur *in cap.*1. *de Offic. delegat. cap.*1. *de pœnis in* 6. *Alex. vol.*1. *conſil.*33. & alij apud dictum Bordonum. Vide circa hoc ipſum, nam apud nullum alium inuenies fortè dubium.

QVO AD ECCLESIAS, & Domos. Cap. XIV.

An Statutum Synodale Epiſcopi vim habeat in Eccleſijs Regularium.
Dub. CCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Statutum quoddam vetus, & ſingulare ad exemplum refertur.*
3 *Statutum locum ex ſui natura reſpicit.*
4 *Vbi Tridentinum acceptatum non eſt, non obligat alienigenas ibi commorantes, etiam earum Prouinciarum in quibus, publicatum & acceptatum eſt.*
5 *Statuta fauorabilia fauent etiam commorantibus in locis exemptis à condente ſtatutum.*

1 RESPONDEO negatiuè; & ita reſpondet Henricus Botteius *de Synodo nu.* 196. vbi habet caſum in terminis, dum adducit Statutum Synodale Archiepiſcopi Taurinenſis, in quo prohibetur, ne amplius in Eccleſijs, quis dormire poſſit, in Vigilijs Sanctorum ob multa inconuenientia, quod Statutum, hic ego ad verbum referam, quia dignum certe eſt, quod alijs omnibus Statutis Synodalibus formam det. eſt ergo tenoris ſequentis.

2 *Claudius de Seyſelo Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Taurinenſis vniuerſis præſentes inſpecturis ſalutem. Anti-*

Antiquus humani generis hoſtis numquam ceſſat ſub ſpecie boni mala mortalibus ſuggerere (qui eſt illi præcipuus fallendorum hominum modus,) idque cum infinitis experimentis cunctis mortalibus iam ſatis ſuperque ſit compertiſſimum, Inter cætera tamen illud non eſt contemnendum, Quod ſub obtentu Religionis certarum feſtiuitatum vigilijs in Eccleſijs, quæ in honorem Sanctorum ſunt conſecratæ, tam viri, quam mulieres nocturnas vigilias agunt nonnulli voto, alij deuotione conſtrictos ſe aſſerentes, Quod & ſi à quibuſdam pia, religioſaque mente fieri arbitramur, &c. Quibus ſcandalis ſtimulante conſcientia pro debito paſtoralis Officij (quantum cum Deo poſſumus) obuiare cupientes conſiderantes, quod talis vigiliæ, quæ in primitiua Eccleſia feruente deuotione, ad Dei, & Sanctorum eius cultum, fuere inſtitutæ ob ſimiles cauſas poſteriorū Pontificum decreto ſublatæ fuere, & ad ieiunia conuerſæ. Quodque ſuperſtitioſum videtur perſuadere fidelibus Sanctorum ſuffragia facilius noctu, quam interdiu, ac in turba, & tumultu, quam in abditis, & penetralibus locis impetrari. Cum Saluatorem noſtrum teſtem habeamus, quod in cubiculo clauſoque oſtio, quam in ipſis, etiam Eccleſijs pro palam, & ſpectante populo Orationes, & cæteras pias actiones Deo eſſe gratiores, memores quoque, &c. Illius igitur exemplo, & vt confidimus ſpiritu ducti, atque auctoritate ſuffulti, ac de Fratrum noſtrorum Eccleſiæ noſtræ Canonicorum Conſilio hoc Decreto perpetuò omnibus, & ſingulis perſonis vtriuſque ſexus, cuiuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtant ſub interminatione diuini iudicij, & Excommunicationis latæ ſententiæ pœnam inhibemus, ne de cætero in aliqua Eccleſia, Oratorio, Capella, vel loco ſacro Diœceſis noſtræ tales vigilias, & Congregationes faciant, neque ſub voti, aut deuotionis aliouè prætextu poſt primā horam noctis, vſquequo prima Miſſa in dictis Eccleſijs ſacriſque locis celebretur, ſeu pro illa ſignum campanæ detur, vigilet, aut pernoctet, Excepta Vigilia Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti quæ ob nocturna Officia vniuerſo Orbi eſt celeberrima. Alijs verò Feſtiuitatibus ſi in aliquibus Eccleſijs noſtræ prædictæ Diœceſis ex antiqua cōſuetudine Officium Matutinale deuotè dici, & populus admitti conſueuerit. Illud poſt Completorium Vigilia hora cōpetenti, celebrari mandamus, itaut, in noctis crepuſculo ſit finitum, ſicut in Eccleſia noſtra prædicta in Vigilia Natiuitatis Beati Ioannis Baptiſtæ ex laudabili conſuetudine ob deuotionem populorum fieri ab antiquo conſueuit, inhibentes præterea, & mandantes omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ſacrorumque locorum curam, & regimen ſiue cuſtodiam habentibus, ſub ſuſpenſionis à Diuinis per menſem ſi ſint Sacerdotes, cæteris vero ſub eadem excommunicationis pœna, quam ipſo facto ſi contrafecerint vtrique incurrant. Nec non alia grauiora pro modo culpæ per nos, vel ſucceſſores noſtros imponenda, ne tales vigilias in Eccleſijs ſibi, vt præmittitur commiſſis fieri procurant, aut permittant. Verum ipſas Eccleſias poſt horam primam noctis vſque ad auroram (exceptis caſibus, & temporibus prædictis) clauſas teneant.

Non ſubditos vero noſtræ iuriſdictionis, tam ſæculares, quam Regulares quorumcumque ordinum in Diœceſi noſtra commorantes per viſcera Miſericordiæ Dei noſtri hortamur, & obteſtamur, vt ipſi in Eccleſijs, & Oratorijs ſuis idem ſeruari faciant, exceptis perſonis, quæ ſecundum eorum ſtatuta ſingularia in Officijs Nocturnis admittere conſueuerunt, & cæt. Ecce

quomodo tantum hortatur Regulares, vt idem ſeruent,& ſeruari faciant in proprijs Eccleſijs, in quibus vim
3 non habet ex ſui natura ſtatutum Epiſcopi, quia ſtatutum locum reſpicit & ſic ſi locus ſit exemptus à iuriſdictione condentis ſtatutum iam nullam ibi vim habet. Affero ſimile exemplum à Doctoribus communiter
4 admiſſum. Vbi Tridentinum receptũ non eſt, nec publicatum, leges eius pœnales non obligant,nec alienigenas ibi commorantes, etiam ſi ſint illarum Prouinciarum in quibus publicatum, & acceptatum eſt Concilium,vt reperies in Celebri Dianæ Summa verb. *ſtatutum Papale nu.3*. & hoc non alia ratione,niſi quia leges illæ locum reſpiciunt, cum igitur locus illis legibus non ſubiaceat, nec degentes in illo, etiam ſi aliàs eſſent ſubditi, & ſubiecti in ſuis domibus, & Prouincijs illis legibus. Sic ergo in caſu noſtro, licet degentes in EccleſijsRegularium ſint ſubditi Epiſcopo Diœceſano; attamen cum Eccleſiæ exemptæ ſint, iam nec ſubdentur ſtatutis Epiſcoporum dum in eis commorantur, & degunt.

5 Scias verò hic obiter; ſi ſtatuta ſint fauorabilia,fauere etiam commorantibus in locis exemptis à condente ſtatutum,ſic ſupra in ſimili poſito docet Zipeus *in Conſult. Can. lib.4.conſ.1. de Congr. Spiritual.* leges fauorabiles Concilij Tridentini etiam valere pro exiſtentibus in locis, in quibus acceptatum non eſt Tridentinum. Vnde in dictis locis poſſunt Epiſcopi abſoluere, & diſpenſare in caſibus Papalibus occultis, & teſtatur huius rem praxim adeſſe in Gallia Duuallius apud Dianam loco citato.

An Statuta Epiſcoporum habeant vim in loco non exempto etiam in eos, qui ſunt exempti. Dub. CCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ circa hoc referuntur.*
2 *Caput* Volentes de Priuilegijs *in 6. confirmatum fuit à Trident.*
3 *Caput* Cum Cappella de Priuileg. *adducitur.*
4 *Regulares qui delinquunt extra clauſtra à propriis Prælatis puniuntur ad inſtantiam Ordinarii.*

1 CAſus frequenter accidere poteſt, nam exemptus Regularis poteſt delinquere contra ſtatutum Epiſcopi in loco non exempto, tunc dubitare quis poſſet; an ſubiaceat tunc Regularis ille pœnis latis ab illo ſtatuto.

Videtur affirmatiuam ſententiam ſuſtinere Cokier *part.2. quæſt.45. numer.1.* dum dicit *in primis exempti delinquentes in loco non exempto puniuntur ab Epiſcopo ſecundum ſtatuta Diœceſana*. Sed hoc non obſtante.

Negatiuè reſpondeo, (ſi ſit ſermo de Regularibus exemptis) & ita reſpondet Sanchez *lib.6. Opuſcul. cap.9. Dub.1.num.24.* & ratio eſt, quia Regulares habent priuilegium perſonale, ne poſſint puniri ab Ordinarijs,nec conueniri coram eis vniuerſaliter,nec ratione delicti, nec ratione contractus facti etiam in loco non exempto.

2 Nec obſtat caput *Volentes de priuileg.in* ,vt optimè aduertit Sanchez. Quod

Quod caput fuit confirmatum à Tridentino *ſeſ.7.cap.14. de Reformatione*; Nam vel reſponde cum Henriquez, vel cum Nauarro, quod iam tam dictum caput *Volentes*, quã Tridentinũ fuit derogatum per priuilegium, quod habent Mendicantes cum derogatione dicti cap. *Volentes*, quæ derogatio conſequenter etiam debuit reuocare Tridentinum, vel. Reſponde melius caput illud *Volentes* intelligi de exemptis ratione loci tantum, non vero ratione perſonæ qualiter ſunt modo exempti fere omnes Regulares; quam reſponſionem confirmare

3 poteſt ex cap. *cum Capella de priuileg.* Vbi dicitur, quod quædam Cappella habebat priuilegium, vt ipſius Cappellani non poſſent excommunicari, & ipſi in alijs non concernentibus dictam Capellam prætendebant ſe ab Epiſcopo eſſe exemptos, & Reſpondet Papa, quod quatenus exempti sũt ratione dictæ Cappellæ ſeruetur priuilegium, in alijs vero non, & ratio erat, quia ſolum erant exempti ratione loci. At Regulares, qui ex vtroque capite exempti ſunt, iam non poterunt conueniri, nec puniri ab Or-

4 dinarijs, & patet hæc Doctrina ex Concilio Tridentino *ſeſſ.25, cap.14 de Regular.* vbi iubetur; vt Religioſus, qui delinquit extra Monaſterium, à ſuo Abbate puniatur, ad inſtantiam tamen Ordinarij, quod non mandaretur, ſi ipſo facto delinquentes in loco non exempto, poſſent ab Epiſcopo puniri.

An Epiſcopus poſſit punire, qui deliquerunt in loco exempto, dum exeunt ab illo, & reddeunt ad locum non exemptum.

Dub. CCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Ad ſoluendum dubium diſtinctio adducitur inter delicta commiſſa.*

2 *Quando delictum eſt contra ius naturale; aut diuinum licet commiſſum ſit extra territorium poteſt puniri ab Ordinario.*

3 *Notabilis Salas opinio.*

1 Reſpondet cum diſtinctione noſter Alphonſus de Leone. *De Cenſuris Recollect.2. num.329.* & dicit ſic, vel eſt ſermo de delicto, quod eſt contra legem naturalem, vel Diuinam (vt eſt furtum, homicidium, & ſimilia,) vel eſt tantum delictum contra prohibitionem poſitiuam, (vt ludus Clericis prohibitus) ſi ſit delictum primi generis Epiſcopus poteſt illum de nouo excommunicare, & punire niſi ſatisfecerit. Ita Abbas *in caput 1. de Raptor. numer.7.* Sylueſter, Sotus, Henriquez, Auila *part.2. cap.3. diſputat.2. Dub.2. concluſ.6.* Suarez *libr.3. de legibus cap.32. num.5.* Salas *de Legibus diſput.24. ſec.5, num.74.* & alij apud dictũ Alphonſum de Leone. Ratio eſt;

2 quia quando delictum eſt contra ius naturale, vel Diuinum, licet illud fuerit commiſſum extra territorium tamen delinquens, & res circa quas deliquit ſunt intra territorium, quod ſufficit, vt poſſit puniri, & hoc valet non ſolum quando eſt prohibitum à Di-

Diæceſano per ſtatutum, vel ſententiam, ſed etiam ſi nulla ſit prohibitio. Quando autem delictum eſt ſecundi generis, non poteſt puniri, quia in loco exempto non habuit rationem delicti. Ita docet etiam Ciarlinus *cap.*61. *num.*23. qui plures alios citat licet obſeruet contrarium defendi à Federico de Senis *conſil.*2. *per totum*

3 ab hac etiam fere communi ſententia diſcedit Salas *de Legibus q.*96.*tract.*14. *num.*85. vbi explicat quomodo intelligi debeant textus, qui pro communi ſententia afferuntur, qui ſolum probant Epiſcopos in locis exemptis non poſſe niſi quoſdam pæculiares actus exercere. Vide dictum Doctorem.

An Ieiunia indicta ab Epiſcopis obligent exiſtentes in Monaſterijs Regularium.
Dub. CCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones circa hoc contrariæ.*
2 *Exiſtentes in Monaſterijs non tenentur ſeruare talia ieiunia.*
3 *Dum monaſteria in aliquibus caſibus exempta non ſunt, exprimitur hoc à iure.*
4 *Exemptio Regularium non eſt odioſa reſpectu Epiſcoporum quidquid dicant alij.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Suarez. 3.*parte tom.*5.*De Cenſuris.Diſputat.* 5. *Sec* 4. *num.*10. Coninch. *Diſput. de Sacrament. Dub.*7. *num.*63. Salas *diſput.*14 *de Legibus Sec.*6.*num.*85. Alterius.*Diſput.*5.*de Cenſuris Excommun.lib.*3.*cap.*5. Verſ. *hoc autem* Filliucius, Caſtro Pallao, & alij citati a Paſqualigo in ſuo docto *Tractatu de Ieiunio Deciſ.* 213.

Negatiuè verò reſpondent tum ipſe Paſqualigus; & Henriquez. *lib.*3. *Summ.cap.* 26.*num.* 2. Bonacina *de Ieiunio Diſput.*2. tum etiam *de Legibus* 1. *quæſt.*1.*punc.*6.*num.*68. Laiman. *lib.*1. *Theologi Moralis Trac.* 4. *capit.* 11. ſit ergò.

2 Concluſio non tenentur ſeruare huiuſmodi ieiunia exiſtentes & cæt. Probat latè Paſqualigus, Ego breuiter ſic. Iuriſdictio non ſe extendit ad alienum territorium. Ex cap. *Vt animarum de Conſtitution. in* 6. Ergò cum Monaſteria ſint alienum territorium non tenebuntur &cæt.

Secundo, leges, & ſtatuta Epiſcopi, non afficiunt loca exempta. Ergo nec perſonas in eis exiſtentes, etiam ſi ſint ſubditæ, cum huiuſmodi obligatio inducta, non reſpiciat perſonas particulares ſed communitatem. Cũ ergò perſonæ ſe ſeparant a communitate, iam non erunt ſubiectæ tali obligationi, plura alia addit Paſqualigus vide ipſum.

3 Nec obſtat fundamentum aduerſariorum, quod ſcilcet Monaſteria non ſint plenè exempta; nã ſi in aliquibus caſibus non ſunt exempta hoc exprimitur a iure, ſic in Tridentino dum Epiſcopi procedunt in Regulares, & eorum loca, hoc faciunt tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati regulariter loquendo. Hinc eſt, quod quando Epiſcopi aliquid præcipiunt ſuis ſubditis ſi ſit res, quæ debeat fieri in Monaſterijs, & alijs locis exemptis rogant, & hortantur Regulares, vt abſtineant; vt vidimus ſuperius in

ſtatu

ſtatu Synodali Archiepiſcopi Taurinenſis adducto.

4 Placet etiam id quod hic tradit Paſqualigus citatus, exemptionem ſcilicet Regularium non eſſe odioſam reſpectu Epiſcoporum, quia ſcilicet iuriſdictio in Regulares non competit Epiſcopo cum non accipiant hanc iuriſdictionem, dum accipiunt Epiſcopatum, ſed tantum illam, quam habent à iure. Vide Cokier *de iuriſdictione in exemptos*, qui pluribus in locis probat huiuſmodi iuriſdictionem eſſe odioſam reſpectu Epiſcoporum, & conſequenter facile redire ad ſtatum priſtinum; ſed ſto cum Paſqualigo, & iuxta hanc doctrinam aliquas ſolui difficultates in fauorem Regularium.

Quid poſſit Epiſcopus circa facultatem extrahendi reos ab Eccleſijs Regularium. Dub. CCXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Iam non poſſunt Prælati Regulares dare facultatem extrahendi reos ab Eccleſia, dum immunitate non gaudent.*

2 *Ante Conſtitutionem Gregorij XIV. bene hoc poterant facere.*

3 *De honeſtate tamen quadam talis abductio non eſt tentanda ſine conſenſu Superiorum Regularium.*

4 *Sunt caſus in quibus poſſunt Prælati Regulares banc facultatem dare, ſed ſtatim poſtea nuncianda res eſt Epiſcopo.*

5 *Clericos ſubditos delinquentes poteſt Epiſcopus extrahere ab Eccleſijs Regularium ſecundum aliquos.*

6 *Negatiuè reſpondet Auctor, & nouam adducit pro hoc rationem.*

7 *Epiſcopi poſſunt extrahere reos ab Eccleſijs Regularium tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati.*

8 *Epiſcopus non poteſt erigere tribunal in locis exemptis Regular.*

9 *Cum Epiſcopus eſt expulſus à Diœceſi, tunc petita, & non obtenta facultate iam poteſt erigere tribunal.*

10 *Epiſcopus nō poteſt degradare aliquem in Eccleſijs Regularium.*

1 Dico Primo, Iam non poſſunt Prælati Regulares poſt Conſtitutionem Gregorij XIV. dare facultatem extrahendi reos, qui immunitate non debent gaudere. Sed hoc ſolum ſpectat ad Epiſcopos per illa verba. *Volumus dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curiæ Sæcularis, eiuſque Iudices, & Officiales ab Eccleſijs, Monaſterijs, locisque Sacris prædictis Laicum aliquem, vt præfertur delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis ſine licentia expreſſa Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habente, ad quos ſolos, & non alios Epiſcopis inferiores, etiam ſi alias Ordinarij ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſeruatores ab hac ſede ſpecialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat*, ex quibus verbis patet non poſſe Prælatos concedere hanc faculta-
2 tem. Ante dictam Conſtitutionem benè tamen poterant ſine licentia Epiſcopi, vt notat Bordonus *reſolut. 7.1. de immunitate reorum*, & etiam Rodriquez *tom. 2. qu. 51. art. 3. §. Verum eſt*, & colligitur ex cap. *Reum* 8. & cap. *Id conſtitutmus*, & ratio eſt quia erant in ſingulis his caſibus iudices cō-

tra

tra reos fugientes ad Eccleſias cum earum immunitatis priuilegio non gaudebant.

3 Sed quæres hic obiter; an Superioris habenda ſit ab Epiſcopo aliqua ratio. Reſpondet Bordonus loco ſupra, Haud tentandam eſſe ſimilem abductionem ſine conſenſu Superioris localis, cum ſit patronus Monaſterij, alias de Epiſcopo conqueri rationabiliter poſſet dictus Prælatus.

4 Aliqui etiam ſunt caſus in quibus ob neceſſitatem, vel quia periculum ſit in mora poſſunt Prælati tam Regulares, quam Sæculares ſine expreſſa facultate Epiſcopi reum extrahendi dare facultatem, res tamen poſtea eſt ſtatim Epiſcopo nuncianda, puta ſi quis fugeret ad Monaſterium Monialium; & ſimiles caſus, quos videre potes breuiter apud noſtrum Peregrinum *in ſuo tract. de Immunitate Eccleſiæ pag. mihi* 212. vbi etiam habes, qui nam ſit Epiſcopus, qui hanc facultatem debet dare, dum reus eſt in Eccleſijs nullius Diæceſis, & quæ Ordinarium proprium habent, Epiſcopo tamen inferiorem.

5 Sed quæres hic; an Epiſcopus poſſit extrahere ab Eccleſijs Regularium Clericos ſuos ſubditos, dum ad eas ob delicta confugiunt.

Reſpondet affirmatiuè Riccius, *par.3.deciſ.326.* Quia locus exemptus eſt in Diæceſi, ac proinde ſituatur in territorio, ex quo oritur Iuriſdictio *leg. Tupillus* §. *territorium de verbor.ſignificat.* nec loca Regularium exempta poſſunt dici, exiſtere extra Diæceſim, nã licet non ſint de Diœceſi, ſunt tamen in Diæceſi, *ex c. Cũ Epiſc.* & ibi Francus *in 2.Notabili,* & Gemin. *nu.3.* de Officio Ordinarij *in 6.cap.2.* Gloſſ. in Clement. *frequens*, & ibi Vital. *numer.* 127. *de excommunic. Prælator.* Abbas in caput *Apoſtolicæ num.3. de donationibus*. Ancharanus in cap. *poſtulaſti num.45. de foro Compet.* & in cap. 2. *numer.* 10. Felynus in caput *Graue num.2. de Officio IudicisOrdinarij*, Federicus de Senis *conſil.2. num.4.* verſ. *quando autem num.7.* Vbald. *de Canonica Epiſcop. & Parrochi cap.4. quæſt.6. numer.* 11. & ita habet *Rota Conſtantienſis Iuriſdictionis* apud Tamburinum in fine operis *de Iure Abbatum loco* 55. & in altera *Volaterranenſi Iuriſdictionis* 14. *Ianuarij* 1581. coram Brano, quæ eſt *diuerſor.* 207. *par.*2. & probatur ratione, quia ſi dicta loca non eſſent in Diæceſi fruſtra impetraretur priuilegium exemptionis, tale autem priuilegium ſolum eximit à ſubiectione, non autem à ſituatione, & denominatione. Ergo ob hoc poterit Epiſcopus iuxtà hanc ſententiam extrahere Clericum ab Eccleſia Regularium. Quo tamen non obſtante etiam ſuppoſita illa opinione, quod Clericus non gaudeat immunitate Eccleſiæ contra ſuum Epiſcopum, de quo diſputant validè Doctores, & multa pro vtraque parte adducuntur.

6 Dico non poſſe Clericum illum ab Eccleſia Regularium extrahi, quia in illis locis Sacris exemptis nullam iuriſdictionem exercere poteſt Epiſcopus, & ſic vt diximus ſuperius. nec Epiſcopi ſtatuta obligant in eis exiſtentes; nec obſtat, quod ſint in Diæceſi, nam non per hoc tollitur exemptio eorum; & ſicut non poteſt ibi degentes punire; ſic nec extrahere ab eis locis, & hoc non ob immunitatem Eccleſiæ, nam ſi ſolum eſſet immunitas certè hoc poſſet Epiſcopus; quia

vt

vt ſupponimus Clericus contrà ſuum Epiſcopum non gaudet immunitate, ſed ob exemptionem quam habent dicta loca Regularium (quod eſt maximè notandum) ſic in ſententia multorum Doctorum, & præcipuè Sanchez *in Opuſc. lib. 6. cap. 9. numer.* 37. & Heuriquez *Libro ſeptimo de Indulgentijs Cap.* 26. non poteſt Epiſcopus compellere Regulares, vt reum eccleſiaſticum loco carceris detineant in Monaſterijs, & hoc ob priuilegia exemptionis in hoc particulariter conceſſa Regularibus a Leone X. Camaldulenſibus & Cæleſtin. & idem tradit Claud. verb. *exemptio* §. 10. & Compendium Bernard. Verb. *Iudex.* ſicut ergo nequit Epiſcopus in hoc punire Eccleſiaſticos ſubditos in locis exemptis Regularium, ſic nec in caſu poſito.

7 Quod ſi obijcias, ſi hæc Doctrina eſſet vera, nec poſſet Epiſcopus dare facultatem extrahendi reos ab Eccleſijs, dum eſſent Eccleſiæ Regularium ob eandem rationem, quod tamen falſum eſt.

Reſpondeo hoc poſſe tamquam Sedis Apoſtolicę delegatos, & in certis caſibus ſolum, vt habet Cõſtitutio Gregorij XIV. ex quos colligitur non habere de iure ordinario talem iuriſdictionem & confirmatur, quia ante dictam Cõſtitutionem Gregorij XIV. dare talem facultatem ad Prælatos Regulares ſpectabat, vnde concludit Ioannes Antonius Nouarius *in Sum. Bullarum Parte 2. De Immun. Eccleſiaſ. num.* 4. tunc Epiſcopum non poſſe extrahere Clericum niſi conſentiente Prælato Regulari, vbi reſpondet difficultati Gregorianæ.

8 Et conſonat ſententię poſitæ communis ſententia, quæ docet nullo pacto poſſe Epiſcopum Cathedram, & Tribunal erigere in locis exemptis Regularium, quam tradũt Cardinal, Vitali, & alij plures Iuriſtę, & Canoniſtæ, *in Clement.* 1. *de foro Competenti,* Abbas in caput *Apoſtolicæ numer.* 3. *de Donationi,* Rota *Diuerſ. deciſ.* 207. *num.* 2. *parte* 2. Riccius *in praxi Variarum Reſolut. Reſol.* 350. *num.* 2. Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. de Baldachino,* Fundamentum eſt, quia licet locus exemptus ſit in Diæceſi, non tamen eſt de Diæceſi; & ſic Epiſcopus per ſuum ſtatutum non ligat & cęt.

9 Limita tamen hoc cum Epiſcopus eſt expulſus a ſua Diæceſi; nam tunc petita licentia, & non obtenta poterit tribunal erigere & iuriſdictionem exercere in loco exempto, & extra Diæceſim, habet Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi allegat.* 80. *nu.* 10. apud eum *lib. 2. cap.* 21. *numer.* 8. & Colligitur ex *Clement. vnica de foro competenti.*

10 Sequitur etiam conſequenter loquendo ex dicta ſententia, nec poſſe Epiſcopum degradare aliquem in eccleſiis Regularium. Ità Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullar. de Baldachino num.* 9. vbi citat Ancharanum & Vitalian. ob defectum ſcilicet iuriſdictionis quam ibi non habet.

An Epiſcopus poſſit concedere indulgentias Eccleſiis Regularium.
Dub. CCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia ponitur.*

2 *Ratio*

2 *Ratio auctoris, pro illa probanda.*

1 Affirmatiuè reſpondet Bordonus *Reſolut.* 15. *quæſt.* 10. qui etiam idem reſpondet quo ad Indulgentias conceſſas perſonis ipſis Regularibus, cum ſemper ſupponatur eſſe licentia Superiorum ſed de hoc habes alibi. De Eccleſiis autem loquendo clarè affirmatiuè reſpondet dictus Bordonus, quia Eccleſię maiorem aliquam dicunt ab Epiſcopis dependentiam, cum ſine ipſius conſenſu nequeant fundari, nec conſecrari, Ob hanc igitur maiorem dependentiam videtur dicendum validè dare poſſe
2 talibus Eccleſijs etiam exemptis indulgentias. Sed melius meo iudicio probaretur hæc ſententia, ſi cum ſimus in fauorabilibus diceremus illis etiam gaudere loca exempta Regularium; licet in odioſis non ſint ſubiecta, ſic ſuperius diximus leges odioſas Concilij Tridentini non ligare in locis, vbi publicatum non fuit, nec acceptatum, bene tamen indulta fauorabilia valere puta auctoritatem datam Epiſcopis abſoluendi, & diſpenſandi & cæt. Ergò idem dicendum pro ſubiecta materia.

An Epiſcopus degens in Monaſterijs tempore vacationis Beneficij vti poſſit alternatiua.
Dub. CCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia ferè communis eſt.*

2 *Quando effectus debet fieri extrà Diæceſim Epiſcopus poteſt exercere iuriſdictionem contentioſam etiam ſi ſit extra ſuam Diæceſim.*

3 *Nudum munus viſitandi exercere poteſt Epiſcopus in aliena Diæceſi, & quomodo.*

1 Hic etiam dubium hoc volui ponere, quia ex eius ſolutione patebit magis exemptio Regularium quo ad eorum Eccleſias, & domos.

Negatiuè ergò reſpondet Garzia *de Benefic. Parte* 5. §. 12. *nu.* 704

Affirmatiuè verò reſpondent ferè communiter Doctores. Gonzalez *in Regul.* 8. *Gloſs.* 43. *num.* 187. Gratianus *lib.* 5. *diſceptatio. Forenſi cap* 919. Ioannes Maria Nouarius *in Tractlicis concluſionibus Iuris noui Pontificij, An, & quando reſidere teneantur Prælati, qui alternatiua vti volunt Conclus.* 3. & alter Gratianus *Cap.* 127. *a num.* 4. qui dicit, etiam extra territorium poſſe beneficia conferri ab Epiſcopo præterquam, dum eſt in Curia præſente Papa, & hoc de ſtylo, non autem de iure, vt vult Gomez. *de non iudicando iuxtà for. & cæt.* Æneas de Falconibus *de Reſeruat. quæſt.* 4. *parte* 2. Paul. *In Trac. Cancellar. Quæſt.* 82. Pauin. *de Poteſtate cap. Sedis Vacantis quæſt.* 1. *part.* 2. *col.* 30 & de omnibus actibus qui ſunt iuriſdictionis voluntariæ, idē dicendum (vt eſt v.g. concedere dimmiſſoria) quod poteſt fieri, & ab Epiſcopo, & ab eius Vicario, etiam extra territorium proprium.

2 Imò addit Epiſcopum poſſe exercere iuriſdictionem contentioſam, etiam extra ſuam Diæceſim, quando cognitio cauſæ nō vertitur, & effectus debet fieri extra Diæceſim. Gonzalez, de alternatiua *Gloſſ.* 62. *numer.* 11. Addit etiam abſolutè poſſe exercere iuriſ-

iuriſdictionem contentioſam in aliena Diæceſi de conſenſu Iudicis illius territorij, dum tamen iſta licentia nō præiudicet ſubditis illius Diæceſani; Vndè etiam conſenſus ſubditorum requiritur Socin. *Art.* 18.*quæſt.* 2.*per totum*.

3 Et inſuper ſubdit idem Gratianus, loco ſuprà, Epiſcopum etiam facere leue præiudicium alteri Diæceſano, ſi in illius Diæceſi vellet exercere nudū munus viſitandi, abſque procuratione, Butr. in Cap. *Penultim. Collat.* 12. *ad medium num.* 17. *de cenſibus* Quæ omnia petunt ſolutionem illius dubij, quam iuriſdictionem exercere poſſint in alienis Diæceſibus Epiſcopi, & ſic etiam in locis exemptis.

An Clerici, vel alij delinquentes in Monaſterijs Regularium poſſint dum ibi exiſtunt puniri ab Epiſcopo.
Dub. CCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Senſus dubij exponitur.*
2 *Affirmatiua ſententia adducitur.*
3 *Non poteſt Epiſcopus punire delinquentes in Monaſterijs & cæt.*
4 *Fundamenta contrariæ ſententiæ diluuntur.*

1 CAſus eſt validè practicabilis, nam puta: Clericus ludit aleis in Monaſterio Regularium, qui ludus eſt ei ab Epiſcopo prohibitus; poteſt ne ab eo puniri dum ibi actu ludit ſuperius quæſiuimus an dum diſcedit ab eo loco, & redit in locum non exemptum, & cum diſtinctione reſoluimus difficultatem, modo agimus, dum actu manet.

2 Affirmatiuè reſpondent D. Antoninus 3. *Parte Summæ tit.* 24. *cap.* 25. Suarez *Diſput.* 5.*ſec.* 4.*num.* 5. *De cenſuris.* Azorius.*part.* 1. *Inſtitut. lib.* 6. *Cap.* 25.*quæſt.* 4. Salas *de legibus, diſput.* 14. *num.* 84. Conich.*de cenſuris diſput.* 12. *num.* 63. Alterius *lib.* 3. *Diſput.* 9.*cap.* 5. Filliucius, *trac.* 11.*num.* 149. Caſtro Pallao *Parte* 3. *Trac.* 3.*diſput.* 1.*punct.* 24. omnes relati a noſtro Alphonſo. de Leone. *De Cenſuris Recollectione* 2. *num.* 323. Fundamentum eſt, quia ſi Epiſcopus punire non poſſet, remanerent impunita illa delicta. Secundo, Monaſteria ſunt exempta ratione perſonarum non autem locis, & ſic videmus Abbates, & Superiores non poſſe punire delinquentes in ſuis Monaſterijs, ſed his non obſtantibus.

Negatiuè reſpondent plures alij Doctores; & præcipuè dictus Alphōſus de Leone loco ſuprà, Auila *parte* 2. *cap.* 3.*diſput.* 2. *Dub.* 7. Bonacina *diſput.* 1.*de Cenſuris quæſt.* 1.*punc.* 11. Megala *parte* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. & nouiſſime Paſqualigus de Ieiunio *deciſ.* 196. *num.* 5. ratio eſt quia non ſolum Regulares quo ad perſonas, ſed etiam quo ad loca ſunt exempti in hoc ſenſu ſcilicet, quia nequit Epiſcopus in eos exercere iuriſdictionem contentioſam, nec etiam in eorum locis. Vndè vt alibi diximus nequit per communem Doctorum ſententiam in eorum locis ponere tribunal, & cæt. Deindè locus exemptus, & locus extra Diæceſim æquiparantur. Ergo ſicut nequit punire ſuos ſubditos extrà Diæceſim commorantes, ita nec in loco Regularium exempto.

4 Ad Fundamenta, contrariæ ſententiæ,

tentiæ, ad primum poſſe adhuc illa delicta puniri, ſeu quando redeunt ad locum non exemptum, ſi delicta contra ius naturale ſeu diuinum ſint. Deindè non eſt inconueniens in aliquo caſu remanere delicta impunita, ſic ſi exeat delinquens extrà Diœceſim, iam idem dicendum eſſet.

Ad ſecundum non bene colligi ex eo quod Prælatus nequeat punire nō ſubditos in ſuis Monaſterijs delinquētes non eſſe loca exempta, nam poſſunt eſſe illa loca exempta, & tamen non poterunt in eis puniri delinquentes ob defectum poteſtatis, quam in eos non habent Prælati illi exempti, non autem ob defectum exemptionis.

QVO AD VISITATIONEM. Cap. XV.

An Epiſcopus poſſit viſitare Monaſteria Regularium, & qualiter hoc poſſit facere. Dub. CCXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Epiſcopus viſitare Confraternitates ſæcularium in Eccleſiis Regularium erectas.*

2 *Item viſitare poteſt Cappellas talium Confraternitatum exiſtentes in eiſdem Regularium Eccleſiis.*

3 *Viſitare poteſt Epiſcopus Monaſteria Monialium Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta.*

4 *Habet tamen ſolum iuriſdictionem quo ad dictas Moniales in concernentibus ſpiritualia, non autem temporalia.*

5 *Viſitare etiam poteſt Epiſcopus Monaſteria Monialium Regularibus ſubiecta in omnibus ad clauſuram pertinentibus.*

6 *Non poteſt viſitare Epiſcopus loca vbi Sanctiſſimum Sacramentum ſeruatur in Eccleſiis Regularium, dum dictæ Eccleſiæ curam animarum non habent.*

7 *Varij caſus aſſignantur, in quibus Viſitandi facultatem habent Epiſcopus.*

8 *Viſitare non poſſunt Epiſcopi ea loca Vbi Equites Hyeroſolimitani habent iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem.*

9 *Alij caſus ponuntur, in quibus Epiſcopi habent, vel non habent facultatem viſitandi dicta Regularium loca.*

10 *Etiam ſi Epiſcopus prætenderet poſſeſſionem viſitandi locum, vbi in Eccleſiis Regularium ſeruatur Sanctiſſimum hoc non poſſet.*

11 *Reſcriptum Sacræ Congregationis Archiepiſcopo Genuenſi.*

1 MVlti ſunt caſus in quibus poteſt Epiſcopus viſitare loca Regulariū, & etiam multi in quibus non poteſt. Aliquos enumerat Nouarius, *in Lucerna Regularium*, Verb. *Viſitatio*, & Barboſa in Collectan. Concilij varij in locis.

Primo, Ergò viſitare poteſt Confraternitates ſæcularium in Eccleſijs Regularium erectas, & in illis iuriſdictionem ad Sacri Concilij præſcriptū exercere, conſuetudine quacunque contraria non obſtante. Ità Sacra Congregatio Epiſcop.

2 Viſi-

Digitized by Google

Secundo, Viſitare poteſt non ſolum Confraternitates erectas in Eccleſijs Regular. ſed etiam cappellas earum exiſtentes in eiſdem Regularium Eccleſijs. Sed videtur in hoc adeſſe declaratio Sacræ Congregationis contraria, quam tamen dicunt Doctores intelligendam eſſe circa ea, quæ non confraternitatum adminiſtrationem, ſed potius Regularium reſpiciunt. Ita Sacra Congregatio Concilij, quam refert Barboſa *de iure Eccleſiaſt. libr. 1. cap. 14. num. 30.*

3 Tertio, viſitare poteſt Epiſcopus Monaſteria Monialium, licet Sedi Apoſtolicæ immediate ſubiecta tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus. Ita ſtatuit Concilium Tridentin. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 9.* & tradit Leyua Venerus *in examine libr. 6 cap. 21. numer. 5.* & alij apud citatum Nouarium, & Nauarram *libr. 1. tit. 18. lib. 7.*
4 *de Religione num. 93.* qui tamen aduertit per illud decretum non habere Epiſcopum auctoritatem, & iuriſdictionem aliquam in Monaſterijs Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, niſi in concernentibus ſpiritualia, non autem circa temporalia.

5 Quartò, Viſitare poteſt Epiſcopus Monaſteria Regularibus ſubiecta in omnibus ad clauſuram ſpectantibus, ita Armerandiz, & Nauarra apud Nouarium loco ſupra *in Lucerna Regularium.*

6 Quinto, non poteſt Epiſcopus viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium animarum cura carentium, vel loca, vbi in eiſdem Eccleſijs Sanctiſſimum Sacramentum ſeruatur, vel vbi audiuntur confeſſiones ſæcularium. Ita colligitur ex Bulla Gregorij X V. quæ incipit *Inſcrutabili* ædita 1622. quam habes *tit. poſt Conſtitutiones, &c.*

7 Sexto, viſitare poteſt Epiſcopus Eccleſias militum Sancti Ioannis animarum curam habentes vigore Bullæ Pij V. quæ incipit *expoſcit.* Dat. Anno 1571. & ex Bulla etiam Gregorij XV. *Inſcrutabili*, tradunt hoc multi Doctores relati ab ipſo Nouario. Riccius *in praxi fori reſolut. 176.* Barboſa *De Poteſtate* Epiſcopi *allegat. 24. par. 3.* Naldus *in Summ.* verb. *Miles*, Cokier *de Iuriſdictione in exemptos quaſt. 145. parte 2.* & alij ſcias autem teneri hoc facere abſque impenſa Rectorum eiuſdem Ordinis.

Septimo, Viſitare poteſt Epiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicę delegatus Parrochialem Oliuetanis Monachis ſubiectam. Ita Sacra Congregatio ex Aldano apud eumdem Nouarium.

Octauo, Viſitare poteſt Epiſcopus Parrochiales Eccleſias Canonicarum Regularium Monaſterio vnitas vigore Decreti Concilij Trident. *ſeſſ. 7. c. 7. de reformatio.*

Nono, Viſitare poteſt Epiſcopus Regulares de licentia ſuorum Superiorum beneficijs ſimplicibus ſeruientes. Ita per Sacram Congregationem, ſed hoc intellige cum non viuunt ſub regulari obſeruantia, & cæt.

Decimo, Viſitare poteſt Epiſcopus Eccleſias Parrochiales vnitas Monaſterijs, etiam ſi cura per ſæculares adminiſtretur, ex Armerandiz per eumdem Barboſ. *alleg. 74. de Poteſ. Epiſcopi.*

Vndecimo, Viſitare poteſt Epiſcopus omnes Parrochiales etiam ſi Regulares prætendant habere iuriſdictionē ſpiritualem immutabilem in locis, in quibus ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ. Ita Armerandiz apud eumdem Barboſā, qui idē habet *alleg. 74. n. 12.*

8 Duodecimo, Vbi equites Hieroſolymitani habent iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem non poſſunt ſe ingerere Epiſcopi in Viſitatione. Ita Barboſa ex Armerandiz *alleg.74.* citata *nu.26.in finem de Officio Epiſcopi.*

9 Decimotertio, Parrochiales Eccleſiæ vnitæ, etiam Monaſterijs, quæ ſunt capita Ordinū poſſunt viſitari ab Epiſcopis, habes apud Barboſā loco ſup.

Decimoquarto, non poteſt Epiſcopus viſitare Prioratum militum S. Ioannis, ſed viſitari debēt à Capitulo ſui Ordinis, tradit Barb. *alleg.74.n.27.*

Decimoquinto, Nequit tamen Epiſcopus viſitare Eccleſias exemptas Regularium proceſſus iudicialiter formando, cauſamque cognoſcendo Barboſa ex Aldano.

Decimoſexto, Viſitare poteſt Epiſcopus Hoſpitalia, & beneficia commendata exiſtentia in Eccleſijs Regularium. Vbi non viget Regularis obſeruantia. Ita reſoluit Sellius apud Barboſam in Concilium *ſeſſ.22.cap.9. de reformat. num.25.* alios plures caſus congerunt DD. quos hic nō recenſo, vel quia coincidunt cum relatis, vel quia ſparſim alibi illos attigimus.

10 Adde hic vltimo ſupra adeo verum eſſe Epiſcopum non poſſe viſitare Eccleſias pixidem, & tabernaculū vbi ſeruatur Sanctiſſimum, ſi hæc ſint Regularium, vt etiam ſi prætenderet poſſeſſionem tamen hoc non poſſet. Ita Peirinus *in Conſtitutionem 2. Sixti IV.*§.10.*n.*17. & Quaranta *in Summa Bullar.in Clement.*8.*in principio, & alij*. Vnde cum Archiepiſcopus Genuenſis vellet in Eccleſia quadam Regulariū viſitare dictum tabernaculum, quia prętendebat etiam poſſeſſionem, cum aliqui ſui prædeceſſores dictum tabernaculum viſitauerint, fuit deductum negotium ad Sacram Congregationem, quæ dicto Archiepiſcopo reſcripſit in hæc verba.

Perilluſtris, & Reuerendiſſime Domine, vti frater, cum actum fuerit in Sacra Cōgregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quaſi poſſeſſione Eccleſias Regularium viſitandi, Illuſtr. Patres perſpectis ſcripturis huc ab amplitudine tua non ita pridem delactis cenſuerunt debere eam abſtinere ab huiuſmodi viſitatione Monaſteriorum, atque Eccleſiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum ſæcularium non imminet. Itemque Monalium ijſdem Regularibus ſubiectarum, in his, quæ ad ipſorum clauſuram non pertinent. Reliquum eſt, vt Amplitudo tua S.Congregationis reſponſo (quod ſuis litteris pollicetur,) adhæreat, & diù viuat, Romæ die 26. *Ianuarij* 1619. *Cardinalis Lancellotus, & cæt.*

An ſolus Epiſcopus, & non alius ſit ille, qui ex vigore Tridentini *cap.*8. *ſeſſ.*7. *de refor.* poſſit viſitare loca exēpta Regulariū. Dub. CCXXXIII.

SVMMARIVM

1 *Ratio dubitandi.*
2 *Per locorum Ordinarios non intelligit Concilium Tridentin. Epiſcopos ſolos illo loco, ſed alios etiā Prælatos.*
3 *Obiectioni, quæ ab aduerſarijs adducitur, ſoluitur.*
4 *Quod Regularium Eccleſiæ, quæ nullius diæceſis ſunt debeant viſitari ab Epiſcopo proximiori prima facie videtur per Concil. Tridentin.* ſeſſ.24. cap.9. de reformat.
5 *Negatiue tamen reſpondetur.*
6 *Per Tridentin.* ſeſſ.21. cap.8. de reform.

formā tenetur Epiſcopus viſitare commendata Monaſteria in quibus non viget Regularis Obſeruantia.

1 Habet ibi Concilium *locorum Ordinarij Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas ſingulis annis viſitare teneantur, &c.* Ratio ergo dubitandi eſt, quia ſi omnes Eccleſias quomodolibet exemptas tenetur viſitare Ordinarius, iam etiam Eccleſias Regularium: Sed videndum eſt, vt tollatur difficultas, quid per loci Ordinarium intelligatur.

2 Rodriquez *tom. 1. qq. quæſt. 36. art. 3.* docet per locorum Ordinarios intelligi in hoc loco non ſolum Epiſcopos, ſed etiam alios Prælatos inferiores; nam etiam in alijs locis Concilium per Ordinarios locorum intelligit illos omnes, qui Ordinariam iuriſdictionem habent, dūmodo ex proprietate rei nullus alius præter Epiſcopum, illum actum facere poſſit, vt ſunt actus Confirmationis, Conſecrationis, & Ordinationis, qui ſunt proprij actus Epiſcopi.

3 Sed quia poſſet quis obijcere, in hoc loco dat iuriſdictionem Ordinariis viſitandi Eccleſias exemptas quomodolibet. Sed ſi intelligerentur alij Ordinarij, & non ſolum Epiſcopi iam non viſitarent Eccleſias exemptas, nā licet Eccleſiæ Regularium ſint exemptæ ab Epiſcopis, non ſunt tamen exemptæ à ſuis Ordinarijs, nullus enim exemptus dicitur reſpectu ſui Iudicis; ergo ſi debet verificari Cōcilium; Iam debemus dicere, quod Epiſcopus poſſit viſitare dictas Eccleſias Regularium exemptas.

Reſpondet dictus Rodriquez videns difficultatem in hoc loco Concilium ſolum loqui de Eccleſijs ſæcularium exemptis, quæ habent, vt exēptæ priuilegium, ne poſſint viſitari ab Ordinarijs, quæ tamen ex vi huius Decreti poterunt viſitare, & Confirmatur, quod ſic debeat intelligi *Concilium, quia alio in loco ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformatione*, per formam qua debent viſitari loca Regularium exempta. ergo citatum Decretum Concilij debet ſolum intelligi de locis Sęcularibus exemptis. Ita Rodriquez cuius ſententiæ ego libenter adhæreo.

4 Et ex hac doctrina poſita collige; ſolutionem illius dubij; ad quem ſpectat viſitare Eccleſias Regularium, quæ ſunt nullius Diæceſis; an ſcilicet ſint viſitandæ ab Epiſcopo proximiori; & pro affirmatiua ſententia videtur eſſe prima facie Concilium Tridentin. *ſeſſ. 24. cap. 9. de Reformat.* vbi habetur *eadem etiam in his Eccleſijs Sæcularibus obſeruentur, quæ nullius diæceſis eſſe dicuntur, vt ab Epiſcopo, cuius Cathedralis Eccleſia eſt proximior ſi id conſtet, alioquin ab eo, qui ſemel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato viſitentur.* Sed hoc non obſtante,

5 Negatiuè reſpondet, & optimè Rodriquez, qui ſupra, *tom. 1. q. 36. art. 3.* quia dictum Decretum habet locum ſolum reſpectu Eccleſiarum Sæcularium. Quod colligitur ex illis verbis *Eademque in his Eccleſijs Sæcularibus ſeruentur, &c.* Ergo cum expreſſio vnius ſit excluſio alterius, ſequitur non habere locum in Eccleſijs Regularium,

6 & etiam confirmatur ex alio loco Cōcilij *ſeſſ. 21. cap. 8.* vbi dicitur Epiſcopum teneri viſitare commendata Monaſteria, & Abbatias, ſeu Prioratus; ſed non illa, in quibus viget Regula-

Y 2 ris

fraternitates, quæ vel per conſuetudinem, vel per ſtatuta habent, quænam ſint illæ perſonæ, quæ debent exigere rationes, &c.

8 *Quod habet Concilium Trident.* ſeſſ. 22. cap. 9.

9 *Viſitatio Epiſcopi extenditur ad patronatus in Eccleſijs Regularium ſitos.*

1 CErtum eſſe ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. poſſe Epiſcopum viſitare huiuſmodi Confraternitates, vt ſuperius diximus, vel vt melius dicam innuimus, nam ibi fit expreſſa mentio de his Con fraternitatibus, ſed aliqua in hanc rem aduertit Ferro Manrique *par. 1. qu. Vicarialium q. 63.* digna notatu.

2 Primo. Si Regularis aliquis ſit gubernator dictarum Confraternitatũ, numquam viſitatur ab Epiſcopo, qui ſi vellet viſitare deberet vti delegatione Apoſtolica, cum annullatione cuiuslibet priuilegij.

3 Viſitatio igitur Confraternitatum ſimilium ſolum extenditur ad dictos Cõfratres, tam quo ad ſpirituales ordinationes, tam quo ad bona temporalia, vt patet per plures declarationes Sacræ Congregationis, quas referunt plures Doctores Marzilla, Zerola §. *Viſitatio*, & alij apud dictum Ferro Manrique.

4 Quod ſi opponas Bullam Pij V. latam in fauorem Confraternitatum. Reſpondeo iam fuiſſe reuocatam per Gregorium XIII. vt notat Leo *in Theſauro par. 4. cap. 2. num. 33.*

5 Sed eximuntur ab hac viſitatione illæ Confraternitates, quæ ſunt ſub Regum immediata protectione, in quarum viſitatione requiritur Regum licentia.

6 Sed aduerte: Quando Epiſcopi viſitant huiuſmodi Confraternitates ſitas in Eccleſijs Regularium non poſſe viſitare Cappellas, vel altaria intra eaſdem Eccleſias exiſtentia. Ita plures Doctores apud Barboſam in Concilium loco ſupra citato *nu.* 24. quidquid aliqui dicant. Limitat tamen hoc Ciarlinus relatus ab eodem Barboſa; niſi Epiſcopus ſit in poſſeſſione viſitandi dicta altaria, vt eſſe teſtatur Epiſcopum Regij. Vnde concludit Epiſcopum quemdam, qui excommunicauit Præfectum cuiuſdam ſimilis Confraternitatis, qui reſiſtebat, ne viſitaretur bene feciſſe, ſi erat in poſſeſſione, ſecus ſi non erat. Vide dictũ Ciarlinum *cap. 65. per totum.*

7 Sed quæres hic, An Epiſcopus poſſit viſitare illas Confraternitates, quæ vel per earum ſtatuta, vel per conſuetudinem habent; quæ nam ſint perſonæ, quæ debeant rationes exigere, & videre.

Negatiuè reſpondent Azeuedo, & Cenedo relati à Manrique Ferro loco ſupra. Fundamentum eſt quia ita fuit declaratum per Regios Auditores.

Sed affirmatiuè reſpondet ipſe Ferro, qui dicit iniuſtam fuiſſe talem declarationem Auditorum Regis, nam licet hoc determinauerint Confraternitas attamen non fuit excluſus Epi-
8 ſcopus, & Concilium ait; Quod ſi ex conſuetudine, aut priuilegio, aut ex conſtitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda eſt; tunc cum his adhibeatur etiam Ordinarius & aliter factę, deliberationes dictis adminiſtrationibus minimè ſuffragentur. Ita *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. ecce quomodo non excluditur Ordinarius.

9 Et obiter hic habe viſitationem

Epiſcopi extendi etiã ad patronatus in Eccleſijs Regularium ſitos. Ita idem Ferro, & colligit ex Concilio locis ſupra, per quod omnia opera pia vniuerſaliter dictæ viſitationi ſubduntur, qui citat aliquos Doctores.

Et Piaſecius *in praxi de viſitat.* dicit Regulares vltimarum voluntatum executores poſſe ab Epiſcopo corrigi, & puniri ob eamdem rationem; & hæc ſufficiant, ne à propoſita materia diſcedamus, ſed de hoc alibi pæculiariter ſermo eſt *cap. quo ad varia* vbi contrarium ſuſtinetur.

QVO AD DELICTA. *Caput XVI.*

An Epiſcopus in defectum Prælati negligentis punire Regulares ſubditos, poſſit illos punire. Dub. CCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent aliqui.*
2 *Auctoris opinio negatiua.*
3 *Quando periculum eſt in mora, quid agendum cum Regularibus delinquentibus.*
4 *Admonendus eſt Epiſcopus de punitione Regularis delinquentis notoriè cum ſcandalo, & cat. non vt ipſe poſtea puniat.*

1 AFFIRMATIVE reſpõdere videtur Bordonus *reſolut. 7. quære 21.* & hoc ne delicta remaneant impunita ex leg. *Ita vt vulneratus §. quod ſi quis. ff. ad legem Aquil.* & cap. *eſt iniuſta 23. quæſt. 4.*

2 Sed hoc non puto ita abſolutè eſſe dicendum, nam exemptio ſic rueret prorſus exiſtimo, ergo hoc tãtum valere, dum non eſt Superior, qui puniat, & qui admoneatur, vt puniat iuxta formam traditam à Concilio Tridentino, dum Regulares delinquũt extra notoriè, & cum ſcandalo, & Prælati ſunt negligentes in puniendo: & ſic Barboſa ait Epiſcopum poſſe procedere in exemptos, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatum quando in loco non adeſt, qui poſſit videre, & exemptorum cauſas cognoſcere; ſecus quando adeſt. Sed ſemper adeſt, ergo. Vnde quamuis in aliqua Religione non poſſint delicta cognoſci, iudicialiter; vt ſeruatur teſte Bordono in ſua Religione; attamen ſunt Prouincialis, qui has cauſas debent, & poſſunt cognoſcere, & ſic Epiſcopus non poteſt ſe ingerere in his cauſis, ſed debet vocari, aut certior fieri Prouincialis, ſed in defectum illius admonendus eſt Generalis.

3 Nec placet, quod aſſerit Bordonus his omnibus deficientibus poſſe tunc Regulares ab Epiſcopis puniri; nam tunc cur non eſt ad Sedem Apoſtolicam recurrendum? certè non inuenio textum expreſſum, qui hãc facultatem tribuat Epiſcopis; quod ſi periculum eſſet in mora, tunc cárcere detineri poterunt Regulares, donec ad iudices eorum competentes dimittantur.

4 Hinc, nec placet ſententia Ioannis Antonij Nouarij *in Summ. Bullarum de Regularibus delinquentib.* dum dicit. Regularem delinquentem extra notoriè, &c. leuiter à ſuo Superiori punitum, poſſe iterum iuxta delicti qualitatem proportionaliter ab Epiſco-

po

po puniri, nam alias eſſet fruſtratoria Conſtitutio Cō cilii, quod voluit prouidere punitioni Regularium delinquentium, non placet inquam, nam Concilium Tridentinum tantum dicit eſſe admonendum Epiſcopum de punitione Regularis delinquentis, non vt ipſe Epiſcopus poſtea ſi punitio proportionata delicto non ſit, poſſit dictum Regularem punire. Sed vt iterum admonere poſſit, & inſtare Prælatum, vt condignè puniat, poſt inſtantiam verò ſi Prælatus non puniat poterit Epiſcopus punire. Sed ad maiorem huius rei intelligentiam ſit ſequens Dubium.

An Epiſcopus punire poſſit Regulares, qui delinquunt notoriè cum ſcandalo, &c. extra Monaſterium, dum tamen in eo viuunt.
Dub. CCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones, quæ requiruntur ad hoc vt Epiſcopus punire poſſit Regularem delinquentem.*
2 *Delictum debet eſſe commiſſum extra clauſtra, ad hoc vt Epiſcopus poſſit procedere in Regulares.*
3 *Notorium duplex eſt, & iuris, & facti vtrumque explicatur.*
4 *Notorium facti aliud eſt facti tranſeuntis, aliud facti interpellati.*
5 *Quid requiratur ad conſtituendum notorium facti.*
6 *Doctores variè accipiunt has dictiones* notoriè publicè manifeſtè.
7 *Quæ nam hominum multitudo debeat eſſe, ad hoc vt delictum dicatur notorium.*
8 *De quo nam notorio loquatur Concilium in caſu poſito.*
9 *Auctoris opinio circa hoc.*
10 *Epiſcopus antequam poſſit immediatè punire Regularem delinquentem debet inſtare, vt puniatur à proprio Prælato.*
11 *Tribus vicibus debet inſtare, & non ſufficit ſi ſemel inſtet, vt tradunt aliqui.*

1 Laurentius de Peirinis doctus Auctor *in Promptuario Prælator. c. 8.* aduertit abſolutè ſine aliqua limitatione quatuor requiri conditiones, vt Epiſcopus poſſit punire Regulares delinquentes, qui degunt tamen in clauſtris. Prima, quod delictum ſit extra clauſtra commiſſum. Secunda, quod ſit notorium. Tertia, quod ſit ſcandaloſum. Quarta, quod Epiſcopus inſtiterit, quod puniatur à proprio Superiori, & iſtæ requiruntur copulatiuè, ita vt ſi vna deficiat, iam Epiſcopus nequeat punire.

2 Delictum debet eſſe commiſſum extra clauſtra, nam ſi intra clauſtra committatur, etiam ſi notorium, & ſcandaloſum ſit, iam non debet in hoc ſe ingerere Epiſcopus. Quidquid dicant aliqui fundati in declaratione quadam Sacræ Congregationis, de qua non conſtat, an vera ſit, cum aliam declarationem contrariam tradant; & referant alij Doctores: & ſic Peirinus dicit in his delictis commiſſis intra clauſtra puniendis nullam habere facultatem Epiſcopum, etiam ſi Prælatus negligens fuerit in puniendo.

3 Secundo, debet eſſe notorium de-

lictum; Sed cum notorium ſit duplex, & iuris, & facti: videndum eſt, quod nam crimen dicatur notorium, de notorio autem iuris non eſt hic ſermo, ſed tantũ de notorio facti; Quod etiam tripliciter diſtinguitur à Doctoribus, & in genere definitur, *Eſt illud crimen in quo fama publica ſuum præbet adminiculum, & ipſa rei euidentia proteſtatur. Ita ſe exhibens omnium oculis, vel conſpectui alicuius maioris partis loci, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari.* Ita Peirinus, Moneta verò *de Conſeruatoribus cap. 7. num.* 123. breuiter ſic definit notorium facti, *& res per ſe ita euidens, vt nequeat negari, neque vlla tergiuerſatione celari,* & hanc definitionem approbant teſte eodem Moneta; Antonius Burg. Ioannes Iacobus de Leonardis, Menochius, Emmanuel, Suarez, & alij citati ab ipſo, qui optimè illam explicat.

4 Diuiditur inſuper hoc notorium facti in notorium facti tranſeuntis: exemplum eſt, cum quis publicè blaſphemat, vel alapam alicui dat, quæ delicta non permanent aliud dicitur notorium facti interpolati, vt dum quis frequentat ſæpè aliquam domũ malam, notoria eſt illa frequentatio; quia tamen non eſt continuata; iam dicitur notorium facti interpolati. Aliud eſt notorium facti permanentis, vt cum quis vulnerauit publicè; tunc, quia vulnus remanet dicitur notorium facti permanentis, nec ponitur ſine aliqua cauſa talis diſtinctio à Doctoribus, quia duo prima genera notorij ſunt plenè, & legitimè probãda, antequã per ipſa procedat iudex ad punitionem delinquentis, vt volunt Maſcard. Specul. Farinac. omnes relati à Peirino *loco ſupra,* notorium autem facti permanentis, iuxta communem opinionem non debet probari licet Iulius Clarus *in praxi* docet id quoque notorium eſſe probandum.

5 Sed nota ad conſtituendum notorium facti requiri, quod committatur delictum in loco publico.

2 Quod, quando committitur delictum adſit certus numerus perſonarum, quia variè aſſignatur à Doctoribus. Tertio, addit Peirinus, quod fiat die non autem noctu, nam ſi noctu committatur videri non poteſt delictum. Moneta loco ſupra has etiam conditiones videtur requirere, ſed melius meo iudicio ſe explicat, nam ſic habet. *Septima Concluſio, vt aliquid dicatur notorium facti, requiritur non ſolum quantitas adſtantium, ſed etiã qualitas loci, quod ſcilicet factum ſit in loco publico, & vt plurimum etiam temporis, quod factum non ſit de nocte. Quo ad locum. Ita ex cap. Scelus 2. quæſt. 1. & poſt Ioannem Andream Calderin. cap. Veſtra, Butr. tract. de Notor. art. 2. n. 11. Capra eodem tract. membro 2. numer. 7. Farinac. Toller. & Maſcard. concl. 111. num. 16. inferunt ea, quæ fiunt in Domo, cum nequeant dici facta in loco publico, nec facilè probari leg. Conſenſu, §. ſin autem, C. de Repud. cap. Veniens de teſtibus, &c.* & poſt pauca ſubdit loquens de conditione temporis requiſita. *Dixi autem, vt plurimum; Quoniam vt Calderinus dicto cap. veſtra* Toller. Farinac. Butr. Capr. vbi ſupra *adnotarunt ſonus cãpanæ poteſt eſſe notorius de nocte. Quod idem dixerim de ſono tubæ, & his ſimilibus, quæ ſub ſenſu auditus cadunt, & Tuſcus in Tract. Concl. concl. 104. verb. notorium ſic habet licet poſſit eſſe notoriũ etiã de nocte, ſi adſunt luminaria, vel alius mo-*

dus

Digitized by Google

dus certitudinis, Abbas in cap. Veſtra numer.16.

6 Sed quia Doctores variè accipiunt has dictiones notoriè, publicè, manifeſtè, vt videre potes apud Tuſcum loco ſupra, & Concilium de Regularibus loquens dicat, *notoriè, & cum ſcandalo deliquerit*, cum ſimus in pœnalibus vtique in ſtricta ſignificatione ſumendum eſt illud verbum notoriè; & ſic cum publicum non includat ex neceſſitate notorium, publicum enim dicitur illud, quod probari poteſt vltra conſuetam probationem, notorium autem vltra id requiritur, vt diximus, quod in loco publico fiat, & cæt. & ſic ſi Regularis delinqueret publicè iuxta modum traditum, iam non ſubderetur Epiſcopo; & idem dic ſi delinqueret manifeſtè. Quod maximè notandum eſt. Vide omninò Tuſcum, qui has dictiones optimè diſcriminat.

7 Sed quæro. Primo, quanta ſit hominum multitudo debeat eſſe præſens, vt dicatur delictum notorium, variè aſſignant, vt dixi hunc numerum Doctores, & ſic in hoc nolo immorari. Vide Megalam noſtrum *in Praxi Criminali cap.4.nu.1.fol.mihi 46.* & Monetam de Conſeruator. cap.7. à num.128. Hoc tantum aduertas in tanta Doctorum varietate, hoc ab omnibus tamquam certum affirmari, ſcilicet iudicis arbitrio relinqui, per quem numerum perſonarum adſtantium dicatur aliquod delictum notorium. Omne enim id, quod in iure expreſſum non eſt Iudicis arbitrio relinquitur.

8 Quæres ſecundo. An Concilium loquatur de delicto notorio notorietate facti, vel notorietate iuris.

Reſpondeo cum nihil dicat Concilium loqui de notorietate facti, nam notorij appellatione in dubio intelligitur de notorio facti, non iuris, vt Barboſ. *de appellat. verbi vtriuſque iuris verb. notorium*, & apud ipſum Philippus Franc. in caput *Romana* §. *ſiue autem de Appellation. lib.6.* & alij.

9 Hæc opinio, quod delictum Regularium debeat eſſe notorium cum illis requiſitis, quæ ad conſtituendum notorium requiruntur, probabilis eſt. Sed oppoſitum mihi magis probabile videtur ſcilicet non requiri verè, & rigoroſè, quod ſit notorium, & colligo ex ipſis verbis Concilij, dum ibi habetur *ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit*. Quotieſcumque igitur cum ſcandalo delinquunt Regulares extra, & cæt. iam poſſunt ab Epiſcopo puniri, ni puniãtur à ſuis Prælatis.

10 Sed etiam antequam ipſe Epiſcopus poſſit punire Regularem delinquentem extrà, & cæt. debet inſtare, vt puniatur a proprio Prælato Regulari. Sed quot vicibus debet inſtare? Semel tantum dicit Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regulari* Verb. *delinquens nu.9.* qui affert declarationem Sacræ Congregationis tenoris ſequentis. *Congregatio reſpondit ſatis eſſe vt Epiſcopus ſemel inſtet Superiori Regulari eique tempus præfigat ad eiuſdem Concilij præſcriptum.*

11 Aliter tamen procedit Ioannes Antonius Nouarius eius Frater, *in Summ. Bullarum ſuper Bullam Clementis VIII. de Regular. Delinquentibus*, qui affirmat trina ſaltem vice admonendum eſſe Prælatum; ſicuti enim vnica interpellatio non ſufficit, vt dicatur ſtare per iudicem quo minus cauſam expediat; ſic & cæt. Deinde fauet

textus

Digitized by Google

textus *in caput* 1. *de Supplẽda negligent. Prælator*, Vbi ad hoc vt ſuperior requiſitus ab inferiori conſtituatur in mora requiritur multiplex interpellatio. Sic Abbas in caput *Ex parte de Appellat.* vbi aſſerit poſſe appellari a negligentia iudicis, ſi ter requiſitus ſententiam diſtulerit pronunciare, hæc opinio mihi magis placet, fidem tamen adductæ declarationi in contrarium ſi vis adhibe.

An Epiſcopus poſſit Regulares delinquentes, vt ſuprà extra clauſtra & cæt. detinere in ſuis carceribus donec delicti informationes capiantur.
Dub. CCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia adducitur.*
2 *Negatiua tamen ſententia ab auctore amplectitur.*
3 *Si Epiſcopus d frt capere informationem, & Regularem petentem dimitti carceribus vexet in excommunicationem incidit.*
4 *Semper ſtandum eſt diſpoſitioni Concilij quo ad hoc.*
5 *Nec poteſt, aut debet Epiſcopus carcerare Regulares qui frequentant domum meretricum.*

1 Affirmatiuè abſolutè reſpondet Sperellus *deciſ.* 38. *num.* 13. qui citat Gennenſem *in praxi cap.* 59. *num.* 3. P aſec. *in Praxi Epiſcop. parte* 2. *cap.* 3. *ſub num.* 43. *de Viſitat. Regular.* 179. Barboſ. *de* Poteſtate Epiſcopi *parte* 3. *allegat.* 105. *num.* 19. Paulin. in praxi, & fauet etiam huic ſententiæ Laurettus de Franchis *ad Conſtitutionem Clementis VIII. Dub.* 4.

2 Negatiua tamen ſentẽtia eſt prorſus ſuſtinenda eſt declaratione Sacræ Congregationis, quam affert Nouarius in *Lucerna Regulariũ* Verb. *Delinquens num.* 6. & eſt tenoris ſequentis. *Quando extra clauſtra Regularis delinquit notoriè dubitatum fuit; an detinendus ſit in carceribus Epiſcopi, donec proceſſus in curia Epiſcopali conficiatur, eoq; compilato inſtante Superiori, remittendus ſit ad Superiorem vna cum his probationibus, quæ habentur. Congregatio reſpondit ſtatim remittendum eſſe, etiam poſito, quod Superior nullam inſtantiam faceret.*

3 Et addit Nouarius dictus, Quod ſi Epiſcopus diferret capere informationem, & Regularem petentem dimittit carceribus vexaret, tunc non euitaret excommunicationem per Gloſſ. & Abbatem *in Clement. Frequẽs in* Verb. *capiunt de Exceſſibus Prælator.* & ſic ſe vidiſſe ſeruatum teſtatur a Reuerendiſſimo D. Felici Tamburello Vicario Generali Eminentiſſimi Cardinalis Boncompagni. Hoc etiã eſt magis conforme diſpoſitioni, quod tantum vult puniri ab Epiſcopo Regulares Delinquentes in defectum Superioris non punientis.

4 Quod autem dicunt Doctores primæ ſententiæ, ſcilicet, ſi Epiſcopus Regularem ſtatim dimmitteret abſque informatione facilè, teſtes seduci poſſe, & informationem deſtrui opera delinquentis, vel aliorum: Et ſic poſtea nec ab Epiſcopo, nec à Regulari Prælato puniretur, quod abſurdum videtur; Hoc inquam quod dicunt dicti Doctores, non habet vim contra nos; nam ſtantibus etiam his incommodis, & inconuenientibus,

ſtan

ſtandum ſemper eſt diſpoſitioni Concilij, quæ non dat hanc facultatem Epiſcopis. Imò in ſententia aduerſariorum etiam nec per multum tempus detinendus eſt in carceribus delinquens Regularis. Vnde Sperellus, loco ſupra *num.* 14. ſic habet. *Ego tamen in præſenti materia numquam excedere volui ſecundum diem, iuxta communem Doctorum Theoricam, Quod ſi hinc reſultare ſoleat delictorũ impunitas, quia cõplures ſuperiores, ne religio remaneat diffamata viſo proceſſu Ordinarij ſub prætextu illud impinguenda, vel teſtes repetendi, potius ad defenſam examinare ſatagunt, quam ad veritatem indagandam; tamen ipſi viderint.*

5 Hinc eſt etiam, quod tradunt multi Doctores; nec poſſe Epiſcopum carcerare Regulares, qui frequentant domum meretricum: ſic Zanardus, & Peirinus, qui vltimus in Conſtitutionem ſecundam Sixti IV. ſic habet. *Occurrit enim aliquando, quod Regulares ingreditur in domum v.g. meretricis incognitus, & à nemine viſus, aut ſolum ab vno, vel duobus, qui ſi in ea domo, captus per Ciuitatem ducatur magnum generabit ſcandalum, & magnam maculam ſuæ Religioni inuret, quæ tamen vitata fuiſſent, ſi Regularis in carcerem ductus non fuiſſet. Vnde neſcio quomodo aliqui Epiſcopi indiſcretè animarum ſibi non commiſſarum zelum zelantes, ſeu zelare videri volentes ſaluent conſcientias ſuas, certos miniſtros ad id deputatos tenentes, quod ſpeculatores vocant, eiſque ſalarium ſoluentes, vt qua, & quo vadant, & tranſeant Religioſi diligenter notent eiſque referant, & ſi in domum aliquam ſuſpectam ingrediuntur ſtatim capi faciunt, hoc certè non præcipit ille, qui peccantes admonendos ſtatuit: neque Tridentinum, quod ſolum præcipit, quod quando aliquis Regularis, ita notoriè deliquerit, vt populo, non duobus vel tribus, ſed populo ideſt ſaltem decem iuxta Gloſ. in cap. nullus de electione, ſcandalo ſit. Inſtante Epiſcopo non capi faciente à Superiori Regulari non ab Epiſcopo puniatur*, & paulo poſt addit idẽ Doctor. *Poteſt quidem ſi delictum ſit ſecretum, vel non notorium, neque ſcãdaloſum populo, ſecretò admonere delinquentem, vt ſe corrigat, quod ſi ſe non correxerit bis, aut ter monitus iuxta Euangelicum præceptũ de correctione Fraterna Superiorem delinquentis admonere, vt occaſionem delinquendi auferat ſalua ſemper delinquentis fama.* Videant ergo Epiſcopi quomodo in hoc procedant.

An Epiſcopus poſſit punire Regularem in propria Eccleſiæ delinquentem notoriè cum ſcandalo, & cæt. Dub. CCXXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Declaratio Sacræ Congregationis Concilij.*
2 *Etiam ſi intra clauſtra delinquat Regularis debet puniri ſecundum aliquos ab Epiſcopo quando ſcandalum eſt, & cæt.*
3 *Negatiua tamen ſententia prorſus ſuſtinenda eſt.*
4 *Concordantur quo ad hoc oppoſitæ ſententiæ.*

1 Habet caſum in terminis doctus Sperellus *deciſ.* 38. *num.* 15. Vnde hic ponam eius verba non enim adeo facile erit obuius iſte auctor. *Extra clauſtra delinquere dicitur Regularis etiam*

etiam ſi in propria Eccleſia cum ſcandalo delinquit, vt Sacra Congregatio Concilij Tridentini interrogata reſpondit in hunc, qui ſequitur tenorem. An Regularis delinquens notoriè in Eccleſia ſui Ordinis, in quo degit, ita vt populo ſcandalo ſit, dicatur delinquere extra clauſtra, vt locus ſit diſpoſitioni Concilij cap. 14. *ſeſſ.* 25. *de Regular. Congregatio cenſuit delinquere extra clauſtra, ſi in Eccleſia Monaſterij delinquit, niſi clauſis portis Eccleſiæ, & ſolis Regularibus in ea exiſtentibus fuerit commiſſum delictum. Si verò intra clauſtra Monaſterij, vel Eccleſiæ interioris delictum ſit commiſſum ex verbis Concilij non videre procedere dict. cap.* 14. *quod expreſsè dicit extra clauſtra tamen ſi ſcandalum ſit notorium populo ex identitate rationis idem videtur. Ideo referendũ Sanctiſſimo, Sanctitas Sua dixit reſcribendum Epiſcopo, vt indiuiduo exprimat caſum prout contingit, vt ſciatur melius locus delicti commiſſi, & an populo ſcandalum ob notorietatem generet.*

2 In qua declaratione illud eſt valdè notandum, quod ſcilicet etiam intra clauſtra delinquens cum ſcandalo ſubijciatur diſpoſitioni Concilii, quod non vidi obſeruatum à Doctoribus communiter. Imò contrarium clarè dictum (ſi loquamur de delicto commiſſo intra clauſtra) à Barboſa in Collect. *ad caput vltimum numer.* 8. *de ſtatu Monach.* & in Cõcilium *loco citato numer.* 6. vbi dicit facultatem Epiſcopo tributam in Regulares notoriè, & cũ ſcandalo extra clauſtra delinquentes vendicare ſibi locum, etiam cum Regulares notoriè, & cum ſcandalo intra Eccleſiam delinquunt, non ita ſi intra clauſtra. Idem tradit Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium* verb. *Delinquens num.* 4.

3 Negatiuam tamen ſententiam his non obſtantibus docet Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. De Regularib. delinquentibus ſuper Bullam Clementis VIII. num.* 9. & hoc non alia ratione, niſi ob declarationem quamdam Sacræ Congregationis.

4 Lezana vero *in Summ. verb. delinquens Regularis* nititur concordare has ſententias explicando declarationes adductas, & ſic dicit. *Nota hic aliam declarationem Sacræ Congregationis, quam referunt relati Barboſa, & Nouarius ex qua habetur Concilij deciſionem non ſolum procedere in caſu, quo Religioſus extra clauſtra deliquerit notoriè, & ſcandaloſè vt dictum eſt, ſed etiam quando deliquerit intra Eccleſiam ſui Monaſterij. Quod & ſi durum videatur, cum Religioſus in Eccleſia ſui Monaſterij exiſtens, intra clauſtra exiſtere dicatur, acquieſcendum tamen deciſioni Sacræ Congregationis, ſi de ea authenticè conſtet niſi forte dicatur, (& congruentius) intelligi de alia Eccleſia ſui Ordinis extra propriam ſui Monaſterij.* Ita Lezana cuius diſtinctio inter contrarias Sacræ Congregationis declarationes mihi placet.

Quid debeat facere Epiſcopus dum Prælatus Regularis notoriè, & cęt. delinquit extra clauſtra.
Dub. CCXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Detinendum eſſe in carceribus Epiſcopi donec certioretur Epiſcopus, donec Ciarlinus.*

2 *Actio, & paſſio non cadit in eodem ſubiecto.*

3 Con-

3 *Conceſſa iuriſdictione videntur omnia permiſſa quæ ad eam ſunt neceſſaria.*

4 *Contra dictum Ciarlinum, & merito inſurgit Alphonſus de Leone.*

1 IOannes Baptiſta Ciarlinus *cap.* 50. habet caſum in terminis, quem dicit a nemine tactum ſe vidiſſe. Reſpondet ergo ſtatim ad carceres Epiſcopi eſſe ducendum, deindè ſtatim ſcribendum eſſe, vel ad Prouincialem, vel ad alium Prælatum maiorem, habe hic eius verba, vt adequatè eius ſenſum intelligas, dicit ergò ſic: *Hunc caſum a nemine vidi tactum tamen ego putaui ſtatim ſcribendum eſſe Prouinciali narrando ei factum, & eum requirendo, vt reſcriberet cui vellet conſignationem fieri interimque eius nomine reus detineretur carceratus, quod ſatis iuri conuenire putaui quoniam expeditum eſt remiſſionē eſſe faciendam ad Superiorem ex decretis Sacræ Congregationis Regularium aut ſuperiores ſunt* 1. *Priores,* 2. *Prouinciales,* 3. *Generales Marth. de Iuriſdictione Parte* 4. *de Iuriſdict.* 182. *num.* 3 *hic non po-*
2 *teſt remitti ad Priorem, quià actio, & paſſio non cadit ſimul in eodem ſubiecto, ex leg. ille a quo, Ergò ad Prouincialem recurrendum eſt; qui ſi erit præſens ſtatim fiet remiſſio modo ſupradicto, ſi abſens erit per litteras certiorandus erit, non autem reus eſt dimmittēdus, quia ſic vix poſſet ab aliquo puniri, at cum Epiſcopus poſſit punire Regulares in defectum Regularium ſuperiorum videtur, quod etiam poſſit pro*
3 *nunc detinere, quia conceſſa iuriſdictione omnia videntur permiſſa, quæ ad eam ſunt neceſſaria ad rem Praxi Archiepiſcop. Neapol. c.* 59. *num.* 3. Ità Ciarlinus.

4 Sed Oppoſitum expreſſe refutans dictum Ciarlinum ſuſtinet Alphonſus noſter de Leone *in trat. de Cenſuris Recollec.* 2. *num.* 496. & hoc ob declarationem Sacræ Congregationis, quæ teſte eodem de Leone adducitur a Marcello Vulpe, & certè quo ad carcerationem Prælati puto non extendi facultatem Epiſcopi.

An Epiſcopus poſſit immediatè punire Regulares delinquentes qui viuunt extra clauſtra. Dub. CCXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*

2 *Variæ opiniones Doctorum.*

3 *Regularis degens extra clauſtra de licentia ſuorum Prælatorum non poteſt puniri ab Epiſcopo, ſi delinquat, & cæt.*

4 *Contra hanc ſententiam aliqua, quæ in contrarium adducuntur non obſtant.*

5 *Aliud eſt degere prætextu priuilegij, aliud degere cum licentia.*

6 *Si Epiſcopus in probabili ſententia dictum Regularem poteſt punire; adducitur memoriale piiſſimum Zanardi de modo, quo debet procedere.*

7 *Regularis degens extrà clauſtra in aliquo membro ſeu grangia ſui Monaſterij etiam ſi delinquat debet puniri a proprijs Prælatis.*

8 *Oppoſitum docent aliqui ſed non benè.*

9 *Inter duos vel tres adhuc regularis obſeruantia poteſt vigere.*

10 *Regularis, qui eſt in aliqua ciuitate ad erectionem Monaſterij non debet puniri ab Ordinario.*

1 RAtionem dubitandi mouet verba Concilij *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. quæ talia

lia ſunt. *Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant, & nemo ſæcularis Clericus, cuiuſuis perſonalis, vel Regularis extra monaſterium degens etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur quo minus ſi deliquerit ab Ordinario loci tanquam ſuper hoc a ſede Apoſtolica delegato ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat;* patet ergò his verbis Epiſcopum procedere poſſe contra Regulares delinquentes extra Monaſterium degentes ſed difficultas hic eſt; an etiam ſi degant extrà Monaſterium de licentia ſuorum Prælatorum hanc in eos habeant Epiſcopi auctoritatem.

2 Affirmatiuè reſpondét multi apud Barboſam *in hoc caput Concilij* quos ille ſequitur Marcus Antonius Genuenſis *in Prac. Curiæ Neapolit. cap.* 59. Piaſec. Campanil. Ciarlin. & alij.

Negatiuè tamen reſpondent alij multi & præcipuè Peirinus *in Conſtitutionem Secundam Sixti IV. §. Vndecimo num.* 22.

3 Dico ergo nequit Regularis degens extra clauſtra cum licentia Superiorum puniri ab Epiſcopo, Probatur; Quia in monaſterio dicitur eſſe Religioſus, qui manet, & viuit extra monaſterium cum licentia ſuorum Prælatorum & patet ex cap. *Ex reſcripto de iure iurando*.

Secundo, Quia iuſtum non eſt, vt qui a ſuo Superiori ordinario quotannis viſitatur, & quoties opus eſt punitur alij extraordinario iudici ſub datur. Vndè valet fortè ſolum prima Sententia quando Regularis viuens extra clauſtra adeo diſtat a ſuis proprijs Prælatis vt ab eis puniri niſi poſt longiſſimum tempus valeat.

4 Nec obſtant declarationes, quas dicunt circa hoc adeſſe aduerſarij, nam illas vellem videre authenticè.

Nec obſtat etiam, id ex quo arguit, & colligit oppoſitum Barboſa, quod ſcilicet, ex nouiſſima conſtitutione, dum regulares non viuunt cum obſeruantia in Monaſterijs, & non ſunt numero duodecim ſubiecti ſint Ordinario. Nam reſpondeo quidquid ſit de intelligentia illius Conſtitutionis de qua nos alibi. *Cap. poſt multas conſtitutiones & cæt.* eſſe in diuerſo caſu; nam hic non loquimur de viuentibus intra monaſterium; ſed de degentibus extrà. Vnde non video quomodo vnum ex alio colligi poſſit; & quomodo poſſint aduerſarij ad noſtrum caſum extendere Concilium, quod ſolum loquitur de degentibus extra clauſtra.

5 Nec deſtruunt noſtram ſententiã verba Concilij citata, dum dicunt. *Etiam ſui ordinis priuilegij prætextu*, nam aliud eſt priuilegium aliud licentia, & quis poteſt priuilegij prætextu degere extrà monaſterium, & non ex licentia Superioris.

6 Si autem puniri poteſt degens extrà clauſtra ſine licentia Superioris Regularis delinquens, ſiue etiam cum licentia degens in ſententia probabili contraria: de modo, quo debet hoc facere Epiſcopus habes memoriale piſſimum Zanardi *Parte* 2. *Directorij De Epiſcopis cap.* 12. *Si verò Regularis extra clauſtra viuat* (ſunt verba Zanardi) *poterit immediate ab Epiſcopo corrigi & puniri, vt ſuprà Seſſ 6. cap. 3. de Reformatione. Huic autem poteſtati ſi poſſem libenter adderem, quod Epiſcopus ſimul cum Prælato Regularis delinquentis poſſit de pœna determinare. ſed etiam cum ma-*

gna

Digitized by Google

gna inſtantia rogarem Congregationem Sacri Concilij, vt vellet iubere Epiſcopis, quod non licet eis immediatè mittere ſatellites, & Religioſos, tam ſæculares quam Regulares ligare, & publicè omnibus videntibus ad carceres deducere, quia Deus ſcit, quam graue ſcandalum inter videntes ſuboriatur. Vnde tot mala ſequuntur, Primo. Quod illis ſæculares, qui potius illos religioſos vt ſanctos habebant deindè impios iudicent, quæ infamia etiam ad tot probatiſſimos viros tranſit, Ità vt non poſſint niſi cum magno rubore in publicum procedere, Secũdo, ex hoc maximæ deſidiæ inter Epiſcopos, & Regulares naſcuntur Ità vt difficilè ſit multos cohibere, ne multa mala de Epiſcopis obloquantur deducendo eos in comtemptum ſæcularium Ità piùs Zanardus.

7 Ex poſita Doctrina collige varias caſuum ſolutiones, primo Regulares degentes extra monaſterium de ſuorum Prælatorum licentia *in* aliquo membro, vel grangia ſui Monaſterij; etiam ſi delinquant a ſuo Prælato puniri debere. Ita Barboſa loco citato *num.* 2. & apud ipſum Aloiſius Riccius, & alij ratio eſt, quià cum Superior ei poſſit dare hanc facultatem, & dicta loca ſint dependentia a ſuis monaſterijs gaudent eodem iure, ac gaudent monaſteria ex cap. *Recolentes §. Cæterum de Stat. Monach.* Negatiuè tamen

8 videtur reſpondere Ciarlinus, *deciſ.* 50. *num.* 8. vbi dicit poſſe Epiſcopum viſitare Regulares, qui etiam de licentia ſuorum Prælatorum viuunt in aliqua grangia, ſeu membro ſui Monaſterij & ſuæ Religionis; ſi in tali loco non vigeat Regularis obſeruãtia. Vnde concludit; Ita per ipſum fuiſſe praticatum, Quod ſcilicet Oratorium Seruitarum poſitum ad quatuor caſtra Regij, vbi vnus vel duo Fratres cum conuerſo morabantur, fuit ab eo viſitatum, dum Vicarius Generalis illius Diæceſis erat, cum illa domus potius videretur deſtinata ad Monaſterium, quam Monaſteriũ, & fuit prohibitum in tali oratorio celebrari Miſſa in diebus ſolemnibus, & adminiſtrare Sacramenta, & alia ſimilia. Sed ratio quam adducit Ciarlinus pro ſe potius eſt contra ſe, nam ſi monaſterium iudicandum non erat, ſed potius ad monaſterium diſpoſitio quomodo Epiſcopi facultas ibi ſe extend ebat, erat potius pars Monaſterij in quo vigebat regularis obſeruantia; & ſic cum in illud totum ſe ingerere nequeat Epiſcopus, ſic nec in

9 partes totius. Deindè non eſt verum inter paucos ideſt duos, vel tres vigere non poſſe Regularem obſeruantiam; cum hæc conſiſtat primario in ſubordinatione vnius ad alterum, & in obedientia, quæ etiam inter duos vigere, & perfectiſſimè poteſt.

10 Secundo, Collige Regularem qui eſt in aliqua ciuitate, ad erectionem Monaſterij non debere puniri ab Ordinario, ſi delinquat ob eandem rationem adductam ſuperius, Contrarium tamen tradit Sperellus, in *Deciſionib. fori. Eccleſiaſtici deciſ.* 38. *numer.* 21. & Fundamẽtum huius Doctoris eſt declaratio quædam Sacræ Congregationis in hec verba. *Regularis manens extra Clauſtrum de licentia ſui Superioris in domo deputata ad erectionem Monaſterij niſi in dicta domo ſit regularis obſeruantia, vt ſaltem viuat ſub ſuperiori conuentualiter poteſt puniri ab Ordinario,* quam declarationem teſte eodem Sperello adducũt Genuenſis *In Prac. cap.* 59. & Piaſec. *In Praxi Epiſcop. parte* 2. *cap.*

2. *cap.* 3. *de viſitatione fol.* 178. Idem etiam tradit *Campanilis Rubric.* 12. *cap.* 13. *ſub num.* 22. & Ricciu*s parte* 1. *deciſ.* 225. *num.* 5. Rubeus *deciſ.* 15. Ego huic Sententiæ magis acquieſcerem ſi authenticè viderem talem declarationem, & tamen dico ſi hæc opinio vera eſt non ob decretum Concilij ſupra relatum ſed ob aliam Conſtitutionem Vrbani VIII. circa numerum Religioſorum & cæt. Et ſic Riccius ipſe ſupra citatus addit, tunc iſtum Regularem poſſe puniri ab Epiſcopo ſi nõ habeat Superiorem cui obediat & a quo poſſit puniri, & non viuat iuxta conſtitutionem ſuæ Regulæ.

An Regularis qui extra clauſtra degit ſine licentia quem tamen Prælatus curat reducere ad clauſtra, ſi delinquat poſſit ab Epiſcopo puniri. Dub. CCXXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ſuſtinetur.*
2 *Decretum Concilij* Seſſ. 6. cap. 3. de Reform. *quomodo intelligatur.*
3 *Cum hac ſententia ſtat etiam textus Tridentin.* Seſſ. 25. de Regularibus cap. 4. *qui videtur contrarius.*

1 NEgatiuè reſpondet Peirinus, etiam ſtante citato ſupra decreto Concilij Tridentini *Seſſ.* 6. *cap.* 4. & Ratio eſt, quia licet extrà obedientiã ſit, & degat; attamen cum eum curat reducere ad obedientiam Prælatus, ſignum eſt, non eſſe adhuc derelictum, nec a iuriſdictione Prælatorũ eiectum. Vndè concludit, Epiſcopum tunc potius teneri adiuuare Prælatũ, vt reducere poſſit illam ouem deperditam ad ouile, Ità Peirinus *in Addit. ad Conſtitutionem Sixti IV. cap.* 2. *num.*
2 17. & ſic decretum Concilij prædictũ tantum intelligitur de his Regularibus, qui extrà clauſtra ſine licentia viuunt, & quos Prælati tanquam oues infectas expulerunt, quia ſpem emẽdationis non habent, nec volunt ad Religionem reducere, ſed *cap. quo ad Apoſtatas, & Eiectos*, patebit magis ſolutio huius dubij, & ſic breuiter hæc dicta ſufficiant.

3 Saluari etiam poteſt cum hac ſententia textus Tridentin. qui videtur contrarius *Seſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 4. Sed de hoc immediatè poſt ſequẽs dubium habes ſolutionem.

An proprius etiam Prælatus, vel ſolum Epiſcopus poſſit punire Regularem extra clauſtra degentem & delinquentem. Dub. CCXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Notabilis, & fauorabilis ſatis Regularibus circa hoc Vuameſii doctrina.*
2 *Cui non obſtat* deciſio Rotæ Romanæ; *eſt enim in ea ſermo ſolum de Regularibus non exemptis.*

1 VTilis adeo erit huius dubij ſolutio, nec tactam vidi communiter a Doctoribus difficultatem, habet tamen illam in terminis doctus Vuameſius, *Tom.* 2. *Conſil. Conſil.* 465. cuius codex cum rarus ſit, hic eius verba ponam, quæ ſufficient, pro reſolutione, dicit ergò *Immo etiam ſi Epiſcopo*

per

permiſſa ſit viſitatio, correctio, & punitio in Religioſum extra ſuum Monaſterium degentem, id tamen non eripit, neque adimit Prælato eiuſdem faciendi poteſtatem, cum nihil vetet, quin in ea re Epiſcopum præuenire poſſit per ca. ad Noſtram de Statu Monach. cap. Reprehenſibilis de Appellatione, Latiſſimè Cardinalis Zabarella conſil. 5. Ita quod per dictum tertium caput. Seſſ. 6. Concilij Tridentin. accumulatiue Epiſcopo adijciatur iſta poteſtas non priuatiue reſpectu proprij Abbatis, ſeu Prælati cui per dictum Conciliare decretum non eſt adempta ſuperioritas, & iuriſdictio in ſuum Monachum, quamdiu manet, & habetur eius obedientiarius cap. Quanto & cæt. Ita Vuameſius cuius doctrina eſt maxime notanda, nam poteſt pluribus alijs caſibus applicari, quibus Regulares delinquentes ſubduntur Epiſcopis.

2 Contrarium tamen videtur innuere *deciſio Rotæ Romanæ* apud Farinacium *parte* 1. *deciſ.* 15. Sed loquitur vtpatet de Regularibus non exemptis, vnde non facit contra ſententiam Vuameſij.

An Epiſcopus poſſit immediatè punire Regularem, qui ſine licentia per ſuam Diœceſim vagatur ex vi Tridentin. *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 4. Dub. CCXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui docent in dicto caſu poſſe Regularem immediatè puniri ab Epiſcopo.*
2 *Negatiue tamen reſpondendum.*
3 *Iure naturali vbicumque res propria reperitur poteſt capi.*
4 *Explicatur Concilium, quod obſtare videtur.*
5 *Argumento in contrarium adducto ſatisfit.*

1 IN Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *de Regularib.* cap. 4. habetur ſic, *Nec liceat Regularibus a ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit ab Ordinarijs locorum, tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur*, ex quibus videtur Ordinarijs commiſſum munus immediate dictos Religioſos fugitiuos puniendi, & abſolutè poſſe ab Epiſcopis dictos Religioſos puniri, docet Portel. *in dubijs Regularium.* verb. *Epiſcopus num.* 10. ſed

2 Non poſſe Regulares ab Epiſcopis immediatè puniri ex vi dicti decreti Concilij, ſed adhuc remittendos eſſe proprijs Prælatis docet Lezana, *cap.* 16. *tom.* 1. *num.* 17. qui citat Mirand. *In Manual. tom.* 1. *q.* 51. & Nauarr. *Comment.* 3. *de Regul. num.* 50. & hoc pro-
3 pter multa priuilegia Religionibus conceſſa, tum etiam iure quodam naturali, nã quicumque poſſidet aliquã rem poteſt propria auctoritate capere, & tenere; Tum quia Dominus qui poſſidet, capere poteſt ſeruum fugiẽtem vbicumque inuenerit, vt habetur per multa iura; ergò ſic de Prælato dicendum reſpectu ſubditi fugitiui.

4 Concilium autem Tridentinum, quod obſtare poſitæ doctrinæ videtur, explicatur, & tunc hoc munus intelligitur remitti Epiſcopo, & Ordinario quando Prælati Regulares pigri & negligentes eſſent in inquirendis & puniendis dictis fugitiuis. Secundo

cundo vel intelligitur, Concilium quando non ſunt Prælati in illis diæceſibus, vbi reperti ſunt fugitiui; vnde ad maiorem huius rei intelligentiam habes, Decretum ſub Vrbano VIII. æditum per quod Epiſcopi locorum vbi moram trahunt dicti fugitui illos capere,& conſignare ſuis Superioribus, & alia multa de quibus fauente Deo agemus infra, *cap. Quo ad Eiecto & Apoſtatas*.

5 Sed objicies quando Regulares deguntſine licentia extra clauſtra ſi delinquant poſſunt immediate puniri ab Epiſcopo,vt nos diximus ſuperius & ſuppoſuimus cum multis Doctoribus *dub. an Epiſcopus poſſit punire immediatè Regulares degentes extra clauſtra, &c.* Ergo etiam in caſu poſito idem dicendum eſt.

Reſpondeo in ſuperiori loco, & dubio idem dicendum, ac in præſenti dubio quando ſcilicet Prælati vel abſunt,vel negligentes ſunt,tunc poſſe immediatè ab Epiſcopo puniri vel Reſponde,ſecundo,Concilium loquitur de degentibus Regularibus extra clauſtra de licentia Superiorum, in locis tamen vbi non ſunt nec Superiores, nec Monaſteria, & hæc reſponſio magis placet.

Quem terminum debet Epiſcopus aſſignare Prælato Regulari ad punitionem ſubditi delinquentis notoriè, &c.
Dub. CCXXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Sunt varij Doctores in aſſignando termino.*

2 *An ſtatim admonitus Prælatus Regularis ab Epiſcopo debeat punire ſubditum delinquentem &c.*

3 *Quid debet facere Epiſcopus, in caſu quo Regularis delinquens non puniatur a Superiori.*

4 *Epiſcopus habita notitia delicti poteſt capere informationem delicti (non tamen iuridicam) & eam mittere ad Superiorem.*

5 *Cum illa tamen informatione non iuridica nequit Prælatus punire delinquentem ſubditum.*

6 *Formula, qua admonendus eſt Epiſcopus a Prælato traditur ex Peirino.*

1 Habe,quod dicit Ioannes Antonius Nouarius, *de Regularibus Delinquent. in Summ. Bullarum num.* 12. *Itá qui terminus aſſignandus? non breuis, ſed competens,& congruus eſſe debet, & talis, vt. Regularis translatus ad alium locum Religionis cōparere, & redire poſſit argumēt. tex in Capu. Primo, & caput Si Primates. Ideo caueāt. Illuſtriſſ. Ordinarij aſſignare terminum nimis anguſtum per ea quæ ſcripſit, & cæt. nam alias a præfixione breuis termini daretur appellatio ſuperiori Regulari argument. notator. per Gonzalez.* Ita dictus Nouarius. Sed magis in particulari aſſignat terminum Sperellus, *deciſ.* 38. *fori Eccleſiaſtici*, & dicit,eſſe viginti, vel triginta dierum.

2 Sed hic conſequenter dubium hoc occurrit; an ſtatim admonitus ab Epiſcopo Prælatus Regularis debeat punire ſubditum delinquentem.

Lezana verb. *Delinquens* ſic habet. *Quamuis etiam ad hoc, vt Superior Regularis debeat punire prædictum Regularem poſſet quantum ex vi decreti Concilij, & Conſtitutionis Clementis VIII. expecta-*

pectare, quod ſepius de ea re moneatur ab Epiſcopo, quia Concilium, & Pontifex vtuntur verbo inſtare. Inſtante Epiſcopo, quod denotat vrgere cum quadam importunitate, Baldus in leg. Eos, & cat. Idque ſit rationi conſentaneum, cum poſſit fieri, quod Epiſcopus deceptus ſit, ſeu non bene informatus de delicto Religioſi nihilominus Superior Regularis ſtatim ad primam monitionem Epiſcopi debet procedere ad punitionem talis Religioſi quia ità declarauit Sacra Congregatio referentibus Barboſa & Nauarro. Hæc Lezana.

Rodriquez verò *tom.*2.*qq. quæſt.* 3. *art.*6. ſic habet. *Exiſtimo autem, quod ad hoc vt dicatur Epiſcopus inſtare, & Prælatus negligens ſufficit, quod ter fuerit requiſitus, & nolit punitionem congruentem executioni mandare argumento eorum, quæ in iure adnotantur, & non ſufficit ſecundum ipſum quod bis requiratur.*

3 Quæres hic obiter ſecundo, ad materiam tamen noſtram; quid debet facere Epiſcopus in caſu quo Regularis delinquens non puniatur a ſuperiori Reſpondeo cum multis Doctoribus, priuſquam Epiſcopus deueniat ad punitionem debet ſaltem ſummariè probare ipſum notoriè deliquiſſe, & cum ſcandalo, nam alioquin ſententia ſua quæ ſuper notorio fundari debet eſſet nulla, Ita Peirinus *Tom.* 3. Priuileg. *cap.*2. *nu.* 30. & apud ipſum alij plures.

4 Quæres; an Epiſcopis, habita notitia delicti, poſſit capere informationem, & illam ad Superiorem mittere, ne præſumat ignorantiam. Reſpondeo; poteſt non tamen facere proceſſum iuridicum, ſed tantum ſummariè Ita ex Aldrette Peirinus loco ſupra, *num.* 31.

5 Quæres tertio Ancū dicta ſola informatione non iuridica poſſit Prælatus punire ſubditum delinquentem Reſpondeo negatiuè, Ità Rodriquez, *in Compendio Reſolut.* 61. & Peirinus loco ſupra *num.* 32. ſi autem eſſet proceſſus iuridicè formatus ab Epiſcopo vtique cum illo poſſet, nam non eſt nouum, vt iudex cum proceſſu ab alio Iudice formato delinquentem puniat: ſic videmus Iudicem ſæcularem procedere, & punire Clericum degradatum cum ſolo proceſſu Iudicis Eccleſiaſtici. Sed Quod poſſit etiam ſine proceſſu [illegible]piſcopo iuridicè formato Prælatus punire ſubditum delinquentem puto probabile, maxime cum ad puniendos Regulares proceſſus ſecundum apices iuris formatus non requiratur.

6 Quod ſi hic ſcire cupias e conuerſo; quomodo teneatur Prælatus Regularis monere Epiſcopum de punitione Regularis delinquentis, habe formulam traditam a diligenti Peirino, *In formula-i Prælator. litter. P cap.* 7. quæ eſt talis.

Charitatis, & iuſtitiæ Zelo refertas accepimus, Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ litteras, quibus inſtabat vt R. N. indignum Ordinis noſtri Religioſum, qui ſceleſtas præteritis diebus in honeſtum, ac grauem virum N. in publica Ciuitatis huius platea magno cum populi ſcandalo manus inferre auſus eſt, digna eius ſcelere animaduerſione pæna mulctaremur, deque ſumpto ſupplicio Dominationem veſtram intra menſis ſpatium redderemus certiorem. Nos qui Illuſtriſſimam Dominationem veſtram, ea, quæ par eſt, obſeruantia colimus, ac veneramur ad eiuſmodi delicti inquiſitionem pro vt de notorio iura diſponunt, perſpectis illico litteris proceſſimus. Cumque

eundem Religioſum N. grauiter deliquiſſe compererimus ex noſtrarũ Conſtitutionum præſcripto carceribus per annum mancipandum fore, *iudicauimus, ac re ipſa damnauimus, actiua, & paſſiua vocibus per biennium etiam priuantes, cuius quidem noſtræ definitionis, ac ſententiæ, vt Apoſtolicis pareremus mandatis, Illuſtriſſimam Dominationem veſtram litteris cenſuimus, commonendam. Cui etiam fauſta cuncta a Deo precamur. Dat.* Hæc eſt formula, & optima certè, qua ſecundum currentes caſus debent certiorem facere Epiſcopum Prçlati Regulares de punitione Delinquentis.

An Prælati Regulares propria auctoritate poſſint ſuos ſubditos captos ab Epiſcopis recuperare. Dub. CCXXXXVI.

S V M M A R I V M.

1 *Communiter affirmatiuè reſpondent Doctores.*

2 *Ad praxim tamen non ſine multis inconuenientibus poterunt Prælati Regulares reducere hanc ſententiam.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Peirinus, *in Conſtitutionem ſeptimã Pij V. §.20. & 21. & in Conſtitutionem 13. Leonis X. num.7.* & hoc de iure tenet Nauarrus, *Comment. tertio de Regularib. numer. 50.* Suarez etiam *tom. 4. de Religione trac. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 16.* & Fundamentum eſt; quia obedientiam perpetuam debent religioſi, & ſic poſſunt ad obedientiam ſemper qualibet via reduci. Sic maritus vxorem, Dominus ſeruum ſemper recuperare poſſunt, & hoc non ſolum quando Religioſus fugit ſine licentia, ſed etiam cum licentia, quando vltra terminum conceſſum
2 non vult redire ad obedientiam. Sed ad praxim ſine multis inconuenientibus vix reducere poterunt Prælati Regulares hanc facultatem; vt patet conſideranti.

An Regulares tranſgreſſores Sacrorum Canonum poſſint ab Epiſcopis generaliter coerceri, & puniri. Dub. CCXXXXVII.

S V M M A R I V M.

1 *Ad Epiſcopũ pertinet remedia adhibere, quibus Sacri Canones obſeruẽtur.*

2 *Nõ poteſt tamẽ Epiſcopus ad talẽ obſeruantiã cogere Regulares, & quare.*

3 *Decretum Concilij Tridentin.* Seſſ. 14. cap. 6. de Refor. *non habet locum cum Regularibus.*

4 *Epiſcopi per Tridentin.* Seſſ. 7. cap. 8. de Reformatione *poſſunt tantum viſitare Eccleſias ſecularium exemptas, nõ autem Eccleſias Regulariũ.*

5 *Circa Regularem obſeruantiam ſe ingerere non debet Epiſcopus.*

6 *Nec poteſt Epiſcopus tollere prauas conſuetudines Regularium in eis, in quibus non ſubduntur.*

7 *Regulares licet ſint in Diæceſi non tamen ſunt de Diæceſi.*

8 *Caſtrum exemptum a iuriſdictione ciuitatis, iam non regitur dictæ ciuitatis conſuetudinibus.*

1 CErtũ eſt ad Epiſcopum pertinere per *Clementin. p.* dum tranſgredi ſacros Canones videt, debita remedia circa

circa hoc adhibere, ne violentur tradunt hoc Doctores communiter, præcipuè inter recentiores doctus, Chartarius, *Deciſ.* 20. *nu.* 107. & Marc. Anton. Gennenſis *in prax. Archiepiſcop. Neapol. cap.* 32. & ſic dicunt cõmuniter Doctores poſſe eos ab Epiſcopo puniri, qui dies feſtos operibus ſeruilibus violant; quia obſeruatio feſtorum a ſacris canonibus præcipitur. Sed difficultas eſt circa exemptos, an poſſit etiam punire exemptos, & conſequenter Regulares violantes ſacros canones.

2 Reſpondeo ergò negatiuè, nam quando datur Epiſcopis facultas in Regulares ſolet in iure exprimi. Deinde, quis dicat poſſe Epiſcopum ſubditos alterius Epiſcopi ſi violent ſacros canones coercere? Ergo idem de Regularibus dicendum, qui ob exemptionem non ſubditis æquiparantur. Immò adde; etiam ſi in iure exprimeretur; quod Epiſcopus poſſet in exemptos procedere, qui violant ſacros canones, non per hoc poſſet in Regulares procedere, niſi exprimerentur, & iuxta hoc

3 Collige ſolutionem alterius dubij; An Epiſcopus poſſit procedere, & coercere Regulares, qui habitu indecenti ſuo ſtatui incedunt. Ratio dubitandi deſſumitur a Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 6. *de reformatione* vbi habentur hæc verba: *Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ quantumcumq; exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus officia, aut beneficia qualiacumq; Eccleſiaſtica obtinuerint ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint honeſtum habitũ clericalem illorum Ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum non detulerint per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio & beneficio ac fructibus redditibus, & coerceri poſſint*, ex quibus verbis, cum generalia ſint videtur dicẽdam etiam Regulares comprehendi. Sed hoc non obſtante.

Negatiuè reſpondeo, & dico non habere locum cum Regularibus dictum decretum Tridentini, Quod probo primo; Quia Doctores, qui hunc textum cõſiderant nec verbum quidem dicunt de Regularibus. Ità Viualdus, *in Candelabro Parte* 3. *ad finem in explicatione Bullæ Sixti V. de habitu, & tonſura num.* 9. *verſ. Tertia aſſertio*, Rondan. *in promptuario receptarum Sententiar. tom.* 1. *tit.* 17. Scaccia *in Tract. de Iudic.* 1. *parte cap.* 11. *nu.* 84. Camillus Borell. *in addit. ad Bellug. in ſpeculo Principum rubric.* 11. §. *videamus littera B. in Summ. Omnium Deciſion. tom.* 1. *tit.* 11. *de vita, & honeſtate Clericor.* Zerola *in praxi Epiſcopor. parte* 1. *verb. Clericus.* Reginaldus *in praxi fori pænitential. lib.* 3. *Trac.* 3. *num.* 14. *&* 15. Cenedus *in prac. Canonicar. quæſtionum lib.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 31. Bellettus *in Diſquiſitio Clericor. parte* 1. tit. de diſciplina Clericali §. 16. *num.* 12. Sanchez, *in Opuſcul lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 49. *num.* 2. Sperellus *deciſ.* 17. *num.* 41. & alij plures. 2. ex doctrina Rodriquez. *qq. Regular. tom.* 1. *quæſt.* 36. *art.* 3. per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de Reformatione* habetur, *locorum Ordinarij Eccleſias quaſcumque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur*, per quæ verba quis forte dubitabit, an Epiſcopus etiam debeat viſitare Eccleſias Regularium exemptas, & tamen, *vt tit. de viſitatione* diximus, debent

bent tantum intelligi de alijs Eccleſijs Sæcularium exemptis, quod in hoc caſu clarè conſtat, dum Eccleſiæ Regularium habent priuilegium ne poſſint ab Epiſcopo viſitari dum cura animarum carent, quod priuilegium pluribus in locis confirmatur à Tridentino. Ergo ſic in caſu noſtro, licet exemptę perſonę nominentur, attamen non veniant ibi nomine exemptarum perſonarum Regulares; ſed debent intelligi Clerici ſæculares exempti, qui non habent Superiorem à quo poſſint coërceri, non autem Regulares, qui habent ſuos Superio-

5 res. Deinde hoc potius pertinet ad Regularem Obſeruantiam, circa quã non ſe debet ingerere Epiſcopus. Verum quidem eſt, quod ſi Regularis aliquis ita inhoneſtè incederet in habitu per vias, & plateas, vt ſcandalo populo eſſet, tunc Epiſcopus poſſet procedere, ſicut procedere poteſt in delinquentes Regulares notoriè, &c. & ſuperius diximus.

6 Hinc etiam colligere ſecundo potes, non poſſe Epiſcopum tollere prauas conſuetudines Regularium in eis ſcilicet, in quibus non ſubduntur Regulares Epiſcopis, vt tenet Cokier *De Iuriſdictione Ordinarij in exẽptos p.4. lib.1. quæſt.15.* & Fundamentum eſt, preter rationem adductam; quia licet

7 Regulares ſint in Diæceſi, non ſunt tamen de Diæceſi. Vnde alia etiam exempla dat dictus Cokier ſic licet exempti Regulares habeant prauam conſuetudinem vendendi ſepulturas, attamen hanc non poteſt auferre Epiſcopus ex cap. *Abolendæ*, & nos diximus tit. *quo ad Sepulturas*, ſic etiam ſi caſtrum aliquod ſit exẽptum ab omni iuriſdictione, non amplius tunc regetur Ciuitatis conſuetudinibus ob exemptionem, quam habet, nec coerceri poterit in hoc à Superiori Ciuitatis, vt tradunt Roman. Soccin. & Alciatus relati à Cokier loco citato. Idem dicendum ergo in caſu poſito.

An Epiſcopus poſſit procedere in Regulares, quando committunt crimina depoſitione digna.

Dub. CCXLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non ſunt inter ſe auctores concordes in aſſignando crimina, quæ depoſitione digna ſunt.*

2 *Aliqui dant in dictis caſibus facultatem Epiſcopo in Regulares.*

3 *Negatiuè tamen reſpondet auctor, & dat rationes.*

4 *Capitulum generale noſtræ Congregationis, & etiam Generalis cum Conſultoribus poſſunt carcerare perpetuo, aut per tempus ad triremes dãnare ſubditos Regulares, qui de iure ad mortem poſſent damnare.*

5 *Etiam præciſis priuilegijs nequeunt de iure Epiſcopi procedere in Regulares.*

6 *Tridentinum dum dat Epiſcopis facultatem in Regulares ſolet exprimere.*

1 CRimina, quæ merentur depoſitionem multa ſunt, vt notant, & docent Doctores, Alphonſus Viualdus *tract. de Depoſitione, & Degradatione numer.* 11. qui enumerat 109. caſus in quibus delinquens depoſitionem mæretur; Sed vt dicit Sairus *de Cenſuris lib. 5. cap. 21. à num. 6.* multa ibi

ibi enumerat Viualdus ſine fundamẽto, & ſine textu, quod in pœnalibus abſurdum eſt. Ipſe ergo Sairus loco ſupra *num.*7. vigintiquinque caſus recenſet in quibus eſt quis depoſitione dignus, & pro ſingulis textus, ex quibus colligitur talis pœna debita delinquenti, vide ipſum nolo enim à propoſita materia recedere.

2 Sententia ergo affirmatiua, quod Epiſcopus poſſit procedere in Regulares ob delicta ab eis commiſſa, quæ depoſitione digna ſunt, ſuſtinetur inter alios à noſtro celebri Duardo *In Bullam Cœnæ cap.*1.*quæſt.*3.*numer.*128. vbi dicit, *Secundus caſus eſt, vt Epiſcopus poſſit procedere contra Regulares in omnibꝰ criminibus, quæ ſint depoſitione digna, niſi quo ad hoc reperiãtur priuilegiati.*

3 Dico tamen Regulares nequeunt puniri ab Epiſcopo ob crimina depoſitione digna non ſolum quia ſunt priuilegiati circa hoc ſpecialiter, ſed præciſo omni priuilegio cum ſolo priuilegio exemptionis, quod iam de iure communi eſt: Quod autem Regulares ſint priuilegiati quo ad hoc, quod eſt dicere. Regulares debere iam per priuilegia ob quælibet delicta vniuerſaliter loquendo à ſuis Prælatis puniri, patet per priuilegium Pij V. conceſſum Ordini S. Hieronymi 1566. & per alia quæ refert Cappucinus *in ſuis annotation. ad Compendium priuilegiorum Minoritarũ tit. excipere*. Vnde noſter Peregrin. *In Compendio Priuilegiorum noſtræ Congrega-*
4 *tionis* verb. *correctio* §.4. dicit Capitulum Generale noſtræ Congregationis, & etiam Generalem cum conſilio Conſultorum poſſe delinquentes ordinis noſtri in caſibus, in quibus de iure communi ad mortem damnari poſſunt, perpetuò incarcerare, aut ad triremes ad tempus relegare, & condemnare, & in alijs delictis grauibus, & enormibus, veluti inobedientiæ, contumaciæ, ſeu incorrigibilitatis, eos etiam vſque ad priuationem habitus incluſiuè punire, & caſtigare, & hoc intellige per com-
5 municationem priuilegiorum. Quod verò etiam præciſo priuilegio nequeant Epiſcopi in Regulares procedere de iure, negatiuè ego probo; nam aduerſarij nullo pacto, vt vidi probant, ſed ſupponunt, quæ ſuppoſitio eſt forte certa, & vera de Regularibus non exemptis, de quibus puto loqui Rotã Romanam apud Farinaccium *part.*1.*deciſ.*15. vbi ampliſſimè videtur concedi hæc facultas Epiſco-
6 pis. Deinde videmus Tridentinum aſſignare ſemper caſus, in quibus poteſt Epiſcopus procedere in Regulares. Quod cum non faciat in his criminibus depoſitione dignis, cur gratis hanc concedemus facultatem Epiſcopis in exemptos: adducant textum aliquem aduerſarij, & eorum ſententiæ acquieſcam, fauet huic ſententiæ Lezana *in Summ. verb. degradatio nu.*3. contra Ioannem de Lignaco, Abbatem, Cokier, & Barboſam, quos ipſe citat eodem loco.

An Epiſcopus poſſit punire, & coercere Regulares illicitas negociationes exercentes. Dub. CCXXXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Docent aliqui ab Epiſcopo puniri poſſe exemptos illicitas negociationes exercentes.*

2 *Si de Regularibus ſit ſermo omnino tenendum eſt non poſſe in dicto caſu ab Epiſcopo puniri.*

3 *Quod ſi cum populi ſcandalo hoc facerent Regulares, idem dicendum, ac diximus de delinquente notoriè cum ſcandalo, & cæt.*

1 TAmburinus *tom.* 1. *de Iure Abbatum diſput.* 15. *quæſt.* 7. *numer.* 13. qui citat Cardinal. & Gloſſam *in Clementin.* 1. *de Vita, & Honeſtate Clericor.* docet poſſe in hoc Epiſcopum coercere exemptos, quæ autem ſint illicitæ negociationes, vide Manrique Ferro *part.* 1. *qq. Vicarialium quæſt.* 58. *per totam*, vbi multa habet ſcitu digna.

2 Sed ſi ſit ſermo de Regularibus res aliter reſoluenda eſt, & pars negatiua mordicus ſuſtiuenda. Immo in exemptis etiam ſi ſtemus in verbis textus, negarem hanc facultatem competere Epiſcopis. Verba ſunt hæc. *Diæceſanis locorum ſtrictè præcipimus, vt Clericos carnificum, ſeù macellariorum, aut tabernariorum officium publicè, & perſonaliter exercentes nominatim, & ter moneant, vt ſic ab huiuſmodi officijs conuenientem terminum aſſignando ipſorum arbitrio moderandum; deſiſtant, & quod ipſa nullo vnquam tempore reaſſumãt.* Ecce quomodo nec verbum quidem dicit textus de exemptis: cum tamen ius, cum vult comprehendere exemptos ſoleat hoc exprimere. Verum quidem eſt Gloſſam hic habere talia verba, *puta quod includat etiam exemptos, qui delinquunt in loco non exempto cum per id ſubſint Diæceſanis. Vbi vero delinquerint in loco exempto non videtur, quod ad illos extendatur hæc Cõſtitutio.* Sed quidquid ſit de alijs exemptis. Quo ad Regulares certum eſt, etiam ſi illicitas negociationes exerceant nõ poſſe puniri ab Epiſcopo, quia ſunt ab eius iuriſdictione exempti ratione loci, perſonæ contractus, & delicti, & cæt.

3 Sed aduerte hic ſtudioſe lector has illicitas negociationes Regulares exercere frequenter cum ſcandalo populi notoriè, & cæt. & tunc Epiſcopus eamdem abſque dubio facultatem habebit in Regulares, ac habet, vt diximus, dum extra clauſtra delinquunt notoriè cum ſcandalo, & cæt. aduertant maximè Regulares, & ſua animaduerſione tollant, ne animaduertat Epiſcopus.

An Regularis, qui habet aliquod officium ab Epiſcòpo poſſit ab illo puniri ſi delinquat in tali officio. Dub. CCL.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*

2 *Clericus admiſſus à Principe ad aliquod officium ſi in ipſo delinquat non poteſt à Principe puniri.*

3 *Nec vim facit contra dicta, etiam ſi ſit conſuetudo in contrarium.*

4 *Conſiderat auctor differentiam, inter exemptionem Clerici à iudice ſæculari, & exemptionem Regularis ab Ordinario, vnde diuerſimode eſt in vtroque caſu procedendum.*

5 *Offendentes Birruarios alicuius curiæ debent per eamdem curiam puniri.*

6 *Nul-*

6 ***Nullum eſt ius, nulla conſuetudo, quæ det facultatem Epiſcopis puniendi dictos Regulares deputatos ab eis ad officium.***

1 NEgatiuè eſt reſpondendum, & ita conſequenter ſi velit loqui, debet reſpondere Riccius *in praxi Religioſorum ordinum tom.4.deciſ.*182.vbi quærit; an Milites Hieroſolymitani delinquentes in officio eis dato à Principe ſeculari poſſint ab illo puniri, vel ſint remittendi ad miniſtros propriæ Religionis; & reſpondet non debere puniri à Principe à quo habent officium. Ratio eſt quia tales milites ſunt Eccleſiaſtici, & exempti ab omni iuriſdictione ſecularium, eſt ergo dicendum proportionaliter de Regularibus reſpectu Epiſcoporum, dum ab eis habent aliquod officium, & in ipſo delinquunt, cum ſint exem-
2 pti ab eorum iuriſdictione, adeſt etiam paritas de Clerico, qui ſi ſit admiſſus à Principe ſæculari ad aliquod officium, & in ipſo delinquat non poteſt ab ipſo Principe puniri, vt tenent multi Doctores, & præcipuè Couarruuias citatus ab ipſo Riccio *loco ſupra*, qui dicit eſſe communem opinionem, licet apud Gallos minime receptam, apud quos ſi aliquis Clericus ſit deputatus ad aliquod officium, & in ipſo delinquat priuatur à Principe tali officio, & alijs etiam pęnis pecuniarijs punitur ad arbitriũ ipſius Principis; & proportionaliter, quod dicitur de Clericis, & Eccleſiaſticis reſpectu fori ſæcularis dicendum eſt de exemptis Regularibus reſpectu Epiſcoporum, vt in varijs locis argumentatur Cokier de *Iuriſdictione in exemptos part.*1. & præcipuè *quæſt.*34. vbi quærit; an exempti poſſint cogi ab Ordinario ad teſtimonium, & ſic reſpondet, *in hac materia fori, Clerici, & exempti à pari procedunt. Vnde identitas hæc rationis pro lege habenda eſt ex leg. ſcire oportet.*

3 Imò addit Riccius, nec vim facere contra hanc doctrinam conſuetudinem in contrarium in caſu ab illo poſito, quia eſſet irrationabilis, & contra ius Diuinum; & etiam ſi eſſet præſcripta tanto tempore de cuius initio memoria non extatet ex Deciano, & etiam ſi Pontifex conſcius eſſet de tali conſuetudine, & nihil dixiſſet, quia licet iura, quæ præſcribi non poſſunt ſciente Principe, præſcribantur, hoc tamen verum eſt data capacitate præſcribentis, ſecus ſi ſit incapax.

4 Quæ omnia, licet in caſu poſito de Iudice, & Principe ſæculari reſpectu Eccleſiaſtici vera ſint, tamen in caſu noſtro non procedunt meo iudicio, quia exemptio, quam habent Regulares ab Epiſcopo de iure Diuino non eſt, ſed tantum de iure poſitiuo, & conſequenter nec Epiſcopus eſt incapax præſcriptionis. Hinc eſt, quod ſi Regulares detenti in carceribus Epiſcopi ad inſtantiam ſuorum Superiorum in eis delinquãt poſſint ab eodem Epiſcopo puniri, vt tradunt fere communiter Doctores, nec contrarium vidi ab aliquo aſſertum. Ita Ioannes Antonius Nouarius *in Summa Bullarum De Regularibus Delinquentibus numero* 20. *Sperellus deciſ.* 39. Riccius 2. *parte deciſ.*276. & non alia ratione, niſi quia per *leg. nullum, C. de teſtibus*, prouiſum eſt, delinquentem coram aliquo Iudice, licet alias ille

Iudex

Iudex non eſſet competens delinquentis Iudex, etſi tamen de foro ipſius, & poſſe per ipſum puniri.
5 Sic offendentes Birruarios alicuius Curiæ exequentes ſuum officiū debent per eamdem Curiam puniri. Quod quidem reſpectu omnium exemplorum in Ordine ad Epiſcopum verum puto non alia ratione niſi quia exemptio eorum de iure humano eſt, vnde non eſt mirum ſi idem ius potuit eos iterum in multis caſibus Epiſcopo ſubdere, ſi autem ſit ſermo de Clericis delinquentibus coram Principe, & Iudice laico, ab eo nullo modo poterunt puniri, vt communiter dicunt Doctores, quia eorum exemptio eſt de iure Diuino. Ita latè & doctè probat Afflictus *deciſ.* 230. & *deciſ.* 219.

6 Concludo ergo & dico in caſu poſito ſupra licet non repugnet, quod Regulares in officio illo deputati ab Epiſcopo, ſi in eo delinquant, poſſint ab eo puniri, attamen nullum vidi ius, quod tolleret hanc exemptionem à Regularibus, & ſic negatiuè eſt reſpondendum, vt reſpondent Doctores citati ſupra. Nec etiam video cōſuetudinem, quæ det talem facultatē Epiſcopis, (quæ ſi adeſſet) opinio Riccij (quo ad Regulares ſcilicet) eſſet reprobanda. Sed ob ea, quę obiter in hoc dubio poſuimus ſit ſequens dubium.

An Regulares, qui delinquunt coram Epiſcopo, & Ordinario poſſint ab eo puniri.

Dub. CCLI.

SVMMARIVM.

1 *Variè circa hoc caſus poteſt accidere.*
2 *Falſum coram Epiſcopo deponente poteſt ab eo ſecundum aliquos puniri etiam ſi ſit exemptus.*
3 *Regulares, dum inferunt iniuriam Epiſcopo iuriſdictionem exercenti poſſe ab eo puniri ſunt Doctores, qui affirmant.*
4 *Exempti Diœceſis Leodienſis delinquētes coram Officiali, nequeunt ab eo puniri.*
5 *Regularis ſi delinquat in palatio Epiſcopi poteſt ab Epiſcopo puniri, vt probant varijs modis aliqui Doctores.*
6 *Opinio authoris negatiua; eiuſque ratio.*

1 VArij ſunt caſus; qui circa hoc poſſunt accidere, poteſt Regularis aliquando interrogatus ab Epiſcopo iuridicè falſum deponere poteſt in Palatio Epiſcopi, & ſic ſaltem moraliter coram ipſo aliquod delictū committere interficere aliquem, & ſimilia facere. Dubitatur ergo; an in his caſibus poſſit dictus Regularis puniri ab Epiſcopo.

2 Quo ad primam difficultatem, de Regulari falſum coram Epiſcopo deponente habet illam in terminis Cokier *par.* 2. *qu.* 35. *de Iuriſdictione in exemptos*, ſed generaliter loquitur de exemptis. Habe hic Lector eius verba, auctor enim doctiſſimus eſt. *Clericum falſum deponentem coram laico non poſſe*

poſſe ab eo puniri, ſed relegandum eſſe ad ſuum Iudicem communiori Doctorum calculo receptum eſt. Aliter tamen in exemptis diſpoſitum videtur idque per auctoritatem Ananiæ, qui ſic loquitur, &c. Confirmatur primo. Quia Forenſis puniri poteſt à Iudice non ſuo ſi coram eo falſum depoſuerit, ergo ab Analogia idem in exemptis. Secundo, Quia deponendo falſum infertur iniuria Iudici poteſt autem Iudex iniuriam ſibi illatam vendicare, quẽadmodum poſt cæteros compendioſè, & doctè cum quadam diſtinctione tradidit Gaillus. Quæ tamen concluſio ex tenore priuilegiorum reſtringenda eſt. Ita Cokier.

3 Bellettus *in ſuis diſquiſitioni de fauore reali Clericor.* §. 5. *num.* 22. in terminis habet reſolutionem de Regularibus, & dicit Regulares, dum iniuriam inferunt Epiſcopo, vel eius Vicario Iuriſdictionem exercenti poſſe puniri ab eodem Epiſcopo, & eius Vicario; quilibet enim iudex punire delictũ poteſt, quod videt cõmitti dũ ſedet pro Tribunali, ſeu alioquin ſtat in actu iuſtitiam adminiſtrandi, & officium ſuum exercendi, & iudex poteſt punire exceſſus commiſſos contra ſuum officium. Ita Capic. *deciſ.* 137. *nu.* 52. & 58. Zanchinus, & alij apud eundem Bellettum. Fundamentum eſt, quia ratione offenſæ iuriſdictionis, qui alias non eſt competens iudex efficitur competens *per leg. Nullum C. de teſtibus.*

4 Sed nota hic, quod affertur à Cokier exemptos quoſdam Diæceſis Leodienſis coram officiali delinquentes, etiam ſi id contingat in officio ab eo puniri non poſſe. Ita procedunt Doctores, quo ad hunc primum caſum poſitum, & nota hoc vltimum de exemptis Diæceſis Leodienſis.

5 Quo ad ſecundum verum. De Regularibus delinquentibus in Palatio Epiſcopi, Cokier, qui illum in terminis reſoluit *tom.* 2. *part.* 2. *quæſt.* 45. *de Iuriſdictione, & cæt.* reſpondet affirmatiuè, ſcilicet poſſe Regularem delinquentem in Palatio Epiſcopi ab eo puniri, variè probat. Primo, quia ſicut Epiſcopus poſſet punire extraneos, & ſubditos alterius Epiſcopi, ſi delictum committerent in ſuo Palatio, ſic à fortiori poſſet punire exemptos, & Regulares, cum ordinarius multo plus iuris habeat in exemptos, quam in extraneos, exempti enim licet non ſint de Diæceſi, ſunt tamen in Diæceſi extranei autem nec ſunt in Diæceſi, nec de Diæceſi. Quod autem poſſet tunc Epiſcopus procedere in extraneos probatur illa regula. *Vbi te inuenio ibi te iudico*, & adducit Gloſſ. & Iulium Clarum. Secundo, dato etiam quod Epiſcopus nequeat hoc facere poteſtate ordinaria, tamen hoc poſſet facere poteſtate delegata ſcilicet ſic ordinante Pontifice. Tertio, quia delictum eſt notorium. Vnde ſtante Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de reformatione* habet Epiſcopus poteſtatem puniendi exemptos Regulares notoriè, & cæt. delinquentes. Semper tamen limitat dictus Cokier ſuam ſententiam ſi priuilegia exemptionis hac in ſpecie repugnent ſemper enim dicta priuilegia conſideranda ſunt.

6 Dico ergo ſimul vtrique difficultati ſatisfaciens, Regulares exempti delinquentes coram Epiſcopo ex eo præciſe, quod coram eo delinquant, non poſſunt ab eo puniri. Ratio eſt, quia ſunt priuilegiati in hoc, vt tantum à ſuis Superioribus poſſint puniri

&

& quando ſubduntur in punitione Epiſcopo, ſolet ſemper ius hoc exprimere, & ſic Tridentinum multis in caſibus exprimit, ſi autem committeret delictum notoriè coram Epiſcopo, cum ſcandalo, & cæt. iam tunc Epiſcopus idem ſeruare deberet, quod ſtatuit Concilium, dum Regularis delinquit extra clauſtra notoriè, nec aliquod maius ius ſibi arrogare deberet ex eo, quod coram ſe deliquerit Regularis.

An Epiſcopus poſſit punire Regulares abutentes priuilegijs, quæ habent.
Dub. CCLII.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua.*
2 *Quando quis dicitur abuti priuilegio.*
3 *Authoris opinio quo ad hoc ſingularis.*
4 *Ante ſententiam Iudicis nullus ſubiacet pœnis.*

1 Affirmatiuè reſpondet Tamburinus *tom. 1. de Iure Abbatum, diſput. 15. quæſ. 7. num. 53.* & apud illum Zabarella res tamen melius conſideranda eſt, & primo.

Supponendum eſt tamquam certum, priuilegia ammitti per abuſum. Ita communiter Doctores; quorum magnam ſeriem refert Lezana verb. *Priuilegia*, & Tamburinus ipſe *Diſput. 16. quæſ. 14. num. 23. tomo eodem citato*, & colligitur ex cap. *Vbi*, in quo Simplicius Papa dicit *priuilegium meretur ammittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*. Dicitur autem aliquis abuti priuilegio. Primo, Quando vtitur priuilegio conceſſo vltra limites priuilegij. Secundo, Faciendo aliquid iniquum, ſpe, vel occaſione, ſeu licentia arrepta à priuilegio: vt ſi liberius delinquat ipſe impunitatis conceſſæ. Tertio, Vtendo tali priuilegio tempore, & loco, quo non eſt conceſſum, ſed hoc potius dicitur non vſus, quam abuſus per Tamburinum *loco ſupra*. Quarto, Faciendo contra finem priuilegij; vt ſi Religio habeat priuilegiũ decimas colligendi ad Dei cultum, & poſtea expẽdat in varios vſus his omnibus modis poteſt priuilegiatus dici, quod priuilegijs abutatur; Cum ergo per abuſum, ſit regula generalis priuilegia ammitti. Hinc eſt dicit Tamburinus, quod exemptus Regularis, iam non ſit exemptus; & conſequenter Iudici Ordinario ſubdatur-

3 Ego tamen cum diſtinctione puto omnino in hac re procedendum; vel abutũtur Regulares priuilegio, quod erat in ordine ad exemptionem, & non ſubiectionem Epiſcopi, vel alio priuilegio indifferenti, quod nullo modo tangebat iuriſdictionem Ordinarij. Si abuſus ſit primo modo, ſto cum Tamburino iam tunc Regularis perdit priuilegium exemptionis; & ſubditur Ordinario, ſi abuſus ſit ſecũdi generis nullã habet talem abuſum coercendi facultatem Epiſcopus. Ratio eſt, quia per abuſum illa tantum particularia ammittuntur priuilegia, quibus priuilegiatus abutitur, Ergo ſi abutatur priuilegio indifferenti, non per hoc ammittit priuilegium exemptionis; Immo dum abutitur Regularis aliquo particulari priuilegio, quod reſpiciat exemptionem in certa quadam particulari materia, iam ſolũ

ammit-

ammittet exemptionem in illo certo caſu; & illa in alijs caſibus fruetur adhuc.

4 Immo (& aduerte,) quod forte, nec ammittet Regularis priuilegium, quo abutitur ante ſententiam Iudicis, cum pænalibus quis non ſoleat ſubiacere ante ſententiam; & etiam in pęnis negatiuis in ſententia multorum; Iudex autem, qui debebit hoc declarare erit Iudex concedens dicta priuilegia, non autem Epiſcopus, & ſic vide quantas limitationes patiatur ſententia Tamburini adducta.

Intellige tamen poſitam doctrinā, dum tota Religio, vel Ordo abutitur priuilegio, nam ſi aliquis Religioſus particularis ſine cōſenſu totius Religionis aliquo priuilegio abutatur, tūc iuxta doctrinam Doctorum non perditur priuilegium. Ita Petrus Ancharanus in caput *Cum explantare de Priuileg. num.* 8. *vbi habet: Not. quod priuilegium conceſſum certo Ordini non perditur per abuſum aliquorum dicti Ordinis, & quo ad ipſos abutentes, licet aliter puniantur.*

An Epiſcopus ex vi diſpoſitionis Concilii poſſit etiam punire Equites Sancti Ioannis Hieroſolymit. delinquentes.
Dub. CCLIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia, eiuſque fundamentum.*

2 *Affirmatiuè plures alij reſpondent, & quare.*

3 *Quid ſentiat Author exponitur.*

1 NEgatiuè reſpondent Azorius 1. *p. Inſtitut. lib.* 13. *cap.* 4. *q.* 39. Moneta *in tractat. de Conſeruatoribus cap.* 10. *num.* 393. Fundamentum eſt, quia Concilium ſolum loquitur de Clericis; Sed Equites, vt plurimum non ſunt Clerici.

2 Affirmatiuè nihilominus reſpondent Ioannes Antonius Nouarius *De Regular. delinquentib. in Summ. Bullar. nu.* 17. Riccius *in Collect.* 503. *Idem De Cappellanis appellatis Fra ſeruēti* Sperellus *deciſ.* 21. *num.* 51. Ratio alia non eſt, niſi quia hi quoque dicuntur Religioſi, vt ſuſtinet innumera Doctorum caterua. Vide etiam Sperellum *deciſ.* 38. *Fori Eccleſiaſtici*, vbi plures alios citat idem ſentientes, nec ſolum de Clericis loquitur Concilium, Sed de omnibus Regularibus, ſiue Clerici ſint, ſiue non, vt probat idem Sperellus loco ſupra *deciſ.* 21.

3 Ego magis adhæreo primę ſententiæ, quia non videtur eadem ratio de iſtis Regularibus, ac de alijs, qui ordinariè intra clauſtra degunt, Equites enim S. Ioannis ordinariè non degunt intra clauſtra, vnde vt tradit Cokier *de Iuriſdictione in exemptos part.* 2. *quæſtio* 102. *num.* 10. decreta Concilij quo ad punitionem non procedunt in militibus. Ioannis Hieroſolymitani, qui ſubſunt in hoc eorum magno Magiſtro per Bullam Pij Quinti, & per declarationem Sacræ Congregationis teſte ipſo Cokier *loco citato*, habet Nauarrus in ſuis *Conſilijs lib.* 3. *de Regularib. Conſil.* 21. caſum doctè deciſum. Vide ipſum.

An

An Epiſcopus poſſit punire Superiorem Regularem in ſuo Monaſterio ſine cauſa non mandat haberi lectionem Sacræ Scripturæ. Dub. CCLIV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia communis eſt.*
2 *Diſcrimen inter Monachos, & alios Regulares, quo ad hanc obligationem.*
3 *Satisfit huic obligationi ſi lectio Sacræ Theologiæ Scholaſticæ habeatur.*
4 *Non ſunt tamen examinandi ab Epiſcopo, qui deſignati ſunt ad has lectiones habendas.*
5 *Decretum Vrbani VIII. ſeruandum modo eſt.*
6 *Alij Regulares in pœnalibus non veniunt nomine Monachorum.*
7 *Stante declaratione Sacræ Congregationis materiam lectionis aſſignare pertinet ad Epiſcopum, ſed nequaquam ea præciſa.*
8 *Tribus menſibus poſſunt vacare Regulares ab his lectionibus.*
9 *Quando nam Superior dicatur negligens in curando hanc lectionem haberi.*

1 Hic ponam, quid de iure non quid de praxi.

Affirmatiuè ergo reſpondent Homobonus in examine *tract.* 15. *cap.9. circa Epiſcopos reſolut.* 7. Leo in Theſauro *parte* 2. *cap.*2. *num.* 59. Campanilis *in Diuerſ. Iuris Canonic Rubr.* 12. *num.* 5. *cap.*13. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi par.*3. *allegat.*56. *num.*16. & innumeri alij, & hoc ex vigore Concilij Tridentini *cap.*1. *ſeſſ.*5 *de reformatione,* vbi habetur. *In Monaſterijs quoque Monachorum, vbi commodè fieri queat etiā lectio Sacræ Scripturæ, habeatur, qua in re ſi Abbates negligentes fuerint Epiſcopi locorum in hoc, vt Sedi Apoſtolicæ delegati eos ad id opportunis remedijs compellant. In Conuentibus verò aliorum Regularium in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt Sacræ Scripturæ ſimiliter lectio habeatur, quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris,* ex quibus patet quid debent facere Regulares, & hoc habere locum etiam cum Carthuſianis refert deciſum Aldan. per Barboſam in hunc locum Concilij, & ita docent ſine aliqua limitatione reſpectu omnium Regularium Franciſcus Leo *in Theſuaro par.*2. *cap.* 2. *num.* 59. Pia. ſec. *in prax. Epiſcop. par.*2. *cap.*3. Tamburin. *tom.* 3. *de Iure Abbatum diſput.* 2. *quæſ.*5. *num.* 3. Barboſa hic *in Concilium*, vbi refert Conſtitutionem Pauli V. quæ incipit *Apoſtolicæ ſeruitutis*, ſed varia in hanc materiam notat Lezana, quæ debent ſciri verb. *Lectio in Summ.*

2 Primò, eſſe diſcrimen inter Monachos, & alios Regulares in hoc Decreto, nam dum loquitur de Monachis abſolutè præcipit, & ſic etiam ſi in dictis Monaſterijs Monachorum vigere ſtudium non poſſit adhuc in eis lectio hæc debet haberi, quod non eſt in alijs aliorum Regularium Monaſterijs. Secundò, Epiſcopus compellere poteſt Monachos, vt lectionem habeant, non poteſt autem compellere alios Regulares, & hoc maximè nota, eſt enim contra fere communem; vel vt melius dicam eſt, quid non conſideratū ab alijs, patet ex verbis Concilij dicto loco, vbi poſtquam

dictum

Digitized by Google

dictum eſt, *eos ad id opportunis remedijs compellent*, ſcilicet Monachos, poſito puncto ſequitur. *In Conuentibus vero aliorum Regularium*, nec verbum quidem dicitur de eis compellendis, & licet ſit eadem ratio in pœnalibus verò ob identitatem rationis, non extenditur ad caſus ſimiles diſpoſitio pœnalis.

3 Secundo, notat ſatisfieri huic præcepto, ſi lectio Sacræ Theologiæ Scholaſticæ habeatur, vt dicunt Peirinus Megala, & noſter Naldus in *Summ.* verb. *legere*, Megala autẽ *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 27. *nu.* 14. Peirinus *Tom.* 1. *Priuilegior. in Conſtitutionem* 2. *Iulij II.* §. 5. *num.* 16. & hoc ſpectata practica, & acceptatione talis Decreti.

4 Tertio, non eſſe examinandos ab Epiſcopo, qui ſunt deſignati ad has lectiones habendas in dictis Regularium Monaſterijs. Ita Tamburinus *tom.* 3. *de Iure Abbatum diſput.* 2. *qu.* 5. *Barboſa ſeſſ.* 5. *cap.* 1. *ex Sellio*, qui ita refert deciſum, nec etiam approbandi ex Sallet. apud eumdem Barboſam.

5 Quarto, modo debere Regulares obſeruare Decretum Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII. tenori ſequentis, & refertur ab eodem Lezana loco ſupra, *Lectio Sacræ Scripturæ, vel Caſuum Conſcientiæ, bis in hebdomada præſcriptis diebus in ſingulis Monaſterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eaque abſoluta mutua collatione circa explicatam doctrinam ſeſe vtiliter exercent.*

6 Quinto, Opportuna remedia, quibus poſſunt Epiſcopi procedere, & compellere Regulares (Monachos ſcilicet,) nam alij Religioſi in pœnalibus non veniunt nomine Monachorum, vt paſſim reperies apud Doctores, dicunt aliqui, (& non pauci) eſſe cenſuras. Lezana, Peirinus locis citatis, quibus adde Rodriquez *in ſuis qq. Regular. q.* 130. *tom.* 2. *art.* 2. Ratio eſt, quia in hoc ſunt Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, & cenſuris poſſunt procedere. Sed mihi ſtantibus priuilegijs Regularium ne poſſint cenſuris puniri, de quo *cap. quo ad Cenſuras* aliqua dicemus, negatiuè reſpondendum eſſe omnino videtur; & etiam ſi Epiſcopi ſint delegati Sedis Apoſtolicæ, hoc enim non ſufficit, vt dicetur *titulo citato quo ad cenſuras*. Alia multa congerit Lezana ibi de hac lectione habenda, ſed ad noſtram materiam ad ſubiectionem ſcilicet, quam Epiſcopo in hoc debent Regulares cognoſcendam, puto hic omnia breuiter collecta.

7 Adde tamen cum multis Doctoribus materiam lectionum deſignari poſſe ab Epiſcopo. Ita Naldus verb. *legere in Summ.* dicunt idem de tempore, & hora, Nicolaus Garzia de beneficijs, & Aldanus apud Barboſam in hunc locum *num.* 4. adducitur quædam declaratio Sacræ Congregationis ad hoc, quæ ſi adſit non audeo ab hac ſententia diſcedere. Sed ſi includat Regulares mihi videtur nimis rigoroſa; nam ſatis eſt poſſe Epiſcopum ad hanc lectionem habendam poſſe compellere Regulares; nec debemus ei maiorem facultatem dare ſine neceſſitate ob exemptionem Regularium.

8 Poſſunt tamen vacare dicti Regulares ab his lectionibus tribus menſibus, vt declarauit Sacra Congregatio Teſtibus Garzia de beneficijs *part.* 5 *cap.* 4 *num.* 157. & Galetto in *Marga-*

rita

rita Caſuum Conſcientiæ, verb. legere 2. 2 Barboſa etiam *in Collectan. Bullarum lector Sacræ Scripturæ,* & ita tenent Lezana *verb. ſupra*, & Naldus eodem verb. ſupra *num.* 2.

9 Sed petes hic quando nam dicatur negligens Superior, qui non mandat hanc lectionem haberi; Reſpondeo, vide quod tradit vniuerſaliter Tuſcus verb. *Negligens, & Negligentia,* ibi enim habes quando quis dicatur negligens, & quomodo negligentia probetur.

An ſi Regularis executor teſtamentarius delinquat in hoc Officio poſſit puniri ab Epiſcopo. Dub. CCLV.

SVMMARIVM.

1 *Communis ferè ſententia affirmat.*
2 *Sed non bene ex quibuſdam textibus eam colligunt Doctores.*
3 Clement. 1. de teſtamentis *ad verbum adducitur.*
4 *Contrariam ſententiam vbinam Author referat.*

1 Affirmatiuè reſpondent communiter Doctores Henricus Botteius *de Synodo Epiſcopi in tract. volum.* 13. *par.* 2. apud ipſum Bonifacius de Vitalinis, Homobonus etiam *in examine tract.* 15. *cap.* 8. *quæſt.* 29. Barboſa *de Epiſcopi poteſtate par.* 3. *allegat.* 82. *numer.* 14. Megala noſter *in ſuis conſil. conſ.* 40. Leo *in theſaur. fori Eccleſiaſtici part.* 2. *cap.* 17. *num.* 82. Zerola *in Praxi Epiſcopor.* verb. *Legatum.* §. 9. Iacobus de Graffis de caſibus reſeruatis lib. 2. cap. 26.

Hęc eſt communis ſententia, quam ex multis textibus colligunt aliqui ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 6. ſed ex illo loco nihil habetur, quod pro dicta opinione faciat, verba enim, quę ibi habet Concilium talia ſunt: *In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non niſi ex iuſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ ſummariè, & extraiudicialiter cognoſcant nihil in precibus tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum priuſquam commutationes prædictæ executioni mandentur*, videat, & conſideret lector, an ibi aliquid, quod ſpectet ad poſitum dubium habeatur. Alij melius colligunt ex cap. *Tua nobis de teſtament,* vbi habetur ſic: *Tua nobis Fraternitas intimauit quod nonnulli tam Religioſi, quàm Clerici ſæculares, & Laici pecuniam, & alia bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium debent in vſus pios expendi, non dubitant alijs vſibus applicare. Cum igitur in omnibus pijs voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos prouidendum, & cæt. Mandamus quatenus executio teſtamentorum huiuſmodi in vſus prædictos expendant monitione prædicta compellas.* Hic certè aliqua videtur tributa facultas Epiſcopis ſupra Regulares teſtamentarios, non tamen vniuerſaliter, ſed ſolum, dum agitur de cauſis pijs; Alij ergo clarum adducunt pro dicta opinione textum, *Clement.* 1. *de teſtamentis*, qui certè vniuerſaliter loquitur: habe ipſum, vt minus labores. *Religioſis etiam exemptis deputatis ad executionem cuiuslibet vltimæ voluntatis circa ipſius executionis officium, & cæt. præſentis Cōſtitutionis auctoritate ſtatuimus, quod tales etiam ſi prælationis fungantur Officio locorum Ordinarijs debitam reddere*

re ipſique ordinarij ab eiſdem abſque dolo fraude ſeu negligentia de ſuſceptæ executionis officio teneantur exigere rationem, illos, quos circa id deliquiſſe repererint in aliorum exemplum pœna debita quocumque non obſtante priuilegio puniturі, mirum in modum fauet communi opinioni hic textus; ſed tamen.

4 Contraria ſententia adhuc à multis ſuſtinetur, vide *in hoc tractatu cap. quo ad varia* ibi enim poſitum dubium melius diſcutitur.

An Epiſcopus poſſit procedere, & punire Regulares falſos monetarios.

Dub. CCLVI.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio Vrbani VIII.*

2 *Si Regulares notoriè non delinquant in hoc non poſſunt puniri ab Ordinario in ſententia aliquorum.*

3 *Stando in hac ſententia obiectioni ſatisfit, quæ moueri poſſet.*

4 *Contrariam tamen ſententiam putat Author omnino ſuſtinendam.*

5 *Regulares, qui viuunt extra clauſtra ſi delinquant ad hoc, vt poſſint puniri ab Epiſcopo non requiritur, quod notoriè delinquant.*

6 *Quæritur; an etiam Superiores poſſint procedere in Regulares ſubditos Monetarios.*

7 *Abbates exempti quomodo cognoſcere poſſint de hoc crimine.*

8 *Extra Italiam Conſtitutio Vrbani VIII. non habet locum.*

1 SOlutionem dubij adęquatè habes ex Conſtitutione Vrbani VIII. quæ incipit. *In Suprema Paſtorali*, in qua habes ſic. *Qui aureas, vel argenteas monetas, tondere, fabricare, colorare vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas, ſcienter erogare, aut expendere præſumpſerit extendimus, & ampliamus, volentes, & culpabiles, in præmiſſis reperti præuia degradatione Curiæ ſæculari puniendi tradantur, pecunias verò, vt ſic adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum transferentibus, materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus pœnam triremium per decennium imponimus, & cognitionem cauſarum huiuſmodi, quo ad perſonas Eccleſiaſticas, præfatas, tam ſæculares, quàm Regulares, in prouincijs nobis, & Sedi præfatæ ſubiectis ad Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in eiſdem prouincijs de latere Legatos, & prolegatos pro tempore exiſtentes, in alijs vero omnibus, & ſingulis prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis, tam ſub noſtræ, & dictæ Sedis. quàm cuiuſuis alterius Principis ditione in Italia tantum comprehenſis priuatiuè, quo ad omnes etiam Superiores Religionum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis ad ordinarios locorum ſpectare etiam volumus, & cæt.* quæ Conſtitutio aliquas poteſt ſuſcitare dubitationes.

2 Primo dubitare quis poſſet; an Regulares in hoc delinquentes debeant notoriè deliquiſſe, ſicut dum committunt alia crimina debent notorie delinquere, & cum ſcandalo ad hoc, vt poſſit in eos procedere Epiſcopus; Aliqui, quos viua voce conſului in ſententiam affirmantem inclinabant, & Fundamentum ipſorum erat, quia non abrogatur per hoc decretum, diſpoſitio Tridentini. Cum ergo Tridentinum requirat no-

Aa to-

toriam eſſe delictum, vt Regulares poſſint puniri, iam etiam in hoc crimine requiretur notorietas. Imò ſi conſiderentur, bene verba Conſtitutionis per illa verba, *& culpabiles in præmiſſis reperti*, per quæ videtur requiri, quod in fragranti crimine inueniantur taliter delinquentes ad hoc, vt poſſint puniri; Quidquid tamē in contrarium dicat Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum, tit. de Monaſterijs*, cuius ſententiam reprobare tamen modo nolo.

3 Quod ſi obijcias, ergo nihil tribuitur Epiſcopis per hanc Conſtitutionem, quod prius non haberent, nam etiam prius, ſi Regulares notoriè deliquiſſent monetas falſas faciendo, &c. cum ſcandalo populi poterat in eos procedere Epiſcopus ex vigore Tridentini; ergo ſi aliquid de nouo datur eſt, quod poſſent DD. Epiſcopi in eos procedere, ſicut in Clericos ſeculares.

Reſpondent ſtatim, & dicunt per hanc Conſtitutionem aliquid concedi Epiſcopis de nouo, quod prius nō habebant, ſcilicet quod poſſint abſolutè procedere, & immediatè in Regulares Monetarios, nec teneri eos tradere ſuis Prælatis, ſicut tenentur tradere Regulares notoriè extra, &c. delinquentes, & hoc patet per illa verba Conſtitutionis, *ipſiſque Superioribus penitus excluſis*. Vnde priuatiue habent Epiſcopi hanc facultatem, dum agitur de puniendo hoc delictū in Regularibus, Ita vt Prælati nequeant ſe immiſcere in cognitione talis delicti.

Quod ſi inſtes iterum, & dicas, hoc delictum falſificandi monetas ſemper ſolet committi clam, & ſecretò, ergo debuit facultas Epiſcopis, & Ordinarijs dari, vt etiam dum clam committitur poſſint ab eo delinquentes puniri. Reſpondent nihil hoc referre, & ſufficere, quod etiam poſſit eſſe notorium. Quando ergo eſt notorium ſubduntur Regulares Epiſcopis, ſecus quando ſecretum eſt; nam cum hæc lex indiſtinctè loquatur, debet per aliam legem diſtingui, & limitari, ex *leg. ſciendum ff. qui ſatisdare coguntur ex leg. quamuis ff. in ius vocandum*.

4 Hæc opinio ob rationes dictas mihi videtur non improbabilis, attamen contrarium omnino ſuſtinendum eſſe puto, & hoc vt finis Cōſtitutionis obtineatur, qui non aliud intendit niſi omnino euellere hoc crimen deteſtādum; ad extirpandum igitur illud debuit concedi facultas Epiſcopis puniendi quomodocumque delinquentes in tali crimine, ſiue notoriè, ſiue ſecretò committatur. Deinde mihi fauent Doctores in alio caſu ſimili: Quærunt, an Regulares, qui degunt extra clauſtra, & delinquunt, ad hoc vt poſſint puniri ab Epiſcopo, debeant delinquere notoriè, & cum ſcandalo,
5 vt diſponit alio in loco Concilium circa delinquentes Regulares, qui viuunt in clauſtris, & delinquunt extra, & reſpondent communiter. Etiam ſi delictum non ſit notorium, poſſe degentes extra clauſtra puniri. Ita præcipuè noſter Alphonſus de Leone *de Cenſuris Recollect. 2. numer. 318.* & apud ipſum Quaranta *verb. exemptio verſ. viſitare, & punire*, & Duardus *lib. 1. in Bullam Cœnæ cap. 1. quæſt. 3. num. 129.*

6 Secundo, Dubitare quis poteſt; an etiam ſtante hac Conſtitutione Superiores Regulares poſſint punire Regulares ſubditos Monaſterios ſaltem in aliquo caſu. Negatiuè videtur omninò

ninò reſpondendum ex verbis clariſſimis dictę Conſtitutionis, per quæ excluduntur omnino Prælati Epiſcopo inferiores à cognitione talis cauſæ.

Attamen ſi ſtemus in ſententia Antonij de Marin. *quæſt.* 57. *num.* 6. quam etiam ſequi videtur Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. tit. de Mona-*
7 *ſterijs*, quæ docet Abbates exemptos poſſe cognoſcere de hoc crimine, etiã ſi excludi videantur per dictam Conſtitutionem vbi habetur, vt Ordinarius vicinior illi loco exempto cognoſcat de hac cauſa; attamen non ita excluduntur, vt ſi hoc crimen committi occurrerit in locis prædictis non valeant eorum Superiores, qui in illis Ordinarij ſunt in huiuſmodi cauſis procedere vbi Epiſcopi in hoc negligentes ſunt, & ſolum dicunt citati Doctores, loquendo de dictis Abbatibus exemptis talem cognitionem eſſe illis prohibitam, cum Ordinarij de his cognoſcere cæperint. Quod totum nõ ſine probabilitate proportionaliter poteſt applicari Prælatis Regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum, quorum Ordinarij ſunt.

8 Aduerte tamen hic vltimo extra Italiam, nec in Inſulis etiam adiacentibus, Sicilia, Corſica, & Sardinia habere locum dictam Conſtitutionem, vt tradunt Lezana *in Summ. verb. Monetarij*, Diana noſter *par.* 3. *tract.* 17. *reſol.* 30.

An dum Epiſcopus poteſt, & vult punire Regularem delinquentem poſſit dictus Regularis appellare ad Metropolitanum.

Dub. CCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia eſt aliquorum.*
2 *Negatiua magis communis.*
3 *Author cum diſtinctione procedit.*
4 *Quæritur, an quando Epiſcopo committitur aliqua facultas in Regulares ſit facultas tantum delegata, vel excitata.*

1 AFfirmatiuè reſpondet Villadiego *in Speculo Viſitatorum fol.* 35. *num.* 31. qui adducit pro ſua ſententia declarationem Sacræ Congregationis tenoris ſequentis. *Si in Viſitatione appellari contigerit ab Epiſcopo ſuffraganeo, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegato, prout ſtatuit Sacrum Concilium Tridentinum debet appellari ad Metropolitanum, &c.* & ratio ipſius eſt; quia illa, quæ Ordinarius in viſitatione facit iure Ordinario facit, licet Apoſtolica auctoritate ſit factus delegatus. Sed

2 Negatiuè fere omnes Doctores reſpondent loquendo vniuerſaliter, de his, quæ poteſt Epiſcopus in Regulares. Ita Cokier *q.* 14 *p.* 2. *de Iuriſdictione in exẽptos n.* 4. Ioannes Antonius Nouarius *De Regularib. Delinquentib. n.* 23. *in Summ. Bull.* qui refert etiam Cenedum *qq. Canonicarũ* 34. Fundamentum eſt, quia quando Epiſcopus procedit in Regulares facit hoc, vt Sedis Apoſtolicę delegatus; Ergo tantum ad delegantẽ poteſt eſſe appellatio, vt habetur

tur cap. *Super quæſtionum de Officio Delegati*, & ex cap. *Si Delegatus* cap. *Si is cui* cap. *ſi à delegato in 6.* Vide Cenedum *loco ſupra citato, ſi potes*.

3 Ego diſtinguendo procederem in hac re; ſunt enim multa, in quibus Regulares ſubduntur Epiſcopis, non vt delegatis Summi Pontificis, ſed vt Ordinariam poteſtatem habentibus, vt ſunt v. g. Ordinationes, & ſimilia, in his darem & concederem appellationem, ſi ſe videant grauatos Regulares; in alijs autem nequaquam: & ſic puto ſubſiſtere, & concordare poſſe cum communi ſententia Villadiego, ſcilicet tunc poſſe dari appellationem ad Metropolitanum, cum Epiſcopus ſuffraganeus, qui eſt delegatus, procedit iure Ordinario, non autem quatenus eſt delegatus, quod etiam notat Cokier loco ſupra.

4 Hic tamen occurrit conſequenter celebris illa quæſtio; An quando Epiſcopo committitur aliqua facultas in Regulares exemptos à Summo Pontifice, cenſeatur ſolum delegata, vel potius excitata. Quæſtionem exactè reſoluit Cokier *par. 2. de Iuriſdictione, &c. quæſt. 14.* qui refert varias Doctorum ſententias.

Hoſtienſis abſolutè docet ſemper excitari iuriſdictionem Ordinarij, dū ei aliquid circa exemptos cōmittitur.

Communis tamen ſententia docet non excitari, ſed ſemper manere delegatam eius iuriſdictionem. Ita Ioannes Andreas, & Abbas in varios textus. In caput *ad Abolendam* in caput *Graue de Officio Ordinarij* in cap. *Significaſti*, & Fundamentum eſt; quia cū Ordinario committitur, ſeu reſcribitur aliquod, quod non pertinet ad eius ordinariā iuriſdictionē, tunc ſolū cenſetur delegatus. Ita DD. cōmuniter.

Bartholus vero, ſic diſtinguit loco citato ab ipſo Cokier, aut in conceſſione exprimitur, quod hoc faciat auctoritate concedentis, & tunc nō cōceditur auctoritas ordinaria, ſed delegata, aut hoc non exprimitur, & tunc vel cōmittitur vnū negotium, aut plura negotia particularia, vel committitur vniuerſitas cauſarū; ſi primum auctoritas, & iuriſdictio cenſeri debet delegata ſi ſecundum videtur concedi iuriſdictio ordinaria.

Cokier docet ad cognoſcendam hanc facultatē in caſu poſito eſſe valdè attendendam formam, qua conceditur dicta iuriſdictio, nam ſi in conceſſione habeatur: mandamus tibi, vt iuſtitiam facias committimus, &c. tūc auctoritas, & iuriſdictio videtur excitata in Ordinario, non autē delegata. Si autem formula ſit: vice noſtra, auctoritate noſtra, tunc ſolū videtur iuriſdictio delegata nō excitata. Ita Cokier *loco ſupra.* Sed vide etiam Monetā de *commutationibus vltimarum volūtatum c. 7. q. 1. à n. 7. vſq; ad 13.* vbi doctè ſuo more dubium reſoluit.

Iuxta ergo has opiniones poteris reſoluere; an Regularis poſſit grauatus appellare ad Metropolitanum, nā ſi cum Hoſtienſi dicas ſemper excitari iuriſdictionem Ordinarij, dum ei aliquid committitur in exemptos, iam ſemper etiam tenere debes dari poſſe hanc appellationem; ſi autē iuxta varias aliorū limitationes, & diſtinctiones velis incedere, iam ſolum conſiderare debes, an delegatus ſit Epiſcopus; an vero Ordinarius, ſi delegatus; nullā concedas Regulari appellationem niſi ad delegantem; ſi Ordinarius non eam negabis ad Metropolitanum.

An

An Epiſcopus poſſit punire Regulares, qui ſibi Epiſcopalia arrogant.
Dub. CCLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſint Epiſcopalia remiſſiuè tamen.*
2 *Caput* Cum & Plantare *adducitur.*
3 *Per iura Epiſcoporum dictum caput quid intelligat.*
4 *Non ex vi dicti capitis* Cum & Plantare, *ſed ex vi capitis* Romana Eccleſia in 6. de Pęnis *poſſunt forte Epiſcopi punire, & coercere Epiſcopalia ſibi vſurpantes.*

1 EPiſcopalia ſunt illa, quæ propria ſunt Epiſcopi, puta ordinare, cõſecrare, benedicere, & ſimilia facere.

Affirmatiuè ergo reſpondent Doctores Barboſa *par. 3. de Poteſtate Epiſcopi allegat.* 105. *num.* 65. Cokier *p.* 2. *libro* 1. *quæſt.* 45. *num.* 100. colligunt ex cap. *Cum & Plantare*, vbi verſ. *Quod autem de prædictis Fratribus* ſic habetur. *Ab alijs quoque Religioſis, qui præſumptione ſua Epiſcoporum percipiunt iura, & contra Canonicas eorum ſententias, & tenorem Priuilegiorum noſtrorum venire præſumunt præcipimus obſeruari; Si enim contra inſtitutum hoc venerint, & Eccleſiæ in quibus iſta præſumpſerint ſubiaceant interdicto, & quod egerint irritũ habeatur.* Ita textus in quo illa verba, *Epiſcoporum percipiunt iura* videntur dare facultatem Epiſcopis in eos Regulares, qui iura Epiſcoporum ſibi arrogare præſumunt.

3 Eſt tamen aduertendum, quod per ly *iura* in dicto textu intelliguntur tantum illa, de quibus idem textus antecedenter locutus eſt, vnde Abbas ibi habet. *Quod autem dictum eſt de prædictis Fratribus idem præcepit obſeruandum de alijs Religioſis*, Fratres autem prædicti de quibus erat in antecedentibus huius textus ſermo; erant Fratres Templi, & Hoſpitalis, qui excedebant in pluribus contra Epiſcopalem auctoritatem, propter quod Epiſcopi in Lateranenſi Concilio de ipſis grauiter fuerunt conqueſti, excedebant autem prædicti Fratres. Primo, quia recipiebant Eccleſias, & decimas de manibus Laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum. Secundo, recipiebant ad diuina in ſuis Eccleſijs nominatim interdictos ab Epiſcopis. Item non præſentabant Epiſcopis Præsbyteros inſtituendos ad curam animarum in Eccleſijs, quæ ad eos pleno iure non pertinebant. Inſuper volebant admitti ad Diuina Officia in Eccleſijs interdictis, & hoc ad libitum. Hæc omnia ergo tollit à dictis Hoſpitalariis, & Templarijs. Summus Pontifex per dictum caput. *Cum, & Plantare*, & etiam ab omnibus alijs Regularibus, non tamen per hoc ita abſolutè, vt conſideranti patet, in Regulares procedit dictum caput, vt quotieſcumque aliquod aliud ius Epiſcopi ibi non expreſſum violent, velit ibi contentis pęnis ſubiacere. Deinde non video, quomodo ex verbis citati textus, Regulares quo ad punitionem ſubdantur Epiſcopis, ſic concludit Pontifex. *Si enim contra inſtitutum hoc venerint, & Eccleſia, in quibus iſta præſumpſerint ſubiaceant interdicto, & quod egerint irritum habeatur* pęnæ iſtæ à Pontifice *infliguntur, non ab Epiſcopo*,

& ſic etiam ſi Regulares violarent contenta in dicto capite adhuc ex vi illius, non video in hoc datam aliquam facultatem Epiſcopus ſupra Regulares, quod maxime notandum eſt.

4 Si ergo Epiſcopalia ſibi arrogantes poſſunt ab Ordinario, & Epiſcopo puniri, vt tradunt citati Barboſa, & Cokier, hoc non eſt ex vi adducti capitis, *cum, & Plantare*, ſed potius ex vi capitis *Romana Eccleſia in 6. de Pænis*, vbi habetur. *Licet autem Rhemenſi Archiepiſcopo ſuam prouinciam viſitanti eos, qui tunc ſibi, vel ſuæ familiæ, aut alijs, quos propter hoc per eamdem prouinciam dirigit, & etiam quando Concilium conuocat eos, quos nuncijs ſuis, quos pro illo, vel alias per Prouinciam ipſam ſua debita iuriſdictione vtendo tranſmittit iniurare præſumunt ſi hac occaſione, ſua in his impediatur iuriſdictio, pro iniuria huiuſmodi dummodo exiſtat notoria propria auctoritate punire, niſi amplius ei de Rhemenſis Eccleſiæ conſuetudine competere dinoſcatur, ſibi etiam, & metropolitanis alijs in ſuis prouincijs, dum ſic in illis iuriſdictionem exercent puniendi manifeſtas, & notorias offenſas, tunc eiſdem illatas, vel ſuis etiam ſi exinde impediri iuriſdictionem huiuſmodi non contingat libera ſit de noſtra ſpeciali conceſſione facultas*, Totum habes hic caput ad verbum, ex quo Doctores colligunt poſſe pęnis affici Regulares exemptos ab Ordinarijs, & Epiſcopis, dum perturbant eorum iuriſdictione; Ita Sanchez *lib. 7. de Matrimonio diſput. 13. num. 21.* Stephanus Auferius *tractatu de Poteſtate ſæculari ſuper Eccleſiaſticas perſonas nu. 23.* Royas *de hæreticis p. 1. num. 155.* relati à Sanchez loco ſupra.

Diceremus ergo veniendo ad caſus particulares, quod Epiſcopus poſſet procedere in omnes illos exemptos, & inferiores etiam Regulares qui v.g. nullo priuilegio, vel benedicerent, ordinarent, & ſimilia facerent, iſti enim tunc Epiſcoporum iuriſdictionem perturbarent, & ſic poſſent ab eo iuxta dicta coercere, nec puto adeſſe in hoc difficultatem; vnde ſatis.

An Parrochus Regularis delinquens extra pertinentia ad Parrochiam ſit puniendus ab Epiſcopo, vel à ſuis Prælatis. Dub. CCLVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Rationes, ob quas videtur dicendum puniendum eſſe dictum Parrochum ab Epiſcopo.*

2 *Contrarium tamen omnino tenendum.*

1 Riccius *in ſua praxi 1. part. reſolut. 523.* habes dubium in terminis breuiſſime reſolutum, hic referam tantum, quod dictus Doctor ait; ſparſim enim applicando doctrinam varijs caſibus tali opinione in hoc tractatu vſi ſumus, habet ergo ſic, *& prima facie videbatur dicendum, quod ab Epiſcopo ratio eſt, quia ſecundum deciſionem Rotæ in vna Bononienſi Parrochialis coram Illuſtriſſimo Seraphino Ordinarius loci eſt iudex competens, tam Regularium quam ſæcularium Clericorum exercentium curam animarum, & pro hoc facit Concilium Tridentin. de Regul. ſeſſ. 25. cap. 11. quo expreſsè cauetur perſonas, tam Regulares, quam ſæculares huiuſmodi curam animarum exercentes ſubeſſe immediatè in his, quæ ad dictam curam Sacramentorum*

torum adminiſtrationem pertinent iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi in cuius diœceſi illam peragunt, quod bene cumulat Theſ. for. Eccleſ. part. 2 c. 18. num. 105. & Antonin. *libr. 1. variarum*
2 *reſolutio. cap. 18. Cæterum Sacra Congregatio cenſuit Parrochum Regularem delinquentem extra Sacramentorum adminiſtrationem, & curã animarũ non ab Epiſcopo, ſed à ſuis Superioribus puniri, vt refert Galet. in ſua Margherit. caſuum conſcientiæ verb. Parrochi.* Hæc Riccius, quibus adderem etiam præciſa declaratione Sacræ Congregationis, Parrochos Regulares ſic delinquentes à ſuis Superioribus eſſe puniendos. Vide ſupra *cap. quo ad Parrochos dub.* 161. & conſidera diſtinctionem, quam ibi breuiter pono.

An Epiſcopi poſſit punire Regulares dum eis non conceditur talis punitio, etiam in caſibus, in quibus eis ſubduntur.

Dub. CCLX.

SVMMARIVM.

1 *Quod nequeant Epiſcopi punire cenſuris Regulares, etiam in caſibus in quibus eis dicti Regulares ſubduntur innumeri ſunt, qui docent.*
2 *Non ſolum cenſuris, ſed nec alijs pænis poſſunt procedere DD. Epiſcopi in Regulares, dum expreſsè eis talis facultas data non eſt.*
3 *Multa ſunt priuilegia, quæ hoc concedunt Regularibus.*
4 *Cauſa impulſiua exemptionis Regularium, quæ nam fuerit.*
5 *Priuilegia exemptionis in dubio ſemper interpretanda ſunt in fauorem Regularium.*
6 *Iuriſdictio delegata eſt odioſa, cum ſit correctiua iuris communis.*
7 *Vbi non conceditur expreſsè Ordinario facultas puniendi cenſetur, hoc ei prohibitum.*
8 *In iuriſdictione generali delegata, non cenſetur incluſa facultas puniendi, & corrigendi.*
9 *Caput* Attendentes de ſtatu Monach. *conſideratur.*
10 *Sacræ Congregationis ad intentum reſponſio.*

1 Qvod nequeant DD. Epiſcopi punire Regulares cenſuris; etiã in caſibus in quibus eis ſubduntur habes, *cap. quo ad Cenſuras* multis in locis: hic autem dubium magis extenditur; nam quæritur; an poſſint ſaltem alijs pænis in eos procedere: pro reſolutione igitur quæſtionis hic afferã tantum ad verbum, quod habet doctus Pater Auguſtinus de Bellis in ſua pretioſa allegatione Hiſpana edita Cæſarauguſtæ, cuius titulus eſt, *Aſſũtos Iuridicos en confirmaçion delas nulidades hechas en la promulgaçion de cẽſuras, &c.* quam ſæpe citat Diana celebris, 7. *parte varijs in locis*, dicit ergo ſic. *No tan ſolamente con cenſuras, però tampoco con otras qualeſquiere penas puede el Ordinario caſtigar a Regulares aun en caſos, en los quales le eſtan ſugetos, ſi Concilios, y Pontifices no hazen expreſſa mencion de que los pueda caſtigar, y el caſtigarles verteneçe priuatiue a ſus Superiores, o a los Pontifices. Abbas cap. final. num. 5. verſ. ſi verò Populus de Cler. Peregr. Bart. leg. à Diuo Pio in princ. ff. de re Iud. Cokier tom. 1. par. 4. quæſt. 33. n. 21 Card. Zabar. & Lapus in cap. Archiepiſcopo*

ſcopo §.*fin. num.*5. *de priuileg. (dizen)*
Epiſcopus agere debet coram Superiore e-
xemptorum,vt eos cogat ad parendum,&
non parentes puniat. Mas lo fundo en
Priuilegios, en preſumptiones; en dere-
cho, y declaraçiones dela Congregaçion.

3 *Primo, Lo fundo en Priuilegios los hai*
de Sixto Quarto a Padres Dominicos. De-
cernimus quoſcumque proceſſus, quaſuis
pænas, & ſententias generales, & ſpecia-
les continentes promulgatas, & domos
corū nullius roboris,& momenti eſſe,
In libro Priuilegiorum Ordin. Prædic.
*fol.*158. *Otro ſemejante concedio a Pa-*
*dres Franciſcos Rodriquez tom.*2. *qu.*58.
*art.*5. *Repareſe en a quellas palabras,*
quaſuis pænas, & ſententias luego no tan
ſolamente con cenſuras no puede el Ordi-
nario proçeder contra Regulares mas tam-
poco en qualquiera genero de penas, y ca-
ſtigo ſi no es abſque ſpeciali Sedis Apoſto-
licæ conceſſione, como dize el Pontifice,
en la Bula para Padres Franciſcos, y ſi
eſto no ſe entendiera aun en los caſos, en
que eſtan ſugetos al Ordinario el priuile-
gio fuera de valde, y no aprouecharà de
nada.

4 *Secundo lo fundo en preſumpçiones,*
que eſtant por los exemptos; porque la
cauſa impulſiua dela exempçion de Regu-
lares ha ſido in odium Ordinariorum,quia
nimis erant infeſti Religioſis, & nimis eos
*grauabant, Rebuffus latè reſponſ.*142.
*Vbaldus tract.de Canonic.Epiſcop cap.*3.
*Tuſcus verb.exemptio concluſ.*566.*nu.*6.
*Cokier tom.*1.*p.*1.*quæſt.*1.*numer.*15.*y ſe*
ſaca del cap.nimis iniqua de exceſſib.Præ-
lator. Luego ſiempre ſe ha de ampliar re-
ſpecto a Regulares y coarctar reſpecto a
Ordinarios, aſſi porque en eſta parte de
caſtigar Religioſos han ſiempre excedido
en tanto grado que obligaron los Pontifi-
ces a que los exemptaſſen dela Iuriſdiçion
*dellos; Cened.q.*26.*num.*3.*Caſtr. conſil.*
432.*como tambien por conceſſion de Leon*
5 *X. Priuilegia exemptionis Religioſorum*
in dubijs ſunt ſemper interpretanda in fa-
uorem Regularium,como hemos dicho ar-
riba Aſſumto 3.*num.*4.11. *Preſumpcion*
porque la cauſa final y principal dela e-
xempçion de Regulares ha ſido in fauo-
rem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ cuius intereſt
habere multos immediatè ſubditos cap.
Paſtoralis de re iudic. Rebuff. & Cokier
vbi ſupra, Luego ſe han de ampliar a fauor
dela Sede Apoſtolica,que no quiera deſpo-
jarſe dela Iuriſdiçion immediata que tie-
ne con Regulares, ſi no lo expreſſa clara-
mente en la commiſſion, que delega al Or-
dinario preſumçion 3. *Porque iuriſdictio*
6 *delegata eſt odioſa cum ſit correctiua iu-*
ris communis ideo non extenditur ad per-
ſonas non expreſſas. Gloſſ. in cap. edoceri
*de reſcript.Federic. conſ.*163.*& cap.cum*
Iureperitus de Officio delegati. Quarta
Preſumpcion,Porque,quod non inuenitur
conceſſum expreſsè intelligitur eſſe prohi-
bitum caput illa ne, ſed Gloſſ. ibi litt. C.
Luego adonde no ſe halla concedido ex-
preſſamente el Ordinario que pueda caſti-
gar ſe preſume eſtar vedado tanto y mas
que ya lo vedan expreſſamente los priui-
legios de Regulares.

8 *Terçero lo fundo en derecho comun en*
el Caput licet de Offic. vicarij, ſe determi-
na, que en la juriſdiçion delegada general,
que ſe da para hazer mandatos, y venti-
lar cauſas no ſe entiende dar juriſdiçion
corrigendi, & puniendi exceſſus, niſi ſpe-
cialiter hæc cōmittantur en el Caput At-
tendentes de ſtatu Monachor. ſe de juriſdi-
çion al Obiſpo paraque pueda viſitar Mo-
naſterios de monjas exemptas, però ſi alla
la Abadeſſa mereçera por ſus faltas ſer
priuada de ſu Oficio no lo pueda por eſſo
hazer el Obiſpo porque en la comiſſion, que

ſe le da noſe exprime que la pueda priuar, Gloſſ. ibi verb. compelli Card. ibi Hoſtienſis, c. Quæris de ætate, & qualitate Ord. Tambien en el Cap. Dilectus, de Reſcriptis ſe dio al Abad de San Eſteuan juriſdiçion delegada para viſitar la Dieceſi de Bolonia ſin expreſſar, que priuaſſe delinquentes priuo algunos, y por el Pontifice ſe dio por nullo lo hecho Luego ſiempre y quando al Ordinario ſe delega la juriſdiçion con Regulares, ſi no va expreſſada facultad de punirlos no la tendrà.

10 *Quarto fundamento en eſta conformidad de derecho comun la Sagrada Congregaçion de Cardinales en todos los lançes, que ſe han ofreçido lleuar pleitos à Roma ſi puede el Ordinario punir Religioſos en los caſos, que el Concilio no haze mençion dello ſiempre la Congregaçion ha reſuelto, que no, y que el punirlos aunque haian delinquido en los caſos que eſtan ſujettos al Ordinario apartenеçe a ſus Superiores Regulares, o al Pontifice.* Hæc Pater de Bellis, quæ puto, cum ſint adeo doctè expoſita ſufficere pro ſolutione dubij propoſiti, vnde nec verbum, addo probabiliorem tamen puto ſententiam oppoſitam, vt habeo cap. *quo ad cenſuras Dub. 274. infrà.*

An Epiſcopus poſſit cognoſcere Regulares exemptos de vſuris. Dub. CCLXI.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi, vnde deſumitur.*
2 *Sententia negatiua ſuſtinetur.*
3 *Graue ſolet gerere Pontifex, quod Epiſcopus in exemptos iuriſdictionem exerceat.*
4 *Eamdem ſententiam amplectitur Cokier.*

1 RAtionem dubitandi conſiderat Anſaldus *De Iuriſdictione Eccleſiaſtica par. 2. tit. 9. c. 14.* & cap. *Quamquam vſurarij de vſuris in 6.* vbi à Gregorio X. ſtatuitur per Ordinarium, ſeu eius Vicarium, aut per Rectorem Parrochiæ cautiones de reſtituendis vſuris recipi poſſe, per Ordinarium autem intelligit Gloſſ. in *d. c. ſub verb. loci Ordinario* Epiſcopum; ſtante ergo hac dubitandi ratione venit ad ſolutionem caſus Anſaldus, quærens; an idem poſſit etiam facere Ordinarius cum Regularibus exemptis

2 Et Reſpondet negatiuè, etiã reſpectu Regulariũ militariũ. Fundamentũ eſt; quia talis cognitio nõ eſt ordinis, ſed iuriſdictionis, vt etiã tradit Gloſſ. in *d. cap.* in eis enim, quæ ſunt Iuriſdictionis Papa eſt Ordinarius exemptorum Abb. in Clement. *cum ex eo 3.*

3 *de ſententia excommun.* vnde graue gerit Pontifex, quod Epiſcopus in exemptos iuriſdictionem aliquam valeat exercere, vt Gregorius IX. Epiſcopo Senenſi reſcripſit. In caput *Graue gerimus de Offic. Ordin. iud.* exempti enim, ſicut res exemptæ comparantur rebus extra territorium, ſeu Diæceſim conſtitutis; vt habet Felyn. in cap. *Graue nu. 2.* & ſic ſicuti extra Diæceſim non habet ius terrendi, ſeu adminiſtrandi Epiſcopus. Ita nec in quoſcumque Religioſos exemptos.

4 Concludit ergò Eraſmus Cokier *de Iuriſdictione* in exemptos *tract. 4. quæſt. 67.* à Prælatis Regularibus ſuper cauſis vſurarum eſſe iudicandos, cum pleniorem in eos habeant poteſtatem, quam Epiſcopus in Clericos.

An

An ab Epiſcopo debeat puniri Nouitius Regularis, vel à ſuis Prælatis ob delicta commiſſa. Dub. CCLXII.

SVMMARIVM.

1 *Modus, quo delictum in Nouitio poteſt contingere.*
2 *Dum ante ingreßum eſt commiſſum delictum, & fuit facta inquiſitio Nouitij à proprijs iudicibus, & ordinarijs debent puniri.*
3 *Nec obſtat Conſtitutio Clementis VIII.* In Suprema Eccleſiæ.
4 *De iure communi eſt, quod Nouitij delinquentes, ante ingreſſum inquiſiti puniantur à Iudice inquirente.*
5 *Quando verò non ſunt inquiſiti à quo puniendi.*
6 *Inquiſitus quando quis dicitur.*
7 *Quid dicendum quando Nouitius in fraudem poſt delictum ingreditur Religionem.*
8 *Si delictum committit dum eſt actu Nouitius puniendus eſt à ſuo Prælato.*
9 *Etiam ſi tempore Nouitiatus non poſſent à Prælatis Regularibus Nouitij excommunicari poſſent adhuc alijs pænis puniri.*
10 *Nec Epiſcopus poteſt excommunicare Nouitios.*
11 *Nullum inconueniens eſt, quod nec ab Epiſcopo, nec à Prælatis nequeant Nouitij excommunicari.*
12 *Si egrediatur Nouitius è clauſtro poſt delictum à quo ſit puniendus.*
13 *Commiſſo delicto reus obligatur illi curiæ, ſub cuius iuriſdictione eſt dum commiſit delictum.*
14 *Cur Laicus, qui ſit Clericus eſt puniendus ab Eccleſiaſtico, & non Clericus, qui poſt delictum ſit Laicus puniendus eſt à Iudice Laico.*
15 *Limitationes quas dant Doctores dictæ Doctrinæ, remiſſiuè.*

1 DVpliciter poteſt contingere delictum, quod committitur à Nouitio, vel dum erat in ſeculo ante ingreſſum Religionis, vel dum eſt intra Religionem tempore probationis, & Nouitiatus.

2 Si ante ingreſſum Religionis delinquant Nouitij, & de delicto fuerunt iam inquiſiti à Iudicibus proprijs, & ordinarijs, tunc communis Doctorum ſententia docet; ab illis Iudicibus puniendos, qui erant eorum competentes Iudices ante ingreſſum. Vnde ſi Nouitius erat Clericus ab Epiſcopo; ſi autem Laicus à Iudicibus Laicis veniunt puniendi, patet dictum per Conſtitutionem Sixti V. quæ incipit *Cum in omnibus* æditam 1587. *nu.* 73 *in ordine*; & fauet expreſsè Ioãnes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum parte* 2. *De Delictis Nouitiorum commiſſis*, ſed hoc intellige dum fuerunt de criminibus inquiſiti per aliam ſequentem Bullam eiuſdem Sixti, quæ incipit *Ad Romanum, & cæt.*

3 Nec obſtat Conſtitutio Clementis VIII. quæ incipit *In ſuprema Eccleſiæ*, per quam derogatur Conſtitutionibus Sixti V. quatenus impediebant in multis caſibus validas profeſſiones; nam vt obſeruat Sanchez *lib.* 4. *cap.* 16. *numer.* 39. *in fin.* non derogat abſolutè dictas Conſtitutiones Clemens VIII. vnde adhuc in robore remanet, quod in delinquentes huiuſmodi poſſint procedere Iudices proprij, & Ordina-

narij, dum ſunt inquiſiti, & cæt. (excipiendo tamen profeſſos etiam contra Conſtitutionem Sixti V. qui ante ingreſſum, & profeſſionem quærelati fuerant de delictis, & cæt.) & hoc per Conſtitutionem Clementis Octaui citatam, vt dicunt aliqui, ſed de hoc clarius infra,
4 & aduerte eſſe etiam de iure communi, quod Nouitij delicta committentes ante ingreſſum, & de eis inquiſiti, debeant puniri a Iudice inquirente. Ita Ioannes Antonius Nouarius. *In ſumm. Bullar. De Delictis Nouitiorum* & apud ipſum Syluester *in Sum. verb. Iudex num. 6.* Couuaru. *pract. qq. cap. 32. num. 4.* Farinac. *in prax. Crimin. q. 8. de Inquiſit.*

5 Quando autem Nouitij delinquunt antequam ingrediantur Religionem, & non ſunt inquiſiti, tunc debent puniri a ſuis Prælatis per ſententiam magis receptam, immò a me certam, & veram exiſtimatam, quam etiam defendit inter innumeros Anſaldus *De Iuridictione Eccleſiaſtica. Part. 2. Tit. 11. cap. 15.* qui plures alios adducit Doctores, & quindecim auctoritates ex iure tum canonico, tum ciuili deſſumptas; ſoluens etiam decem & nouem textus iuris poſitiui, qui contrariæ ſententiæ fauere videntur, Vide ipſum, & non pigebit.

6 Si autem ſcire cupis, quando dicatur, quis inquiſitus ad hoc, vt poſſit contra eum procedere Iudex inquirens tres aſſignat conditiones doctus & celebris Sanchez. *lib. 4. cap. 16. num. 30* Prima eſt, vt actis publicis conſtet accuſatio, vel inquiſitio illius, Secũda, vt in particulari ſit cõtra eum inquiſitũ, quando enim inquiſitio facta eſt in communi non ſufficit. Tertia, vt ſit ante habitus ſuſceptionem nam ſi eo ſuſcepto eſſet accuſatio, ſeu inquiſitio, iam non eſſet puniendus coram inquirente.

7 Aduerte tamen eſſe controuerſam quæſtionem; an, Nouitius, qui poſt delictum commiſſum in fraudem, ne puniretur ingreditur Religionem debeat puniri a Iudice ſuo Ordinario laico, ſi laicus erat, Eccleſiaſtico ſi clericus, & hoc etiam ſi nulla contra dictũ Nouitium inquiſitio facta eſſet, pro vtraque parte habes Doctores; Anſaldus, *de Iuriſdictione Eccleſiaſtica dicta parte 2. Tit. 11. cap. 15. num. 61.* plures affert Doctores, qui docent, eſſe tunc puniendum a ſuis prioribus Iudicibus, nec ei mutationem ſtatus dare etiam mutationem fori. Diana verò e contra vt habes *in Summa* verb. *Clericus quo ad forum*, alios Doctores refert, qui dicunt Clericum adhuc gaudere priuilegio fori, etiam ſi habitum aſſumat poſt delictum, vt iudicari non poſſit a iudice Laico, & idem valet de ingrediente Religionẽ, & inter alios eſt Bonacina, *de Legib. diſput. 70. quæſt. 2. punct. 1.* ego hic nolo meũ ſenſum exponere potius enim eſſet deciſio de Immunitate Eccleſiaſtica, quam de Poteſtate Epiſcopi quo ad Regulares. Vide Farinacium *Quæſt. 8. de Inquiſit. per totam.*

8 Si autem Nouitius delictum committat dum eſt actu nouitius, tunc abſque dubio dicendum eſt debere puniri Nouitium a ſuo Prælato. Ita Sanchez, *lib. 6. cap. 10. num. 11.* Nauarr. *in Summ. Bullar. de Delictis Nouitior. conſ. 6. num. 40. de for. compet.* Mol. *tom. 3. diſput. 671. num. 2.* Cordub. *q. 30.* Azor. *p. 1. lib. 12. quæſt. 11.* Rodriquez *tom. 2. qq. Regul. articul. 10.*

apud

apud Nouarium, *numer.* 10.

9 Dices Nouitij, etiam ob delicta commiſſa in Religione, & tempore nouitiatus nequeunt excommunicari a ſuis Prælatis (vt communior & forte probabilior Doctorum Sententia docet) Ergo nec alijs pænis puniri etiam ob delicta intrà tale tempus probationis commiſſa.

Reſpondeo quidquid ſit de antecedenti, de quo celebris eſt quæſtio, & varietas opinionum apud Doctores; & nos agemus cap. *quo ad Cenſuras* infrà, adhuc negare poſſumus conſequentiam, vti negat Alphonſus noſter de Leone in ſuo erudito *Tractatu de Cenſuris, Recolle. 2. numer. 563.* nam alijs pænis poſſunt in eos procedere, non autem cenſuris; ad incurrendam enim pænam cenſuræ requiritur contumacia, & inobedientia, quæ non poteſt reperiri in Nouitio. Sed de hac difficultate habet infrà cap. *Quo ad cenſuras,* dubium particu-
10 lariter reſolutum. Non tamen ex hoc collige, ergo ſi nequit excommunicare Nouitios Prælatus Regularis, hoc poterit facere Epiſcopus etiam ob delicta intra clauſtra commiſſa, vt videtur ſentire Henriquez citatus a Sãchez. *lib. 6. cap. 10. num. 17. in Summa,* nam Reſpondeo, nec Epiſcopus poteſt excommunicare Nouitios, nam in fauorabilibus nouitij nomine Religioſorum veniunt; Vnde nequeunt
11 cenſuris mulctari ab Epiſcopis, nec incoueniens aliquod eſt, quod neque a ſuis Prelatis nec ab Epiſcopo poſſint dicti nouitij excommunicari, ſicut nullum incõueniens eſt, quod nec ligentur caſibus reſeruatis Religionis, nec etiam caſibus reſeruatis Epiſcopi, & Ita docet citatus Alphonſus de Leone loco ſupra, & etiam *parte 2. Recollec. 2. num. 137.*

12 Sed quęres; Nouitius ſi delinquat intra clauſtra; & poſtea egrediatur a quo debet puniri ab Epiſcopo ne; vel a Prælato Religionis.

Reſpondeo, vel loquimur de delictis, quę commiſerunt contra Regulam, & tunc ſi velint egredi e Religione certum eſt a nullo poſſe puniri, vel loquimur de delictis contra Dei præcepta (puta homicidium, furtum, & ſimilia) & tunc.

Reſpondeo puniendum eſſe a Prælatis, ſicuti dicunt Doctores puniendum eſſe a Iudice Eccleſiaſtico Clericum, qui tempore clericatus commiſit delictum, & poſtea factus fuit Laicus. Ita Anſaldus *de Iuriſdi. Parte 2. Tit. 11. cap. 18.* & apud ipſum. Celſus ad Bald. *ibidem ſub verb. caſus* Clar. *quæſt. 36. verſic. ſed pone,* Marc. *de Iuriſdictione parte 2. Caſ. 32. num. 53.* & *parte 4. Caſ. 121. num. 4.* Carol. de Graſſis, *de effectib. Clericatus effect. 1. num. 647.* Gratian. *diſcept.* Forenſ. *cap. 226. ad cognoſcendum ad quem forum ſpectet num. 2.* Petr. Caball. *reſolut. Criminal. tom. 1. centur. 2. caſ. 147. Diſponentibus capitulis militarium legionum,* Ioannes Ariz. *num. 17.* Vicentius de Franchis,
13 *deciſ. 417. & deciſ. 571.* & alij multi. Fundamentum eſt; quia commiſſo delicto ſtatim reus obligatus eſt illi curiæ, ſub cuius iuriſdictione eſt illo tempore, quo commiſit delictum. Vnde etiam ſi mutauerit forum attamen mutauit in pænam, non autem in priuilegium.

Nec obſtat contra noſtram doctrinam, quod fere communiter admittitur a Doctoribus ſcilicet Laicum delinquentem tempore quo erat laicus

cus

cus,eſſe tamen puniendum a Iudice, Eccleſiaſtico,ſi fiat poſt delictum Clericus,& non ſit inquiſitus; nam.

14 Reſpondet optime Anſaldus, *loco ſupra*, eſſe diſparitatem inter vnum caſum, & alium, nam quando laicus fit Clericus poſt delictum non tantum mutat forum, ſed etiam ſtatum perſonæ, & in melius. Vnde non attenditur tempus debiti, ſed tempus ſententiæ, quia Iudex laicus defectu iuriſdictionis non poteſt eum punire; Iudex autem eccleſiaſticus benè, poteſt punire laicum,qui tempore, quo erat Clericus deliquit, & ſic latiſſimè ſcribit Abbas, *cap. Vnic. de Obligat. ad ratiocinia ordinand. vel non,num.* 5. Ali-

15 quas tamen dant limitationes Doctores prædictæ Doctrinæ, quas apud ipſos videre poteſt,& præcipuè apud citatum Anſaldum *num.*11. *loco ſupra*, hic enim eas non adduco quia non ſunt adeo propriæ noſtri inſtituti,& materiæ.

An profeſſi contra Conſtitutionem Sixti V. qui ante ingreſſum delinquunt poſſint puniri ab Epiſcopo, dato quod eſſent clerici.
Dub. CCLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Doctores,qui affirmant tunc poſſe puniri ſic profeſſos ab Epiſcopo.*
2 *Negatiua ſententia,& eius fundamentum.*
3 *Quod tamen author non approbat.*
4 *In Conſtitutione Clementis VIII.* in Suprema Eccleſiæ, *nec verbum habetur de inquiſitione delicti.*
5 *Nec remouetur author a ſua opinione per declarationem, quam facit Sixtus V. Conſtitutione,*ad Romanum ſpectat Pontificem *alterius conſtitutionis a ſe edita* Cũ in omnibus.
6 *Quidquid circa hoc erat de iure communi relinquitur in ſuo robore a summo Pontifice per conſtitutionem citatam*, ad Romanum Pontificem.
7 *Nullum eſt diſcrimen inter nouitios,& profeſſos delinquentes ante ingreſſum pari modo inquiſitos.*
8 *Eſſet ſolum differentia iuxta priorem conſtitutionem Sixti V.* cum in omnibus.

1 RESpondet, tunc poſſe puniri ab Epiſcopo Abb. in cap. *veniens num.* 3. *de eo qui furt. ordin.* Bert. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 22. *in Canon. prax. tom.* 4. Rodriqu. per leg. *ſi quis poſtea ff. de iudic.* leg. *cum quædam puella ff. de Iuriſdictio omn. iudic.* apud Ioannem Antonium Nouarium, *in Summ. Bullar. parte* 2. *de Delictis Nouitior.* & hi doctores fortè loquuntur de Regularibus non exemptis.

2 Negatiuè tamen reſpondent ipſe Nouarius *loco ſupra num.* 8. qui citat pro ſe Soccin.in cap.propoſuiſti *num.* 52. Boſſ. *num.* 144. Vechium *diſput.* 11. *dub.* 12. & Farinacium, *in praxi Criminal. quæſt.* 8. *num.* 106. qui ſic habet, *Sublimita* 1. *hanc nonam limitationem illam procedere in eo puta Monacho qui non ſolum religionem ingreditur, ſed etiam ſi vel fecit profeſſionem, vel ſacros Ordines aſſumpſit ſecus tantummodò ob- que Sacrorum Ordinum aſſumptionem ad aliquam regulam tantummodo conuerſus fuerit*, ex quibus verbis primo videtur etiam idem ſuſtinere de Nouitio, qui profeſſionem non emiſit, quod

ſticus fiat debeat puniri a Iudice inquirente: nam ſi eſſet de iure ad quid Pontifex dicit tunc quando ſunt inquiſiti poſſe puniri Eccleſiaſticos &c. a Iudicibus non ſuis inquirentibus.

Reſpondeo, Pontificem per illam Cõſtitutionem citatam *Ad Romanum Pontificem*, &cæt. tantum declarare quod quando quis eſt inquiſitus ante ſuſceptionem habitus de delicto commiſſo; & ingreditur poſtea Religionẽ hoc faciat in fraudem, & ſic non gaudeat priuilegio fori, non vult autem Pontifex, ibi aliquid contra ius com-
6 mune ſtatuere; Vnde ſi de iure communi eſt laicum inquiſitum de delicto ante clericatum; vel ingreſſum Religionis ſi poſt ingrediatur debere a Iudice inquirente puniri; & ſi de ingrediente Religionem in fraudem verũ eſt poſſe a priori Iudice puniri, hoc totum in ſuo robore, & firmitate relinquit Summus Pontifex Sixtus V. Quod autem tantum intendat per relatam Conſtitutionem ſimilem declarationem facere, docet Rodriquez *Tom.1.quæſt.2.art.3.*

7 Collige ergo ex dictis, nullum eſſe diſcrimen inter Nouitios, & Profeſſos delinquentes ante ingreſſum, & pari modo inquiſitos; quo ad punitionis modum; Vnde quidquid dicat Nonarius, & alij etiam quando profeſſi gaudent priuilegio fori, ſic etiam Nouitij ſecus quando non, & tantum eſſet aliqua differentia iuxta priorem Conſtitutionem Sixti V. *Cum in omnibus* ſi altera, *Ad Romanum Pontificem ſpectat*, non aduenißet, nam iuxta illã primam Nouitij etiam non inquiſiti poterant puniri a prioribus Iudicibus ob delicta commiſsa ante, &c. quod non potuiſsent facere contra profeſſos poſtea poſt Conſtitutionem Clementis VIII. etiam ſi profeſſionem emmiſiſſent contra Conſtitutiones Sixti V. Cæterum ſemper pares ſunt in hoc Nouitij, & Regulares profeſſi, & omnes alij Eccleſiaſtici dum mutant ſtatum, & cæt. & hæc ſufficiant quo ad hoc.

An Epiſcopus poſſit punire alia pęna Confeſſores Religioſos delinquentes circa miniſterium confeſſionis, quam pęna ſuſpenſionis ab eiſdem confeſſionibus.

Dub. CCLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Delinquentes Regulares circa confeſſiones audiendas nequeunt ſecundum aliquos alia pœna puniri ab Epiſcopo niſi ſolum ſuſpenſionis à confeſſionibus.*

2 *Poſt Conſtitutionem Gregorij XV.* Inſcrutabili *contrarium dicendum.*

3 *Cauſæ ob quas dicunt aliqui, poſſe Regulares delinquentes ſuſpendi à confeſſionibus.*

4 *In quas pœnas incidat Regularis abſoluens à reſeruatis Epiſcopo.*

5 *Decretum Clementis VIII. editum 1501. fuit in aliquibus temperatum per aliud Decretum editum 1602. & vtrumque eſt circa abſolutionem à reſeruatis.*

1 NOn poſſe Epiſcopum alia pęna, niſi ſuſpenſionis à confeſſionibus, procedere in Regulares delinquentes circa confeſſiones docet Bordonus *reſolut.37. num.8.4. in ſuis Conſilijs*. Tum quia apud Sacram Congregatio-

gationem, dum loquitur de Confeſſoribus transgreſſoribus; & delinquentibus de nulla alia pęna fit mentio. Ergo ab hac ad alias non licet extendere caſum, cum pœnæ reſtringendæ ſint, non ampliandæ; Tum quia talis pęna (ſuſpenſio ſcilicet ab eo munere,) eſt rationabilis; in eo enim debet quis puniri in quo deliquit. Ita Bordonus loco ſupra.

2 At poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili*, non puto poteſtatem Epiſcopi eſſe in hoc ita coarctatam; ſed quacumque pęna poſſe in dictos Regulares procedere, (intellige tamen rationabili, & honeſta.)

3 Cauſæ autem ob quas poteſt Epiſcopus ſuſpendere à Confeſſionibus Regulares decem aſſignantur à Bordono loco ſupra *num.* 83. quarum aliquas rationabiles iudico, aliquas vero ad hoc omnino inſufficientes, ſunt autem omnes illæ cauſæ, quę ſpectant ad confeſſiones. Sacra Congregatio 30. *Auguſti* 1630. ex Aldano *in Compend. Canon. reſolut. libr* 1. *tit.* 13. *num.* 4. apud Barboſ. ad hoc *cap.* 15. *num.* 51. Prima, eſt vita ſcandaloſa, vel inhoneſta, vt reſpondet eadem Sacra Congregatio cit. 30. Auguſti. Secunda eſt, ſi Confeſſarius non moneat Parrochum de audita confeſſione infirmi eadem Sacra Congregatio *die* 1. *Iul.* 1606. apud Gauantum *in Manual. Epiſcopor. ver. Confeſſarius*, ſed hæc cauſa, vt inſuficiens iam à nobis fuit reprobata cap. *Quoad Sacramentorum adminiſtrationem*. Tertia ſi non ſeruent interdictum ab Epiſcopo poſitum. Quarta, ſi non interueniant lectioni Caſuum conſcientiæ, etiam ſi Parrochi non ſint; hæc tamen cauſa, nec etiam à nobis admittitur, vt habes alibi. Quinta eſt, ſi facialiter audiat confeſſiones mulierum, ſic *Concilium Prouinciale Mediolanenſe* 7. & habes apud Gauantum *numer.* 39. at de hoc poſſet eſſe dubitatio. Sexta, ſi abſoluerit à reſeruatis. Septima, ſi ſollicitauerit in confeſſione. Octaua, ſi mulieres audierit ante Solis ortum, & poſt Solis occaſum, & hanc cauſam ſufficientem non puto quidquid dicant multi, quos viua voce conſului. Nono, ſi pro eo miniſterio pecuniam acceperit. Decima eſt, ſi confeſſionem reuelauerit. ob has cauſas omnes dicit Bordonus, & ali plures idem ſuſtinent poteſt Regularis ſuſpendi per Epiſcopum, à confeſſionibus audiendis.

4 Sed quia diximus, & enumerauimus inter cauſas, ob quas poteſt Epiſcopus ſuſpendere Regulares à confeſſionibus, ſi dicti Regulares abſoluant à reſeruatis ſine facultate, quærere quis poſſet, an alia pęna poſſint ab Epiſcopo puniri. Reſpondet quæſito Theſaurus *in ſua praxi Eccleſiaſtic. Pœnar. part.* 2. *cap.* 3. in hæc verba, *excommunicationem incurrunt Religioſi, qui excommunicatos à Canone, vel à ſententijs per ſtatuta prouincialia, aut Synodalia promulgatis abſoluere præſumunt, quando ſcilicet abſolutio eſt reſeruata, & ipſi Religioſi non habẽt priuilegium ſeu facultatem competentem, & tales Regulares perperam abſoluentes ſunt ſtatim ab ordinarijs locorum denunciandi excommunicati nullo priuilegio exemptionis illis ſuffragante. Ita Clement. Religioſi de priuilegijs*. Hæc Theſaurus, & vere ita habet citata Clementin. abſolutio autem huius excommunicationis reſeruata eſt Sedi Apoſtolicæ.

5 Inſuper, abſoluentes à reſeruatis ordi-

Digitized by Google

Ordinario ſine facultate per decretum iuſſu Clementis VIII. editum *1601.die 9. Ianuarij* incurrebant prius in excommunicationem, priuationem omnium officiorũ, & dignitatũ, inhabilitatem ad Confeſſiones audiendas, & cæt. at modo poſt ſecundum decretum ſub eodem Clemente VIII. *1602. die 26. Nouembr.* iam ſolum illi Confeſſores incurrunt in prædictas pęnas, qui abſoluunt à caſibus in Bulla Cænæ, & à quinque Papæ reſeruatis; Ideſt violationis immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtitutionis Gregorij XIV. Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem; prouocantium ad Duellum, iuxta decretum *Tridentin.* & Conſtitutionem *Gregorij XIII.* Inicientium manus violentas in Clericum iuxta Canon, *Si quis ſuadente Diabolo*; & Simoniæ realis, atque etiam confidentiæ beneficialis, & etiam in has pęnas incidit, qui abſoluit à caſibus, quos Ordinarij ſibi reſeruabunt, vel reſeruant, non autem illi qui abſoluent à caſibus Papæ reſeruatis, ſublata autem eſt pęna inhabilitatis audiendi confeſſiones. Vide Theſaurum loco ſupra §. *quarto* qui citat Barboſam *allegat.* 50 *de Officio Epiſcopi numer.* 186. *&* 187. 188. Fran. Leon. *part.* 3. *cap.* 38. *nu.* 189. Homobonum de caſibus reſeruatis *part.* 1. *pag.* 14 *&* 15. Dianam *part.* 2. *trac.* 2. *reſolut.* 13. *& trac.* 4. *reſolut.* 73. §. *notandum*.

An Regularis delinquens cum Clerico, (puta furans occidens, & ſimilia faciens) debeat puniri ab Epiſcopo, vel à Prælato Religionis.

Dub. CCLXV.

SVMMARIVM.

1 *Similis caſus eſt; an Clericus delinquens cum Laico trahat Laicum ad ſuum forum.*

2 *Sunt, qui docent Clericum delinquentem cum Laico trahere Laicum ad Eccleſiaſticum Indicem.*

3 *Cauſa indiuidua ab vno tantum Iudice poteſt iudicari.*

4 *Contraria ſententia eſt communior.*

5 *Res indiuidua, pro vt facit ad caſum poſitum multipliciter conſiderari poteſt.*

6 *Cauſa delicti in dubio poſito eſt diuidua, & rationes adducuntur.*

7 *Quando communio cauſæ cum exempto generet exemptionem.*

8 *Regula illa, quod magis dignum trahit minus dignum non habet locum in contentione iuriſdictionis, & quomodo.*

9 *Opinio Rodriquez circa caſum poſitũ in terminis ex parte reprobatur.*

1 IDem dicendum, & reſoluendum in caſu poſito, ac reſoluunt Doctores, dum quærunt; an Clericus delinquens cum Laico trahat Laicum ad forum Eccleſiaſticum. nam currit paritas fere in omnibus inter forum Laicale reſpectu Clericorum, & forum Epiſcopi reſpectu Regularium, vt alibi ſæpè diximus, & in caſu poſito videtur omnino eadem ratio.

Habet ergo Anſaldus *in ſuo exacto, tract. de Iuriſdictione part.* 2. *tit.* 11. *c.* 20.

hanc quæſtionem de Clerico delinquente cum Laico doctiſſimè agitatam. Vnde hic tantum labor erit dictum Doctorem transſcribere, cum currat paritas ferè adęquate.

2 Quod Clericus conſcius criminis cum Laico Laicum trahat ad Eccleſiaſticum Iudicem, docent Antonius de Pratoueteri *in leg.1.ff. quæ ſententia ſit appellat.reſcindent.* & fuit primus, qui hanc tradidit ſententiam Felynus *in cap.1.de præſcriptionibus numer.*111, Marianus Soccin. ſenex *in caput* 2. *de mutuis petitionibus num.*30.*verſic. octano, fallit*, & in *caput* 1. *de foro Compet. numer.*18.*& conſil.*12. *Quoniam in præſentiarum numer.*17. *vol.*1. Bartholomæus Soccin. *in l.cum Senatus* 21.*ff. de rebus dubijs num.*11. & alij etiam apud dictum Anſaldum. Fundamentum huius opinionis varium eſt; aliqui enim Doctores ex illa Regula mouentur; quod maius dignum trahit ad ſe minus dignum, *cap.quod in dubijs* 3. *de Conſecratione Eccleſ. vel Altar.* Alij, & præcipuè Antonius de Pratoueteri citatus, quem omnes poſtea alij Doctores ſequuti ſunt in hac ſententia

3 mouentur, quia cauſa indiuidua ab vno tantum Iudice poteſt iudicari, quod autem cauſa delicti ſit indiuidua ex lege, *ſi communem fundum* 10. *ff.quemadmodum ſeruitus amittat*, ex qua deſumi talis ſententia videtur. His tamen non obſtantibus rationibus, & Doctoribus.

4 Oppoſitum docent alij plures Auctores ſcilicet Clericum non trahere Laicum conſcium criminis commiſſi ad Iudicem Eccleſiaſticum: Ita Aymō, Grauettus *conſil.*232. Dominus Neuizanus *num.*1.*&* 2.& alij innumeri apud Anſa. dum *dicto loco*, cui te remitto, & ratio eſt; quia cauſa delicti, non poteſt eſſe indiuidua, vt ſupponit cōtraria ſententia; Res enim indiuidua, pro vt facit ad caſum noſtrum quadrupliciter poteſt conſiderari. Primo ratione naturæ, vt *in leg.*1.*ff. de aqua quotid. & æſtiu* ſic ſi aliam aquam immiſſio cum ea aqua, quam ſum conſuetus ducere, certè poſſum prohiberi ne hanc etiam aquam ducam, quia non poteſt ita in parte eius ius fieri, vt non tota aqua fiat. Secundo, ratione formę, ex *leg.Græce,ff.de Fideiuſſ.* per quam habetur, quod actus nullus ratione non ſeruatæ formæ corruit in totum. Tertio, ratione conſenſus cōtrahentium ex leg. *Pædius*, & ſic ſi dictum fuerit, vt ex alterutrius ex arbitris, ſententia valeat in ſolidum quilibet ſententiare, vel arbitrari poterit. Quarto, ratione dependentiæ ex leg. *Tunc inutile ff. de pecul.Legator*, vbi habetur, quod legatum peculij ſeruo factum non valebit ſi ſeruus prędeceſſerit teſtatori; quia ratione libertatis peculiū ſibi poſt mortē patroni debiturū erat: his modis poteſt aliquod eſſe principaliter indiuiduum, vt notat

6 Anſaldus loco citato; cauſa autem delicti (& eſt caſus poſitus) non eſt indiuidua, ſed diuidua, & ſic quilibet debet iudicari à proprio Iudice: quod autem cauſa delicti ſit diuiduā; probatur varijs modis principaliter. Quia nullam habemus formam à lege, ſiue à Canone traditam, quod delicta indiuidua ſint, ſeu delictorum iudicia diuidi nequeant quin potius decretum cōtrarium expreſsè apparet in caput *Clericum* 48. 11. *quæſt.* 1. adducit alia Anſaldus, quæ hic omitto, quia currunt, & valent magis, ſi loquamur de Clerico ſocio criminis cum laico, quā de

de Regulari cum Clerico ſæculari.

7 Eamdem ſententiam ſuſtinet Cokier *par. 1. tom. 1. de iuriſdictione in exemptos, quæſt. 26.* dum quærit; an continentia, ſeu communio cauſæ priuati cum exempto generet exemptionem, & reſpondet, ſi res eſt indiuiſibilis, generare talem exemptionem, afferens multa exempla hoc confirmantia; ſi autem res eſt diuiſibilis non generare; nam tunc cum res ſeparationem recipiat, iam quilibet coram proprio Iudice conueniri poteſt, & debet. Idem tradit Rodriquez *tom. 1. quæſt. 2. art. 4.* dum quærit; Vtrum delinquens ſimul Monachus ſcilicet, & laicus debeant conueniri coram Iudice ſæculari, aut Regulari, dicens ab ea practica non eſſe recedẽdum, quod ſcilicet ſęcularis debet cõueniri coram Iudice ſæculari, Eccleſiaſticus coram Iudice Eccleſiaſtico, & conſequenter ſi fuerit Regularis coram Iudice Regulari. Quod confirmatur, nam mulier, quæ commiſit fornicationem cum Clerico non eſt de foro ipſius Clerici: quidquid dicat Federicus de Senis, reprobatus communiter, & præcipuè ab Auiles relato à Rodriquez.

8 Neque illa regula, quod magis dignum trahit minus dignum habet locum in contentione Iuriſdictionis cũ cauſa ſocij in crimine ſit diuiſibilis à cauſa alterius ſocij, & complicis. Addo hic etiam, quod dato valeret illa Regula adhuc poſſemus dubitare, quod nã tribunal deberet dici in ſuppoſito caſu magis dignum, nam iudex exemptus, vt eſt Regularis fortè deberet dici, quo ad hoc dignior; & ſic quando res eſt indiuiſibilis, vt teſtatur Cokier *loco ſupra*, videmus, quod exemptus trahit ad ſe non exemptum.

9 Non placet tamen, quod tradit Rodriquez *loco ſupra*, ſcilicet, quod data etiam illa opinione, quæ docet Iudicem Eccleſiaſticum trahere ad ſe complicem criminis laicum cum Eccleſiaſtico, non per hoc tamen ſequi, quod ſi Regularis ſit complex in crimine cum laico, trahatur laicus ad forum Regularis, ſicut trahitur ad forum Epiſcopi in dicta ſententia, ſi peccet cum Clerico; eſt enim differentia, vt inquit Rodriquez inter iuriſdictionem Epiſcopi, & iuriſdictionem Regularis, Epiſcopus enim habet iuriſdictionem à iure communi, non ſic autem Iudex Regularis, qui tantum illam habet à priuilegijs. Hoc ergo non mihi placet, quia non video quid referat ad ponendum tale diſcrimen, quod iuriſdictio: vnius ſit à iure communi, vel à priuilegio. ſemper enim vera eſt in vtroque caſu iuriſdictio: & ſatis dictum eſt circa præſentem quæſtionem. Vide omnino Anſaldum citatum, & Iuriſtas, quos congerit *loco ſupra*.

An Regulares de hęreſis crimine culpabiles debeant puniri ab Epiſcopo, vel à ſuis Prælatis. Dub. CCLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio Pauli V.* Romanus Pontifex *abſtulit hanc facultatem à Prælatis Regularibus.*

2 *Quando Epiſcopus procedit in Regulares, ſemper procedit vt delegatus.*

3 *Capitulum ſuccedit Epiſcopo in his, quæ competunt Epiſcopo iure ordinario.*

4 *Solum Epiſcopus poteſt procedere in Regulares in cauſis, quæ pertineat ad Officium Sacræ Inquiſitionis; non autem alij Prælati inferiores ſecundum aliquos Doctores.*

5 *Contrariam ſententiam amplectitur Author.*

6 *Prælati Regulares ſi omittant poſt Octauam Aſſumptionis in publica menſa, lectionem litterarum Apoſtolicarum attinentium ad SanctamInquiſitionem quomodo puniendi.*

7 *Regulares vltra mare ſine licentia Superiorum proficiſcentes poſſunt puniri tamquam ſuſpecti de hæreſi.*

8 *Regulares profeſſi contrahente matrimonium, tamquam ſuſpecti de hæreſi puniri poſſunt.*

9 *Idem ſecundum opinionem Doctorum dicendum de Regulari contrahente Sponſalia.*

10 *In quo caſu traditur modus, quo debent Regulares abiurare, ſed diſcordes ſunt inter ſe Doctores.*

11 *Regulares, qui dicunt fœminis ſollicitatis, non teneri denunciare ſollicitantes, ab Ordinario, & Inquiſitore puniri poſſunt.*

12 *Non debent Regulares in cauſa hæreſis conueniri corā ſuis Conſeruatoribus.*

13 *Generalis commiſſio data Conſeruatori non eſt extendenda ad cauſas fidei.*

1 IAm ablata eſt difficultas in hoc per Conſtitutionem Pauli Quinti, quæ incipit *Romanus Pontifex* ann. 16. & eſt in Bullario nouo *loco* 26. per illam enim tollitur in hoc omnis facultas Prælatis Regularibus cognoſcendi de hoc crimine; etiam ſi præueniſſent Inquiſitores, & Ordinarios, vt poterant præuenire per Bullam Pij IV. *Paſtoris*. Vnde iam debēt puniri, & ab Inquiſitoribus, & Epiſcopis quomodo autem ſimul cum Inquiſitoribus debeant procedere Epiſcopi, vide Carenam acutum Doctorem *in ſuo tract. de Officio Sanctiſſimæ Inquiſitionis fol.* 15. Quando autem procedit in exemptos, & conſequenter in Regulares ſemper procedit, vt delegatus. Ita ci tatus Carena *pag. mihi* 31. *tit.* 6. *de Vicarijs Generalibus Epiſcopor.* §. 3.

3 Vnde ſequitur, Capitulum ſede vacante non poſſe ſuccedere in hoc Epiſcopo, cum tantum ſuccedat in his quæ competunt Epiſcopo iure Ordinario, non autem delegato. Ita in terminis Diana *parte* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 33. *verſ. an Capitulum ſede vacante* contra Soccinum *in c. ad Abolendam*, & Card. Zabarellam *in Clement.* 1. *de Hæreticis*, §. *duro num.* 60. *in* 8. *quæſt.*

4 Sed quæres; an ſoli Epiſcopi, vel alijs etiam Prælati inferiores habentes tamen iura quaſi Epiſcopalia, territorium, &c. poſſint procedere in Regulares in dictis cauſis, quæ pertinent ad Officium Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

Solum Epiſcopum poſſe procedere in Regulares, non autem alios Prælatos nullius iura Epiſcopalia habentes docet Bordonus *in ſuis Conſilijs reſolut.* 37. *numer.* 64. & deſſumit fundamentum, ex Conſtitutione citata Pauli V. *Romanus Pontifex*, in qua ſub-
5 duntur Regulares delinquentes in hoc Epiſcopo viciniori. Sed verè in tota illa Conſtitutione tantum habetur ſubdi Locorum Ordinarijs vicinioribus per locorum autem Ordinarios iā recepta, & probabiliſſima opinio eſt intelligi omnes alios Prælatos iuriſdictionē ordinariam habentes, & ſubditos, vti ſunt Prælati nullius

Diœceſis iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentes; & ſic niſi alia adducantur fundamenta, Bordoni opinio non placet nobis autem fauent Caſtro Palao *tract.4. diſp.8 punct.12. num.6. verſ.idem quod*, & Carena loco ſupra, Molina etiam *tract.5. de Iuſtitia diſp.28 .num.11.*

6 Quæres etiam ſecundo; an ſi Prælati Regulares delinquant cōtra Conſtitutionem Vrbani VIII. editam 14. *Aprilis* 1633. in qua præcipitur omnibus Superioribus; quod ſemel in anno poſt octauam Aſſumptionis in publica menſa, vel capitulo inſuper in quocumque Prouinciali Capitulo, Dieta, & Capitulari congreſſu teneātur ſuos ſubditos commonere de iniuncta omnibus obſeruantia Apoſtolicarum litterarum ad Sanctæ Inquiſitionis munus attinentium, quas numerat Carena *de Officio, &c pag. mihi 317. De varijs ſpectantibus tit.17.§.24.* quæres inquam, ſi Prælati delinquant in hoc quomodo in eos Ordinarij, & Inquiſitores debeant procedere. Sic habet Carena *De varijs Spectantibus tit. 17. Accepta igitur ab Inquiſitore denunciatione ſuper oris in noſtram Conſtitutionem delinquentis non ſtatim contra eum procedere debet, ſed prius re communicata cum ſuprema Congregatione omnia ex eius iuſſu peraget conſiderata qualitate perſonæ, & omnium aliarum circumſtantiarum, quæ ſolent commiſſionem hanc, vel augere, vel minuere.*

7 Quæres tertio; an Regularis vltra mare proficiſcens ſine licentia Superioris poſſit puniri tamquā de hæreſi ſuſpectus abOrdinario,& Inquiſitore.

Reſpondeo; eſt talis Regularis ſuſpectus de Hæreſi, & conſequenter poterit puniri ab Ordinario, & cæt. Quod autem ſic proficiſcens Regularis ſit vehementer de hęreſi ſuſpectus docent Pegn. *p.2. comment.81. verſ. in extrauaganti*,& Carena *tit.17.de Officio Inquiſitio* §.7. Incidit etiam in excommunicationem dictus Regularis, de qua agit Bonacina *de Clauſura punct.4. per tres propoſitiones*. Vide ipſum.

8 Quæres quarto; an Regulares profeſſi cōtrahentes matrimoniū poſſint tāquā ſuſpecti puniri ab Ordinar.&c.

Reſpondeo poſſe, quia ſunt ſuſpecti de hæreſi. Ita Symanch. *de Cat.Inſtit.tit.*40.*n.*9.Decian.*l.*5.*cap.* 22.*n.*40. Menoch.*caſ.*546.*n.*49.Azor.*Inſtit.Moral.p.*1.*lib.*8.*cap.*21.*q.*10.& 11.& latè Farinac.*de Hæreſi q.*183.*num.*72.apud Carenam *tit. 17. de varijs delictis ſpectantibus* §.3.& ratio huius ſuſpitionis eſt prudens, quia hodiernis temporibus ab omnibus ferè hęreticis improbantur vota Monachorū, qui docent Monachis licere vxorem ducere; & idem dicunt Doctores de Religioſis Societatis, qui vota biennij emiſerūt. Vide Sanchez *de Matrimonio lib. 7. di-*
9 *ſput.*25.*n.*15. & ſcias hic eſſe quoque ſuſpectum de hæreſi Regularem, qui contrahit ſponſalia ſecundum opinionem multorum Doctorum, & præcipuè hanc tradit Carena *de Officio Inquiſition.* licet contrariū conſequenter debeat dicere Riccius *in par.1 aurea variar. reſolut. reſolut.* 37. per totam; cum dicat contrahentem ſponſalia viuente vxore non eſſe ſuſpectum de hæreſi.

10 Quo ad modum autem abiurationis diſcrepat Carena *tit.* 17. §.1.à noſtro Diana *p.4.tr.7. reſol.*2 nam Diana dicit debere talem Regularem abiurare de leui: Carena autem tantum admittit hoc, ſecundum vſum

Inquiſitionis Hiſpaniæ, non autem Italiæ.

11 Quæres quinto, an Regulares abſoluentes Fœminas ſollicitatas, quæ non denunciant, infra tempus editum, nec eis obligationem denunciandi, quam habent declarant, vel eis dicunt non teneri denunciare, poſſint puniri ab Ordinario.

Reſpondeo affirmatiuè ita Antonius de Souſa *lib. 1. Aphoriſm. cap. 34. num. 73.* & in opuſculo *de Sollicitantibus num. 73. in addit.*

12 Quęres ſexto; an Regulares in cauſa hæreſis debeant conueniri coram ſuis Conſeruatoribus; vel Ordinario, ſeu Inquiſitoribus.

Reſpondeo, debere conueniri coram Ordinarijs, & Inquiſitoribus. Ita Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum de Conſeruator. numer. 14.* & colligitur ex cap. *ad Abolendam in fin. de hæreticis*, & ex cap. *vt Officium §. compeſcendi in 6.* & ratio eſt; quia ſicut generalis commiſſio facta à Papa delegato non extenditur ad cauſas fidei in caput *Frater noſter 16. q. 1. c. 12. Gener. de reg. iuris in 6.* Ita nec Generalis commiſſio data Conſeruatori non eſt extendenda ad cauſas fidei, datur enim argumentum à delegatis ad Conſeruatores tam quam à genere ad ſpeciem Gloſſ. *in caput finali de Officio Delegati.*

QVO AD CONVENTIONEM. *Cap. XVII.*

An Regulares poſſint conueniri coram Epiſcopo in cauſis ciuilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum. Dub. CCLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Senſus quæſtionis.*
2 *Sententia Doctorum circa hoc contrariæ.*
3 *Modo Conſtitutio Gregorij XV.* de Conſeruatoribus *ſeruanda eſt.*
4 *Opinio Cokier ad verbum refertur.*
5 *Regulares qui degunt extra clauſtra coram quo debent conuenire.*
6 *Quid diſpoſitum ſit à iure in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum.*
7 *Diuerſimode res ſe habet reſpectu Regularium, qui intra clauſtra degunt.*
8 *Quid concludit Author.*
9 *Obiectioni deſūpta ex Concilio ſatisfit.*
10 *Plurima ſunt priuilegia data Regularibus poſt caput* Volentes, *quæ non ſunt derogata à Tridentino, & quænam ſint derogata.*
11 *Regulares degentes intra clauſtra nequeunt conueniri coram Epiſcopo, & quare.*
12 *Quæ ſint miſerabiles perſonæ.*
13 *Diuites non ſunt æſtimandi miſerabiles.*

1 VEl eſt ſermo de Regularibus, qui degunt intra clauſtra, vel de illis qui extra degunt ſi de illis, qui degunt intra.

2 Citatur pro parte affirmatiua Guttierez

tierez *libr.3. quaſt.*10. ſed in diuerſo caſu loquitur hic Doctor,

Negatiuè reſpondet Rodriquez *tom.1. quaſt.65 de Conſeruatoribus Iudicibus art.*13.& ratio eſt,quia Decretum Concilij, in quo dicunt fundari Guttierez loco ſupra ſcilicet *cap.* 14. *ſeſſ.*7. loquitur de Regularibus extra clauſtra degentibus ex ſpeciali licentia, vt patet conſideranti, & dixi ex ſpeciali licentia, nam illi Regulares, qui degunt extra clauſtra, vt inſeruiãt beneficio, vel alicui Monaſterio non degunt extra clauſtra ex ſpeciali licẽtia, ſed ex inſtituto, & ſic non comprehenduntur in dicto Decreto Concilij, vt notat Rodriquez *loco ſupra*, dicit ergo idem Rodriquez, illi qui degunt intra clauſtra pro debito, vel cauſa ciuili debent conueniri coram Ordinarijs ideſt ſuis Prælatis.

3 Sed modo non video quomodo poſt Bullam Gregorij XV. quæ incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter* poſſit hæc ſententia Rodriquez ſuſtineri, nã ibi §.7. habetur (loquendo de Conſeruatoribus, eoſque eligendi forma) *Eiuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus huiuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſeruatores ſecundum formam præſentes Conſtitutiones non elegerint coram eiſdem Ordinarijs conueniãtur.* Ecce quomodo dum carent Conſeruatore, iam coram Epiſcopo debent conueniri, quod videre non potuit Rodriquez, qui ante dictam Conſtitutionem ſcripſit.

4 Sed ſcias hic, poſt ſcripta me vidiſſe Cokier, qui etiam cum Guttierez affirmatiuam ſententiam ſuſtinet. *p.2. tom.2. quaſt.* 102. *de Iuriſdictione in exemptos*, & ſic habet. *Licet enim textus Concilij Tridentini loquatur de Regularibus extra Monaſteria degentibus tamen procedit etiam contra degentes in Clauſtris, prout ratio ſuadet, ob quam datur etiam in exorbitantibus à iure extenſio, late Nauarr. in cap. Pæna de Pænitent. diſt.1. longe magis in fauorem Ordinarij cui iuriſdictio competit per totam ſuam diæceſim cap. omnes Baſilicæ 16. quaſt.7. Lapus alleg.at.68. in finem, caput cum Epiſcopus de Officio Ordinarij in 6. Cum enim Ordinarij iuriſdictio ſit fauorabilis libr.1. de iuriſdictione in exemptos quaſt.4. fundatamque habeat intentionem ſuam per totã ſuã Diæceſim: quidquid expreſsè non excipitur cenſetur ei cõceſſum d.c. cũ Epiſcopus, abſurdumque eſſet Regulares eſſe Iudices, & partes in propria cauſa ſignanter verò cum acceſſus ad Papam eſt difficilis, vt in eod. tract. oſtendi lib.4. q.50. & qu.51.* Ita Cokier, qui etiam præciſa Conſtitutione Gregoriana erat in hac ſententia ob illas rationes, quas adducit, ſed ſi deeſſet illa Conſtitutio eſſe in ſententia Rodriquez, nec rationes Cokier me nimium mouerent.

5 Si autem ſit ſermo de Regularibus, qui degunt extra clauſtra.

Affirmatiuè reſpondent communiter Doctores, ſcilicet debere tunc Regulares coram Ordinario conueniri. Ita Peirinus præcipuè *in Conſtitutionem 2. Sixti IV. num.*30. qui citat etiam Rodriquez, & teſtatur adeſſe declarationem Sacræ Congregationis, cuius tenor talis eſt. *Dubitatum fuit; An Regulares poſſint ciuiliter coram Epiſcopo à creditoribus ſuis conueniri, & fuit reſponſum, quod poſſint conuenire, ſi non ſint ſub regulari obſeruantia; at ſi ſint ſub regulari obſeruantia* 6

***non poſſunt conueniri coram Epiſcopo, quia habent proprium ſuperiorem, & cum his nihil habet commune Epiſcopus propter exemptionem*,** Ex hac ergo declaratione non eſt abſolutè tenenda ſententia affirmatiua, vti ſuſtinent fere communiter Doctores, nam etiam ſi extra clauſtra degat Regularis; attamen quando ità degit, vt habeat proprium ſuperiorem, a quo viſitetur, & corrigatur non video quomodo tunc poſſint conueniri Regulares coram Ordinarijs.

6 Verum quidem eſt; ſi loquamur de cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum adeſse Diſpoſitionem Tridentini *ſeſſ.7.cap.*14. in qua ſtatuitur, Regulares extra monaſterium degentes; qui in partibus, ideſt extra Romam ſi deputatum iudicem etiam habeant, debere conueniri coram Ordinarijs locorum, non autem coram illo iudice; neque idem dicendum eſt de Regularibus intra clauſtra degentibus, vti abſolutè multi Doctores loquuntur; nam iſti debent conueniri etiam in cauſis miſerabilium perſonarum coram ſuis iudicibus deputatis

7 & conſeruatoribus ſi hos habeant in partibus, quod ſi non habeant, tunc obſeruari debet conſtitutio Gregorij XV. *de Conſeruatoribus*, de qua nos cap. *Poſt multas Pontificum Conſtitutiones*. Ita Campanilis, *Rubric.*12. *capit.* 13.*num.*29. ſic dicens, *Quod ſi intra monaſterium degant fori priuilegio ſine dubio gaudent, ita quod nec eos complectatur tex in cap. Volentes de priuileg. in 6. innouatus a Concilio Trident. Seſſ. 7. capit. 14. de Reformatione loquens &c.*

8 Concludendum ergo eſt. Regulares dum conſeruatorem habent, & viuunt ſub regulari obſeruantia etiam ſi extra clauſtra viuant tantum poſse cõueniri coram conſeruatoribus, ſuis quibus ſi careãt coram Epiſcopis etiã in cauſis miſerabilium perſonarum.

9 Quod ſi dicas Concilium dicit, ***aut Regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, & cæt.*** Ergo ad hoc, vt poſſint conueniri ſufficit ſi extra monaſterium degant. Reſpondeo, loqui Concilium de illis, qui degunt extra Monaſterium ſine licentia Prælati, vel qui degunt in loco adeo diſtanti, vt nequeant viſitari, nec corrigi a ſuo ſuperiori vt diximus ſuperius, dum egimus: an Epiſcopus poſset punire Regulares extra monaſteriũ degentes, & ratio fundamentalis eſt, quia, qui extra degit cũ his circũſtantijs intra monaſterium viuere dicitur.

10 Sed inſtabis, Regulares etiam intra clauſtra degentes poſsunt conueniri ab Epiſcopo in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum. Ergo falſum eſt dicere, quod ſolum extra clauſtra degentes, & cæt. Probatur antecedens nam per caput *Volentes*, quod innouatur a Concilio, poſsunt Epiſcopi procedere in Regulares ratione delicti contractus, & cæt. dum ſimilia habentur in loco non exempto a Regularibus, Ergo & cæt.

Reſpondeo eſse plurima priuilegia data Regularibus poſt illud caput, ***Volentes*** quæ priuilegia non ſunt derogata per Concilium Tridentinum loco ſupra; ſed tantum derogata illa priuilegia, quæ eximebant Regulares ab Epiſcopis in cauſis miſerabiliũ perſonarum, dum Regulares non habent proprios iudices, & conſeruatores; & etiam in partibus ſi habeant.

11 Quod autẽ ſint ampliſſima priuilegia, ne Regulares degentes intra clauſtra

poſ-

poſſint côueniri corā Epiſcopo Vide Bullariū, *tom.* 3 *inter Bullas Pauli V.* & videbis ibi approbatū decretū Sacræ Congregationis in quo ad inſtantiā Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarū declaratur, Regulares neq; in cap. *Volentes*, neq; in decreto Concilij Tridentini, *Seſſ.* 14. *c.* 7. côprehendi: Ideoque eos iuxta eorum priuilegia coram ſuis Superioribus, ſeu Conſeruatoribus eſſe conueniendos.

12 Queres hic ad intelligentiā pleniorē dictorū in hoc dubio; Quenā dicantur miſerabiles perſonæ. Reſpondeo cōmuniter a Doctoribus dici, viduas, pupillos, Orphanos, Senes, decrepitos diuturno morbo fatigatos, & omnes
13 illos, qui animos mouēt ad miſerādū. Et nota. Quod quando iſtæ perſonæ ſunt diuites, licet dicātur miſerabiles a pluribus Doctoribus; vt Maſcardus Rodriquez, & alij relati a Peirino loco ſupra; attamē ipſe Peirinus putat, nullo pacto diuites debere dici, & ęſtimari miſerabiles, quod probat eru dite, Senecæ, & aliorū auctoritatibus. Vide in hoc caſu ſi Regularis debitor eſſet alcui diuiti, nō poſſet ex vi côcilij conueniri coram Epiſcopo, & cęt.

An coram Epiſcopo poſſint conueniri Regulares, ratione officiorum publicorum quę ab illo habent. Dub. CCLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Dum doctores loquuntur de exemptis in genere affirmatiue reſpondent.*
2 *Abbas in caput* Dilecti filij de foro Compet. *diſtinguit.*
3 *Regulares poſſe conueniri coram Epiſcopo ratione officiorum &c. doctores aliqui docent.*
4 *Contrarium tenet author.*
5 *Quod tamen limitat ſi officium eſt ad curam animarum pertinens.*

1 Affirmatiue reſpondent loquendo de exemptis in genere Doctores plures, quos refert Tamburinus *tom.* 1. *de Iure Abbatum diſput.* 15. *quæſt.* 7. *num.* 7. Caſtrenſis, Calderin. Abbas in caput. *Dilecti filij de Foro*
2 *competent.* vbi tamen diſtinguit de priuilegiatis, qui ratione domicilij nequūt conueniri coram indice ordinario, & de alijs, qui alia ratione nequeunt conueniri, vt ratione beneficij, & dicit quod in hoc ſecundo caſu poteſt conueniri exemptus non obtento priuilegio, at in 1. ne quaquam; ſed quidquid ſit de mente iſtorū Doctorum, qui circa exemptos, vt ſic loquuntur deueniendo ad caſum particularem de Regularibus.
3 Affirmatiuè reſpondet abſolutè, poſſe Regulares, ſcilicet corā Epiſcopo conueniri ratione officiorum publicorū, quę habent ab ipſo Epiſcopo Barboſa in Concilio *ſeſſ.* 6. *c.* 3. qui refert ex Aldano, Ita deciſum fuiſſe 14. Februarij 1585. Immò addit poſſe etiā puniri ſi in tali officio delinquat.
4 Ego tamen ſi conſequenter velim loqui ſicut cap. *quoad delicta* in dubio an Regularis poſſit puniri ab Epiſcopo, dū habet ab ipſo officium, & in eo delinquit, dixi nō poſſe; ſic modo dico nec poſſe cōueniri: cōuentio enim eſt quædam diſpoſitio ad punitionē.
5 Quod ſi officium eſſet ad curam animarum pertinens, tunc iam per conſtitutionem *Inſcrutabili* & per ipſum concilium poterit puniri, & conueniri ab Epiſcopo, ſi delictum ſit circa eandem curam animarum.

An

An Regulares exempti hæredes laici non exempti conueniri poſſint ab Epiſcopo dum agitur de hæreditate.
Dub. CCLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiue reſpondent aliqui, eorumque notabile fundamentum.*
2 *Negatiue reſpondet Auctor.*
3 *Quod ad effectum priuilegij non eſt diſcrimen inter priuilegium inſertum in corpore iuris, & non inſertum.*
4 *Priuilegium exemptionis, quod habent Regulares iam inſertum eſt in corpore iuris.*
5 *Habent Regulares peculiare priuilegium ne conueniantur coram Epiſcopo in cauſis ciuilibus.*
6 *Concilium Tridentin.* Seſſ. 24. capit. 20. de Reformatione *non loquitur de Regularibus.*

1 Affirmatiue reſpondet Cokier, *Parte* 4. *quaſt.* 46. ex Caſtrenſi adducit pro fundamento ſuæ ſententiæ pulchram differentiam inter priuilegiatum priuilegio communi, & priuilegio particulari, & priuato Priuilegium commune vocat illud quod eſt iam inſertum in corpore iuris, vt eſt priuilegium Legatorum, miſerabilium perſonarum, & cæt. Priuilegium autem priuatum vocat illud, quod inſertum non eſt in corpore iuris, cum ergo Regulares exempti non habeant priuilegium clauſum in corpore iuris, vt Regulares ſunt; quo in hoc ab Epiſcopo conueniri non poſſint. Sed tantum habeant priuilegium clericorum quo nequeunt conueniri coram Laico: Hinc eſt quod debeant, & poſſint conueniri coram Epiſcopo, vt poſſunt conueniri clerici ſæculares. Et ſic refert ſuo tempore deciſum fuiſſe contra Patres Carmelitanos; ſed hoc non obſtante.

2 Reſpondeo, non poſſe conueniri coram Epiſcopo Regulares; ſed debent conueniri coram Conſeruatore, ſi illud habeant, & non ſint actores; ſin minus iuxta Conſtitutionem Gregorij XV. citatam coram Epiſcopo, nec video rationem differentiæ, quam dat Cokier inter priuilegiatū priuilegio cōmuni, & priuilegiatum priuilegio particulari, eamdē .n. rationē priuilegij habet illud, quod eſt inſertum in
3 corpore iuris, & illud quod non: & licet in ſententia magis communi ad derogandum priuilegium inſertum in corpore iuris, clauſulæ derogatoriæ efficaciores requirantur: quidquid in contrarium multi dicunt; attamen, quo ad effectum priuilegij non video
4 diſcrimen. Deinde priuilegium exemptionis, quod habent Regulares, iam eſt inſertum in corpore iuris; & hoc velut quid tranſcendens eſt, quo ſcilicet nullo pacto niſi in cauſis expreſſis ſubdantur Epiſcopis, in caſu tamen poſito, nullum eſt ius, quod illos ſubdat niſi Conſeruatoribus defi-
5 cientibus, & cæt. ergo; Habent inſuper Regulares particulare priuilegium, ne conueniantur coram Epiſcopo in cauſis ciuilibus, & ſic communiter practicatur.

Quod ſi obijcias Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reformatione*, ſic habet, *Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiam ſi beneficiales ſint in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cogno-*

gnoſcantur, atque omnino ſaltem infra biennium à die motæ litis terminentur, alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum Iudices ſuperiores alias tamen competentes adire, ergo in omnibus cauſis, etiam Regulares tenentur ſaltem in prima inſtantia coram Epiſcopo conueniri.

6 Reſpondeo, diſpoſitionem dictam Concilij non loqui de Regularibus, quorum cauſas nequit cognoſcere Epiſcopus niſi vt delegatus. Vnde non eſt mirum exiſſe de mandato Pauli V. decretum, quod adducunt, & Naldus noſter verb. *Religioſus num.* 48. & Bordonus *reſolut.* 7. *in ſuis Conſilijs*, quod incipit *Religioſorum ſub ſuaui*, in quo declaratur, Regulares non comprehendi in dicto loco Concilij, non obſtante capite *Volentes de priuilegijs in* 6. & innouatione à Concilio Tridentino facta *ſeſſ.* 7. *cap.* 14.

Limitat tamen decretum dummodo vltra tres dietas aliquis tenore præſentium ad iudicium non trahatur.

An Regularis, qui cum Clerico deliquit poſſit conueniri, & examinari ab Epiſcopo.
Dub. CCLXX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*
2 *Quomodo Epiſcopus tunc debeat procedere in Clericum.*

1 NEgatiuè reſpondet Bordonus *reſolut.* 7. *de exemptione, & ſubiectione* vbi ſic habet. *Nec Epiſcopus hoc ius habet, ex eo, quod Frater complices habuit in delicto non ſolum laicos, ſed etiã Clericos illi ſubiectos, quaſi Epiſcopo neceſſarium eſſet examinare Fratrem, vt poſſet perficere ſuum proceſſum, & punire ſuos ſubditos; nam hoc debebat facere de licentia ſaltem dicti Prioris, & ratione teſtis*. Vide etiam dictum Bordonum *quæſt.* 25. *eadem reſolutione* 7. vbi du-
2 bio negatiuè reſpondet, & tradit remedium Epiſcopo, quomodo poſſit in Clericum ſuum procedere dicẽs poſt proceſſum factum à Superiori Regulari poſſe recipere Epiſcopum acta authenticè facta contra dictum Religioſum, & cum eis poſtea in ſubditos ſibi Clericos procedere. Sed ibi non ſe bene explicat poſtea iſte Doctor. Vnde pro ſolutione difficultatis recurrendum eſt ad id, quod criminaliſtæ dicunt.

An coram Epiſcopo Regulares citati debeant oſtendere exemptionis Priuilegia.
Dub. CCLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia traditur abſolutè à Larrea.*
2 *Fundamenta affirmatiuæ ſententiæ adducuntur.*
3 *Cum diſtinctione procedit communior ſententia, negatiuè abſolutè tenet Auctor.*
4 *Quando nam exemptio dicitur notoria.*
5 *Exemptio, quæ non eſt notoria debet ſecundum communiorem ſententiam exhiberi.*
6 *Non valet paritas de diſpenſationibus, & de exemptione, quo ad exhibitionem.*

7 Opi-

7 *Opinio Sanchez circa hoc adducitur.*
8 *In litteris conſeruatorijs debet inſeri Bulla exemptionis.*
9 *Eo ipſo quod Summus Pontifex alicui cauſam delegat, auocat eam ab Ordinario.*
10 *Etiam poſtquam Religio audiuit, quod intimatur ab Ordinario poteſt ad Conſeruatorem recurrere.*
11 *Duplici modo ſe habere debent Regulares, dum conueniuntur ab Ordinarijs.*

1 Affirmatiuè abſolutè reſpondet Larrea *in deciſ. Senatus Granatenſ. deciſ. 97. par. 2. num.* 17. Vnde in caſu, in quo mutare debebant de loco ad locum Monaſterium inuito Epiſcopo dicit debuiſſe oſtendere, & exhibere ſua priuilegia.

Cokier tamen *de Iuriſdictione in exempt.* fusè, & doctè ſuo more quæſtionem exagitat, & reſoluit, *part. 2. quæſt. 6. per totum*, & ſic breuiter exponemus, quid ſit circa hoc dicendum.

2 Pro affirmatiua ſententia adducit Cokier ſex argumenta. Primo, quia citatus coràm nòn ſuo Iudice tenetur comparere ad allegandum ſuum priuilegium ex leg. *ſi quis ex aliena ff. de Iudic.* Secundo, Clericus vocatus coram Iudice ſæculari ſi non compareat mulctari ab eo, & in expenſis condemnari poteſt, Stephan. Aufreri. Felynus in caput *exceptionem in 1. de exception.* Caldeus *conſ.* 12. & alij plures. Tertio, proceſſus factus à Iudice habente iuriſdictionem exceptione elidibilem valet, ſi exceptio non obijciatur ex Gloſſ. *in Clemẽt.* 2. in verb. *competente* 4. ex leg. *Pauli* his verbis, *ex quacumque cauſa ad Prætorem, vel alios præſides, qui iuriſdictioni præſident in ius vocatus venire debet, vt hoc ipſum ſciatur an iuriſdictionis ſit*, vnde Gloſſa *ibidem Marginalis* inquit *exemplifica in exemptis, qui in dubio tenentur*, comparere corã Ordinario allegatur exemptionis priuilegium. Quinto, legatis competit priuilegium reuocandi domum, quod quidem licet inſertum ſit in corpore iuris, ac proinde notorium nihilominus citatus debet cõparere, illudque allegare ex lege citata, *ſi quis ex aliena* 6. exceptio declinatoria debet allegari licet ſit notoria, vt tradunt. Immola cap. *cum Ordinem*, & Gloſſ. *ibi*.

Pro negatiua autem parte adducit Cokier vndecim argumenta, Vide omnino ipſum. ſit ergò

3 Concluſio, vel priuilegia exemptionis Regularium ſunt nota, ſiue notorietate iuris, ſcilicet quia clauſa ſunt in corpore iuris, ſiue notorietate facti, quia ſcilicet omnibus patet, nec cælari poteſt habere talia priuilegia; vel non ſunt nota, ſi primum non debent exhiberi; ſecus ſi ſecundum, prima pars amplectitur communiter à DD. in caput *cum Ordinem*.

4 Si quæras autem; quandonam exemptio dicatur notoria, id dicitur notorium omiſſis multorum placitis, quod tale eſt, quod aut omnes ſciunt, aut veriſimiliter ſcire poſſunt. Ita vt nemo niſi, aut ignorantiam, quę ſupina ſit, poſſit allegare, eſſet caſus, vt ſi quis ignoraret, quinam in Ciuitate Epiſcopus ſit: & eſt exemplum adductum à Bartholo.

5 Quando autem exemptio notoria non eſt, ſecundum communiorem ſententiam tunc debet allegare ex leg. *Quacumque*. Sed aduerte quod in hoc caſu, etiam ſi exemptio debeat alle-

allegari, attamen ſi non exhibeatur; ſententia data à iudice illo incompetenti erit nulla; & ratio eſt; quia exempti neque tacitè, neque expreſsè poſſunt alienam iuriſdictionem prorogare alias quaſdam limitationes, & ampliationes, vide apud dictum Cokier. Nego tamen cum Sanchez infra exemptionem etiam non notoriam debere exhiberi Ordinario.

6 Obij Larrea, diſpenſationes, & alia ſimilia; quæ Pontificis pęculiaria ſunt, debent exhiberi coram Ordinario, vt ab ipſo cognoſcantur; an aliquid obſtet, ne exequi poſſint; & ſic generaliter reſcripta Pontificis à Diæceſano examinanda ſunt, vt eius interuentu exequantur; ergo ſic à pari dicendum de priuilegijs.

Reſpondeo eſſe diſparem rationem; nam in diſpenſationibus, & ſimilibus ſpecialiter à Pontifice demandatur Ordinario exhibitio, & regulariter ad ipſum diriguntur, vt patet ex formula diſpenſationum: in priuilegijs autem non currit eadem ratio. Hac diſtinctione vtuntur præter ipſum Cokier *loco ſupra* Fumus *de ordinibus exemptis* agens, qui ſic loquitur. *Nota quod ſi Fratres Prædicatores citentur ab Ordinario non tenentur comparere etiam ad allegandum priuilegium ſuum, quia iam notoriè ſunt exempti, & dudum tollerati in priuilegio exemptionis; Ideo citati non tenentur comparere etiam ad allegandum eorum priuilegium, & hoc nota quia multi Iudices decipiuntur*, Qua diſtinctione concordantur optimè duæ ſententiæ contrariæ initio poſitæ. Sed

7 Sanchez *lib.6. Opuſculo cap.9. Dub.5.* videtur negare omnino talia priuilegia eſſe exhibenda Ordinario, ſiue nota ſint, ſiue non: dum enim ibi dat modum, quo Regulares ſe debent tueri contra Epiſcopum in eos iuriſdictionē exercere volentem, dicit primo loco non debere oſtendere Regulares ſua priuilegia Ordinario, quia hoc eſſet conſtituere Epiſcopum Iudicem ſuæ exemptionis, & in dubium vertere; an iuriſdictio ad ipſum pertineat. Sed habe hic omnia, quæ addit Sanchez, vtilia enim valde erunt Regularibus.

Secundo, reſpondere poſſunt, poſtquam audierunt Epiſcopum, quem citati debent audire ne videantur ſtatim declinare eius forum, & iuriſdictionem, debent inquam reſpondere ſe exemptos eſſe ab eorum iuriſdictione; & poſtea recurrant ad ſuum Conſeruatorem, qui Ordinario inhibebit, ne contra illos procedat, Iudex enim Conſeruator exhibet in ſuis literis conſeruatorijs priuilegia Regularium, & ipſe eſt Iudex, qui aufert ab Ordinario cognitionem talis exemptionis, ſecus eſſet ſi per ſe Regulares exhiberent priuilegia, nam tunc Ordinario relinqueretur iudicium, & cognitio.

8 Aduertit etiam *ibi* Sanchez debere eſſe inſertam in litteris Conſeruatorijs. Bullam, qua Regularibus conceditur, vt poſſint eligere Conſeruatorem, & ſimul cum illa debet inſeri

9 Bulla exemptionis Regularium, nam licet ſit vera, & receptiſſima concluſio, quod eo ipſo, quod Papa delegat cauſam alicui, eam ab Ordinario auocat, vt multis confirmat Ripa, & Couarunias etiam citati ibi à Sanchez; & ita videatur ſufficere ſolam Bullam Conſeruatoriam eſſe inſertam; attamen non ita clarè oſtenditur exem-

exemptio, vt in Bulla exemptionis.

10 Tertio, Quando Religio reſpondet ſe audire, quod intimatur ab Ordinario coram quo conuenitur (quamuis melius ſit ſtatim recurrere ad Conſeruatorem poſt accuſatam contumaciam) poteſt tamen etiam tunc recurrere ad Conſeruatorem, quia licet debeat eſſe exceptio declinatoria Fori ante omnes alias exceptiones *ex leg. Final. C. de Exceptio*; attamen per contumaciam non prorogatur iuriſdictio, contumax enim non conſentit nec veniendo ad caſum de Regularibus, ipſi poſſunt cõſentire, vt dicit de Societate Ieſu ipſe Sanchez, quæ
11 nequit conſentire in ſuum non iudicem, Vnde concludit dictus celebris Doctor. quod duplici modo ſe debent habere Regulares dum conueniuntur ab Ordinario, Primo reſpõdere ſe audire, Secundo declinare Ordinarium, & ſtatim recurrere ad Conſeruatorem. Hæc omnia apud Sanchez, qui per noſtrum Alphonſum de Leone de Cenſuris *Recollec. 2. num.* 4. maiori cum Fundamento loquitur, quàm Tamburinus; vnde quid quid circa hoc dicit mihi arridet valde: facit ad hoc caput, *Cum perſona de Priuilegijs* 1.16.

An ſi Regulares examinentur ab Epiſcopo ſine licentia Prælatorum valeat eorum depoſitio.
Dub. CCLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia, eiuſque fundamentum.*

2 *Secundum aliquos valet, ſed illicita eſt talis depoſitio.*

3 *Quod valeat tenet author, ſed dum ſponte deponunt.*

1 Affirmatiuè reſpondet Cokier, ſed dum ſpontaneè, & nõ coactè accedit ad examen Regularis. Fũdamentum eſt, quia multa, parte non opponente, ſubſiſtunt, quæ tamen in iudicio reuocata impediuntur.

2 Farinacius abſolute dicit depoſitionem talem licet illicitam ſemper valere ſiue ſponte, ſiue coactè deponat Regularis, Ita *Quæſt. 61. de Teſtibus num.* 134. Fundamentum eſt quia licentia Prælati requiritur ex quadam decentia; & honore exemptorum, & ideo tanquam leuis ſolemnitas omiſſa non vitiat actum, & depoſitionem adducit *ibi* leges multas.

3 Tu ne diſcedas a prima Sententia Cokier, *parte 2. quæſt. 39.* Scilicet tunc valere depoſitionem Regularis, quãdo vltro deponunt, ſecus ſi ad hoc cogantur in qua opinione mihi videtur etiam eſſe Farinacius loco citato, *num* 133. quidquid multi dicant de eius ſententia.

An Epiſcopus poſſit acceptare querelam Regularis contra alterum corregularem.
Dub. CCLXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt Epiſcopus acceptare querelam alterius corregularis, & quare.*

2 *Prælati Regulares poſſunt punire ſubditos, qui recurrunt ad Epiſcopos.*

3 *Im-*

3 *Immo ſic recurrentes excommunicati ſunt.*

1 BReuiter Reſpondeo negatiue. Ita Bordonus *de Exemptione, & ſubiectione reſolut.* 7. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt procedere in Regulares etiam notorie delinquentes, niſi prius admoneantur eorum Superiores; Sed ſi poſſet acceptare querelam iam eſſet inchoatio quædã, qua in Regulares poſſet procedere. Ergò dicendum eſt non poſſe: Et ſic cum poſſit Regularis recurrere ad ſuum ſuperiorem non debuit recurrere pro accuſatione ad Epiſcopum.

2 Hinc eſt quod Prælati Regulares poſſunt punire ſubditos, qui recurrũt ad Epiſcopos dum rei ſunt, vel dicuntur eſſe tales, patet ex Bulla Pij V. *Et ſi Mendicantium* §. 20. vbi habetur. *Fratres quoque ſi contigerit eos, ad huiuſmodi Ordinarios recurſum habere a Præfatis Generalibus Miniſtris, ſeu Prouincialibus, Prioribus, Gauardianis & alijs ſuperioribus caſtigari, & puniri poſſe & debere, neque ipſos Ordinarios præfatis ſuperioribus Ordinum huiuſmodi circa delictorum inquiſitionem, vel caſtigationẽ facere poſſe decernimus: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis*, & addit Peirinus in hunc locum Regulares ſic recurrentes eſſe excommunicatos, vt habetur per Conſtitutiones Bonifacij IX. & Leonis X. Vide dictum Peirinum, *tom.* 1. *Religioſ. quæſt.* 1. *cap.* 20. *concluſ.* 3.

QVO AD CENSVRAS Cap. XVIII.

Au Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum eis ſubduntur. Dub. CCLXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Doctorum opiniones.*
2 *Priuilegium conceſſum Religioni Sancti Dominici.*
3 *egatiuam ſententiam confirmant præſumptiones, quæ ſunt ad fauorem Regularium.*
4 *Cauſa finalis exemptionis Regularium eſt fauorabilis Sedi Apoſtolicæ.*
5 *Ex iure etiam communi negatiua ſententia confirmatur.*
6 *Quo ad cenſuras putat author eis affici non poſſe ab Epiſcopo Regulares.*
7 *Delegata iuriſdictione ſufficit, ſi alia remedia ſint, quibus talis iuriſdictio exequi poſſit.*
8 *Delegatus adhuc repreſentat perſonam delegantis, etiam ſi excommunicare non poſſit.*
9 *Non ſemper omnimodæ iuriſdictioni Epiſcoporum ſubduntur Regulares per Pontifices.*
10 *In Conſtitutione Gregorij XV.* Inſcrutabili *expreſſe datur facultas excommunicandi DD. Epiſcopis.*
11 *Quid mandet obſeruari*, Caput 25. Tridentin. Seſſ. 25. de Regularibus.
12 *Etiam ſi Pontifex non limitet facultatem procedendi in Regulares Epiſcopis ſemper priuilegia ſunt in ſuo robore.*
13 *In cap.* Attendentes *& cap.* Dilectus

ctus *datur Epiſcopis facultas coercendi Regulares.*

14 *Quomodo intelligatur priuilegium Sixti IV. in quo habetur, omnes pænas inflicta ab Epiſcopis contra Regulares, eſſe nullas.*

1 AFfirmatiuè reſpõdent Bordonus, & apud eum plures alij *Reſolut.* 7. *Quær. 6. a numer.* 9. & doctus Auctor Ciarlinus, *cap.* 50. *num.* 20. Fundamenta huius ſententiæ infra afferemus.

Negatiuè contra reſpõdent plures alij, & præcipuè Villalobos, *parte* 2. *Summ. Trac.* 35. *difficultat.* 5. *numer.* 17. Portell. Verb. *Epiſcopus n.* 5. Diana noſter *Reſolut.* 76. *de Dubijs Regularium* 3. *Parte*, & exactius omnibus Pater noſter D. Auguſtinus de Bellis *in ſua Doctiſſima allegatione Hiſpano ſermone conſcripta part.* 1. *Aſſunt.* 5. *num.* 1. *& ſequent.* vbi adducit plurima fundamenta ad hoc probandum primo ob
2 priuilegium a Sixto IV. conceſſum Patribus & Religioni Sancti Dominici, vt habetur in libro priuilegiorũ Ordinis Prędicatorum his verbis, *decernimus quoſcumque proceſſus, quaſuis pænas, & Sententias generales & ſpeciales continentes, promulgatas contra Fratres, & Domos eorum nullius roboris, & momenti eſſe*, Idem conceſſit ipſe Sixtus IV. Minoribus teſte Rodriquez *tom.* 2. *quæſt.* 58. *art.* 5. & aduertit notatque Pater de Bellis ly, *quaſcumque pænas*; ex quo colligit, nec poſſe Epiſcopum alijs pænis procedere in Regulares, niſi ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſſione.

3 Secundo, confirmat Sententiam ex præſumptionibus quæ militant, & fauent exemptis; & quia cauſa impulſiua exemptionis fuit in odium Ordinariorum qui nimis erant infeſtis Religioſis, vt tradunt Rebuffus, *reſp.* 142. Vbald. *in tract. de Canon. Epiſcop. cap.* 3. *quæſ.* 6. *num.* 9. & alibi nos dicimus cap. *quot ad varia*, Ergò ſemper exemptio amplianda eſt ad fauorem Regularium, & reſtringenda reſpectu Ordinariorum; & maximè quia ſemper priuilegia Regularium in dubijs interpretanda ſunt ad fauorem Regularium ex conceſſione *Leonis X.*

4 Tertio, quia cauſa finalis exemptionis Regularium fuit fauorabilis Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, cuius intereſt habere multos immediatè ſubditos, ex cap. *Paſtoralis de re Iudic.* Ergò, debet etiam res ampliari in fauorem Sanctæ Sedis, nec debemus dicere velle ſe ſpoliare iuriſdictione, quã habet in Regulares, niſi exprimat ſpecialiter in cõmiſſione data Epiſcopo.

5 Quarto, probat ex iure communi ex *cap. licet de Officio Vicarij*, vbi ſtatuitur in iuriſ dictione delegata generali, quæ datur ad cognoſcendas cauſas, & cæt. non intelligi datam iuriſdictionem ad corrigendos, & puniendos exceſſus, niſi ſpecialiter hæc concedatur ſic in Clementin. *Attendentes de Stat. Monachor.* datur Epiſcopo iuriſdictio, qua poſſit viſitare Monaſteria Monialium exemptarum, attamen ſi in dictis Monaſterijs reperiat delicta, vel Monialium, vel Abbatiſſarum, ob quæ mereantur deponi, & priuari officio, non poteſt hoc Epiſcopus facere, vt Gloſs. ibi. Cardinal. Hoſtienſis in caput *Quæris de etate, & qualitat. Ordinand.* ſic etiam in cap. *Dilectus*,

data

Digitized by Google

data eſt poteſtas Abbati Sancti Stephani viſitandi Diæceſim Bononienſem, & tamen non eſt data poteſtas puniendi delicta, vnde cum aliqui fuerunt priuati ſuis Officijs reſcripſit Pontifex iterum ad Officia reſtituendos, ergo licet Epiſcopi habeant facultatem, & iuriſdictionem in Regulares, non tamen poterunt eos punire cenſuris. Ita Pater de Bellis, ex quibus, nec alijs pęnis poſſe ab Epiſcopis puniri Regulares dicendum eſt, ſed veniendo ad caſum poſitum.

6 Dico, quo ad cenſuras verum eſt, non poſſe eis affici Regulares ab Epiſcopo etiam in caſibus, in quibus ei ſubduntur, niſi exprimatur in conceſſione, & commiſſione. Ita Diana nouiſſimè *in 7. part. tract. 12. Miſcellan. reſol. 429.* qui citat præcipuè Villalobos, & eius verba refert. Quod non poſſit cenſuris punire probatur; quia quando ei datur talis facultas exprimitur in iure, ſic in Tridentin. ſæpè, & in alijs Summorum Pontificum Conſtitutionibus, deinde habent priuilegia ſpecialia, ne poſſint excommunicari, & cenſuris affici, quæ paſſim à Doctoribus afferuntur. Quod verò poſſint alijs pænis mulctari dum Epiſcopis ſubduntur ex obiectionibus contrariæ ſententiæ patebit.

7 Obij. primo, delegata iuriſdictione alicui illa omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus illam exequi non poteſt ex cap. *Præterea in finem*, & cap. *Prudentiam 21. in finem*. Sed ſine cenſuris non pôt expleri iuriſdictio. ergo

Reſpondeo negando minorem, nam ſunt aliæ pęnæ, & alia iuris remedia.

8 Secundo, obij. delegatus repreſentat perſonam delegantis ex cap. *final. diſtinc. 93. cap. 1.* ac proinde facit idem Tribunal cum ipſo. Sed delegans poteſt excommunicare cum ſit Summus Pontifex, ergo & delegatus.

Reſpond. delegatum adhuc repreſentare perſonam delegantis, etiam ſi nequeat excommunicare; vt poteſt delegans, nam adhuc cum hac coarctatione, & reſeruatione potuit delegans delegare.

9 Obij. tertio, quando Pontifices ſubijciunt Regulares Epiſcopis, eis ſolent dare omnimodam iuriſdictionem ſuper ipſos. Vnde Gregorius XV. in ſua Conſtitutione *Inſcrutabili*, ſubdendo Regulares Epiſcopis circa curam Animarum, Sacramentorum adminiſtrationem, & cæt. vtitur illis verbis: *Omnimodæ Iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diæceſani Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati plene in omnibus ſubijciantur*, ergo etiam ſubdunt in hoc, quod poſſint cenſuris eos ligare, & punire.

Reſpond. negando ſemper Pontifices, ita ſubdere Regulares Epiſcopis, ſicut in illa Conſtitutione ſubdit illos Gregorius XV. in caſibus poſitis.

10 Deinde eadem Conſtitutione *Inſcrutabili* expreſsè hæc auctoritas datur, vt poſſint Epiſcopi excommunicare Regulares. Vnde per illa verba *omnimodè*, & cæt. adhuc non poſſent Epiſcopi excõmunicare Regulares, & ſic retorquere potius poſſem argumentum, in hac Cõſtitutione expreſsè habetur, quod poſſint Regulares excõmunicari; ergo quando non eſt hæc expreſſio, iam non poterunt excommunicari.

11 Obij. Ciarlinus loco ſup. citat. Concilium Tridentin. *ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 25.* in finem mandat obſeruari

omnia decreta de eis loquentia, non obſtantibus priuilegijs, & cæt. & deputat Epiſcopos executores.

Reſpond. primo, non adeo certum eſſe de omnibus decretis in Concilio factis loqui; immo magis probabile, & mihi certum, ſolum loqui de decretis contentis, *in ea Seſſione, & capite*, vbi fere ſemper, & principaliter agitur de Clauſura. Sed cõcedamus etiã loqui de omnibus decretis in Tridentino, Reſpondeo tamen, nec Epiſcopum poſſe procedere cenſuris, nec per hoc ſequitur priuilegia obſtare; nam obſtarent ſi nullo modo Epiſcopus poſſet procedere in Regulares.

12 Obijcit ſecundo, Concilium non limitat modũ procedẽdi; Ergo poterit Epiſcop. omnibus modis procedere.

Reſpond. etiam ſi non limitet; attamen relinquit in hoc priuilegia Regularium in ſuo robore, & ſic nequeunt excommunicari. Iſtæ ſunt rationes quibus aduerſarij nituntur, immo etiam noſtris rationibus ipſi conantur ſatisfacere. Vide Bordonum *loco ſupra* & facile etiam retorquere poteris reſponſiones.

13 Sed fateor non adeo facile poſſe nos Reſpondere Patri de Bellis in ea parte, in qua contra nos eſt ſcilicet nec alijs pœnis poſſe Epiſcopum procedere in Regulares dum ei coerctio, & punitio expreſſe non committitur; ego tamen reſponderem ſic. Textibus adductis cap. *Attendentes*, & cap. *Dilectus*, negando ibi commiſſionem datam Epiſcopis fuiſſe tantum viſitandi, & expreſſe negatam facultatẽ puniendi, & patet, primo ex verbis ipſis quæ habentur in Clement. *Attendentes num.* 20. & ſunt *Ad quæ omnia obſeruanda Moniales eaſdem non obſtantibus exemptionibus; & priuilegijs quibuſcumque, quibus tamen, quo ad alia nolumus præiudicium generari per illos, de quibus ſupradictum eſt compelli iubemus remedijs opportunis.* Ecce quomodo nõ ſolum viſitandi, ſed etiam corrigendi, & puniendi facultas committitur. Sic etiam nec tollitur facultas puniendi in Capite *Dilectus* 1. *de Reſcriptis*, Sed ibi dicitur contrarium, litteras ſcilicet impetratas pro abſolutione, & reſtitutione eſſe ſubreptitias, & nullas nec negatur facultas corrigendi Abbati Sancti Stephani, Vnde hi textus non faciunt pro dicto Patre de Bellis.

14 Ad illud deinde ſcilicet in priuilegio Sixti IV. haberi quaſcumque pœnas quæ ab Epiſcopo contra Regulares fulminantur eſſe nullas, ergo non ſolum cenſuræ, ſed quælibet aliæ pœne erunt nullæ. Reſponderi poſſet ibi loqui in caſibus, in quibus non ſubduntur Regulares Epiſcopis. Quod ſi inſtes, hoc ita non poteſt intelligi, quia ſuperfluum eſset, & fruſtratoriũ tale priuilegium, nec aliquid operaretur. Reſpondeo illud priuilegium ita ſumendum eſse, & intelligendũ, ac ſi eſset quædam explicatio exemptionis; quam habent Regulares; & datum eſse ad tollenda omnia dubia, quæ circa talem exemptionem eſse poſsent; & confirmo hoc ex ipſis verbis priuilegij ibi habetur eſse nullos quoſcunque proceſsus; qui fiant contra Regulares ab Epiſcopis, & tamen hoc non eſt verũ in multis enim caſibus in quibus ſubduntur Regulares DD. Epiſcopis proceſſus facti cõtra illos ſubſiſtunt; Ergo ſignum eſt loqui in caſibus, in quibus non ſubduntur, vel eſse ampliationem, & explicationem quandam exẽptionis Regulariũ.

In

In quibus caſibus poſſint Regulares excommunicari ab Epiſcopis. Dub. CCLXXV.

SVMMARIVM.

1 *Decem & nouem caſus aſſignantur, in quibus ſecundum aliquos poſſunt Regulares ab Epiſcopis excommunicari.*

2 *Laurettus de Franchis notatur.*

1 DEuenio ad multos particulares caſus in quibus dubium eſt, an Epiſcopi poſſint excommunicare Regulares, ſic enim in indiuiduo de illis agendo præcedentis dubij ſolutio magis patebit.

Zerola ergo, *in Praxi Epiſcopor.* Verb. *excommunicationis cauſa materiales*, & Laurettus de Franchis, *in Controuerſiis inter Regulares quæſtion. 6. num. 3 14.* congerunt plures caſus, & ſemper dant hanc facultatem Epiſcopis excommunicandi Regulares, Zerola in primis *loco ſupra* ſic habet: *Fallit primo in prædicantibus ſine licentia Ordinarij vel Sedis Apoſtolicæ cap. excommunicamus §. Quia verò de hæreticis Concilium Tridentinum Seſſ. 5. cap. 2. de Reformatio.* Gloſs. *in caput quod Dei in verſic. priuilegia de ſtatu Monachor. Caſtro lib. 3. cap. 3. iuxta finem cap. 3. de iuſta hæreticor. punitione §. comment. 40. ſuper caput 13. in parte 2. Director. Inquiſit. Symanc. de Catho Iuſtitia Inſtitut. tit. 49. Bulla Leonis X. quæ eſt 15. fol. 205. Secundo Fallit, quando nolent ire ad proceſſiones ab Epiſcopo indictas poſſe ab eo puniri per cenſuras, & pænas arbitrarias, & alia iuris remedia. Tertio Fallit, quando auſcultarent confeſſiones Sæcularium etiam Sacerdotum ſine licentia Ordinariorum ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformatione Clement. Dudum §. ac Deinde de Sepulturis. Quarto fallit, quando abſoluerent pænitentes, quos audiunt in Confeſſione à caſibus reſeruatis ipſi Ordinario Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. Caſuum reſeruatorum. Ratio eſt; quia mare magnum eſt abrogatum in omnibus, in quibus contradicit Decretis Concilij Tridentini, prout in Bulla Pij IV. ſub datum Romæ Calendis Martij 1565. Pontificat. anno 6. & ita multoties fuit declaratum per Sacram Congregationem, vt dixi à caſibus reſeruatis Ordinario, quia ſi excommunicatos, vel à Canone, vel à ſententia per ſtatuta Synodalia poſitis abſoluere præſumpſerint incidunt in Papalem excommunicationem Clement. 1. de Priuilegijs. ſi verò à caſibus in Bulla Cænæ Domini eſſent excommunicati ipſo iure Epiſcopali excommunicatione, prout dicit Nauarrus cap. 27. num. 74. & hodie per Bullam Cænæ Sanctiſſimi Sixti Quinti eſt Papalis excommunicatio, & in iſtis caſibus non eſſet opus, vt excommunicarentur, ſed vt declararentur tales. Quintò fallit, quando nec obſeruarent, nec publicarent cenſuras Eccleſiaſticas, ne dum à Sancta Sede Apoſtolicæ emanatas, ſed etiam ab Ordinarijs mandante Epiſcopo Concilium Triden. ſeſſ. 25. cap. 12. de Regulari, & cap. Cum & Plantare, §. excommunicatus de priuilegijs, cap. Epiſcoporum eodem titulo lib. 6. cap. his qui, §. his vero de ſententia excommunicationis eodem libro, Abbas in Clement. 1. n. 5. de ſent. excomm. & n. 13. Sexto fallit, quando nõ obſeruarent dies Feſtos quos in Diæceſi ſua Epiſcopus ſeruandos præceperit Concil. eodem loco cap. de his 12. diſtinctione. Septimo fallit,*

Quando hi Regulares degunt extra clauſtra,& delinquunt ſeſſ. 6. cap. 3. de Reformat. Bulla Clementis VII. 43. quæ incipit Sedis Apoſtolicæ contra Franciſcanos de obſeruantia vagantes extra clauſtra.8. Fallit. Quando ipſi Regulares mittuntur ad regendas Eccleſias ſuorum Monaſteriorum ſubditas locorum Ordinarijs cap. 1. §. in eos. Verſiculum niſi forſan, de Priuilegijs lib.6 & hoc etiam notatur a Concilio ſeſſ. 7. cap. 14. de Reformat. Nono fallit, quando Regulares haberent curam animarum in Eccleſiis curatis Monaſteriorum ſeu domorum tam virorum, quam mulierum, quo ad curam animarum ſeſſ.25. cap.2. de Reformat. exceptis quibuſdam de quibus ibi. Decimo fallit, quando Regulares commorarentur in Abbatijs, Prioratibus, Præpoſituris,& in beneficijs ſiue curatis ſiue non vbi non viget regularis obſeruantia ſeſſ. 21. cap. 8. de reformatione. Vndecimo, quando Regulares degunt intra clauſtra, & extra ea ita notoriè delinquerint vt populo ſcandalo ſint Seſſ.25. cap. 14. de Regular. ſeruato tamen ordine, de quo ibi Vide Nauarrum in capitulo non dicatis numer. 63. Duodecimo, ſi Regulares præſumpſerint adminiſtrare Clericis, aut laicis Sacramentum Extremæ vnctionis, vel Euchariſtiæ, vel Matrimonij ſine licentia Parrochi Clement. prima de Priuilegijs Gloſſ. ibi iuxta notata per Nauarrum capit. 27. numer. 101. Caietanus in Summ. Verb. Excommunic. capit. 64. Gomez. in caput 2. numer. 450. Cardinalis in dictam Clementin. Syluester in verb. Excommunic. Nauarrus capit. 21. numer. 52. Decimo tertio fallit, quando proceditur in cauſis Religionis ſeu Sanctæ Inquiſitionis, quia in his cauſis Regulares ſunt ſubditi Ordinarijs. Capit. Ad Abolendum de Hæretic. Decimoquarto, in caſibus Clementinæ in capit. cupientes de pœnis. Decimoquinto, facientes egredi Moniales e Monaſterijs etiam ipſis Regularibus ſubiectis ſine licentia Ordinarij, & non ſeruantes clauſuram dictorum Monaſteriorum Monialium poſſunt per cenſuras, & alia iuris remedia ab Ordinario puniri, ſimiliter ſi ſuſceperint Moniales ad habitum, vel ad profeſſionem in ſuis Monaſterijs poſſunt tam ipſi Regulares, quam Abbatiſſæ vel aliæ præfectæ dictorum Monaſteriorum puniri per alias cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia a locorum Ordinarijs ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularibus Sacra Congregatio Declara 261. pro vt dicam etiam in verſicul. Monialis. Decimo ſexto fallit, quando publicarent Indulgentias, quas a Summo Domino Papa impetrarent ſine Ordinarij licentia Seſſ. ſexta, Caput 3. de Reformat. & Seſſ. 24. capit. 11. ex declaratione Sacræ Congregationis 233. Decimo ſeptimo, quando exempti admitterent ad Diuina officia, vel ſepelirent excommunicatos ab ipſo Epiſcopo, Ancharan. in Capitulum Epiſcopi numer. 30. 3. de Priuilegijs lib. 6. & Abbas in Caput Sacris num. 7. de Sepultur. Decimo octauo, quando eſſent executores vltimæ voluntatis, vel piorum Legatorum Clement. vnica de Teſtamentis, & ibi Gloſſa, & Abbas. Decimo nono fallit, in actu reconuentionis, quia tunc Regulares ſubſunt eius iudicio, in quo reconueniuntur Gloſſ. in caput ſecundum de mutuis & in cap. Ac ſi Clerici nec Clericus ſiue ſecularis, ſiue regularis poteſt hoc iudicium tergiuerſari, Maran. quarta Parte Diſtinction. ſexta numer. 53. & infra etiam ſi reconuentio fiat in foro temporali, & excommunicatio fieret,

ii

in foro Eccleſiaſtico, quia tũc ſubeſſent huic cenſuræ, & ſic vidi practicari Neapoli. Vi de Hoſtienſ. in Summ. tit. de Statu Monachi de Viſitatione num. 8. & 9. vbi dicit, quod ratione delicti, & contractus Religioſi ſubſint Epiſcopo, hos caſus ponit. Zerola loco ſupra, Laurettus autem de Franchis fere ad verbum idem dicit, vnde mihi videtur totum tranſcripſiſſe e Zerola. Modo ſingulos, caſus conſideremus; vt pateat lectori quid dicendum ſit.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui ſine eius licentia concionantur.
Dub. CCLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Quid dicit Tridentin.* Seſſ. 5. cap. 2. de Reformat.
2 *Non poteſt ex vi Tridentin. Epiſcopus excommunicare Regulares.*
3 *Nec ex Bulla 15. Leonis X. quæ male debet certè citari a Doctoribus contrarium ſuſtinentibus.*
4 *Hodie per Conſtitutionem Gregorij XV.* Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs, *iam cenſuris poſſunt ab Epiſcopis Regulares puniri.*
5 *Adducitur a quibuſdam Bulla Vrbani VIII. reuocatoria conſtitutionis* Inſcrutabili *ſaltem pro regnis Hiſpaniæ.*
6 *Caput* Excommunicamus *expenditur.*

1 CONcilium Tridentinum, quod citat Dictus Zerola pro parte affirmatiua, *ſeſſ. 5. cap. 2.* ſic habet, *In Eccleſijs, vero quæ ſuorum ordinum non ſunt nullo modo prædicare poſſint, ipſam autem licentiam Epiſcopi gratis concedat.* Hæc ſunt verba, ex quibus non video quomodo dictus Zerola ita abſolutè proferat ſententiam affirmatiuam cũ non requirat Concilium licentiam Epiſcopi dum Regulares concionantur in proprijs Eccleſijs, ſed tantum benedictionem vt dixi *cap. quod ad Conciones.* Eſt ergo difficultas tantum, dũ Regulares concionantur in Eccleſiis non ſuorum Ordinum.

2 Reſpondent ergo multi apud Barboſam negatiuè, *hic in Concilium num. 21.* inter quos citatur ipſe Zerola qui tamen contrarium docet, vt ſupra vidimus, & hi omnes ſuſtinent nec puniri poſſe ab Epiſcopo Regulares, qui ſine licentia concionantur ex vi Concilij, ſed tradendos eſſe ſuis Prælatis, vt ab ipſis puniantur. Si ergo puniri nequeunt, à fortiori, nec excommunicari, quæ omnium maior cenſetur, & hæc opinio valet ſi ſtemus in Concilio, nec etiam affirmatiua ſententia colligitur, *ex Bulla* 15. Leonis X. citata; nam hæc Bulla recenſet tantum multa priuilegia conceſſa Hoſpitali S. Mariæ de Populo, & Sancti Iacobi, nec verbum dicit de Regularibus, quo ad Conciones, male ergo debet citari Bulla, concludo ergo ſi tantum affirmatiua Sententia fundetur in Concilio Tridentino, non poſſe eam defendi a Doctoribus, ſed negatiua valet.

4 Sed hodie per Conſtitutionem Gregorij XV. quæ incipit *Inſcrutabili*, de qua alibi ſuſe, & per declarationem factam ab Vrbano, VIII. in forma breuis directam Epiſcopo Gienenſi. Iã poſſunt Regulares puniri ab Epiſcopis, & etiã cenſuris, vt docent,

plures Doctores, & patet clarè ex verbis Bullæ, quæ talia ſunt. *Ac demum habeat Epiſcopus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tam ſæculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſijs, quæ ſuorum ordinum non ſunt abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum ordinum non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint.* Dat ergo potestatem Epiſcopo puniendi Regulares concionantes ſine ipſius licẽtia, quam facultatem non habebat ante dictam Conſtitutionem; Inſuper dat etiam facultatem puniendi cenſuris, dum dicit. *Itaut Epiſcopi in ſupradictis caſibus in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit etiam extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas aliaſque pænas, vt eiuſdem Sedis delegati procedere, omnemq; iuriſdictionem exercere liberè, ac licitè valeant.* Clarè ergo patet poſſe ab Epiſcopis poſt dictam Conſtitutionem puniri Regulares, etiam cenſuris.

5 Contrarium docet Pater D. Auguſtinus de Bellis *in ſua allegatione Hiſpana*, quam citat ſæpè Diana *in 7. par. tract. 12. Miſcellan. reſolut. 25.* Fundamentum ipſius tale eſt; ponam eius verbo. *Dado caſo que dicha Bulla eſtuuieſſe reçebida en España* (loquitur de Bulla citata Gregorij XV. *Inſcrutabili*) *aun no tiene fuerça porque eſta reuocada ia por nueſtro Santiſſimo Padre Vrbano VIII.* por vna Bula *fecha a 13. de Maio del 1625. en que a inſtançia de todas las Religiones de España confirmò entre otros priuilegios vn Decreto de la Congregaçion del Concilio traida por el Barboſa i Parte allegat. 76. num. 24.* & ſequitur *eſta Bula ſobredicha de Vrbano VIII. con todos los priuilegios, que confirma a Regulares hallaſe en vn librillo impreſſo, y legalizado por orden del Eminentiſſimo Señor Cardenal Panfilio entonçes Nunçio Apoſtolico en eſtos Reynos de España.* Ita de Bellis; cuius tamen Bullę Vrbani VIII. vt notat Diana *loco ſupra* nullam mentionem faciunt recentiores Doctores, qui Romæ ſcripſerunt, vt ſũt: Lezana; Gauantus, Tamburinus, & alij. Verum quidem eſt Ioannem Antonium Nouarium mentionem facere de dicta Bulla. *In Summ. Bullarum* vbi dicit eſſe localem, latam ſcilicet pro Ciuitate, & Diœceſi Giennenſi: ſed de hoc alibi etiam agimus.

6 Nota tamen hic circa hoc dubium *Caput 1. excommunicamus*, in quo concionantes ſine licentia Epiſcopi excommunicatur his verbis. *Omnes qui prohibiti, vel non miſſi præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam publicè, vel priuatim Prædicationis Officium vſurpare præſumpſerint excommunicationis vinculo innodantur.*

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares audientes confeſſiones ſæcularium ſine eius licentia.

Dub. CCLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Nec ex Tridentin.* ſeſſ. 21. *cap.* 15. de reform. *nec ex Clement.* Dudum *colligitur, quod ab Epiſcopo poſſint excommunicari in caſu poſito Regulares.*

2 *Etiam ſi ſubſint iuriſdictioni Epiſcopi Regulares, attamen nequeant ab eo cenſuris puniri.*

3 Por

3 *Per Conſtitutionem* Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs *poſſunt Regulares tam excommunicari ab Epiſcopis in dicto caſu.*

1 Neſcio quomodo ex Concilio Tridentino, & ex cap. *Dudum* dicti duo Doctores Zerola, & Laurettus de Franchis colligant Epiſcopos poſſe cenſuris procedere in Regulares in poſito caſu Concilium *ſeſſ.23.cap.15.* ab eis citatum ſic loquitur. *Decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem poſſe confeſſionem ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parrochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi eis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat priuilegijs, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.* Hęc ſunt verba, ex quibus quid aliud poteſt colligi niſi quod approbatio Epiſcopi requiratur. Caput autem *Dudum* per totum, nec verbum quidem dicit de cenſuris; vt patebit legenti.

2 Quod ſi dicant ſubſunt in hoc iuriſdictioni Epiſcopi, ergo poſſunt ad eius obſeruantiam compelli qualibet pena, etiam cenſuris. Reſpondeo, concedo antecedens, nego conſequẽtiam, nam vt optimè reſpondet Vulp. *in Praxi nouiſſima fori Eccleſiaſtici*, apud Nouarium *in Lucerna Regularium* verb. *excommunicat.* Quotieſcumque Concilium expreſſe non dat hanc auctoritatem Epiſcopis, vt poſſint Regulares excommunicare, nequeunt hoc facere ob eorum priuilegia, quæ ad hoc plurima ſunt, *ſic ſeſſ.25.cap.5. de Regularibus*, mandat Epiſcopis, vt clauſuram Regularibus imponant, & inobedientes per cenſuras Eccleſiaſticas compellant, ſimiliter eadem *ſeſſ.cap.16.* concedit Epiſcopis poteſtatem, vt per cenſuras Eccleſiaſticas cogant exemptos reſtituere bona Nouitijs ſi egrediantur; Cum ergo in poſito caſu non tribuat Epiſcopis hanc facultatem, non poterunt excommunicare Regulares, & hanc Doctrinam tradunt Sanchez *in Summ. libr.2. cap.1. num.14. & tom.2.* alijſque plures apud ipſum. Vnde concludo nec per Concilium, nec per Caput *Dudum* dari hãc auctoritatem Epiſcopis; vt tenent Zerola, & Laurettus citati.

3 Dico tamen modo iam poſſunt Epiſcopi per Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs*, excommunicare Regulares Sacramentorum Penitentiæ adminiſtrantes ſine licentia, his verbis. *Decernimus, ſtatuimus, & mandamus, vt deinceps tam Regulares, quam ſæculares quomodolibet exempti ſiue animarum curam, & cæt. ſiue alias Eccleſiaſtica Sacramenta; aut vnum ex illis miniſtrent ſine præuia Epiſcopi licentia, & approbatione, & cæt. aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto ſe ingerant abſque vlla auctoritate, & cæt.* Hinc clarum eſt poſſe Regulares ab Epiſcopo cenſuris compelli, ſi ſine approbatione audiant ſæcularium quorumcumque confeſſiones.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui abſoluunt à caſibus reſeruatis Epiſcopo.
Dub. CCLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Non bene colligunt Zerola, & de Franchis poſſe ab Epiſcopo excommunicari Regulares in poſito caſu ex Tridentin.* ſeſſ.14. Caſuum Reſeruatorum.

2 *Si hoc poſſunt Epiſcopi habetur per Conſtitutionem* Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs.

3 *De quo tamen etiam ſtante dicta Conſtitutione poſſet eſſe dubium.*

4 *Quid per decretum ſub Clemente VIII. de Caſuum reſeruatione dicendum.*

1 Tollitur quid in Concilio *ſeſſ.*14. *Caſuum Reſeruatorum* citata à Zerola *loco ſupra* facultas Regularibus, abſoluendi à caſibus reſeruatis Diæceſano; nihil tamen ibi dicitur de pœnis, quas contra abſoluentes poſſunt fulminare. Vnde non video quomodo ex tali loco deducant duo illi Doctores facultatem eſſe datam Epiſcopis excommunicandi Regulares, dum abſoluunt à caſibus reſeruatis.

2 Verum quidem eſt, quod poſſet ſuſtineri forſitan dicta ſententia ex conſtitutione alibi citata Gregorij X V. *Inſcrutabili.* Dum enim in ea datur facultas Epiſcopis excommunicandi Regulares ſine approbatione audientes confeſſiones, & Regulares, qui abſoluunt à reſeruatis abſoluant ſine auctoritate, hinc eſt, quod poſſint dictis pęnis procedere in Regulares,
3 ſed poſſet quis dicere dictam Conſtitutionem tantum loqui de ſe intrudentibus in Sacramentorum adminiſtratione ſine licentia. Regulares autem qui abſoluunt à reſeruatis, & ſunt approbati ad confeſſiones non debent æſtimari intrudentes ſe, cum ſint approbati.

4 Extat quidem decretum Sacræ Congregationis ſub Clemente VIII. relatum à pluribus Doctoribus; & præcipuè à Naldo verb. *Caſus reſeruatus*, quo prohibetur Regularibus, ne abſoluant à caſibus reſeruatis Ordinario ſub pęna excommunicationis, & alij etiam grauiſſimis pænis, ſed ex hoc non colligitur Epiſcopos poſſe his pænis procedere in Regulares; ſed à Summo Pontifice eſſe infligendas; & de hoc dixi cap. *Quo ad Delicta*, dubit. an Epiſcopus poſſit alia pæna punire Regulares delinquentes circa miniſterium confeſſionis.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares quando non obſeruant cenſuras Eccleſiaſticas.
Dub. CCLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentin.* ſeſſ.23. cap.12. de Regularibus *nullo pacto dat hanc auctoritatem Epiſcopis cenſuras ferendi in Regulares, dũ non obſeruant cenſuras Eccleſiaſticas, &c.*

2 *Nec alij Canones citati ab aduerſarijs dat hanc facultatem Ordinarijs.*

1 Neque ex Concilio dicta *ſeſſ.*23. *de Regularibus cap.*12. vt dicit Zerola poteſt cum fundamento dici; Regulares poſſe cenſuris compelli, ſi dictas cenſuras non ſeruent, habe

Con-

Concilij verba *Cenſuræ, & interdicta; ne dum ab Apoſtolica Sede emanata; ſed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Epiſcopo Regularibus in eorum Eccleſijs publicentur, atque ſeruentur.* Vbi nam
2 ſunt verba, quæ talem auctoritatem Epiſcopis tribuant? Sed videamus alios Canones ad hoc adductos primo loco adducunt *c. cum & plantare* §. *excommunicatos de priuilegijs*, ſed ibi tantum ſtatuitur, ne Regulares admittant ad Diuina Officia excommunicatos; & interdictos ab Epiſcopo, nec verbum dicitur circa dubium poſitum.

Nec obſtat Caput *Epiſcopalia*, Quia ibi tantum ſtatuitur ne Epiſcopalis dignitas concedatur, niſi locis inſignibus, & populoſis. Adducuntur inſuper Caput, *Is qui de ſententia excommunicat.* ſed nec probat, quod intendit Zerola, nam ibi tantum agitur de celebrante ſciente in Eccleſia polluta, qui incurrit in irregularitatem. Concludo ergo in dicto caſu (ſtantibus Regularium priuilegijs) nullo pacto poſſe Epiſcopos cenſuris in Regulares procedere.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui degentes extra clauſtra delinquunt, vel degentes intra delinquunt extra notorie, &c.
Dub. CCLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Duo loca Tridentini referuntur ad verbum.*

2 *Ex vi Concilij nequit Epiſcopus procedere cenſuris in Regulares delinquentes, & cæt.*

3 *Nec Zerolæ contrarium ſuſtinenti fauent illa verba* ſecundum Canonicas ſanctiones puniri, & corrigi valeant, *& quare.*

4 *Quid dicendum de Regularibus degentibus intra, & extra delinquentibus, an poſſint ab Epiſcopis puniri cenſuris.*

5 *Etiam ſi Epiſcopus non poſſit cenſuris procedere in Regulares alia via tamen poteſt commodè in eos procedere.*

QVomodo, & quando poſſint Regulares extra clauſtra degentes puniri, ſi delinquant iam alibi diximus capite *Quo ad Delicta*, hic tantum quærimus; an quando Epiſcopus poteſt punire, poſſit etiam excommunicare. Videnda ergo, & expendenda ſunt circa hoc verba Concilij in duobus locis *ſeſſ.6. de reformatione cap.3.* ſic habetur, *& nemo ſæcularis Clericus cuiuſuis perſonalis* legendum putat Barboſa, *vel cuiuſuis Ordinis Regularis extra Monaſterium degens etiam ſui ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur, quominus ſi deliquerit ab Ordinario loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato ſecundum Canonicas Sanctiones, viſitari, puniri, & corrigi valeat,* 2. loco ſic habetur, *Regularis non ſubditus Epiſcopi, qui intra clauſtra Monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante à ſuo Superiori intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſeuerè puniatur; ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus à ſuo Superiore officio priuetur, vt delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* In vtroque loco dat facultatem Concilium vt

Epiſcopis puniendi Regulares, qui delinquunt extra clauſtra, nihil autem dicit de cenſuris.

2 Dico ergò ex vi Concilij, nec in hoc caſu poſſe Epiſcopum in Regulares procedere cenſuris; nec etiam habet Epiſcopus talem facultatem per Bullam Clementis VII. *loco* 43. poſitam, quam ipſi adducunt, nam dicto loco reperire nō potui talem Bullam; Bulla autem, ſi quæ eſt, eſt illa Clementis VIII. quæ incipit, *Suſcepti muneris ratio poſtulat*, Vbi tantum eſt ſermo de modo, quo puniendi ſunt Regulares extra clauſtra, qui nec excommunicari poſſunt, vt patet ex Bulla dicta.

3 Nec etiam faciant pro ſententia Zerolæ verba illa, *ſecundum canonicas ſanctiones, viſitari, puniri, & corrigi valeat*; nam non vidi iura, & canones, qui hoc concedant; & etiam ſi adeſſent, non per hoc priuilegia tolluntur quæ poſt data ſunt Regularibus, ne ſcilicet poſſint excommunicari.

4 Si autem ſit ſermo de Regularibus degentibus intra clauſtra, & extra ea delinquentibus: aſſerunt poſſe excommunicari, præter Zerolam, & Laurentium de Franchis alij plures, & Fundamentum ipſorum deſumitur ex citatis verbis Concilij Tridentini, *Seſſ.* 25. *de Regularibus cap.* 14.

Negatiuè tamen mihi videtur reſpondendum cum Tamburino, *tom.* 3. *de Iure Abbatum*, & alijs multis apud Barboſam in hunc locum Concilij, qui ſic habet. *An autem poſſit Epiſcopus procedere per cenſuras, ac punire Regularem notorie, & cum ſcandalo extra clauſtrum delinquentem ſi a ſuo Abbate, & Prælato ſuperiore intra tempus ab Epiſcopo præfixum non puniatur dubitant Doctores*, Affirmatiuam Sententiā ſuſtinet Rodriquez, *Tom.* 2. *Quæſtionum Regularium quæſt.* 63. *art.* 7. *ſed negatiua Sententia probabilior mihi eſt quia Concilium non exprimit quod per cenſuras poſſit Epiſcopus punire Regularē notoriè, & cum ſcandalo delinquentem, cum conſtet id declaraſſe vbi voluit hanc poteſtatem concedere Epiſcopis in exemptos, vt alibi fecit.*

5 Nec obſtat id, quod dicit Rodriquez citatus a Tamburino; quod ſcilicet non poſſit Epiſcopus commodè punire ipſum Regularem, niſi per cenſuras, nam alijs modis poteſt puniri, vt patet conſideranti, puta ſi eum intra monaſterium faciat detineri, & ſimilibus modis ſedis, ſed de tali punitione vide, *quo ad delicta in hoc tractatu*.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui ſunt deſtinati ad regendas Eccleſias ſuorum Monaſteriorum ſi delinquant. Dub. CCLXXXI.

1 *Ex* cap. 1. de priuileg. *videtur affirmatiue reſpondendum.*

2 *Contrarium tamen cum multis alijs defendit author.*

1 AFfirmatiue videtur reſpondendum *ex cap.* 1. *de Priuil.* §. *in eos*, Habe verba *In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi, vel excommunicari a quocumque valeant a ſede Apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt Religioſi quamplures in quorum priuilegijs continetur, ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum Monachos pro vlla cauſa vlloue loco interdicere, ſuſpendere vel*

Digitized by Google

vel excommunicare præſumat, ijdem ordinarij iuriſdictionem ſuam quantum ad iſta vbicumque illi fuerint exercere non poſſint, Niſi forſan ipſi Monachi ad Monaſteriorum ſuorum Prioratus Ordinarijs eiſdē ſubiectos, vel vt gerant regimen eorum, vel in eis tanquam proprij locorum ipſorum Monachi reſideant, fuerint deſtinati, Vide exceptionem quæ etiam magis explicatur nam ſubditur. *Tunc enim, & ſi libere poſſint ad eadem Monaſteria reuocari, ac tam illorum, quam ipſorum Prioratuum monachi reputentur.* Videtur etiam fauere huic Sententiæ Concilium Tridentinum, *Seſſ. 7. de Reformatione cap. 14.*

2 Sed contraria opinio mihi videtur tenēda quam ſuſtinent Couarruuias, Frater Emanuel, Aldrette Sanchez *in ſuis Cōſilijs to. 2. li. 6. c. 9. dub. 5. n. 10.* qui docet non valere dictam Cōſtitutionē Innocentij cum Regularis exemptus eſt, non ſolum ratione loci, ſed etiā perſonæ; vt ſunt modo ferè omnes Regulares, ſic etiam explicari poteſt Concilium locò citato. Vide Barboſam *in dictum locum Concilium n. 9.*

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares habentes curam animarum ſi in hac delinquant.

Dub. CCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Malè citatur Concilium Tridentinum à Doctoribus, qui docent affirmatiuam ſententiam.*

2 *Per Conſtitutionem Gregorij XV. datur talis facultas Epiſcopis in caſu poſito.*

3 *Laurettus de Franchis notatur, quia malè citat Concilium Tridentinum.*

1 PEr errorem malè citatur in meo Zerola locus Concilij ex quo ipſe deſumit ſuam ſententiam Affirmatiuam; nam ibi citatur *ſeſſ. 35. caput 21.* & tamen non eſt dicta ſeſſio in Concilio, nec etiam *ſeſſ. 25. cap. 2.* aliquid circa præſentem difficultatem dicitur eſt ergo locus *ſeſſ. 25. cap. 11.* vbi habentur hæc verba. *Tam Regulares, quam Sæculares huiuſmodi curam exercentes ſubſint immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent Iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi in cuius Diæceſi ſunt ſita,* ex quo patet Regulares dictos curam animarum exercentes eſſe ſubiectos Epiſcopis, non autē poſſe ab eis etiā cenſuris puniri.

2 Dico tamen iam modò per Conſtitutionem Gregorij XV. ſæpè citatam *Inſcrutabili* talis auctoritas datur Epiſcopis, nec in hoc difficultas eſſe poteſt.

3 Nota hic Laurettum de Franchis alium locum Concilij afferre, *ſeſſ. 15. de Reformatione cap. 2.* ſed in Concilio Tridentino dictum locum inuenire non potui.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum commorantur in Abbatijs, Prioratibus, & ſimilibus, vbi non viget Regularis obſeruantia.

Dub. CCLXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Tridentin.* ſeſſ. 21. cap. 8.

So-

2 *Solum tribuit facultas Epiſcopis viſitandi dictos Regulares, &c.*

tia Parrochi coniungit matrimonio ſponſos.

1 ZErola, & Laurettus de Franchis ſupra citati abſolutè affirmant ſine limitatione, & colligunt, vt ipſi teſtantur ex Concilio *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. ſed habe Lector verba Concilij, & expende, quo fundamento dicti Doctores doceant ſuam ſententiam affirmatiuam. *Quæcumque in Diæceſi ad Dei cultum ſpectant ab Ordinario diligenter curari atque iis vbi oportet prouideri æquum eſt, propterea, commendata Monaſteria etiã Abbatiæ Prioratus, & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget Regularis Obſeruantia, &c. ab Epiſcopis etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis annis ſingulis viſitentur*, ecce quo- 2 modo ſolum viſitandi ius tribuat Epiſcopis, nec cenſurarum mentio aliqua fit. Sed *cap. quo ad Delicta*, habes quid poſſit Epiſcopus in Regulares, dum degunt in talibus locis.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares; qui adminiſtrant Sacramenta Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij ſine licentia Epiſcopi.

Dub. CCLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 Clement. 1. de Priuilegiis *tantum habet Regulares hoc ſine facultate facientes eſſe ipſo facto excommunicatos.*

2 *Suſpenditur Regularis, qui ſine licen-*

1 MIror adeo abſolutè Zerolam affirmatiuam ſententiam docuiſſe, magiſque Fundamentum, ex quo colligit opinionem dictam, nam *Clement.* 1. *de priuilegiis* tantum habet Regulares illos eſſe excommunicatos ipſo facto, & excommunicatione Papali, qui ſine Parrochi licentia miniſtrant Sacramenta dicta, non autem ibi datur facultas Epiſcopis excommunicãdi Regulares; citat etiam pro ſe Syluestrum Verb. *Excommunicatio* 7. *qu.* 14. Sed hic Doctor ſolum dicit Regulares illos eſſe excommunicatos per dictam Clementinam.

2 Dico tamen modo per Conſtitutionem Gregorij XV. poſſunt excommunicari Regulares ab Epiſcopis, dũ miniſtrant Sacramenta ſine ſui licentia, & quo ad ſpeciale Sacramentum Matrimonij Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *de Matrimonio cap.* 1. ipſo facto ſuſpendit Regularem ſine licentia coniungentem ſponſos, matrimonio ſine licentia Parrochi, ad quem ſpectabat tale munus; dicit tamen abſolui poſſe à dicta ſuſpenſione ab Ordinario Parrochi, ad quem talis coniunctio pertinebat.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum in cauſis Sanctæ Inquiſitionis delinquunt.

Dub. CCLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *In cauſis, quæ ſpectant ad fidem ſubditi ſunt Regulares Epiſcopo, & Inquiſitoribus.*

2 *An ſollicitantes in confeſſione poſſint excommunicari ab Epiſcopo ſi ſint Regulares.*

3 *In delictis, quæ ſpectant ad Sanctam Inquiſitionem non poſſunt ſe intromittere Prælati Regulares.*

4 *Quod tamen limitandum eſt, ſi dicti Prælati iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant.*

1 QVo ad cauſas Hæreſis Regulares ſubditi ſunt Epiſcopo,& Inquiſitoribus, vt habetur in cap. *Ad Abolendam*, ita commmuniter Doctores, Nouarius *in Lucerna Regularium*, verb. Hæreſis,Riccius *part.1. in praxi reſolut.547. & part.2. reſolut.218.* & modo ex Bulla Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex* in omnibus cauſis, quæ ad Inquiſitionis Officium pertinent ſubduntur; An autem poſſint ab Epiſcopo excommunicari non inuenio licet excommunicati ipſo iure ſint, qui in hæreſim incidunt per Bul-
2 lam Cenæ. Quo ad Regulares autem ſollicitantes in confeſſione, quæ cauſa iam per omnes Mundi partes ab Inquiſitores, & Ordinarios ſpectat per Bullam Gregorij XV. quæ incipit *Vniuerſi Dominici Gregis* licet ibi graues pænæ enumerentur, quæ talibus delinquentibus etiam Regularibus infligi poſſunt; attamen cum excommunicationis pęnam non nominet, nec recenſeat ob rationem ſæpius dictam puto non poſſe Regulares priuilegiatos hac pæna affici. Vide verba Bullæ, quæ talia ſunt. *Et quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint in eos pro criminum qualitate, & circumſtantijs ſuſpendi ab executione Ordinis priuationis beneficiorum, dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, ac paſſiuæ ſi Regulares fuerint exilij damnationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuum abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pænas decernant, eos quoque ſi pro grauitate maiores pænas meruerint debita degradatione præcedente Curiæ ſæculari puniendos tradant.* Cum ergo in his verbis ſpecialis non fiat mentio excommunicationis, vt debere fieri puto.

3 Nec in talibus delictis poſſunt ſe tamquam Iudices intromittere Prælati Regularium, nam licet per Conſtitutionem peculiarem Pij IV. quæ incipit *Paſtoris æterni*, poſſent eſſe Iudices Prælati Regulares in talibus cauſis. Vnde licet Inquiſitoribus concederetur facultas procedendi in Regulares, hæc tamen concedebatur, dum non erant præuenti à Prælatis, attamen memorata Conſtitutio quo ad hoc, nec fuit vſu recepta, vt dicit Pegn. *Commen.77. verſic. Tametſi verò part.3.* & demum Paulus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex* edita ann.1606.expreſsè declarauit, & prohibuit, ne Superiores Regulares in cauſis Sancti Officij procedant, auocando etiam cauſas coram ipſis pendentes ad Sanctum Officium, ſub varijs grauibus pænis.

4 Aduerte tamen; Quod ſi dicti Superiores habeant in aliquo loco iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, tunc poſſunt procedere contra Regulares non obſtante dicta Bulla. Ita tamen, vt ſimul cum Inquiſitore procedant, Ita Carena *in tractatu de Officio Sanctæ Inquiſitionis parte ſecunda, titul. 17. §. 10.* qui tamen dat

dat conſilium Superioribus, vt ſtatim accepta denuncia de ea certiorem reddant Supremum Tribunal Vrbis.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum delinquunt in caput *Cupientes de Pœnis in Clement.*

Dub. CCLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Quid præcipiatur Regularibus per Clement.* Cupientes.

2 *Datur facultas Superioribus, vt poſſint adſtringere ſtatutis pænalibus recuſantes ſeruare ibi præcepta.*

1 AFfirmatiuè. & ſine fundamento docent Zerola, & Laurettus de Franchis *locis citatis*; ſed videndum eſt, quid præcipiat Regularibus caput *Cupientes*. Præcipit ergo ſub excommunicationis pæna, & alijs etiã grauibus ne loca de nouo recipiant, receptaque transferant, vel alimento mandat etiam Regularibus concionantibus, ne retrahant à ſolutione Decimarum in concionibus. Ibi etiam prohibetur Regularibus, ne mo ueant ad iurandum, vouendum, promittendum ſepulturæ electionem apud Eccleſias Regularium. Hæc omnia ibi mandantur, & ſub pæna excõmunicationis ipſo facto incurrenda reſeruata Sedi Apoſtolicæ, nec Epiſcopis video ibi talem facultatem tri-
2 butam. Verum quidem eſt Superioribus dari facultatem in dicto capite, vt poſſint adſtringere ſtatutis pænalibus omittentes, & recuſantes hoc facere, & ſeruare ibi præcepta.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Prælatos Regulares permittentes egredi Moniales, etiam exemptas, ſine eius licentia.

Dub. CCLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Doctores, qui affirmatiuè reſpondent referuntur.*

2 *Alij adducuntur pro ſententia negatiua.*

3 *Authoris opinio.*

4 *Clauſura propriè in caſu poſito non violatur, cum iuſta cauſa egrediendi ſupponatur.*

5 *Nec Conſtitutio Pij V.* Decori *dat facultatem Epiſcopis excommunicandi in hoc caſu Regulares.*

1 AFfirmatiuè reſpondent apud Barboſam *ſeſſion.* 25. de Regul. cap. 5. Campanilis, Stephanus Vveims Armorandiz, Ioannes Sancius *in Selectis diſput.* 50. *num.* 25. *verſ. Obiter*, qui ita habet. *Obiter tamen ſcias diuerſam poni à Concilio licentiam ad exitum a Monaſterio, & licentiam ad ingreſſum ad exeundum à Monaſterio requirere licentiam* Epiſcopi, nec ſatis eſſe licentiam alterius Superioris cui ſubiacet Monaſterium, & ita declaraſſe Cardin. ait Rodriquez 1. *tom. quaſt.* 49. *art.* 6. *quamuis in Hiſpania non obſeruari fateatur ad ingrediendum verò Monaſterium Epiſcopi licentia deſideretur ſi ei ſubiaceat, vel alterius Superioris tantum cui Monaſterium ſubditur, & ob id Concilium diſiunctiuè loquitur.*

2 Sed ſcias Barboſam *loco ſupra* citare

re plures DD. pro contraria ſentẽtia inter quos eſt Lezana *cap.25.tom.1. num.21*.qui tamen non dicit expreſsè contrarium,& licet referat conſuetudinem, quam dicunt multi eſſe in Hiſpania,addit tamen hæc verba, *Diligenter tamen intuendum eſt; an hæc ſit vera conſuetudo eo quod lex Eccleſiaſtica non amittit ſuam vim niſi poſt longam præſcriptionem, Suarez tom.4. de Religione tractat.8. libr.1. cap.9. numer.14.* citat etiam Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum diſput.20. quæſ.6.* qui etiam contrarium videtur defendere per hæc verba. *In Monaſterijs vero exemptis, quæ Regularibus ſubduntur facultas excundi concedenda eſt à Superiore Ordinis, & præterea ab Epiſcopo, vel eius Vicario, vt habetur in Concilio Tridentino ſeſſ.25.cap.5.& in Bulla Pij V. quæ incipit Decori: Quidquid dicant in contrarium Roderic. Mirand. dicentes, quod in Hiſpania dicta Conſtitutio Pij V.neque ad vſum redacta contra quos diſputat præcipuè Suarez de Religione tom.4. libro 1. capit.9.*

3 Sed ego ex Concilio non video, quomodo hæc facultas excommunicandi Epiſcopis conueniat; dicto enim capite expreſsè datur hæc facultas in duobus caſibus. Primo, quando violata eſſet clauſura abſolutè;tũc enim Regulares Prælati, & alij exempti debent curare, vt clauſura obſeruetur. Secundo, quando Monaſteria poſita extra Ciuitatem vellẽt reducere intra, vel ad noua, vel ad antiqua, & aliquis impediret tunc facultatem habent Ordinarij excommunicandi inobedientes, & contrauenientes. Quando autem ibi agitur de hac licentia danda monialibus egrediendi ob aliquas cauſas non exprimitur, nec conceditur hæc facultas.

4 Neque poteſt dici, quod clauſura in his caſibus violetur; vnde poſſunt excommunicari Pręlati,qui hanc voluntatem permittunt, nec eam impediunt.

Nam reſpondeo, propriè clauſuram non violari, cum ſupponatur iuſta ex cauſa egredi; violatio autem clauſuræ tunc fit, quando ſine cauſa legitima fit egreſſio ex Monaſterio. Licentia autem Superioris hic requiritur ad hoc,vt approbetur iuſta cauſa, & ad euitandas fraudes, quæ in hoc fieri poſſunt.

5 Nec per Conſtitutionem PijV.quæ incipit *Decori* video eſſe datam talem facultatem Epiſcopis excommunicandi Regulares exemptos in caſu poſito,vt legenti patebit.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares,qui ſuſcipiunt ad habitum Moniales ſine licentia eiuſdem. Dub. CCLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuam ſententiam docent aliqui.*

2 *Ex declaratione Sacræ Congregationis quam adducunt Doctores affirmatiuè reſpondentes non colligitur,quod intendunt.*

3 *Ad Abbatiſſam,& ad vocales Monaſterij pertinet Nouitiam ad profeſſionem admittere.*

1 Affirmatiuè reſpondet, vt dixi Zerola,*loco ſupra*,& etiam verb. *Monialis* §.14. qui adducit ad verbum de-

declarationem Sacræ Congregationis tenoris ſequentis: *Primo, Moniales ſubiectæ iuriſdictioni Regularium exemptorum, ſi ſine licentia Ordinarij egreſſæ fuerint à Monaſterijs debent ipſæ, & ipſorum Superiores de quorum licentia e Monaſterijs egreſſæ fuerint per Cenſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia ab eodem Ordinario puniri non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, & cæt. Secundo, ſi Superiores earumdem Monialium habitum dederint antequam ab Ordinarijs examinata fuerint contra decreta Concilij Tridentini faciunt.* Sequitur dictam declarationem per extenſum referent, ego hic omitto breuitatis gratia, &
2 referam cap. *Quo ad Moniales*, nunc autem tantum hæc verba declarationis ſunt examinanda, ex qua colligit ſuam opinionem dictus Zerola, & ſic dico ex his verbis tantum colligi, requiri examen dictarum Monialium ad habitum receptarum, non autem requiri licentiam. Vnde Tamburinus *de iure Abbatiſſarum quæſt.1. diſput.4.* 1 nullam facit mentionem de hoc, & *quæſit.2.* dicit tantum requiri, quod Epiſcopus examinet ad profeſſionem admittendã, & ꝙ Abbatiſſa certiorẽ faciat Epiſcopũ de profeſſione admittẽda, & *diſp.6. quæſ.5.* dũ loquitur de his, ad quos ſpectat nouitiã ad profeſſionẽ admittere docet ad Abbatiſſã, & ad vocales Cõuentus, nec mẽtionẽ aliquam facit de hac licentia Epiſcopi, etiam reſpectu Monaſteriorum illi ſubditorum; & ſic à fortiori hæc licentia non requiritur in Monaſterijs exemptis, cum ad ipſum non ſpectet aliquem Religioni exemptæ incorporare. Concludo ergo, & dico in caſu poſito, nec Prælatos Regulares poſſe excommunicari ab Epiſcopis, nec requiri Epiſcopi licentiam ad talem receptionem licet eius examen requiratur, vt videbimus capite *Quo ad Moniales* infrà.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, qui publicant Indulgentias impetratas à Summo Pontifice ſine eius licentia.
Dub. CCLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Malè citatur Trident. duobus in locis, ex quo non colligitur poſſe ab Epiſcopo excommunicari Regulares in caſu poſito.*

2 *Regulares, qui præſumũt abſoluere, & à culpa, & à pæna ſunt excommunicati, & tales poſſunt ab Ordinarijs denunciari.*

AFfirmatiuè reſpõdent dicti Doctores Zerola, & Laurettus de Franchis, à quibus citantur ad hoc duo loca Concilij, in quibus Conciliũ nihil dicit in tali materia, ſed debuit eſſe error impreſſionis loca ſunt *ſeſſ. 6. cap.3. & ſeſſ. 24. cap. 11.* hic tamen error fuit cauſa vt alij etiam, & DD. & Impreſſores errarent. Sic Gauantus in *Manuali Epiſcopi Regular. Iura ſub Epiſcopo*, eadem loca citat. Sed in eis vt dixi non loquitur Concilium de Indulgentijs, mentionemque nullam facit caſus poſiti, benè verum eſt dictum Concilium *ſeſſ.21. cap.9.* habere talia verba. *Indulgentias verò, aut alias peculiares gratias, quibus non ideo Chriſtifideles decet priuari deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de*

Ca-

Capitulo debitis temporibus populo publicandas eſſe decernit. Sed ex hoc non video quomodo deduci poſſit poſſe excommunicari Regulares, qui ſine licentia Ordinarij Indulgentias conceſſas publicant.

2 Nota hic obiter Regulares illos, qui præſumunt abſoluere, & à culpa & à pæna, vt ipſi dicunt eſſe excommunicatos per *Clemen.* 1. *de priuilegijs*, iſti enim ſic facientes Indulgentiam plenariam concedere præſumunt, vt dicunt Sylueſtr. *Excommun.* 7. *nu.* 41. Suarez *de Cenſur. Diſput.* 22. *Sec.* 4. *num.* 19. *Sayr. lib.* 3. *de Cenſur. cap.* 29. *num.* 38. apud Theſaurum, *de Pænis Eccleſiaſtic. par.* 2. *verb. Indulgentia c.* 1. qui addit, tunc à locorum Ordinarijs poſſe excommunicatos Regulares denunciari talis, ſed de hoc adeſt infra peculiare dubium.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares executores vltimarum voluntatum ſi in hoc delinquant.

Dub. CCLXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo licitè poſſint eſſe executores vltimarum voluntatum Regulares remiſſiuè.*

2 *Regulares executores vltimarum voluntatum in communi fere ſententia ſubduntur Epiſcopis.*

3 *Rodriquez cum diſtinctione in hac re procedit.*

4 *Ex Concilio Tridentino videtur colligi, quod Regulares Epiſcopo ſubdantur dum ſunt executores, &c.*

5 *Dato etiam quod ſubderentur, non per hoc poſſent ab Epiſcopo excommunicari.*

6 *Notabilis aliquorum opinio innuitur.*

1 Licet Regulares nequeant eſſe executores vltimarum voluntatũ ſine licentia ſuorum Superiorum, vt habetur *in cap.* 2. *de Teſtament. in* 6. his verbis: *Religioſus executor ab aliquo in ſua vltima voluntate deputatus non poteſt (cum velle, vel nolle non habeat) huiuſmodi Officium ſuſcipere, vel exequi niſi à Superiore ſuo petita ſuper hoc licentia.* Quæ tamen licentia ſufficit, quod ſit tacita. Vide ad hoc Lezanam *primo tom. cap.* 9. *num.* 9. licet inquam Regulares nequeant tale munus exercere, dum tamen cum debitis Conditionibus, & requiſitis exercent, tunc eſt dubium; an ſubdãtur ita Epiſcopo, vt poſſit in eos cenſuris procedere.

2 Communis ergo fere Doctorum ſententia docet ſubdi in hoc Regulares etiam exemptos Epiſcopis. Ita Riccius in Collect. *deciſ.* 503. *& in praxi deciſ.* 547. Martha *Piſana deciſ.* 3. Gauantus *Regularium iura ſub Epiſcopo*, & alij plures. Quidquid videatur dicere, & ſuſtinere Emanuel Roderic. *tom.* 3. *qq. Regul. qu.* 70. *art.* 5. dum habet. *Reſpondeo dicendo, quod Religioſus teſtamentarius etiam ſi ſit exemptus, vel Prælatus tenetur reddere rationẽ Ordinario, & Ordinarius tenetur exigere. Quod Riccardus limitat in Religioſos habente exemptionem communem, & tamẽ potente conueniri ratione Contractus, vel delicti ſeu rei, vt in caſu cuiuſdam Decretalis ſecus in eo, qui etiam ex prædictis conueniri non poteſt, quia talis ab Ordinario puniri non poteſt, & hanc opinion mſequitur Sylueſter, & huiuſmodi ſunt omnes Mendicantes, & omnes, qui eorum gaudent priuilegijs, prout reſolutum eſt in* 3. *tomo.* Ita Roderic.

4 Sed quod ſubduntur videtur colligi, videtur clarè ex Concilio Trident. *ſeſſ.22. cap. 8. de Reformatione*. Dum habetur ibi. *Epiſcopi etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ*.

5 Sed quidquid ſit de hac ſententia, quam melius examino *cap. Quò ad varia circa finem*; dato etiam, quod Regulares ſubdantur in hoc Epiſcopis adhuc non video quomodo ſubdantur, quo ad cenſuras; multis enim in caſibus, vt ſæpè in hoc tractatu habes ſubduntur, & tamen non per hoc Epiſcopi in eos poſſunt cenſuris procedere, & ſic negatiuè reſponderem.

6 Nota hic obiter, quod fortè non reperies paſſim apud Doctores, ita eſſe Epiſcopum vltimarum voluntatum executorem, vt non deſint, qui doceant omnium voluntatum vltimarum eſſe executorem, ſed neſcio quo fundamento, vide Ferro Manrique *par.2.qu.63*. vbi alios citat.

An Epiſcopus poſſit excommunicare Regulares, dum ei ſubſunt in reconuentione.
Dub. CCLXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Dubitat Author an in reconuentione ſubdantur Regulares Ordinario, ſed eſto, quod ſubdantur negat poſſe ab Epiſcopo excommunicari.*

2 *Executio ſententiæ in reconuentione factæ non debet fieri per Iudicem reconuentionis, ſed per Iudicem exempti.*

1 RESpondeo, dato etiam, certum eſſet per reconuentionem fieri aliquem ſubditum licet exemptum Iudicis illius, ſub quo primo conuenit, vti volunt Doctores in *caput ſecundum de Mutuis, & petit.* & Gloſſ. in caput *Vt ſi Clerici*. Attamen cum Regulares ſint exempti, & ratione delicti, & contractus, & rei, vt decernit Gregor. II. vt videri poteſt *in Mari magno Sixti IV*. apud Confect. *pag.64.* & apud Bordonum *De exemptione, & ſubiectione num.3.* non auderem dicere in tali reconuentione ſubdi Epiſcopis. Sed eſto quod ſubderentur, attamen non poſſent excommunicari ob Fundamentum ſæpius dictum. Immò nec etiam pena aliqua alia puniri, cum executio ſententiæ in reconuentione factæ non debeat fieri 2 per Iudicem reconuentionis; ſed per Iudicem exempti, vt docet Bellettus *in ſuis diſquiſitionibus par. 1. §. 3.* aſſerens Clericum in cauſa reconuentionis condemnatum à Iudice ſæculari, attamen non poſſe ſubiacere pænæ, quo ad executionem, niſi per Iudicem Eccleſiaſticum citat ad hoc multos Doctores. Idem ergo dicendum eſt à pari in caſu noſtro reſpectu Regularium, nam ſicuti eximitur Clericus à Iudice ſæculari. Ita etiam Regularis ab Ordinario, ab Epiſcopo, quidquid ſit de radice, & principio exemptionis.

Ecce omnes caſus adducti à duobus Doctoribus conſiderati, illos autem, quos hic non poſuimus, & conſiderauimus alibi ſuis locis habes.

An

An Regulares lacerantes cedulones affixos per Epiſcopum incidant in excommuuicationem latam ab Epiſcopo contra lacerantes, & cæt.
Dub. CCLXXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Dum Epiſcopus non exprimit Regulares, nec eos in dicto caſu cenſuris ligat.*

2 *Si autem exprimeret, tunc ligaret, & quare hoc teneat Author.*

3 *Si Regulares impediant Epiſcopos vti ſuis inſignijs poſſunt ab eodem excommunicari.*

4 *Per exemptionem non liberantur Regulares à iure reuerentiali debito Epiſcopis.*

5 *Per caput* Dilectus de Pœnis *habetur iniuriantem Iudicem poſſe puniri ſolum à Superiori, quod eſt aduertendum.*

1 NEgatiuè reſpondet expreſsè noſter Alphonſus de Leone *in ſuo vltimo tractatu de Cenſuris recollect.2. num.*473. Ratio ipſius eſt, quia generaliter eſt lata contra lacerantes, nec expreſsè nominantur Regulares. Sed vellem ſcire; an etiam ſi exprimeret Regulares, tunc ligaret illos.

2 Videtur dicendũ nõ ligari tũc Regulares ob priuilegia dicta, quæ habent, ne poſſint excommunicari. Sed etiam quis dicere poſſet tunc ligari, quia dum lacerant cedulones iuriſdictionem Epiſcopi turbare videntur, perturbantes autem iuriſdictionem poſſent ab Epiſcopis puniri, vt Doctores communiter *in caput* 1. *de Officio delegat.* quorum magnam caternam legere potes apud Farinaccium *in Praxi Criminal. quæſt.*114. *numer.*67. & *conſil.*134. Quod ita ampliatur; vt etiam ſi exempti ſint in dignitate conſtituti, ratione enim offenſæ ille qui non erat Iudex fit Iudex.

3 Sic ſi Regulares impediant Epiſcopos vti ſuis inſignijs, qui illi debentur, vel conſuetudine, vel de iure poſſunt ab eiſdem excommunicari. Ita Laurettus de Franchis pag. mihi 343. & colligitur eodem fundamento, & inſuper ex cap. *ſi quis diſt.* 94. & ex Concilio magis clarè *ſeſſ.*25. *cap.*3. vbi cenſuræ dari permittuntur ob cauſam arduam; ſed cauſa honoris eſt ardua per leg. *Inimicitia in finem* §. *de his*, ergo.

4 Quod ſi dicas permittitur hoc Epiſcopis reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem Regularium exemptorum. Reſpondeo etiam in caſu poſito hoc eis competere reſpectu Regularium exemptorum; nam per exemptionem non liberantur Regulares à iure reuerentiali debito Epiſcopis, vt alibi dicimus: Quod autem perturbatores iuriſdictiones Ordinarij poſſint ab eodem coerceri cenſuris docent Innocent. in *cap. Dilectus de Pœnis* Stephan. Aufrerius *de Poteſt. ſecul. ſuper Eccleſ.*23. Ioannes Royas *de hæreticis part.*1. *numer.*555. Ignatius Lopez *in Tract. Criminal. c.*3. *numer.*7. apud Cokier *part.*3. *de Iuriſdictione in exemptos quæſt.*41. *num.*4. *tom.*2. Aduerte tamen, quod dicto capite *Dilectus de pœnis* tantum ha-

betur. Iudicem iniuriantes poſſe, & debere puniri per Superiorem, non autem per Iudicem pet hæc verba. *Iuxta Superioris arbitrium digna poterit animaduerſione puniri,* quod aduertendum certè eſt ab exemptis.

An excommunicatio lata in Synodis contra malè abſoluentes confeſſarios liget Regulares.
Dub. CCLXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Bordonus vt ſibi contrarius notatur.*
3 *Authoris opinio.*

1 NEgatiuè reſpondet Bordonus *reſolut.9.quæres 6.* probat; quia Regulares ſunt exempti ratione delicti à iuriſdictione Ordinarij per Conſtitutionem Gregorij II. *in Mari magno Sixti IV.* qui dictam Conſtitutioně confirmauit, vide Confectium *pagin. mihi 64.* addit etiam dictus Bordonus ſe probare hoc *reſolut.7. quæſtio.4.*
2 ſed ibi video ab ipſo contrarium probari nam ſic habet. *Quæres an Religioſi ſubdantur legibus Synodalibus, aut Conſilijs Prouincialibus, Reſpondeo; nam ſubijciuntur decretis contentis in eorum Synodis, aut Conſilijs neque, quo ad eorum obſeruationem niſi quatenus Religioſi aliquo fungantur Officio dependenter ab Epiſcopis, vt ſunt Officium Parrochi Confeſſarij, Concionatoris, & cæt.* ſed modo ſumus in vno ex is caſibus, ſcilicet in caſu, quo Regulares ſunt Confeſſarij; Ergo potius ex hoc contrarium probat Bordonus loco dicto; probat ergo melius meo iudicio *reſolut.36. quæres 30.* Quia Epiſcopus fortè non poteſt punire Regulares delinquentes in confeſſionis miniſterio alia pęna, quam priuationis, ac ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus; tum quia nec apud Sacram Congregationem neque apud Doctores habetur Epiſcopum poſſe alia pęna punire Regulares in hoc miniſterio delinquentes, hæc autem pęna rationabilis eſt, in eo enim quis debet puniri in quo delinquit, ſed quidquid ſit de hoc.
3 Dico modo ſi exprimerentur in decreto excommunicante malè abſoluentes Regulares, iam ligarentur excommunicatione per Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs,* in qua datur auctoritas Epiſcopis cenſuras fulminandi in Regulares etiam delinquentes in Sacramentorum adminiſtratione. Dixi ſi exprimerentur, nam Regulares debent exprimi in ſtatutis Epiſcopi ſi debent eis ligari, dum poſſunt, vt tenet noſter Alphonſus de Leone *de Cenſuris recollec.2. num.473.* ſupra.

An Epiſcopus poſſit interdicere Regulares, & eorum Eccleſias.
Dub. CCLXXXXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia communis eſt.*
2 *Quæ*

2 *Quæ extenditur etiam ad Eccleſias Regularium.*
3 *Nec obſtant caput* Si Ciuitas, *aut Concilium Tridentin.* ſeſſ. 25. cap. 12. & 22.
4 *Quando interdictæ ſunt Eccleſiæ Regularium etiam interdictæ intelliguntur capellæ, &c.*
5 *Tenentur Regulares ſeruare interdicta ab Ordinario poſita.*
6 *Per Tridentinum non tolluntur ſuſpenſiones interdicti, quibus ob priuilegia gaudent Regulares.*
7 *Declaratio Sacræ Congregationis, quam adducunt pro contraria ſententia multi Doctores, quomodo intelligatur.*
8 *Qui ſint dies, in quibus ſuſpenditur interdictum in Eccleſijs Regularium; remiſſiuè.*
9 *Qualiter teneantur Regulares ſeruare interdicta ab Epiſcopo poſita.*
10 *In ſententia probabiliori nequeunt in Eccleſijs Regularium intereſſe Diuinis Officijs benefactores, Cappellani, & ſimiles.*
11 *Secundum aliquos Syndici Minorum, (quos dicunt) eorumque filij, & vxores Medici quoque, quod tamen non probatur ab Authore.*
12 *Quid dicendum, de Parrochis Regularib. an poſſint interdici ab Epiſcopo.*
13 *Cur Parrochi Regulares poſſint interdici ab Epiſcopo, affert peculiarem rationem Auctor.*
14 *Regulares, qui delinquunt non poſſunt ab Epiſcopo interdici.*
15 *Eccleſias Parrochiales Regularium, quomodo interdicere poſſit Epiſcopus, diſtinctio auctoris notabilis.*

1 NEgatiuè reſpondent communiter Doctores. Ità præcipuè Lezana verb. *Interdictum quo ad Regulares num. 9.* Fundamentum eſt, quia interdicere eſt actus iuriſdictionis, quã in Regulares non habent Epiſcopi. Deinde ſunt multa priuilegia à Sede Apoſtolica varijs Religionibus conceſſa adeſt priuilegium Honorij III. & Vrbani IV. pro Ciſtercienſibus, & Gregorij IX. pro Congregatione Montis Olіueti, & *in Mare Magno Seruitarum*, vt referunt Rodriquez *tom. 2. qu. Regular. qu. 108. art. 3.* Miranda *in Manu. Prælator. tom. 2. qu. 38. art. 12. concluſ. 3.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 2. diſp. 15. dub. 2.* & alia etiã priuilegia, quæ citat Lezana *loco ſup.*

2 Idemque dicendum eſt de Eccleſijs Regularium, quæ nequeunt interdici ab Epiſcopo interdicto particulari ſpeciali; Epiſcopus enim nullam habent directè iuriſdictionẽ in Eccleſias exemptas Regularium.

3 Nec obſtant caput *Si Ciuitas*, aut Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. c. 12. & 22.* nam loquuntur de interdicto generali locali poſito ab Epiſcopo, quo etiam interdicuntur Eccleſię Regularium; quia alias vilipenderetur interdictum, cum poſſent tunc Ciues illius Ciuitatis, vel oppidi confugere ad Eccleſias exemptas. Et tunc ſcias:

4 Quando intelliguntur interdictæ Eccleſiæ Regularium, etiam intelligi interdictas Cappellas, & Cæmiteria ipſis contigua, ex citato cap. *Si Ciuitas*; quia cenſentur hęc omnia vnum corpus cum Eccleſijs; Secus tamen dicendum cum non ſunt contigua. Hæc omnia habes apud Lezanam *loco citato*, apud quem etiam alios multos Doctores videbis.

5 Tenẽtur tamẽ Regulares obſeruare interdicta ab Ordinario poſita, Ità

Synodus Tridentin. *ſeſſ.24. cap.12. de Regular. Cenſura, & interdicta ne dum à Sede Apoſtolica emanata; ſed etiam ab Ordinarijs promulgata mandante Epiſcopo in eorum Eccleſijs promulgentur, &*
6 *ſeruentur*. per Concilium tamen non tolluntur ſuſpenſiones interdicti multis diebus, quibus ob priuilegia Regulares in eorum Eccleſijs ſeruare non tenentur interdicta, licet contrarium ſuſtineant. Nauarrus *in Manual. c.7. num.190. & lib.5. Conſ. tit. de priuileg. conſ.7. per tot.* Nicolaus Garzias *de Beneficijs par.3. cap.2. num.280. & p.5. cap.8. num.87.* vbi refert quamdam Sacræ Congregationis declarationẽ directam Epiſcopo Abulenſi, ob quã Tamburinus etiam eſt in eadem ſententia. Ita *tom. 2. de Iure Abbatum,*
7 *diſput. 16. quæſ.4.* vbi relatam ad verbum habes declarationem; quæ loquitur ſolum de ſuſpenſione interdicti, quæ in Eccleſijs Regularium fiebat in diebus feſtis Sanctorum Ordinum ſuorum, non autem de ſuſpenſione interdicti facta ab eis alijs feſtis diebus contentis, *cap. Alma mater de ſentent. excommunicationis*, Sed nec hãc ſuſpenſionem eſſe ablatam per Concilium defendunt Lezana *cap.21. to.1. num.19.* & apud ipſum Peirinis *tom.1. Priuileg. in Conſtitutionem 2. Sixti IV. nu.55.* Gauantus *in man. Epiſcop. verb.*
8 *interdictum à numer.10.* qui autem ſint dies quibus ſuſpenſionem ab interdictis facere poſſunt. Vide apud Mirandam, qui latè de hoc agit *in Manual. Prælator. tom.2. de ceſſatione à Diuinis quæſt.38. per multas concluſiones*, & Lezanam *loco ſupra*.

9 Qualiter autem teneantur ſeruare habes communiter apud Doctores ſingulis diebus in Eccleſijs, & Monaſterijs ſuis poſſunt Miſſas celebrare, dicere Officia Diuina ſicut prius ſubmiſſa tamen voce, ianuis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis non pulſatis. Ita iure communi habetur ex Bonifacio VIII.
10 in caput *Alma Mater*. Non poſſunt tamen dictis Diuinis Officijs intereſſe benefactores, Cappellani, familiares Regularium, aliçque perſonę in dictis Monaſterijs degentes, vt tradit Tamburinus *tom 2. diſput.16. de Iure Abbatum quæſit.2.* quia hoc priuilegium abrogatum eſt per Concilium *Tridentinum ſeſſ.24. de reformatione cap.11.* vbi tantum dicitur frui exemptionibus, & priuilegijs Regularium illos ſæculares, qui intra Regularium ſepta viuunt, actu ſeruiunt, & ſub eorum obedientia exiſtunt, & ſic non videtur vniuerſaliter familiares omnes Regularium frui eorum exemptionibus, & priuilegijs. Vnde ſtando in hac ſententia non eſt admittendum id, quod dicit Miranda *tom.2. in Manuali quæſt.35. concluſio.12.*
11 Sindicos ſcilicet Ordinis Minorum, eorumque vxores, & filios tempore interdicti poſſe admitti ad Diuina. Item Medicos; bene tamen admitti poteſt, quod poſſint admitti ad Diuina eos, qui ſunt continui commenſales, & viuunt ſtipendijs Monaſteriorum, iuxta priuilegium conceſsum à Benedicto XIII. Patribus Sancti Hieronymi Hiſpaniæ teſte Portel. qui multa alia adducit priuilegia circa hoc Regularibus conceſſa, quæ quidem non puto eſse ablata per citatum locum Tridentini, ſunt enim priuilegia, quæ primario forte reſpiciunt Religioſos ipſos, & ſecundario familiares ſæculares, in illo autem lo-

loco Concilij priuilegia, & exemptiones conceſsæ per communicationem dictis ſæcularibus commenſalibus tolluntur non autem exemptiones Regularium, ſed de modo quo debent ſeruare interdictum Regulares ſiue impoſitum ſit à Sede Apoſtolica, ſiue ab Ordinario loci tractant communiter omnes Doctores, qui agunt de cenſuris, nec hoc conſiderare ſpectat ad noſtram materiam.

12 Dubitare ergo quis hic poſset, an ſaltem Epiſcopus poſſit interdicere illos Regulares, qui in ſua Diæceſi Parrochi ſunt, & illas Eccleſias, quæ ſunt Parrochiales interdicto ſpeciali, & cæt.

Affirmatiuè reſpondet Tamburinus, *tom.2. diſput.* 16. *quæſit. ſecundo,* & Miranda, *in Manuali quæſt.*38. *to.*2. *concluſione* 3. & colligunt hoc ex *cap. Cappella de Priuilegijs,* in quo habetur potuiſſe Epiſcopum Lingonenſem procedere in Canonicos Capellę Ducis Burgundiæ, qui ita erant ab Ordinarij poteſtate exēpti, vt non poſſent ab eo interdici, dū deliquerunt in eis in quibus ſubdebantur Ordinario, & ſic ibi concluditur. *Quo circa mandamus quatenus in quantum exempti ſunt eiuſdem ratione capellæ Apoſtolicis priuilegijs deferas reuerenter; ſed in quantum ratione Parrochialium Eccleſiarum, vel alias iuriſdictionem tuam reſpicere dignoſcuntur Officij tui debitum in eoſdem liberè proſequaris.* Sed reuera ex dicto textu, niſi aliud fundamentum adducant non poteſt benè colligi dicta ſententia; nam, quod prætendebant Canonici erat, ne poſſent etiam ſi Parrochiales Eccleſias haberent puniri ab Epiſcopo, & hoc ex vi priuilegij, quod habebant, ne poſſent excommunicari, ſuſpendi, vel interdici; & Pontifex reſpondit, Epiſcopum benè potuiſſe dictos Canonicos liberè punire quatenus Parrochi eſſent, nec dicit expreſsè, q poſſet illos interdicere, vel melius dicit dic dictos Canonicos exēptos fuiſſe ſolū ratione loci, nō autem perſonarum, quod videtur innuere textus, dum dicit *quatenus exēpti ſunt eiuſdem ratione cappellæ. Sed quatenus ratione Parrochalium Eccleſiarum.* Regulares autem ſunt exempti & ratione perſonarum, & locorum. Vnde ex textu nequit adequatè hæc ſententia probari, puto ergo dictam

13 ſententiam firmari poſſe. Quia Regulares coram animarum habentes ſi circa hāc curam delinquant ſunt ſubditi omnino iuriſdictioni Ordinarij, ita vt etiam cenſuris puniri poſſint ab Epiſcopis, vt ſuperius diximus per Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili.*

14 Dubitabis inſuper; an Regulares, qui delinquunt in aliqua Diæceſi alicuius Epiſcopi, tunc poſſint interdici ab Epiſcopo. Affirmatiuè reſpondet Sylueſter verb. *exemptio num.*8. ſed alij teſte Miranda *loco ſupra* contrariū, tenent, quia licet id eſſet ex iure, tamen Clemens Quartus reuocando quamdam Conſtitutionem Innocentij IV. exemit minores omnino à iuriſdictione Epiſcoporum, & Ordinariorum ac ſtatuit, quod non obſtante Conſtitutione prædicta non teneantur etiam ratione delicti, contractus, vel rei, de qua agitur locorum Ordinarij ſubiacere decernens irritum, atque inane quidquid ſecus attentari contigerit, tale priuilegium, vt dicit Mirāda habetur

in monumentis Ordinis Minorum, & refertur in Compendio verb. *exemptio* §.8 ſed circa hoc à nobis habes clarium quid dicendum ſit *cap. quo ad Delicta*.

15 Remanet ergo modo tantum dubium; an ſicut poteſt Epiſcopus interdicere Regulares Parrochos, qui circa curam delinquunt etiam poſſit interdicere Eccleſias Parrochiales interdicto, ſcilicet particulari ſpeciali. Reſpondeo ergo licet non viderim Doctores in terminis hoc conſiderantes diſtinguendo poteſt interdicere Eccleſias Regularium in hoc ſcilicet ſenſu, vt prohibeat adminiſtrari in eis, quæ ad curam animarum ſpectant, puta Baptiſmum, & alia ſimilia, non autem Sacramenta Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, nam licet ſpectent ad dictam curam; attamen præciſa alia cauſa, & nullo exiſtente Regularium delicto non poterit prohibere, ne hæc in ſuis Eccleſijs adminiſtrent interdicendo ſcilicet eorum Eccleſias, cum ob priuilegia talem facultatem habeant ſic nec poterit interdicere, ita, vt prohibeat Diuina Officia in dictis Eccleſijs peragi, quia hæc non ſpectant ad curam animarum. Ita docti viri quos ſuper hoc viua voce conſului.

An Epiſcopus poſſit declarare Regulares excommunicatos dum incidunt in excommunicationem.

Dub. CCLXXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia eſt multorum, ſicut, & negatiua.*
2 *Author negatiuam amplectitur, & probat.*
3 *Doctrina aliquorum Doctorum in contrarium nō obſtat negatiuæ opinioni.*
4 *Quæritur, an quando delictum habens annexam excommunicationem eſt notorium, tunc poſſint Regulares delinquentes declarari excommunicati ab Epiſcopo.*
5 *Nec notorius Clerici percuſſor ſecundum aliquos eſt euitandus.*
6 *Declaratio quædam Sacræ Congregationis adducitur.*
7 *Etiam ſi Epiſcopus poſſet declarare excommunicatos Regulares per hoc poſſet eos abſoluere.*
8 *Poteſt Epiſcopus præcipere ſuis ſubditis, vt euitent Regularem excommunicatum denunciatum.*
9 *Nec ad iſtum effectum eſt videndus proceſſus ab excommunicante factum.*
10 *Etiam Regulares exempti obligantur euitare excommunicatos ad hoc, tamen non poſſunt cogi ab Epiſcopis.*

1 Affirmatiuè reſpondent multi Doctores Cenedus, Alterius, Riccius, Triuiſanus, Henriq. Piaſecius, Rodr. & alij apud noſtrū Alphonsū de Leone *de Cenſuris recollect. 2. nu. 449.* Ne-

Negatiuè autem ſed cum aliqua limitatione reſpondent Laurentius de Peirinis, Thomas Zerola, Nauarrus, & apud Dianam *Parte 3. Trac. ſecund. Reſolut.* 35. & apud Alphonſum de Leone, Portell. Lezana; & Marcellus Vulpius

2 Dico Ergò non poſſunt Epiſcopi declarare excommunicatos Regulares; Ratio eſt, quia non poteſt quis denuntiari excommunicatus niſi etiã declaretur in excõmunicationem incidiſſe, cum ergo multa requirantur talem declarationem, ad quæ requiritur, & neceſſaria eſt iuriſdictio. Hinc eſt quod cum Epiſcopus nullam habeat iuriſdictionem in Regulares, nec etiam poſſit declarare, & denunciare eos excommunicatos.

3 Nec Doctrina Felini, & Piaſeci, quam habes apud Dianam, *loco citato* ſcilicet poſſe Regulares citari, vt declarentur excommunicati, ſubſiſtit vt notat optimè Alphonſus de Leone *loco ſupra*, quia hoc valere ad ſummum, quando adeſſet aliqua cõſtitutio, qua poſſent Regulares declarari excommunicati, quod non accidit in caſu poſito abſolute; & ſic cum Epiſcopus non habeat iuriſdictionem circa principalem, nec habebit circa acceſſorium ſcilicet ad citandum.

4 Sed quæres; an quando delictum habens annexam excommunicationem eſt notorium, tunc poſſint ab Ordinario Regulares denunciari, & declarari, & cæt. Affirmatiuè reſpondent Vgolinus, & Barboſa quos refert, & videtur ſequi Diana *loco citato*, non tamen ſe clare explicat ſuo more referens ſolum Vgolinum, & Barboſam hoc dicentes.

Negatiuè e contra reſpondet Lezzana *parte 1. Cap. 11. num. 15.* & Fundamentum eſt quia etiam in notorijs ſemper melius eſt, vt ait Genuenſis *in praxi cap. 24. num. 16.* declarationẽ excommunicationis fieri parte citata ad dicendam cauſam, quare non debeat declarari quis excommunicatus; quia, vt ipſe ſubdit multa dicuntur notoria, quæ non ſunt, eſt etiam pro hac ſententia Alphonſus Villagut relatus ab Alphonſo de Leone qui aſſerit *loco ibi citato* in criminibus notorijs hodie ex conſuetudine ſeruari in practica, vt omnino requiratur ſententia declaratoria; illud ſcilicet fuiſſe notorium crimen, & condemnatoriam Sententiam contra criminoſum talem, nec non, & neceſſario requiritur, vt cognoſcatur, & declaretur per iudicem citato ipſo reo ad hoc, vt poſſit dici delictum notoriũ,

5 quod excuſationem non habet. Vnde adeſt ſententia relata per Dianam notabilis certe; publicum, & notorium Clerici percuſſorem non eſſe euitandum, donec declaretur excommunicatus, quia ſemper aliqua excuſatio poteſt eſſe, quam adducat delinquens. Ita *Parte 5. trac. 9. de excommunicat. Reſol. 61.* vbi citat pro dicta Sententia Cæleſtinum, *in compendio Theolog. Moral.* Trac. 3. *cap. 9. Difficultate* 3. Et Couarruuiam in caput, *Alma mater parte 1. §. 2. num. 7.*

6 Scias tamen hic Barboſam in Collectan. *Bullarum* Verb. *Regulares; & Epiſcopus*, adducere declarationem Sacræ Congregationis 1633. tenoris ſequentis: *Epiſcopi poſſunt declarare excommunicatos Regulares ob delictum notoriè extra clauſtra commiſſum, vt ab alijs euitentur,*

Ob

Ob quam noſter Alphonſus de Leone putat in notorijs bene poſse ab Epiſcopis declarari Regulares excommunicatos: Sed ego non tanti facerem hanc declarationem, vt pote inſertam in libro ſuſpenſo, vt eſt Barboſa, *in Collectaneis Bullarum*, alijſque de cauſis.

7 In ſententia autem affirmante poſſe ab Epiſcopis declarari, & denunciari excommunicatos Regulares, ſcias non per hoc poſse ab eodem abſolui, ſed ſolum a ſuis Superioribus. Ita Abbas in caput. *ſignificaſti* de *for. Compet. num.* 11. Piaſeci *in praxi Epiſcop. parte* 2. *cap.* 3. Laurentius de Peirinis apud Tamburinum, *Diſput.* 14. *Tom.* 2. *quæſit.* 5. *num.* 8.

8 Quæres hic; an ſaltem Epiſcopus poſſit præcipere ſuis ſubditis, ne cõmunicent cum Regulari exempto excommunicato, Quomodocunque ſit excommunicatus vel a Summo Pontifice, vel a ſuis Prælatis.

Reſpondeo, dum excommunicatus eſt denunciatus & cæt. poteſt Epiſcopus hoc præcipere ſuis ſubditis, Ita Ricciullus *lib.* 4. *de Iure perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium.* Viuius *deciſ.* 99. *num.* 10. & alij. Ita cenſuit Sacra Congregatio Epiſcopor. Teſte eodem Ricciullo in vna, *Tropienſi ſub die* 23. *Nouembris* 1582. 1

9 Et addit idem Ricciullus quo ad iſtum effectum non eſse opus eo videre proceſsum ab excommunicante factum, citati tamen Doctores loquuntur in terminis de excommunicato alio Epiſcopo; an teneatur Diœceſanus curare, vt euitetur a ſuis ſubditis, Idem tamen eſt dicendum de excommunicato Regulari a Prelato Regulari ob eandem rationem, & colligitur ex capitul. *Cura ſit.* 11. *quæſt.* 3.

10 Scias tamen hic obligationem euitandi excommunicatos denunciatos obligare etiam exemptos a iuriſdictione excommunicantis, nam quomodocumque ſit exemptus tenetur nihilominus vitare excommunicatos per Caput *Nulli de Sententia Excommunicati*. Iſti tamen non poſsunt prohiberi ab Epiſcopis, ne communicent cum dictis excommunicatis ſub aliqua pena; ſicut poteſt hoc prohibere ſuis ſubditis nec in hoc video difficultatem.

An Nouitij poſſint excommunicari ab Epiſcopis.
Dub. CCLXXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Varie reſpondent Doctores ſed diſtinctio, qua vtitur Alphonſus de Leone probatur.*

2 *Non eſt inconueniens dicere, quod Nouitij nequeant excommunicari ab Epiſcopo, & a proprijs Prælatis.*

3 *Poteſt Nouitius ſubdi Epiſcopo in vno, & non in alio.*

Affirmatiue reſpodet Hériquez adpud Sanchez *libr.* 6. *Summ. cap.* 10.

Sed cum diſtinctione procedit noſter Alphonſus de Leone in ſuo copioſo, & erudito tractatu *de Cenſuris Recollect.* 2. *num.* 565. cuius verba hic ponam forte enim eius codex tibi lector non adeo obuius erit, *Quæres primo an ſit verum quod dixit Henriquez ſupra allegatus quod ſcilicet poſſit Noui-*

tius excommmunicari ab Epiſcopo. Reſpondetur diſtinguendo vel loquimur de delictis commiſſis tempore nouitiatus, vel de delictis commiſſis antequam Nouitius ingreſſus fuit Religionem vel ſaltem habentibus tractum ſucceſſiuum a tempore ante nouitiatum primo, caſu non eſt vera opinio Henriquez niſi Nouitius poſtquam commiſiſſet delictum tempore nouitiatus dimiſiſſet habitum iuxta opinionem, quam refert, & ſequitur Diana ſupra reſolut. 34. vel delicta commiſiſſet extra clauſtra. Riccius parte 4. praxis reſolut. 238. in fauorabilibus enim Nouitij veniunt appellatione Religioſorum, & Religioſi vt ſupra dictum eſt nequeunt ab Epiſcopis cenſuris in caſibus ſibi non conceſſis puniri.

2 Quod ſi obiicias Nouitij nequeūt abſolutè in Sententia ſatis probabili multorum excommunicari a proprijs Prælatis. Ergo debebunt, & poterunt ab Epiſcopo addit ſtatim dictus Alphonſus de Leone *loco citat.* nō ex eo quod nequeāt Nouitij excōmunicari à ſuis Prælatis ſequi poſtea, quod nequeant excommunicari ab Epiſcopo; ſicut nec ex eo, quod non teneantur caſibus reſeruatis Prælatorum Regularium, ſequitur, quod teneantur caſibus reſeruatis Epiſcopo, vt habet ipſe Alphonſus de Leone *eadem Recollect. citata num.* 478.

3 Nec obſtat etiam Nouitios ſubdi Epiſcopo, quo ad dimiſſorias pro ordinibus minoribus; vt tenent multi, quidquid ſit de hac ſententia; nam Reſpondetur etiam non implicare, quod ſubdantur in vno, & non in alio, & maximè cum ſubiectio quo ad ordines, ſit diuerſa à ſubiectione, quo ad cenſuras ferendas; & ſic fuit argumentum.

An autem Nouitij à ſuis Prælatis poſſint excommunicari. Vide dictum Alphonſum de Leone loco citato, ibi enim latè de hoc agit, & varias adducit Doctorum ſententias; ſed hæc materia non eſt noſtri inſtituti.

An Epiſcopus poſſit excommunicar Regulares impedientes reuocationem coniugis, qui valdè fuit profeſſus.

Dub. CCLXXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Cokier ad verbum refertur.*
2 *Multa priuilegia, ob quæ Regulares non poſſunt excommunicari adducuntur.*

1 HIc referam verba Cokier *part. 2. quæſt. 45. num.* 122. nam ex eis adequatè ſoluitur dubium ſunt hæc. *Epiſcopus poteſt excommunicare, & ſuſpēdere exemptos impedientes reuocationem coniugis è Monaſterio exempto, ſi iſte coniux non fuerit validè profeſſus puta ſine licentia alterius coniugis; vel illius in ſæculo manentis nullum ſit votum continentiæ, aut ſaltem ſit temporale, niſi tamē exempti priuilegium habeant, ne poſſint excommunicari, &c. quale habent Mendicantes, vt conſtat ex eorum compendio verb. exemptio num. 9. & Societas Ieſu ex Bulla Pauli III. ipſi conceſſa anno 1549. & ita in terminis reſoluit Thomas Sanchez eiuſdem Societatis Doctor tract. de matrimonio lib. 7. diſput 33. num. 21. & ratio eſt, quod in propoſita ſpetie non agatur de Religionis priuilegijs, aut de ſtatu Regularium, ſed de matrimonij inſtauratione, quod Ordinarij proprium eſt.* Hęc Cokier.

2 Sed

2 Sed quia toto hoc capite ſæpius diximus, Regulares eſſe priuilegiatos ne interdici, excommunicari, aut ſuſpendi poſſint; hic placet ad Lectoris ſtudioſi commoditatem aliqua priuilegia referre ex innumeris, quæ circa hoc habent Regulares. Vrbanus IV. in fauorem Ciſtercienſ. ſupponẽs iam in hoc dictam Religionem eſſe priuilegiatam, ſic habet: *Sanè nobis exponere curauiſtis, quod ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ obtinetis, vt nulli omnino hominum liceat in vos, vel veſtra Monaſteria, & cæt. excommunicationis, interdicti, ſeu ſuſpenſionis ſententias promulgare, &c. Nos itaque veſtris precibus inclinati, &c.* eſt tale priuilegium apud Chryſoſtomum Henriquez *in priuilegijs Ordinis Ciſtercienſis pag. 72.* & hic Ordo eſt adeo in hoc priuilegiatus, vt nec in eius familiares ſeruientes, & benefactores poſſit excommunicationis ſententiam promulgari lege apud eumdem Henriquez Priuilegium Innocentij IV. *pag. 63.* & ſi multa alia ſimilia indulta vis videre adire te nõ pigeat Cappucinum *in Compendio verb. excommunicatio.*

QVO AD ABSOLVTIONES, *& Diſpenſationes. Cap. XIX.*

An Regulares ſubijcere ſe poſſint Epiſcopo in foro pænitentiali. Dub. CCLXXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Variæ Doctorum opiniones referuntur.*

2 *Regulares poſſunt ſe ſubdere Epiſcopo in caſibus in quibus poſſunt Epiſcopi eos abſoluere ex indulto Pontificis, & tunc ſine licentia Prælatorum.*

3 *Nec obſtat dicto, etiam ſi facultatem abſoluendi habeant Prælati Regulares.*

4 *Regulares poſſunt ſe ſubdere Epiſcopo de licentia ſuorum Prælatorum, vt ab eo abſoluantur in caſibus, in quibus eorum etiam Prælati poſſunt eos abſoluere.*

5 *Quando verum ſit non poſſe Regulares renunciare exemptioni.*

6 *Diſtantia Prælatorum non facit abſolutè, quod ſine eorum licentia poſſint ſe ſubdere Regulares Epiſcopis.*

7 *Quando iniuſtè, & irrationabiliter denegarent hoc ſubditis Prælati Regulares poſſent ſe ſubdere Epiſcopo pro abſolutione.*

8 *Si Prælati Regulares nequeant ſuos ſubditos Regulares abſoluere tunc nec cum eorum licentia poſſunt ſubditi Epiſcopo ſe ſubdere.*

9 *Diſtinctio, qua procedit Bordonus affertur.*

10 *Hanc tamen reprobat Author.*

11 *Sicut Epiſcopus poteſt abſoluere aduenas, & Peregrinos, ſic in talibus caſibus Regulares. Vbi remiſſiuè an poſſit Epiſcopus in Regulares quod poteſt in aduenas.*

12 *Quæritur; an Epiſcopus dum in dictis caſibus abſoluit Regulares faciat hoc poteſtate delegata, ſeu ordinaria, & diſtinctio Bordoni ponitur.*

13 *Quam tamen reprobat Author.*

14 *Sunt Doctores, qui affirmant, debere pro tali abſolutione Regulares ſubdi Epiſcopo loci, in quo ſitum eſt Monaſterium.*

15 *Author putat ad quemlibet Epiſcopum poſſe Regulares licentiari.*

16 *Quando*

16 *Quando Diæceſanus habet aliquam poteſtatem in Regulares, eis expreſsè talis poteſtas datur.*

17 *Etiam in illa Sententia quæ docet ſine licentia Prælatorum poſſe ſe Regulares ſubdere Epiſcopo pro abſolutione, cuilibet Epiſcopo ſubdere ſe poſſunt.*

1 QVo ad Forum pœnitentiale variæ ſũt ſentẽtiæ, Cõmunior docet de licentia ſuorum Prælatorum Regulares poſse ſe ſubdere Epiſcopo, Ita Laurettus de Franchis *in Controuerſijs inter Regulares quæſt.* 92. & Bordonus *de Poteſtate Epiſcopi Reſolut. 16. quæres* 1.

Alij dicunt etiam ſine licentia poſſe Regulares ſe ſubdere Epiſcopo, Ita Valerus, Verb. *Regulares Different. 6.* qui tamen limitat, & dicit hoc valere, dum Prælatus Regularium facile adiri non poterit; Alij e contrà dicunt nec cum licentia Prælatorum ſe poſſe ſubijcere, quia exemptioni nequit cedere Regularis ſine licentia Papæ, Inter tot ergo opinionum varietates non eſt adeo facile exponere quid dicendum ſit. Ego per aliquot dicta conabor reſoluere, quod apud alios inuenies fuſe diſcuſsum.

2 Dico ergo primo, R,egulares poſsũt ſe ſubdere Epiſcopo pro abſolutione in eis caſibus in quibus poſsunt Epiſcopi eos abſoluere ex ſpeciali Indulto Pontificis, & hoc ſine licentia etiã ſuorum Prælatorum, ſic in caſu qui habetur in capite *Religioſo de ſententia excommunicationis*, poteſt Epiſcopus abſoluere Regulares illi ſe ſubdentes pro tali abſolutione etiam ſine licentia Prælatorum, hanc enim licentiam non requirit textus, ad quid ergò debent eam requirere Doctores? ſicuti ergo Epiſcopi poſsent acquirere talẽ poteſtatem ſupra Regulares cum licentia Pręlatorum, cur etiam non acquirent hanc facultatem ſi illam habeant a ſummo Pontifex? Immo a fortiore hanc auctoritatem in caſibus ſimilibus habebunt Epiſcopi.

3 Nec obſtat ſi tunc, etiam talem facultatem habeant Prælati ſcilicet abſoluendi, nam hoc non facit, quod tollatur Epiſcopis talis facultas, vtrique enim poteſt conuenire, & Epiſcopis, & Pręlatis fauor enim ſecundus Prælatis conceſſus, non debet præiudicare Epiſcopis.

4 Dico ſecũdo, Regulares poſſunt ſe ſubdere Epiſcopo de licentia ſuorũ Prælatorum, & abſolutionem ab eo obtinere, in caſibus in quibus ipſi Pręlati poſſunt abſoluere, Ita plures Doctores quorum magnam caternam congerit Bordonus, *Reſolut. 16. in ſuis Conſilijs num.* 3. Sylueſter verb. *abſolutio 5. num.* 2. Sanchez. *lib. 4. cap. 39. num.* 32. Nauarrus *Conſil. 8. de Officio Ordinarij*, Graffius *lib. 4. cap. 16. num.* 1. Bonac. *de Voto p. 7. §. 4. num.* 10. Boſſius de *Triplice Iubilæi priuilegio caſu 10. de diſpenſatione, & abſolutione*; quia cum tali licentia ſit Regularis exemptus ſubditus Epiſcopo, & Epiſcopus ipſe veluti ſubdelegatur a Prælato Regulari Idem docet inſignis doctrina vir ex noſtris D. Thomas del Bene, *in ſuo tractatu de Parlamento pag. 69. num.* 3.

5 Nec obſtat dicere, non poſſe Regulares renunciare priuilegia exemptionis, quæ habent Ergo illa licentia

nihil

nihil prodeſt, nam Reſpondeo iura, quæ prohibent Regularibus renunciationem exemptionis, & priuilegiorum, loquū.ur de exemptione ab odioſis, non autem a gratioſis, & fauorabilibus, cui poſſunt renunciare in caſibus occurrentibus, vt docent Lapus, & Anchara. in caput cum *Nullus* de Temp. Ordin. teſte Sanchez. *lib. 4.cap.39.num.32.*

6 Non tamen verum eſt, in his caſibus ob ſolam diſtantiam ſuperiorum Regularium poſſe tunc Regulares ſubditos etiam ſine licentia ſubdere ſe Epiſcopis pro abſolutione, nam licet magna diſtantia operetur, vt qui non habent ſuper aliquem iurisdictionem, illam acquirat, vt probat Beia *parte* 3. *Caſ.* 2. §. *Adde*; & ſunt multi alij textus ad hoc, attamen in caſu noſtro debet tolli etiam exemptio, ad hoc, vt tribuatur per diſtantiam iuriſdictio Ita sētit Bordonus, *loco ſupra num.* 2. contra Laurettum de Franchis dicta *quæſtione* 92. Vale-
7 ret tamen Regularis ſubditus tunc ſe ſubdere Epiſcopo pro tali abſolutione in foro pænitentiali etiam ſine licentia Prælatorum ſuorum. Quando iniuſte Prælati denegarent talem facultatem. Ita Thomas del Bene *loco ſupra* (qui caſus vix dari poteſt) Tūc enim per Epicheiā debet æſtimari adeſſe & licentiam Summi Pōtificis & Religionis etiam, vt eo euentu Epiſcopus poſſit abſoluere, & ne Regulares teneantur euagari. Ita Laurettus de Franchis *loco ſupra*.

8 Dico tertio, Quādo Prælati Regulares nequeunt ſuos ſubditos Regulares abſoluere, tunc nec cum eorum licentia poſſunt recurrere ad Epiſcopum pro abſolutione ab eis, ſi Epiſcopi ſpecialiter facultatem non habeant abſoluendi omnes ſiuè ſubditos, ſiue non ſubditos a dictis caſibus, hoc dictum ſic abſolute prolatum eſt
9 contra Bordonum loco ſupra citato. *Reſolut.16.quæres* 2. qui diſtinguit de impotentia abſoluendi Prælatorum dicens; vel eſt reſpectu caſuum reſeruatorum intra Religionem, puta a caſibus, quos ſibi alius ſuperior maior reſeruauit, vt Prouincialis reſpectu Prælati localis, vel reſpectu caſuum reſeruatorum Summo Pontifici; vt. ſunt caſus Bullæ Cænę a quibus secundum probabilem opinionem nequeunt Prælati Regulares abſoluere; ſi primo modo res ſe habeat dicit Bordonus; Prælati Regularis inferioris licentia non facit, quod poſſint Regulares ſe ſubdere Epiſcopo, & ab eo abſolutionem obtinere ſi autem ſit ſermo de caſibus reſeruatis Pontifici aſſerit licentiam prodeſſe ſubditis Regularibus, vt poſſint ab Epiſco-
10 po abſolui Abſolutè tamen ego puto licentiam Superioris Regularis nihil prodeſſe ad hoc, vt poſſit ab Epiſcopo abſolui, Probatur primo quo ad caſus reſeruatos intra Religionem quia inferior nihil diſponere poteſt circa caſus reſeruatos maioribus ſuis ergo nec ſubditum ſubdere Epiſcopo, & cęt. Tum quia reſeruatio fruſtratoria tunc eſſet. Quo ad caſus verò reſeruatos Pontifici ſi Epiſcopus poteſt abſoluere Regulares, vt docēt referente Bordono, Molina *tom.* 4. *diſput.*61.*num.*4. Auila *parte* 2. *de cenſ. cap.*7. *diſput.*1. *dub.*6. Suarez, & alij, quos citat Sanchez *lib.*4. *cap.*39.*num.* 33.Boſſius*Sec.*1.*caſu* 10.*n.*159.*de Triplici Iubilæi priuilegio*, ſi Epiſco. in quā poteſt abſoluere Regulare ad quid requi-

requiritur, & neceſſaria eſt licentia
11 Prælatorum; ſicuti Epiſcopus poteſt abſoluere aduenas & peregrinos, ſine licentia Epiſcoporum, & Diæceſanorum talium aduenarum cur etiã non poterit abſoluere Regulares in talibus caſibus, qui ei ſubduntur tãquam aduenæ,& peregrini? Si autem quis dicat, Epiſcopum non habere eã iuriſdictionem in Regulares quam habet in peregrinos, & aduenas, ſcilicet in foro pœnitentiali, tunc iam Epiſcopus non poterit abſoluere, & ſic ſuperflua erit licentia Prælati, per quam nec poterit dare Epiſcopo illã facultatem quam non habet; An autem Epiſcopus poſſit in foro pænitentiali in Regulares quod poteſt in aduenas, & peregrinos, vti defendit Bordonus argumentando a fortiori eſt alia quæſtio, & mihi quidem placet hæc Sententia, ſed ex ea non colligitur eſſe neceſſariam, & requiſitam Prælatorum Regularium licentiam.

12 Sed quæres hic ad completam dubij intelligentiam; an quando Epiſcopus abſoluit dictos Regulares ſe ei ſubdentes pro tali abſolutione faciat hoc poteſtate ordinaria, vel delegata.

Reſpondet Bordonus, cum diſtinctione *loco ſupra num.*8. vel ſcilicet abſoluit Epiſcopus Regularem à caſu quo poteſt eum abſoluere ſuus Prælatos, & tunc abſoluit poteſtate delegata; quia illa ſubiectio, de licentia Prælati facta Epiſcopo nihil aliud eſt, quam delegatio quædam ſi abſoluit in caſu in quo non poteſt Prælatus tunc facit Epiſcopus poteſtate ordinaria, ſcilicet habita à iure, quod
13 illi hoc concedit. Sed hæc diſtinctio non adequatè placet, nam etiam in caſu, quo poteſt Prælatus abſoluere ſuum ſubditum; poterit etiam Epiſcopus, idem facere, & hoc à iure. Vnde poteſtate ordinaria hoc faciet exemplum ſit in capite *Religioſo de ſententia excommunicat.* in quo, & poteſt à iure Epiſcopus abſoluere Regularem percutientem, &c. & etiam per priuilegia poteſt hoc facere Prælatus Regularis, tunc ſi de licentia Prælati ſubdat ſe Regularis ſubditus pro abſolutione cur abſoluet Epiſcopus poteſtate delegata, cum habeat poteſtatem ordinariam abſoluendi.

14 Quæres ſecundo, cui Epiſcopo poſſit ſe ſubdere Regularis pro tali abſolutione in foro pęnitentiali. Reſpondent Bordonus *reſolutione* 16. *dicta quæſt.*4. Floronus etiam, & alij quos dictus Doctor citat Regularem poſſe tantum ſubdi Epiſcopo loci, in quo degit, ſed limitat hoc, quando ſcilicet Prælatus Regularis, qui licentiat nequit ipſe abſoluere, nam tunc ad Epiſcopum Diæceſanum tantum licentiat; & ab eo ſolum poſſunt abſolui.

15 Ego tamen puto ad quemlibet Epiſcopum poſſe Regulares licentiari, vt abſoluantur, & hoc niſi in licentia (quando ſcilicet an requiritur) exprimatur, quod ſubdantur tali Epiſcopo determinatè moueor, quia cum licentia Prælatorum dum limitata non eſt ad talem, poſſunt iam omnes Epiſcopi abſoluere Regulares, & habent talem iuriſdictionem eo enim, quo quis eſt Dięceſanus non per hoc habet in dictos Regulares poteſtatem dum quærunt abſolutionem in talibus caſibus; ſemper enim exempti ſunt; & ratione exemptionis nullam maiorem habet poteſtatem

Diæ-

Diæceſanus, quam alij Epiſcopi. Deinde non video fundamentum contrariæ ſententiæ. Inſuper ſicut Epiſcopus qui dat facultatem ſubdito, vt ordinetur ab alio Epiſcopo, non reſtringit, quod ordinetur ab hoc, vel illo; ſed põt ad libitum à quo voluerit ordinari; ſic à pari in caſu noſtro de Prælato Regulari reſpectu ſuorum ſubditorum, & ſicuti Epiſcopus non obligatur remittere ſuum ſubditum ad aliquem particularem Epiſcopum, ſic nec Prælati Regularium.

16 Quod ſi dicas: Epiſcopus Diæceſanus reſpectu Regularium habet aliquam poteſtatem, & iuriſdictionem, Vnde videmus, quod nequeunt ordinari niſi ab illo Epiſcopo, in cuius diœceſi ſitum eſt Monaſterium, Ergo neque remitti poſſunt, & licentiari ad quemlibet Epiſcopum, vt abſoluantur.

Reſpondeo potius retorquendo argumentum Ideo nequeunt Regulares mitti pro Ordinibus ad alium Epiſcopũ, quam ad Diœceſanum, quia hoc per Summum Pontificem eis præcipitur; Vnde ſublato tali ordine, iam poſſent Regulares ad quemlibet Epiſcopum accedere pro Ordinibus, Sed in caſu poſito non adeſt tale Præceptum, ergo ad quemlibet Epiſcopum poſſunt recurrere pro abſolutione.

17 Et Aduerte idem etiam dicendum in illa Sententia, quæ ſine licentia Prælatorum docet poſſe Regulares ſe ſubdere pro abſolutione Epiſcopo nam cuilibet Epiſcopo poterunt ſe ſubijcere.

An Regulares excommunicati à proprijs Prælatis poſſint abſolui ab Epiſcopo.
Dub. CCLXXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Dum Regulares excommunicati à ſuis Prælatis, ſunt exempti nequeunt ab Epiſcopo abſolui.*

2 *Dum exempti non ſunt Epiſcopus eos abſoluere poteſt ab excommunicatione lata à Prælatis.*

3 *Non exempti poſſunt appellare ad Epiſcopum.*

4 *Si deficerent Prælati Regulares, tunc controuerſum eſt apud Doctores, an Epiſcopus poſſet abſoluere, &c.*

1 Facilis erit reſponſio, ſi cum diſtinctione procedamus; vel iſti Regulares exempti ſunt, vel non; Si ſunt exempti nequeunt abſolui. Tum quia coërctio Monachi primo loco pertinet ad Abbatem vt habet Gloſſ. in Caput *Quanto*, verb. *ſi Prælati*; Tum quia Superior tunc poteſt a cenſura Iudicis inferioris abſoluere, quando plenam obtinet Iuriſdictionem, in eos, qui cenſuris ligati ſunt, qualem habet Summus Pontifex in omne excommunicatos, & Prælatus Religionis Superior (puta Generalem) in omnes ſubditos Prælatorum inferiorum; vt docent in terminis Suarez, Silueſter, Auila, noſter Paſqualigus, citati omnes nouiſſimè a noſtro P. Thoma del Bene doctiſſimo noſtræ Congregationis Theologo, *in ſuo Tract. de Comitijs & Parlamentis Dub. 4. Subſect. 32. De Superiore.*

2 Si

2 Si autem dicti Regulares non ſunt exempti, tunc nec poſſunt abſolui ab Epiſcopo; Tum ob eamdem rationẽ, quia coerctio Monachi pertinet primo loco ad Abbatem, & patet exemplo Archiepiſcopi, qui licet ſit Superior Epiſcopo, attamen nequit abſoluere excommunicatos à ſuo ſuffraganeo, & etiam exemplo de Legato Sedis Apoſtolicæ, qui licet ſit aliquo modo Superior Epiſcopi; attamen non eſt ſuperior in ordine ad cauſas ſubditorum, quæ in prima inſtantia coram Epiſcopo terminari debent ex Concilio Trident. ergo ſic dicendum in caſu poſito.

3 Verum quidem eſt, Religioſos non exemptos poſſe appellare à ſententia Prælati ad Epiſcopum, vt notauit Abbas, & colligitur per ſenſum contrarium *ex cap. ad noſtram de appellat.*

4 Sed quæres, quid ſi deficiant Prælati Regulares, qui abſoluere poſſint tunc in defectum talium Regularium poteſt ne Epiſcopus abſoluere Regulares. Syluester verb. *abſolutio quæſt.* 5. *num.* 1. docet poſſe ab Epiſcopo in Abbatis defectum abſolui Regularem; & ratio eſt, ne Regulares ſint deterioris conditionis, quam alij non exempti. Sed

Tamburinus de Iure Abbatum *tom.* 2. *diſput.* 14. *quæſit.* 6. *num.* 3. negat hoc fieri poſſe ab Epiſcopo his verbis: *Quod ego non auderem admittere eo, quod Monachi non ſunt peioris conditionis, etiã ſi ab Epiſcopo non abſoluantur, cum ipſi habeant alios Prælatos Superiores à quibus potius, quam ab Epiſcopis poſſunt abſolutionem petere, ne poſtea ſi abſoluantur ab Epiſcopis in eorum conſcientia vocetur in dubium an Epiſcopi poſſint abſoluere à cenſuris alterius Prælati, nempè Abbatis doctrina tamen Sylueſtri loco citato poteſt amplecti cum hac limitatione ſcilicet, vt dictum eſt in defectum Abbatis.* Ita Tamburinus vtraque opinio probabilis.

An Prælati poſſint abſoluere ſuos ſubditos excommunicatos ab Epiſcopis, in caſibus in quibus eos poſſunt excommunicare.

Dub. CCC.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuam ſententiam multi Doctores amplectuntur.*

2 *Negatiuè tamen, & melius reſpondent alij, ſed non abſolutè, ſed cum limitatione.*

3 *Priuilegia, quæ habent Regulares debent operari aliquid operantur ergo, quod poſſint abſolui in foro interno.*

4 *Stantibus priuilegijs Regularium abſolutio data Regularibus prodeſſet, & quo ad forum externum etiam.*

5 *Caſus in quibus datur facultas cenſuras ferendi in Regulares à Sacro Concilio requirunt ſatisfactionem praſtandam illi, qui cenſuras tulit.*

6 *Quæritur; an dum Regulares excommunicantur per ſententiam particularẽ debeãt particulariter nominari.*

1 Affirmatiuè reſpondent Suarez *tom.* 4. *de Religione libr.* 2. *cap.* 25. *num.* 1. Lezana *tom.* 1. *cap.* 18. 37. Rodriquez *tom.* 1. 99. *quæſt.* 26. *art.* 6. & clarius Portell. verb. *Prælati Poteſtas* per hæc verba, *Poſſunt Prælati Regulares abſoluere ſuos ſi ſint excommunicati nominatim in foro externo ſatisfacta prius parte,* & Suarez dicit hanc doctrinam

eſſe veram non ſolum ſatisfacta prius parte lęſa, ſed etiam Iudice, qui excommunicauit. Vnde ſi de ſatisfactione, & abſolutione obtenta à ſuo Superiore conſtet iam non debet amplius moleſtari dictus Regularis.

2 Sed negatiuè reſpondet Alphonſus de Leone *de Cenſuris recollectan.2. num.803.* & procedit cum limitatione dicens valere contrariam ſententiam in caſibus in quibus ſupponitur, quod Regularis incurrerit in cenſuram impoſitam à iure, vel per Pontificias Conſtitutiones, vel ab Epiſcopo & Legato, vel à Iudice Eccleſiaſtico fuerit declaratus excommunicatus, tunc enim facultas abſoluendi ſpectat ad Superiorem ſatisfacta parte, & tantum debet tunc Prælatus certiorare Epiſcopum de abſolutione data; At quando excommunicatio eſt noua, vt ita dicam lata ab Epiſcopo, vel alio Prælato in caſibus in quibus ei permittitur procedere in Regulares per cenſuras, tunc dicit abſolutionem ſaltem in foro externo eſſe dandam ab eo, qui contra dictos Regulares tulit cenſuras, cum enim conceditur Epiſcopo talis facultas, etiam conceditur, vt ſaltem ab eo debeat abſolui, & non ab alio, iuxta regulam, quod correlatiuorum eadem debet eſſe diſparitas. Ita Alphonſus de Leone, qui citat pro ſe Suarez loco ſupra *cap.20.n.4.*

3 Et aduerte hic, quod aduertit idem Alphonſus de Leone debere abſolui quo ad forum externum ab Epiſcopo; quia priuilegia, quæ habent Regulares, vt poſſint abſolui à ſuis Prælatis debent aliquid operari, non poſſunt autem operari, quod abſoluantur, quo ad forum externum, vt probatum eſt, ergo quo ad forum internum, & maximè cum abſolutio, quo ad forum internum nequeat turbare iuriſdictionem Ordinarij, qui tulit cenſuram.

4 Sed quæres hic; an ſtando in priuilegijs, & præcipuè in illo, quod refert Suarez *cap.25. tom.4. de Religione* conceſſum benedictionis; per quod conceditur Prælatis, vt abſoluere poſſint ſuos ſubditos ab excommunicationibus, etiam ſi tales eſſent, propter quas conſulenda eſſet Sedes Apoſtolica; vt id tamen fiat præmiſſa ex parte ſubditorum debita ſatisfactione; An ſcilicet dicta abſolutio prodeſset etiam, quo ad forum externum. Affirmatiuè reſpondet dictus Alphonſus de Leone; attamen ſubdit, raro hunc caſum poſse accidere,
5 cum caſus pro quibus conceditur facultas à Sacro Concilio cenſuras ferendi in Regulares requirant ſatisfactionem præſtandam ipſimet qui tulit ſententiam cenſuræ, & per conſequens, vt poſſit, quis ritè abſolui debet ab eo petere abſolutionem, vel impetrare, quod ſuo Superiori facultatem concedat abſoluendi, vt docet praxis. Suarez autem conſiderans etiam hoc priuilegium dicit debere, tunc ſubditum abſolutum reddere certum Superiorem à quo fuit excommunicatus de ſua abſolutione, & ſatisfactione ſic enim vitantur incommoda, quæ ex tali priuilegio ſequi poſse videntur, ſed reſponderem hoc priuilegium intelligi de foro interno, non autem externo.

6 Quæres etiam ſecũdo hic obiter; an ad hoc vt Regulares excõmunicentur per ſententiã particularem ſufficiat ſi in ſententia ſit facta mentio Regularium

rium

rium in genere; an debeat fieri nominalis, & particularis nempe Regularis.

Reſpondent opus eſſe, vt ſint nominatæ perſonæ Regularium. Ita Alphonſus de Leone citatus loco ſupra *numer.* 805. & Suarez *tom.*4. *de Relig. cap.*20. *num.*5. qui dicit non ſufficere nominationem talis, vel talis Religionis, vel Monaſterij, & omnium Religioſorum eius, ſed eſſe neceſſariam expreſſam nominationem ſingularum perſonarum Regularium, & hoc iuxta priuilegium conceſſum à Nicolao Quarto, quod refert ipſe Suarez. Verba priuilegij ſunt talia: *Noluit Fratres ligari aliqua ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti hominis, niſi nominatim fieret mentio ipſorum, nec ſufficeret, ſi diceret in ſententia Generali, vt perindè valeat, ac ſi eſſent nominatim expreſſi*, & videtur hoc etiam conforme priuilegio conceſſo à Gregorio XIV. Clericis miniſtrantibus infirmis, in quo excipitur caſus cum latæ eſſent cenſuræ ab homine contra aliquem nominatim, & roboratur ratione, nam quando cenſura fertur contra Regulares in genere, vel etiam contra Regulares talis Monaſterij, potius eſſet iudicanda per ſententiam generalem, quam per ſententiam ſpecialem, à qua cenſura per ſententiam generalem, niſi ſit reſeruata, poſſunt abſoluere ſimplices Confeſſores.

An ingrediens Religionem ſi ante ingreſſum fuit excommunicatus ab Epiſcopo debeat ab illo abſolui, vel poſſit à Prælato.

Dub. CCCI.

SVMMARIVM.

1 *Opinio Doctorũ pro vtraque parte eſt.*
2 *Suarez procedit cum diſtinctione.*
3 *Priuilegia ſpecialia Religionum conſideranda ſunt.*
4 *Aliqui dicunt ingredientem Religionem poſſe à ſuo Prælato abſolui, quo ad forum internum.*
5 *Ingrediens Religionem, immo ingreſſus, ſi fuit nominatim excommunicatus non poteſt abſolui à ſuis Prælatis, ſed debet abſolui ab eo, qui excommunicauit, & in foro conſcientiæ, & in foro externo.*
6 *Declaratio quædam, quam adducunt aduerſarij quomodo habeat locum.*
7 *Notatur quædam opinio Doctorum.*

1 Debere abſolui ab Epiſcopo docet Vgolinus, quem refert Suarez *Diſput.*7. *de Cenſuris ſect.* 2. *num.*28. Fundamentum ipſius eſt, quia ſicut per mortem naturalem homo excõmunicatus non poteſt abſolui ab alio Iudice. Sic nec per mortem ciuilem, qualis eſt ingreſſus Religionis.

Lappus è contra *Allegat.*47. *nu.*6. docet poſſe abſolui à ſuis Prælatis. Fundamentum eſt ne detur Religioſis occaſio euagandi.

2 Suarez diſtinguit, & dicit, vel excommunicatio illa fuit lata per ſen-

Ee 2 ten-

tentiam generalem, vel per particularem, ſi primo modo; Iam à Prælato Religionis poterit ille abſolui, ſi ſecundo ſolum ab Epiſcopo. Intelligit autem per ſententiam generalem illam, qua Epiſcopus ſub pæna excommunicationis præcipit vitandum aliquod peccatum futurum, vel faciendum, vide dictum Doctorem, qui ſe fusè explicat loco ſupra, ſubdit tamẽ inferius veniens ad caſum poſitum

3 hæc verba: *Nihilominus conſideranda ſunt ſpecialia priuilegia ſingularum Religionum, & ſecundum illam erit iudiciũ ferendum de Poteſtate abſoluendi à dicta cenſura. Nam Mendicantium Superiores Ordinarij priuilegium habent ad abſoluendum ab omni cenſura ab homine lata, & contracta ante ingreſſum Religionis. Dummodo talis cenſura generaliter lata ſit. Quod Priuilegium datum, eſt à Clemente I V. Minoribus, & poſtea ab alijs Pontificibus confirmatum, vel de nouo alijs Religionibus conceſſum.* Sed concludit poſtea, hæc omnia priuilegia tantum intelligenda eſſe de abſolutione ab excommunicatione lata per ſententiam generalem, nam ab excõmunicatione lata per ſentẽtiam particularem præſertim nominatim, & ad forum contentioſum deductam abſolutio per priuilegia dari non poteſt. Ita etiam videtur ſentire Lezzana *prima par. Summ. cap.* 24. *num.* 8. dum dicit, *poſſunt etiam Nouitij quarumdam Religionum abſolui à Prælatis ſuæ Religionis à cenſuris excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti à iure, vel ab homine ſaltem generaliter promulgatis.*

4 Alij vt ſunt Bartholomæus de Vechis, & Laiman relati ab Alphonſo de Leone *Recollect.* 2. *num.* 796. dicũt per talia priuilegia poſſe ingredientẽ Religionem abſolui à ſuo Pręlato tantum, quo ad forum internum, nõ autem quo ad forum externum. Quia abſolutio vi priuilegiorum collata nõ extenditur ad forum extentioſum, & ſic viam planam eſſe remittere ſic excommunicatum ad Iudicem, qui excommunicauit, quatenus de eius licẽtia abſoluatur, ſic expreſſe loquuntur de Nouitijs.

5 Dico ergo Regularis nominatim excommunicatus, ſeu alia cenſura ligatus, non poteſt abſolui à ſuis Prælatis, ſed debet abſolui ab eo, qui excommunicauit. Ita Bordonus *reſol.* 3. *q.* 7. qui nec in foro interno, nec etiã in foro externo aſſerit poſſe dari talẽ abſolutionem. Probatur autem non poſſe Regularem nominatim excommunicatum abſolui. Quia priuilegia, quę habent Regulares abſoluendi ab excommunicatione reſtringuntur ad cenſuras generaliter latas. Ergo, &c. ſic in ſpecie fecit *Gregorius XIV.* dum approbauit Religionem Miniſtrorum Infirmorum; & conceſſit Generali dictæ Congregationis, quod poſſet abſoluere ab omnibus cenſuris reſeruatis excepta cẽſura nominatim data. Ita refert Sorbus verb. *Abſolutio, quo ad Fratres.* Deinde certi iuris eſt, quod nullus poteſt abſoluere nominatim excommunicatum niſi eius Iudex, aut Iudicis ſuperior. Ergo, Nec poteſt Regularis ſic particulariter excommunicatus in foro conſciẽtiæ abſolui ab alio, quam ab eo, à quo eſt iuridicè excommunicatus, vt inquit Bordonus *loco ſupra*; Quia ſi hæc priuilegia Regularium hoc operarentur læderetur notabiliter ius alienum; ſcilicet Iudicis excommunicantis; priui-

priuilegium autem ſemper interpretandũ eſt, vt nulli notabiliter noceat.

6 Nec obſtat quædam declaratio ex Pio V. quam referunt Rodriquez, & Miranda citati à Bordono *dicto loco*, per quam videtur poſſe Confeſſores Regulares abſoluere in foro conſcientiæ pęnitentes parte non ſatisfacta; parte autem ſatisfacta etiam in foro externo, nam

Reſpondetur dictam declarationem habere locum ſolum in Iubilæis; non autem in priuilegijs; vt colligitur clarè ex verbis dictę declarationis; ſed nec in Iubilæo habere locum putat doctus Bordonus: vide ipſum *loco ſupra*.

7 Scias hic adeſſe ſententiam Doctorum, quæ docet, ſatisfacta parte poſſe abſolui, & in foro interno, & etiam in foro externo nominatim excommunicatum per priuilegia, quod intellige non ſolum de Regularibus ſubditis, ſed de ſæcularibus. Ita apud Mirandam *tom. 2. in Manual. quæſt. 35. art. 22.* Medina *in ſua Inſtitutione Confeſſorum 29. cap. 12.* Ledeſma *2. parte Summæ quæſt. 16. art. 1. dubio vltimo,* Nauarrus *lib. 9. Conſil. tit. de ſententia excommunic. conſil. 47. num. 4. & 5.* vide Mirandam *loco ſupra*, & non pigebit, etiam Bordonum *loco item citato*, qui ſuam doctrinam extendit, etiam in caſu, quo Epiſcopus, vel alius legitimè, & iuridicè Iudex declararet excommunicatos Regulares nominatim; ſed de hoc ego dubito; nam aliud eſt excommunicare, & declarare excommuicatum.

An ſoli Epiſcopi poſſint abſoluere Regulares à ſuſpenſione ob aſſiſtentiam factam matrimonio ſine facultate. Dub. CCCII.

SVMMARIVM.

1 *Communior ſententia doce ſolos Epiſcopos poſſe ab hac ſuſpenſione abſoluere.*

2 *Authoris opinio, ob quam tamen non reicit communiorem.*

3 *Quando priuilegia conceſſa ſunt contraria Tridentino quomodo derogetur Tridentino.*

4 *Qualis ſit hæc ſuſpenſio.*

1 A Solo Epiſcopo poſſe liberari Regulares à dicta ſuſpenſione docent plures Doctores, Bordonus *reſolut. 38. quæres 4. & reſol. 7. quæſt. 15. dub. 13. §. Sacerdos*, & Hieronymus Rodriquez *in Compendio quæſtionum Regular. reſolut. 63. numer. 24.* & videtur colligi ex Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 1. de Matrimonio*, & ita communiter tradunt Doctores.

2 Ego tamen ſuppoſitis priuilegijs Regularium, quæ eis data ſunt etiam poſt Concilium Tridentinum, ob quæ poſſunt Regulares abſoluere ab omnibus cenſuris ſuos ſubditos, ſicut Epiſcopi poſſunt cum ſuis auderẽ probabiliter dicere, poſſe à tali ſuſpenſione abſolui Regulares à ſuis Prælatis; ſi vis autem videre hæc priuilegia lege Portel. ver. *Prælati poteſtas n. 23.* deinde iuxtà ſupra dicta illo loco Trid. generaliter fertur ſuſpenſio contra Regulares aſſiſtentes ſine facultate matrimonio à cenſura autem generaliter lata poſſunt abſolui à ſuis Prælatis Regulares.

3 Quod ſi quis objiciat talia priuilegia contraria ſunt Concilio Tridentino,& ſic ſi non habeant clauſulam derogatoriam Concilij iam nulla erunt talia priuilegia.

Reſpondeo non eſſe adeo certum priuilegia tunc derogare Concilio, quando habent expreſſam clauſulam derogatoriam Concilij; nam ſunt in hac celebri quæſtione variæ Doctorum ſententiæ. Aliqui dicunt debere eſſe talem clauſuram derogatoriam Concilij in priuilegijs ad hoc, vt Concilium non obliget. Ita Rota *deciſ.* 122.*&* 123.*&* 358.*in 6.parte Diuerſorum* Caputaqu.*deciſ.*176.*&* 268. *parte* 1. Cęſar de Graſſis *deciſ.* 9. *de reſcriptis num.* 12.Idem tradunt multi apud Garziam *de beneficijs part.*4. *cap.*5. *numer.*25. Bonacina *de legibus diſput.*1. *quæſt.*3. *punct.*8.§.3. *& in Bullam Cœnæ diſput.*1. *quæſt.*22. *part.*2. *num.*2. & loquendo de Concilio Trident. dicunt Henriquez, & Sanchez citati à Bonacina loco ſupra debere de eo fieri expreſsè mentionem ad hoc, vt derogetur, quod tamen non placet Bonacinæ dicto. Alij è contra non requirunt ad derogationem Concilij aliquam clauſulam derogatoriam, ſed dicunt ſufficere,ſi priuilegia contraria diſpoſitioni Concilij ſint ex certa ſcientia indulta. Ita Puteus *deciſ.*494. *libr.*2. adſunt quoque pro hac opinione deciſiones Rotæ. Vide Garziam *part.*4. *de beneficijs cap.*5. *num.*30. alij media via incedunt, & docent reſpectu aliorum Conciliorum excepto Tridentino debere fieri derogationem expreſsam. Ita præcipuè Mareſcottus *variar.reſolut.lib.*1. *cap.*19. qui ſic ait: *Vltimo non obſtat, quod Concilio Tridentino non ſit derogatio aliqua ſpecialis; ſed ſufficit, quod materia ſit contraria diſpoſitioni dicti Concilij,quoniam reſpondetur, quod ab illo valdè differunt Concilium illud Lateranenſe, & alia generalia Concilia, quæ expreſsè non reſeruarunt Sedi Apoſtolicæ liberam diſpoſitionem, pro vt fecerunt Patres in ſpecie, & in genere in Concilio Tridentino. Ideo non poteſt dici, quod decretum irritans, & clauſula derogatoria ligent Papam in materijs dicti Concilij, & ſic non eſt mirum ſi non ſit alia derogatio.* Quæ ſententia licet mihi non adæquatè placet, attamen ſtãdo in ea, quæ probabilis eſt, & auctoritate multorum Doctorum roborata,iam non video quomodo priuilegia, quæ habeant Regulares abſoluendi, & cæt. poſt Tridentinum non ſufficiunt ad hoc, vt etiam abſoluere poſſint ab hac ſuſpẽſione particulari contracta ob aſſiſtentiam matrimonio factam ſine licentia Parrochi, & cæt. Quidquid dicant Doctores contrariẹ ſententię,qui fortè loquuntur de iure; non autem habito reſpectu priuilegiorum.

4 Scias autem hanc ſuſpenſionem eſſe tantum de Officio Sacerdotali, vt tenet Suarez *diſputat.*31. *de Cenſuris ſec.*3. licet alij quos ſuppreſſo nomine citat Gaſpar Hurtado *de Cenſuris in tract.de ſuſpenſione difficul.*13.§.9.dicant eſſe abſolutè ab officio,& beneficio.

An

An Epiſcopus poſſit abſoluere ab excommunicatione Regularem fugitiuum.
Dub. CCCIII.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi nulla eſt cenſura contra Regularem fugitiuum dum habitum non dimittit, ſed ob priuilegia Religionum iam ſic fugientes ſunt excommunicati.*

2 *Epiſcopus non poteſt abſoluere Regulares à tali cenſura.*

1 LIcet de iure communi nulla ſit cenſura contra Regularem fugitiuum, niſi deponat habitum, vt notat Theſaurus *in Praxi pœnarum Eccleſiaſticarum verb. Religioſi fugitiui cap.* 5. Attamen dum dimittunt habitum iam incidunt in excommunicationem non reſeruatã ex c. *ne Clerici, vel Monachi in* 6. ſed dũ etiã retinent habitũ ob priuilegia, quæ habent Religiones incidunt in excommunicationem; vt tradit Peregrinus noſter *in Compendio Priuilegiorum tit. Apoſtata ab Ordine*;

2 Quærimus ergo; an Epiſcopus abſoluere poſſit ab hac excommunicatione dictos Regulares fugitiuos. Caſum habet in terminis Homobonus in *Examine Eccleſiaſt. par.* 2. *cap.* 6. *circa Cenſuras de excommunic.* & reſpondet negatiuè; ſunt in eadem ſententia ab illo citati Chapeauilla *de caſibus reſeruatis cap.* 2. *quæſt.* 1. Calderin. *conſil.* 538. *verb. Religioſus concl.* 425. Ratio eſt; quia cũ Regulares ſint exẽpti non ſubſunt iuriſdictioni Epĩ, vel eius delegati ex cap. *Si Papa, tit. de Priuilegijs.* Vnde concludendum eſt tantum poſſe abſolui à Summo Pontifice, vel ex Priuilegio à ſuo Prælato v. g. Generali, Prouinciali, ſeu particulari Monaſterij Præfecto.

An Epiſcopus poſſit abſoluere Regularem, qui alterum Regularem percutit.
Dub. CCCIV.

SVMMARIVM.

1 *Sunt Doctores, qui aliquam videntur circa id dare facultatem Epiſcopis.*

2 *Alij dicunt Prælatos Regulares habere hanc facultatem abſoluendi, ſed hoc non eſt controuerſum.*

3 *Doctores, qui docent ab Epiſcopo eſſe abſoluendos Regulares ſe ad inuicem percutientes antiqui ſunt.*

4 *Per multos textus colligitur Regulares ſe ad inuicem percutientes extra clauſtra etiam poſſe abſolui à ſuis Prælatis.*

5 *Epiſcopus non poteſt abſoluere Regulares ſe ad inuicem percutientes.*

6 *Etiam ſi Epiſcopus habeat poteſtatem delegatam abſoluendi Regularem percutientem Clericum ſubditum, non per hoc habet hanc poteſtatem abſoluendi Regularem percutientem alterum Regularem.*

7 *Diſtantia Prælatorum, an operetur, vt Regulares poſſint recurrere ad Epiſcopum pro abſolutione.*

8 *Quid dicendum, dum Moniales ſe ad inuicem percutiunt.*

9 *Dum in vno Conuentu ſunt tantum duo Regulares, quorum vnus eſt Superior, alter ſubditus, & ſe ad inui-*

cem percutiunt quomodo debeant tunc ſe abſoluere.

10 *Etiam dum Regularis percutit, Epiſcopum, Cardinalem, & ſimiles poteſt abſolui à ſuis Prælatis in ſententia aliquorum.*

1 HOmobonus *cap.* 7. 3. *part.* circa cenſuras de *excommun. tract.* 11. *reſolut.* 4. Aliquam videtur dare auctoritatem Epiſcopis dum dicit *Monachi, & Regulares quocumque modo ſe percuſſerint non ſunt ad Apoſtolicam Sedem mittendi, ſed ſecundum prouidentiam ſui Abbatis diſciplinæ ſubdantur, & ſi eius diſcretio non ſufficit ad eorum correctionem eſt prouidentia Diæceſani Epiſcopi adhibenda*. Ecce quomodo Epiſcopus in hoc ſe ingerere poteſt aliquo modo in dicti Doctoris ſententia.

2 Rodericus *tom.* 1. *q.* 20. proponet dubium in terminis, ſed meo iudicio non reſoluit, nam dicit ſolum habere poſteà Regulares Prælatos poteſtatem abſoluendo, nec verbum facit de Epiſ; nã licet Bonifacius Octauus ordinauit, Regulares, qui manus violẽtas iniecerint in Clericũ ne haberẽt prætextum, & materiam euagandi, poſſe abſolui ab Epiſcopis, vt habetur *cap. Religioſo de ſentent. excommun.* poſtea tamen alij Summi Pontifices ſucceſſiuè conceſſerunt Prælatis Regularibus auctoritatem abſoluendi ſuos ſubditos ab omnibus cenſuris exemptis quibuſdam. Ita præcipuè Clemens Quartus conceſſit Generalibus, Prouincialibus, Vicarijs, Cuſtodibus, Prioribus Conuentualibus, vt poſſent beneficium abſolutionis concedere ſuis Fratribus ad eos declinantibus cuiuſcunq; ſententiæ excõmunicationis à iure, vel ab homine, excommunicatione excepta lata cõtra hæreticos relapſos, Sciſmaticos, & litteras Apoſtolicas falſificantes, aut ad Infideles prohibita deferentes iuxta declarationem quamdã Sixti IV. Vnde cum exceptio firmet Regulã poſſunt dicti Prælati Regulares abſoluere ab excommunicatione Canon. *Si quis ſuadente Diabolo*, & notàt Rodriquez *loco ſupra*, hãc auctoritatem habere etiam ſi Fratres, & Regulares ſe percutiant extra clauſtra. Sed hæc nõ eſt reſolutio propoſitæ difficultatis, nam etiam ſi demus Regulares habere priuilegia abſoluendi, &c. vt verè habent adhuc dubitare quis poſſet; an Epiſcopus etiam abſoluere poſſet dictos Regulares.

3 Federicus *conſ.* 14. Ioannes de Lignano *in Clement. ne in agro de Statu Regular.* affirmant ab Epiſcopo poſſe abſolui ſe ad inuicem percutientes.

Ioannes Andreas *De Reg. Iuris in 6. In Regulã ſcient*, Abbas *in cap Monach. n.* 1. *&* 2, & in cap. *Significaſti n.* 10. *&* 11. *de foro comp.* docẽt poſſe abſolui ab Epiſcopo in defectum Prælati, & Abbatis, ſed illi DD. iam antiqui ſunt.

Bordon. *reſol.* 27. *de Percuſſione in Religioſos, quæres* 18. *& per alia ſequẽtia quæſita*, docet de iure communi poſſe Superiores Regulares abſoluere ſubditos ſe ad inuicẽ percutiẽtes ab excõmunicatione, dũmodo cõtracta ſit ex leui, vel mediocri percuſſione, & probat ex c. *Monach.* 2. *de ſent. excom.* & ex c. *cũ illorũ* 3. & ex c. *Canonica* 50. & per hos textus poſſunt Prælati Regulariũ abſoluere ſubditos ſe ad inuicem percutientes etiam extra clauſtra; Tum quia Papa expreſſit clauſtrum, quia ibi vt plurimum ſolent ſe Regulares percutere, vnde non excluſit caſum, in quo extra clauſtra contingeret

geret percuſſio; Tum etiam quia in *cap. Canonica* nullum expreſſit locum; ergo vbique fiat percuſſio ſemper poterunt abſolui. Addit etiam dictus Doctor de iure priuilegij poſſe à Prælatis abſolui ſe ad inuicem percutientes, etiam ſi enormis ſit percuſſio: affert priuilegium Bonifacij IX. *in Conſtitut.* quæ incipit, *Sacræ Religionis* 27. *April.* 1402. apud confect. *pag.* 26. illis verbis, *vel manus violentas in Confratres, vel alios quoſcumque Clericos etiam vſque ad Sanguinis effuſionem, & enormem læſionem iniecerint*, ſi vis autem ſcire, quæ nam ſit enormis percuſſio, & quæ adeo enormis, ob quam Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda, vt habetur in dicto priuilegio Bonifacij. Vide dictum Bordonum loco citato, qui doctè hæc omnia explicat; ſed tantum hic quæramus, an Epiſcopus poſſit abſoluere Regulares ſe inuicem percutientes, ne extra materiam euagemur.

5 Dico ergo; Epiſcopus non poteſt abſoluere Regulares ſe ad inuicem percutientes. probatur; nam vel percuſſio eſt leuis, vel grauis, & enormis; ſi primum iam per omnes habent de iure etiam communi facultatem Regularium Prælati eos abſoluendi; & ſic cum hanc facultatem non habeant in exemptos Epiſcopi, cum ſit facultas iuriſdictionis, iam ab eis non poterunt abſolui: ſi ſecundum ob priuilegia, etiam poterunt abſolui in ſuis Prælatis, nec in hoc ſe ingerere poterit Epiſcopus ob eamdem rationem.

6 Nec obijcias Epiſcopus habet poteſtatem delegatam abſoluendi Regularem percutientem Clericum ſæcularem ſibi ſubditum ex cap. *Religioſo*, ergo etiam ſi percutiat alterum Religioſum nam reſpondeo non ſe extendere quo ad caſum noſtrum delegationem Epiſcopi; priuilegium enim non debet extendi magis, quam ſonat, & maximè cum præiudiciale ſit Prælatis Regularibus; ſed an Epiſcopus poſſit abſoluere Regularem percutientem Clericum ſæcularem videbimus infrà.

7 Quęres primo; an diſtantia Prælatorum faciat, & operetur, vt poſſint recurrere pro abſolutione huius caſus ad Epiſcopum.

Reſpondeo cum Bordono loco ſupra negatiuè; nam licet diſtantia operetur aliquando translationem iuriſdictionis in alterum. Vnde iuxtà ſententiam Naldi, & aliorum verb. *Abeſſe* Abſentia vnius diei naturalis Pręfecti Monaſterij transfert iuriſdictionem in eius Vicarium; Attamen in caſu noſtro inſuper conſideranda eſt exemptio, quæ non tollitur per illam abſentiam Pręlatorum ob multa incōuenientia, quæ inde ſequerentur; nam cum v.g. talis auctoritas abſoluendi Regularem percutientem ſit penes Prouincialem in aliquibus Religionibus, & Prouincialis ſemper ferè abſit, cum in vno tantum conuentu Prouinciæ degat, hinc eſt ſemper poſſe Regulares recurrere ad Epiſcopum, quod quidem abſurdum eſt.

Campanilis vero rubr. 12. *cap.* 13. *n.* 135. putat hanc ſententiam eſſe veram, ſolum ſi ſit ſermo de percuſſione leui, vel mediocri, nam de percuſſione graui ſolum cōſiderat ius commune; non autem priuilegia Regularium, & dicit non poſſe tūc abſolui à Prælatis.

Quæres ſecundo; An ſi Monialis alteram Monialem percutiat; etiā dum ſunt Moniales exemptæ debeant, vel

vel poſſint abſolui ab Epiſcopo; Reſpondeo hic breuiter poſſe abſolui ab Epiſcopo. Ita per *cap. de Monialibus*, vbi habetur *de Monialibus tua à nobis fraternitas requiſiuit; per quem eis ſit beneficium abſolutionis impendendum, ſi vel in ſe inuicem, vel conuerſos, vel conuerſas ſuas, aut Clericos etiam manus iniecierint temerè violentas; ſuper hoc igitur taliter conſultationi tuæ reſpondemus; vt per Epiſcopum in cuius diæceſi Monaſteria fuerint, abſoluantur*. Sed poſſe etiam abſolui à ſuis Prælatis iure priuilegiorum tenet Bordonus *reſolut.* 27. *num.* 52. quia gaudent priuilegijs Religioſorum, ſed de hoc cap. *quo ad Moniales*, fortè agemus.

9 . Quæres tertio, quid dicendum, ſi in vno Monaſterio reperiantur duo tantum Regulares, quorum vnus ſit ſuperior alter ſubditus, & tunc ſe percutiant ad inuicem; an tunc debeant abſolui ab Epiſcopo. Variæ ſunt Doctorum Sententiæ, teſte noſtro Alphonſo de Leone *in ſuo docto tractatu de cenſuris Recollec.* 5. *num.* 590. Caſarubius dicit poſſe ſe mutuo abſoluere quia licet excommunicatus maiori excommunicatione non poſſit de iure Ordinario alium abſoluere, in neceſſitate tamen, quæ legem non habet, dicit hoc non valere: hanc opinionem etiam ſequuntur Rodriquez *tom.* 1. *qq. quæſt.* 20. art. ad finem, & Peirinus, *de Prælato Regular. quæſt.* 1. *cap.* 4. *num.* 28. Suarez verò dicit dictam opinionem valere quando percuſſio non eſt notoria; ſecus quando eſſet notoria; vnde ſubdit in hoc caſu opportere, ſuperiorem eligere Confeſſarium a quo abſoluatur, & deinde poſſe abſoluere alterum. fauent dictę Sententiæ Henriquez, Bonacina, & Peirinus, omnes citati ab Alphonſo de Leone *loco ſupra* Quando autem non eſſet copia ſæcularis tunc dicunt non eſſe licitam abſolutionem mutuã extra articulum mortis, vel extra alios caſus ſcandali, & infamiæ, omnes puto opiniones probabiles nec reſoluo quæ magis mihi placeat.

10 Quæres quarto, quid dicendum ſi Regularis percutiat Epiſcopum, Cardinalem, & ſimiles. Reſpondet Alphonſus de Leone *loco ſupra* ob priuilegia Regularium, quæ ipſe ibi refert eſſe abſoluendos a ſuo Superiore, ſed magis patebit ſolutio huius dubij ex ſolutione ſequentis.

An Epiſcopus poſſit abſoluere Regularem, qui percutit clericum ſæcularem.
Dub. CCCV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia proponitur.*
2 *Authoris opinio.*
3 *Prælati Regulares ex vi ſuorum priuilegiorum poſſunt abſoluere ſuos ſubditos a cenſuris, etiam in Bulla cænæ contentis, & quomodo.*
4 *Quæritur, an Epiſcopus poſſit abſoluere laicum, qui regularem percutit.*
5 *Sæcularis percutiens tenetur ſatisfacere parti læſæ, & Religioſo percuſſo.*
6 *Eſt opinio pro vtraque parte, an Epiſcopus poſſit declarare excommunicatum Regularem, qui percuſſit Clericum ſæcularem.*

1 VIdimus ſuperius; an Epiſcopus poſſit abſoluere Regulares ſe ad inuicem percutientes modo inquiri-

quirimus, an poſſit abſoluere Regularem percucientem Clericum ſæcularem.

Affirmatiuè reſpondent innumeri fere Doctores. Campanilis præſertim *in Rubric.* 12. *cap.* 13. qui tamen limitat, dum percuſſio eſt leuis, nam ſi ſit enormis tunc a ſolo Summo Pontifice, vel a Prælatis ſuis, qui habent circa hoc priuilegia eo modo, & cum eis conditionibus, quas requirit Alphonſus de Leone, *de Cenſuris Recolle.* 5. *num.* 588. *& ſequenti*, Campanilis requirere videtur etiam in hoc caſu licentiam Prælatorum, dum dicit; *Quin ſi Clericum ſæcularem a Sede tantum Apoſtolica, præterquam in caſibus de iure conceſſis Epiſcopis abſoluendi clericum percuſſorem alterius clerici, nam in his Præſul concederet*, quod tamen non placet, vnde

2 Dico Epiſcopus in tali percuſſione poteſt abſoluere Regularem etiã non obtenta facultate Superioris; patet quod poſſit abſoluere ex cap. *Religioſo* vbi habetur: *Ne hoc prætextu habeat materiam euagandi poterit ab Epiſcopo eo caſu abſolutionis beneficium exhiberi, quo ſæculari clerico poſſet, ſi alium clericum ſæcularem percuſiſſet*. Quod autem poſſit etiã ſine facultate Prelati Regularium probatur, nam per priuilegium, quod habent Regulares non tollitur facultas, quæ de iure Ordinario competit Epiſcopis; cum ergo de iure habeant Epiſcopi hanc facultatem ſine limitatione, quod licẽtia Prelati requiratur, non video, quomodo talis licentia poſt talia priuilegia ſit neceſſaria. Ex quo collige idem dicendum, de percuſſione] facta a Regulari in Epiſcopum; nam licet caſus hic ſit reſeruatus *in Bulla Cenæ*; attamen, vt tradit noſter Alphonſus de Leone, *Tract. de Cenſuris. Recollec.* 5. *num.* 602. poteſt talis Regularis abſolui a ſuis Prælatis, cum Prælati Regularium ex vi priuilegiorum poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab omnibus

3 cenſuris etiam in Bulla Cenæ contentis, exceptis cenſuris latis contra hæreticos relapſos, Schiſmatos, litteras Apoſtolicas falſificantes, & prohibita ad infideles deferentes; quæ quatuor excommunicationes exceptæ, cũ contineantur in Bulla Cenę aliæ ibidẽ contentæ cenſeri debent conceſſę iuxta regulam iuris, quod exceptio firmat regulam in non exceptis; & hanc Sententiam ſuſtinent Rodriquez *tom.* 1. *qq. quæſt.* 20. *art.* 12. Suarez *tom.* 4. *de Religione lib.* 2. *de Obligationibus Religioſorum inter ſe cap.* 21. *num.* 8. Vide etiam Portel *Verb. Abbas*, Sed aduerte talem opinionem adhuc ſubſiſtere, ſed quo ad caſus occultos Bullæ Cęnæ. Vnde concludit & optime reſoluens caſum poſitum de percuſſione facta à Regulari in Epiſcopum Alphonſus de Leone citatus. *Dico Regularem, qui percuſſit Epiſcopum, vel Cardinalem, & indiget abſolutione Pontificia ſi aliqua ex cauſis de quibus ſupra reperitur impeditus poſſe abſolui à ſuo Prælato ad reincidentiam ſi eſt impedimẽtum temporale, vel ſimpliciter ſi eſt impedidimentum perpetuum, à quo autem Superiore ſit abſoluendus patebit, &c.* Ita Alphonſus de Leo, & optimè meo iudicio.

4 Sed quæres hic obiter; an Epiſcopus poſſit abſoluere Laicum, qui Regularem percuſſit leuiter, &c. vel hoc pertineat ad Prælatũ Regularis percuſſi. Reſpondent pertinere ad Epiſcopũ, Riccius *in Praxi fori Eccleſiaſt.*

re-

reſolut. 439. Cãpanilis, *Rubr.* 12. *cap* 13. *num.* 136. Barboſa *Parte* 3. *Allegat.* 105. *num.* 50. Squillante *de Priuilegijs Clericorum cap.* 6. *num.* 104. & Bordonus *de Percuſſione in Religioſos Reſolut.* 28. *num.* 59. vbi dicit nullo pacto poſſe abſolui tunc ſæcularem a Prelato Regulari; ſed debere neceſſario abſolui ab Epiſcopo, ſi ſit leuis percuſſio, ſi autem grauis a ſolo Summo Pontifice vel etiam ab Epiſcopo, ſi percuſſio etiam enormis ſit occulta; Ratio, & Fundamentum eſt, quia nullo modo competit facultas talis abſoluendi, Prelatis, nec in iure, nec ex priuilegio. Vide dictum Bordonum,

5 Sed aduerte teneri tunc ſecularem percutientem ſatisfacere parti offenſæ, & Religioſo percuſſo, quæ quomodo & cui debeat fieri ſi ſcire cupis vide Alphonſum de Leone noſtrum, qui doctè de hoc agit *Tract. de Cenſuris Recollec.* 5. *a num.* 621. vſque ad 676. nolo enim a propoſita materia diſcedere.

6 Quæres etiam; an Epiſcopus poſſit declarare excommunicatum Religioſum, qui percuſſit Clericum ſæcularem notorie, & cum ſcandalo extra clauſtra, &c. Negatiuè Reſpondet Bordonus *Reſolut. dicta* 28. *num.* 60. Quia Epiſcopus in hoc ſpeciali caſu delinquendi extra clauſtra, non habet ius, niſi ex de defectu Prælati Regularis negligentis, & in caſu negligentiæ, nec poteſt ipſum punire pæna declarationis ad effectum, vt euitetur, quia de iure iam dicitur ſufficienter declaratus, vt euitetur, cum ſit percuſſor notorius. Deinde non habet us in Regulares, ergo nec eos poteſt denuntiare cum ad hoc requiratur aliquis actus iuriſdictionis.

Contrarium tamen docent, teſte eodem Bordono *Reſolut. citata quæres* 16. Piaſecius *parte* 2. *Prax. Epiſcop. cap.* 3. *num.* 52. & Genuenſis *in ſua Praxi cap.* 59. *num.* 8. placet tamen magis prima opinio.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare Regulares in Irregularitatibus, in quibus poteſt ſuos ſubditos.
Dub. CCCVI.

SVMMARIVM.

1 *Doctores qui negatiue mordicus reſpondent.*
2 *Affirmatiuam ſententiam ſuſtinet author.*
3 *Abbas non poteſt diſpenſare in ætate, vt Monachus fiat Abbas quidquid dicant aliqui doctores.*
4 *Explicatur caput* Tuam *quod obſtare videtur.*
5 *An Epiſcopus poſſit diſpenſare, vt Regulares capaces ſint beneficij ſimplicis.*
6 *Nec Legatus a Latere poteſt in hoc diſpenſare iuxta communiorem ſententiam.*
7 *Non poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt Religioſus promotus ad beneficium Parrochiale habeat ſimul beneficium ſimplex.*
8 *Controuerſum eſt an Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto perſeuerandi in Religione.*
9 *Epiſcopus poteſt diſpenſare cum eo, qui vouet intrare Religionem vt laxiorem ingrediatur*
10 *Alzedo opinio notatur.*
11 *Diſpenſans debet habere poteſtatem pra illum, cum quo diſpenſat.*

12 *Epi-*

12 *Epiſcopus poteſt diſpenſare cum vouente Religionem intra præfixum tempus, vt differat executionem.*

13 *Quando votum Religionis commutatur a Summo Pontifice in materiam non reſeruatam aliquid dicunt non poſſe tale votum commutatum ab Epiſcopo diſpenſari; & quare.*

14 *Contrarium tamen ſequitur Author.*

15 *Rationibus in contrarium ſatisfit.*

16 *Epiſcopus non poteſt diſpenſare, vt religioſus profeſſus retineat penſionem quam habebat ante.*

1 NEgatiuè, & adeo mordicus reſpondet Riccius *in prax. deciſ.* 518. *num.* 6. Vgolinus *de Officio Epiſcop. cap.* 57. §. 2. *num.* 6. vt etiam ſi Epiſcopo ſubmittantur a Proprijs Prælatis pro tali diſpenſatione adhuc negant ab Epiſcopo poſſe Regulares diſpenſari, ſed

2 Affirmatiuè omnino reſpondendũ eſt; & ita Reſpondent Emanuel Sa *Verb. Epiſcopus num.* 29. Nauarrus, *Conſil.* 31. *de Pœnitentia,* Sanchez *de Matrimonio lib.* 8. *diſput.* 1. *numer.* 12. Hurtado, *de Matrimon. difficult.* 3. *diſput.* 15. Rodriquez *qq. Regularium to.* 1. *quæſt.* 20. *art.* 10. *in finem*; Mauricius de Alzedo, *cap.* 6. *Diſputatione Irregularitatum de Præcellentia Epiſcopalis dignitatis,* quia tunc Epiſcopus ſe habet ac ſi eſſet delegatus, & poteſt in Regulares illos quiquid poteſt Ordinarius, & Prælatus proprius: Hinc eſt quod etiam poſſet diſpenſare Regularem illegitimum ad dignitates ſui Ordinis, ſi a Prælatis mitteretur pro tali diſpenſatione ſecus ſi non ſubmitteretur, vt in terminis habent Silueſter *Verb. Illegitimus, quæſt.* 6. Paludanus *in* 4. *diſt.* 41. *quæſt.* 3. *art.* 2. Sanctarellus *Variarum Reſolutionum quæſt.* 41. & colligitur ex *cap.* 1. *& finali de Filijs Praſbyterorum.*

3 Queres; an poſſit Epiſcopus diſpẽſare in ętate vt Monachus fiat Abbas. Affirmatiuè reſpondet Bertachinus, *de Epiſcopis tom.* 13. *Tractatuum num.* 116. qui citat Ioannem Andream; & colligi videtur ex cap. *Tuam de ætate, & qualitate*, Ego tamen puto nullo pacto poſſe Epiſcopum in hoc diſpẽſare, quia ętas eſt per legem Pontificiam requiſita, quę nequit ab Inferioribus diſpenſari. Ita Lezana *Verb. Abbatiſſa in Summ.* Nec obſtat Caput *Tuam,* nam textus ille loquitur in caſu neceſſitatis, deinde non delegatur Epiſcopus, ſed Cardinali cuidam dirigitur, qui Monaſterij curam gerebat; & erat velnti protector illius, & ſic nõ video quomodo ex illo Epiſcopis tribuant talem facultatem relati Doctores *ſupra* pro contraria ſententia.

5 Quæres ſecundo, An Epiſcopus poſſit diſpenſare Regulares, vt capaces ſint beneficij ſimplicis.

Affirmatiuè reſpondet Staphilæus *de litteris gratiæ tract. de varijs modis vacationis apud Sanchez li.* 7. *tom.* 2. *In Decalog. cap.* 29. *num.* 76. Sed

Communis ſententia docet non poſſe, Ita Roſella, Tabiena, Armilla, Syllueſter, Cucus, Hoyeda, Coraſius, Graffius, & alij plures apud Sanchez *loco ſupra* quos ipſe ſequitur, & Fundamentum eſt, quia Epiſcopo nullibi conceditur talis facultas, quę deberet probari ab aduerſarij; Ita etiam docet Lanretus de Franchis *in ſuis Controuerſijs pag. mihi* 418. *quæſt.* 89. plures alios Doctores Abbat. *cap. ſuper eo de Regular.* Cardinal. Ancharan; &

6 addit, nec Legatum a Latere poſſe in hoc

hoc diſpenſare Regulares, quidquid dicat Gambara *de Officio, & Poteſtate Legati lib.8.cap. vltim. num.* 28. & ratio eſt quia hoc ad ſolum ſummum Pontificem pertinet, & Legatus a Latere ex ſua poteſtate ordinaria tãtum poteſt circa diſpenſationes in tota ſua Prouincia quod poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi; niſi aliud ei ſpecialiter committatur.

7 Inſuper deducit ex allata Doctrina dictus Laurettus de Franchis *loco ſupra*, nec poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt Religioſus promotus ad beneficium Parrochiale habeat ſimul beneficium ſimplex; quia vltra inhabilitatem ad beneficium ſimplex occurrit etiam aliud impedimentum, quod eſt beneficiorum pluralitas, quæ in Regularibus ſpecialem habet incompatibilitatem, refert plures Doctores id docentes.

8 Quæres tertio, An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto perſeuerãdi in Religione. Affirmatiuè reſpondent Sanchez *lib.4.cap.*40. *num.* 75. Bordonus *Reſolut.* 15.*num.* 19. & hęc opinio eſt vera ſtando in illa opinione perſeuerantiam in Religione non includi in voto Religionis, quod eſt ſimpliciter reſeruatum Pontifici, vti ſuſtinent Sairus *lib.6.cap.*10.*num.*21. Bonacina *de Voto §.6.num.*22.*relati* a Bordono *loco ſupra*, cæterum ſi includatur in voto perſeuerantia; iam clarum eſt non poſſe Epiſcopum diſpenſare &c.

9 Quæres quarto, An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illo, qui vouit intrare Religionem, vt laxiorem ingrediatur. Affirmatiuè reſpondent Silueſter, *verb. Votum* 4. *num.*3. *verſ.* 6. Nauarrus *Conſil.*40. *num.* 8. & *Conſil.* 41.*num.* 2, *de Voto*, Vgolinus *de Officio Epiſcopi parte* 2. *cap.* 58. §. 3. *num.* 1. Menochius *de Arbitris lib.* 2. *Centur.* 5. *caſ.* 421. *num.* 16. Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *diſput.* 9. *num.* 17. Emanuel Sa *Verb. Voti Irritatio numer.* 11. Silueſter *verb. Votum* 4. §. 3. Aragonius 22. *quæſt.* 88. *art.* 12. omnes relati a Mauricio Alzedo *Parte* 2. *de Præcellentia Epiſcopalis dignitatis cap.*8.*de Poteſtate circa votorum diſpenſationem*, & Fundamentum eſt; quia hoc non eſt diſpenſare in voto Religionis abſolutè ſed in quadam qualitate.

10 Aduerte tamen hic, eſſe intelligendum cum grano ſalis id, quod dicit dictus Alzedo *num.* 8. his verbis: *diſpenſat etiam cum profeſſo minori viginti quinque annis, vt tranſeat ad Religionem laxiorem Silueſter loco ſupra verſ. 6. Tuſchus litt. E. concluſione* 247. *numer*. 8. nam eſto quod hęc ſententia eſſet vera, vt a pari, & quadam ſimilitudine dicunt multi Doctores poſſe Prælatos Regulares cum ſuis ſubditis Regularibus diſpenſare ad tranſeundum ad Laxiorem, vt ſunt Nauarrus, Sanchez, Leſſius, Sanctarellus, Vechius, Fauſtus Fagundez; Tamburinus omnes relati a Lezana *verb. Tranſeuntes Regulares num.* 11. adhuc hoc debet intelligi pro foro interno tãtum propter decretum Concilij Tridẽtini adductum a Peirino *Tom. primo, de Subdito A. dico* 6. pro foro ergo externo ſemper recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam, & etiam vt fieri ſolet laudabiliter, quando tranſitus eſt ad ſtrictiorem; Sed ſi ſermo ſit de Epiſcopis ego non video, quomodo cum Regularibus iam profeſſis poſſit in

11 hoc diſpenſare, cum nullam habeat in eos iuriſdictionem, & poteſtatem, quam ſupponit diſpenſatio ſententia

ergo

ergo adducta ab Alzedo, & alijs, vel debet intelligi de Regularibus non exemptis, vel tali tempore ſcripta fuit a Doctoribus a quibus tranſcripſit Alzedo, quo Regulares nondum exempti erant a iuriſdictione Ordinariorum.

12 Quęres quinto, An ſaltem Epiſcopus poſſit diſpenſare in differenda executione voti Religionis ne ſcilicet intra tempus pręfixum adimpleatur.

Affirmatiuè reſpondeo cum Sanchez *diſput.9. lib.8.de diſpenſationibus num.*19. & ratio eſt, quia hęc diſpenſatio non eſt in ſubſtantia voti Religionis, ſed in qualitate.

13 Quæres ſexto, An Quando votum Religionis commutatur a Summo Pontifice in materiam non reſeruatã, tunc poſſit Epiſcopus hanc materiam etiam commutare. Negatiue reſpõdent aliqui, quos ſuppreſſo nomine citat Sanchez.*dicto lib.8.diſput.9. num.*20. & alij etiam, quos expreſſe refert vt ſunt Azorius *lib.* 11. *Inſtitu. Morali cap.*18.*quæſt.*11.& ex antiquis Archidiacon.in *quæſt.2.in finem* Gloſſa item *ibi,* & mouentur primo quia ſubrogatum ſapit naturam, & vim habet eius rei, in cuius defectũ ſubrogatur ſecundo, Quia licet illa materia non ſit ex ſe reſeruata,eſt tamen per accidens ratione prioris materię in cuius locum ſuffecta eſt, tertio; Quia eo ipſo,quod Summus Pontifex materiã illam commutauit, iam materia illa eſt a Summo Pontifice admiſſa pro priori. Ergò nullus poterit legem illam ſupremi Legiſlatoris commutare.

14 Affirmatiue tamen reſpondent his non obſtantibus Sanchez ipſe, *loco ſupra* Minchaca, *in quæſt.illuſtribus lib. primo cap.*25. *num.* 25. & ex Theologis Henriquez *lib.ſeptimo de Indulgentijs cap.*30.*num.*5. *verſ.* 4.Emanuel Sa *in Summ. Verb. Votum numero vltimo* Aragonius 22. *quæſt* 88. *art.* 12. Manuel *tom.2. Summ. cap.* 96. *ad Finem.* Fundamentum eſt; quam Votum illud non eſt per ſe reſeruatum,ſed tãtum ratione materię, Ergo ceſſat reſeruatio, cum tollitur materia reſeruata:ſicuti dum peccata ſunt reſeruata ratione excommunicationis ſi tollatur excommunicatio, iam peccata non ſunt amplius reſeruata, Nec reſeruatio, quę odioſa eſt debet extendi de vna materia ad aliam,

15 Nec obſtant rationes in contrariũ adductæ;illis enim ſatisfacit breuiter, & doctè Sanchez.*loco ſupra* Ad primũ Subrogatum ſapere naturam eius, in cuius locum ſubrogatur procedit ex ſola fauorabili interpretatione, quæ in odioſis non currit, qualis eſt reſeruatio.Vel ſecundo reſponde ſuccedere in loco reſeruati, quo ad naturam primęuam,non vero quo ad naturam accidentalem; natura ergò primæua huius voti eſt, quod ſit diſpenſabilis per Epiſcopum licet poſtea accidentaliter reſeruetur a Papa.Ad ſecundũ Vinculum voti non eſſe per ſe reſeruatum, ſed ratione materiæ, quæ cũ iam non ſit reſeruata, nec vinculum voti debet tale æſtimari.Ad Tertium, Pontificem impoſuiſſe illam materiã in vouentis gratiam & ſit iam nõ voluiſſe imponere cum hoc onere,quod eſſet reſeruata; & hæc ſufficiant nam ſi vis videre quod poſſit Epiſcopus circa votum Religionis, Vide dictum Sanchez.*dict.a diſputatione & loco* quę-

16 res ſexto, an Epiſcopus poſſit diſpenſare, vt religioſus profeſſus retineat pen-

penſionem, quam antea habebat. Negatiuè reſpondet Gigas *de penſionibus quaſt.* 57. & Garcias *de Beneficijs parte prima cap.* 5. *num.* 108. Azorius *parte* 2. *lib.*8.*cap.*10.*quaſt.* 1. Molſeſius *tract.* 6. *capit.*3. Homobonus *Trac.* 15. *Tom.* 3. *ſui examin. cap.* 8. *Reſolut.* 5. & probatur, quia penſiones ſicuti beneficia vacare dicuntur profeſſione, Vnde requiritur Summi Pontificis diſpenſatio. Secundo, Quia ex *cap. Beneficium de Regularibus in* 6. dum dicitur beneficia per profeſſionem vacare beneficium late accipitur, Ita vt penſio quoque comprehendatur, Vnde cum per profeſſionem Religionis beneficij quis incapax ſit iam Summi Pontificis diſpenſatio requiritur non Epiſcopi.

An Epiſcopus poſſit irritare vota Religioſorum.

Dub. CCCVII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Poſſet tamen Epiſcopus irritare talia vota, ſi ad eum Regulares recurrerent cum licentia Prælatorum.*
3 *In eis in quibus Regulares ſubduntur Epiſcopis poteſt eorum vota irritare, & quomodo.*
4 *Aduertentia pæculiaris, quam facit Author.*

1 NEgatiuè reſpondent Bordonus *Reſolut.* 14. *quaſt.* 37. Sanchez, *lib.*4.*cap.* 24. *num.* 21. ſic dicens: *Nec Religioſorum vota irritare valet; niſi eorum, quorum eſt pæculiaris Prælatus, cui votum obedientiæ emittitur, vt contingit in aliquibus monialium cœnobijs, Quia iã omnes Religioſi ex Pontificis priuilegio habent exemptionem, ac ipſi immediate ſubſunt*. Ita Sanchez; poſſet tamen Epiſcopus irritare vota Regularium, ſi cum licentia Prælatorum ab eum recurrerent pro irritatione, quod videtur eſſe conrra Bordonum dum loco citato dicit. *Non poteſt irritare; ſed tantum diſpenſare, & commutare iuxtà quod probaui reſolut.* 16. *quaſt. prima* eſt tamen cum Sanchez *loco citato numer.* 23. dum docet Superiorum vice fungentes, & ſolam Vicariam iuriſdictionem habentes, poſſe Regularium vota irritare, ſi auctoritate legitima habeant dictam Vicariam, & iuriſdictionem generalem ad omnes cauſas, non determinatam ad aliquam particularem; nam tunc faciunt hoc auctoritate ſuperiorum, ſicut tutores poſſunt irritare vota filiorum, quia funguntur auctoritate Patris.

3 In eis tamen, in quibus Regulares ſubduntur Epiſcopos, poteſt eorum vota ſi ei præiudicent impropriè irritare Epiſcopus, quia ius naturæ ſuppoſita ſubiectione petit nil in eius ſuperioris detrimentum fieri; & ſic bene poterit Superior ſuſpendere obligationem votorum, quæ ſibi in ſuperioritate præiudicant. Ita Sanchez. *lib.* 4. *cap.* 24. *citato num.* 28. & hæc doctrina vera eſt ſi ſermo ſit de votis, quæ poteſtate ordinaria poſſunt Prælati Regulares irritare, non verò de illis, quæ poteſt irritare per priuilegium, nam tunc forte non poterunt alteri ſuas vices in hoc committere.

Vu

An quando Epiſcopi ſibi reſeruant commutationem in votis posſint Regulares commutare, & diſpenſare talia vota.

Dub. CCCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*

2 *Poſſunt Regulares dicta vota commutare, diſpenſare, &c. & quare.*

1 Ratio dubitandi eſt; quia iam patet per Decretum Sacræ Congregationis de mandato Sanctiſſimi, Regulares nullo pacto poſſe abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſed talis commutatio, ſeu diſpenſatio eſt Epiſcopo reſeruata; ergò

2 Dico tamen, hoc non obſtante, poſſe Regulares commutare, & diſpẽſare talia vota; Ita in terminis Bordonus *Reſol.6. quæſt.* 13. & probatur primo; Quia Regulares ex priuilegio poſſunt vota commutare, vt habes multa priuilegia apud Confectiũ *pag. mihi* 38. & apud noſtrum Peregrinum *in Compendio, ver. commutatio*, ergò; Secundo, Quia decretum, quod prohibet Regularibus ne abſoluant à caſibus reſeruatis Epiſcopo intelligitur ne abſoluant à peccatis, & in ſententia aliquorum, etiam ne abſoluant à cenſuris, relaxare autem talia vota nõ eſt abſoluere, ergò Regulares hoc poſſunt facere; nec video difficultatẽ, vide tamen Lezanam *Tom.* 1. *cap.*19. *num.*22. vbi multa adducit Regulariũ priuilegia circa hoc, quorum partem approbat, partem reprobat; & noſtrum Thomam del Bene *de Comitijs, fol.mihi* 84. *Corollar.* 2.

An Regulares commutantes, & diſpẽſantes in votis cum ſæcularibus debeant eſſe approbati ab Epiſcopo. Dub. CCCIX.

SVMMARIVM.

1 *Debere eſſe approbatos ab Epiſcopo Regulares commutantes, & diſpenſantes, aliqui docent.*

2 *Regulares ob priuilegia poſſunt commutare, & diſpenſare vota, etiam ſi non ſint approbati ab Epiſcopo.*

3 *Priuilegium Pauli III. Conceſſum Societati Ieſu adducitur ad verbum.*

4 *Facultas, & approbatio Epiſcopi requiritur pro confeſſionibus non autem pro commutationibus & cæt.*

5 *Idem quod dicitur de commutatione, debet dici de diſpenſatione.*

6 *Bordonus ad hominem impugnatur.*

1 Mouet dubium Bordonus *Reſolut.*15. *quæſt.*13. & reſoluit debere Regulares ſic diſpenſantes, & commutãtes eſſe approbatos ab Epiſcopis ad Cõfesſiones; quia licet Regulares habeãt priuilegia cõmutandi vota abſq; eo quod exprimatur, approbationẽ Epiſc. requiri; attamẽ Doctor. Ita cõmuniter sẽtiũt debere Regulares eſſe approbatos ab Epiſcopis.

2 Dico tamẽ, datis priuilegijs, per quę Regulares poſſunt commutare, & diſpenſare vota etiam ſi approbati non ſint ab Epiſcopis, ſed tantum deputati à ſuis Prælatis, vt videntur eſſe priuilegium conceſſum à Paulo III. Societati Ieſu in ſua Conſtitutione quæ incipit *Inter Cunctas* non video, cur, etiam ſine approbatione Epiſcopi nequeant Regulares diſpenſare, commutare & cæt.

Priuilegium autem Pauli III. eſt tenoris ſequentis:

3 *Cum inter cunctas ſolicitudines noſtras quibus nos premit paſtorale Officium Illa ſit præcipua vt gregi Dominico nobis ſuperna diſpoſitione commiſſo animarum cura non deſit, ne illum antiquus ſerpens humano generi inimicus iam defeſſum, & impræparatum inuadat. Attendentes igitur ad fructus vberes quos in Domini vinea hactenus produxiſtis, & producere non deſiſtitis veſtræ Religionis integritati, Scientiæ, & Doctrinæ moribus, & experientiæ plurimum in Domino confidentes vobis, quos alias, & Societatem veſtram Dei Ieſu, approbando, confirmando, & benedicendo, atque perpetuæ firmitatis munimine roborando ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepimus, & cuilibet veſtrum, qui ad hoc onus idoneus repertus; & per veſtrum Societatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit in quibuſuis Eccleſiis, & locis atque plateis communibus, ſeu publicis, & alias vbique locorum clero, & populo verbum Dei prædicandi proponendi, & interpretandi, ac eos viam veritatis docendi, & ad benè beatèque viuendum ità vt in vobis verbo pariter, & exemplo ædificentur in Domino hortandi, & monendi; Nec non illis ex vobis, qui præsbiteri fuerint quorumcumque vtriuſque Chriſti fidelium ad vos vndique accedentium confeſſionibus diligenter auditis ipſos, & ſingulos ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis criminibus exceſſibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, & a quibuſuis ex ipſis caſibus reſultantibus Sententijs, cenſuris, & penis Eccleſiaſticis, exceptis contentis in Bulla quæ in die Cenæ Domini ſolita eſt legi abſoluendi, atque eis pro commiſſis pænitentiam ſalutarem iniungendi, nec non vota quæcumque, quæ per eos pro tempore emiſſa (Vltramarinis viſitationibus Liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de Vrbe, ac Sancti Iacobi in Compoſtella, nec non Religionis, & Caſtitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, &c.*

Hoc eſt priuilegium Pauli III. relatum a Confectio Collectore Priuilegiorum *pag. mihi* 152. per quod clarè habetur poſſe ſaltem commutari vota ſæcularium a Regularibus ſolum deputatis a ſuis Prælatis.

4 Nec obſtat dicere ibi etiam datur facultas abſoluendi ſacramentaliter, & tamen debent eſſe approbati ab Epiſcopis, Ergo ſic etiam dum commutant vota.

Reſpondeo, nego conſequentiam; quia ad abſoluendum hæc approbatio per Pontifices requiritur, non autem ad commutanda vota, quia hoc non video requiſitum.

5 Quod autem dico de commutatione, etiam valet de diſpenſatione ob priuilegia quæ adducit Portel. *Verb. Confeſſor*, & *verb. diſpenſatio*, nec ad hoc requiritur approbatio ab Epiſcopo. Ita clare dictus Poltel. *n.*23. *Verb. Confeſſor. & Verb. Diſpenſatio num.* 14. Vnde non placet Sententia contraria Bordoni, tum quia per ipſum *Reſolution.* 15. *quæſtion.* 14. poteſt Confeſſor approbatus tantum ad Confeſſiones virorum ab Epiſcopo commutare vota, & diſpenſare fæminas in votis ad quas audiendas non eſt approbatus; Ergo ad quid requiritur approbatio Epiſcopi? Deindè Fundamentum per quod mouetur Bor-

Digitized by Google

Bordonus ad dicendum poſſe talem Confeſſarium approbatum ſolum pro viris diſpenſare fæminas, & cætera eſt quia talis commutatatio, & diſpenſatio non fit in abſolutione Sacramentali, ſed poteſt fieri extra, Ergo cum extrinſecā ſit Sacramentum talis actio cur Epiſcopi requiritur approbatio?

An Nouitij percutientes Regularem profeſſum debeant abſolui ab Epiſcopo, vel a Prælatis Regularibus.
Dub. CCCX.

SVMMARIVM.

1 *Senſus quæſtionis explicatur.*

2 *Nouitius percutiens profeſſum, ſi perſeueret in Religione debet abſolui a proprijs Prælatis.*

3 *Controuerſum eſt apud Doctores, an Nouitius poſt delictum factum in Religione, qui vult egredi, adhuc puniri poſſit a Prælatis Religionis.*

4 *Etiam ſi Nouitius egrediatur adhuc debet abſolui a ſuis Prælatis.*

5 *Non aſſignatur bene diſparitas inter caſum de Clerico habitum dimittente, & de Nouitio &c.*

6 *Non eſt adeo certum, an Nouitius, qui commiſit peccata reſeruata dum erat in Religione debeat abſolui ab Epiſcopo, vel potius a ſuis Prælatis.*

7 *In foro pænitentiali tantum habetur reſpectus ad tempus ſententiæ, non ſic in alijs foris.*

8 *Epiſcopi poſſunt abſoluere Regulares, qui introducunt fæminas intra clauſtra ad malum finem, a ſuſpenſione in quam incurrunt.*

9 *Quando facultas abſoluendi, & diſpenſandi non eſt in immediato Superiore, etiam cum eius licentia nequeunt Epiſcopo ſe ſubdere Regulares ſubditi pro abſolutione.*

10 *Etiam Prælatus ipſe abſolutionem conſequi poteſt ab Epiſcopo.*

11 *Controuerſum eſt apud Doctores, an Vicario Generali poſſint ſe ſubdere Regulares pro abſolutione, & cæt.*

1 VEl eſt ſermo de Nouitio perſeuerante in Religione poſt percuſſionem, vel de Nouitio poſt percuſſionem habitum dimmittente, ſi primo modo Res ſe habeat.

2 Dico Nouitius ille percutiens abſolui debet non ab Epiſcopo, ſed a proprijs Prælatis. Ita ſupponit tanquam certum Alphonſus de Leone, *in ſuo vltimo Tractatu de Cenſuris Reccoll. 5. num. 614.* & citat ſe ipſum, *parte ſecunda, de Poteſtate Confeſſarij Reccollect. 11. numer.* 201. licet ibi non exprimat caſum in Nouitijs, ſed Generaliter loquatur; & ratio eſt clara; quia tunc Nouitius eſt ſubditus illorum Superiorum Regularium; & ſic ab eis poteſt abſolui,

3 & aduerte hic eſſe quæſtionem valde agitatam a Doctoribus in Nouitius, qui deliictum tempore Nouitiatus committit ſi nolit perſeuerare in Religione, ſed egredi velit, poſſit adhuc ipſo non conſentient puniri a Prælatis; an tunc tantum quando cõſentit; docent etiam non conſentiente Nouitio poſſe ob delictum patratum tempore Nouitiatus a Prælatis Religionis puniri Suarez, Laurettus de

Franchis Portellus relati ab Alphonſo de Leone *loco ſupra* Recollec. 5. *num.* 615. *de Cenſuris.* Oppoſitum docent communiter Doctores, teſte eodem Alphonſo de Leone eodem loco.

4 Dico ſecũdo, ſi Nouitius poſt commiſsũ delictũ egrediatur e Religione, & dimmittat habitũ, tũc adhuc abſolui debet a ſuis Prælatis: quidquid in contrariũ dicat noſter Alphonſus de Leone *loco ſupra a n.616. vſq; ad 618.* qui plures alios citat Doctores ꝓ ſe, & præcipue Molinã, *diſp.49. circa finẽ*, licet hic Doctor limitet ſuã doctrinã, quãdo ſcilicet Prælati Regulares prę uenissent iuriſdictionẽ; nã tũc a Prǽlatis illis ſunt puniendi, ſũt enim ſubditi in tali delicto dictis Superioribus, & ſic ab eis etiã poſſunt abſolui: Fundamentũ ergo dicti poſiti eſt; quia commiſſo delicto ſtatim reus eſt obligatus illi curiæ ſub cuius iuriſdictione illo tempore erat, quo cõmiſſit delictũ ſicuti dictũ eſt ſupra cap. *Quo ad delicta dub. an ab Epiſcopo debeat puniri Regularis Nouitius vel a Prælatis proprijs.* Idem enim dicendũ eſt in caſu poſito, ac dicunt cõmuniter Doctores de Clerico delictũ cõmittẽte tẽpore clericatus, & habitũ poſtea dimittente qui ſcilicet debet puniri adhuc à Iudice Eccleſiaſtico, ſed dictum intellige, ſi caſus reſeruatus non ſit, nam ſi reſeruatus ſit ſecus dicendum erit;

5 Nec diſcrimẽ quod conatur adducere dictus Alphonſus de Leone inter caſum de Clerico habitum dimittẽte cõuincit; nam gratis datur talis differẽtia, dum dicit: *Ratio differentiæ meo iudicio alia non eſt, niſi quod in tantum Nouitius eſt ſubditus Prælato Regulari quatenus manet in Religione, & quod iuriſdictio Prælati Regularis non ſolum pro foro externo, ſed etiam pro foro interno durat pro tempore quo actu eſt in Nouitiatu.* Ita Alphonſus de Leone; ſed idem ego dicam de iuriſdictione quam habet Iudex Eccleſiaſticus in clericum, quę tantũ durat dũ actu clericus ille eſt, quod ſi dimittat habitũ, iã nõ erit ſubdit⁹ tali Iudici Eccleſiaſtico. Ergo differentia hæc aſſignata nõ valet.

6 Sed nec inſtantia, quam adducit idem Alphonſus de Leone *loco ſupra* eſt contra dictũ; quod ſcilicet; Si Nouitius incidat in caſus reſeruatos Epiſcopo, dũ actu in Religione eſt, & poſtea egrediatur non poteſt abſolui, niſi ab habente facultatem ab Epiſcopo abſoluendi a dictis reſeruatis; & nõ a Prælato ſub cuius iuriſdictione erat dũ cõmiſit illa peccata reſeruata: Ergo idem dicendum de delicto cõmiſſo tempore Nouitiatus, & de cenſura ob percuſſionem in profeſſum tali tẽpore. Hæc inſtantia, vt dixi, nec etiam obeſt noſtræ Doctrinæ; nã primo poteſt dubitari; an tunc ille Nouitius debeat, & poſſit tantum abſolui ab habente facultatẽ ab Epiſcopo, vel etiã a ſuo Prælato; Vnde nõ eſt adeo certa illa opinio. Sed demus illam ſententiã eſſe veram, adhuc poſſumus aſſignare diſparitatẽ inter abſolutionem a cenſura, & abſolutionem à reſeruatis: nã a reſeruatis nequit abſolui tũc Nouitius; niſi ab habente facultatem &c. 7
quia in foro pęnitentiali tantum habetur reſpectus ad tempus ſententiæ; non ſic autem in alijs foris, in quibus etiam habetur reſpectus ad tempus cõmiſſi delicti & ſic patet diſparitas.

8 Quæres hic, (ad cõplemẽtũ huius capitis) aliqua obiter primo, an Epiſcopi poſſint abſoluere Regulares, qui incurrunt in ſuſpenſionem, dum

fæmi-

ſęminas intra clauſtra ad malum finem, &c. introducunt. Affirmatiuè reſpondet Sanchez *tom.2. Summ. li.6. cap.17.* quem refert,& ſequitur Diana noſter 7. *part. tract.2. reſolut.22. verſ. nota, etiam hic obiter*. Ratio eſt, quia Epiſcopi, & Prælati Regulares virtute Tridentini *ſeſſ.24.c.6.* habent auctoritatem abſoluendi à quibuſuis caſibus occultis, ſuſpenſionibus, & irregularitatibus occultis,&c. hāc autem facultatem nullum ius nouum abſtulit, vel moderauit: addit à pari, etiam ab Epiſcopo, & Prælato poſſe abſolui monialem, quæ ad malum finem è Monaſterio egreſſa eſt, dummodo delictum occultum ſit. Ita relati Doctores, qui non conſiderant in caſu poſito an Epiſcopi ſine licentia etiam Prælatorum Regularium poſſint abſoluére Regulares ad eos recurrentes, vel an requiratur pro tali abſolutione licentia, vide Lector caput primum huius capitis, & iuxta ibi tradita reſolue dubium, moleſtus enim eſſem hic dicta ſi repeterem.

9 Queres ſecundo; An quando facultas abſoluendi, & diſpenſandi non eſt in immediato Religionis Prælato, ſed in mediato, puta non eſt in Priori bene tamen in Prouinciali, tunc Epiſcopus de licentia illius Superioris immediati poſſit abſoluere Regulares ad ſe accedentes pro abſolutione.

Reſpondent negatiuè ex noſtris Duardus *in Bullam Cœnæ libr.3. qu.11. §.2. num.27.* & Diana 7. *part. tractat.2. reſolut.6.* & ratio eſt, quia cum in hoc caſu pateat remedium intra Religionem non cenſetur Prælatus ille velle conſentire, vt extra Religionem remedium quæratur.

10 Quæres tertio; An ſi Prælatus Religionis indigeat abſolutione, aut aliqua diſpenſatione poſſit ſe ſubijcere Epiſcopo pro tali abſolutione, vel diſpenſatione.

Reſpondent affirmatiuè Trullench, & Henriquez apud Dianam 7. *part. reſolut.6. trac.2. verſ. vnde ex his omnibus*, idem docet Duardus *loco ſupr. nu.28.*

11 Queres quarto; An idem, quod poteſt facere Epiſcopus in his abſolutionibus, & diſpenſationibus, poſſit etiam facere Vicarius, & conſequenter; An Regulares poſſint ſe ſubijcere Vicario pro tali abſolutione, &c.

Affirmant Sairus *de cenſ. lib.4. c.17. num.19.* Victorellus *in notis ad Toletum lib.1. c.46.* ſed negat Theſauris *in praxi de pœnis part.1. cap.24. verſ. reſpondeo tertio, in fin.m.*

QVO AD FESTA ET IEIVNIA. Cap. XX.

An Regulares teneantur ſeruare Feſta voto à populo facta, ſed confirmata poſtea ab Epiſcopo. Dub. CCCXI.

SVMMARIVM.

1 *Regulares tenentur ſeruare Feſta indicta ab Epiſcopo.*

2 *Controuerſum eſt apud Doctores, an teneantur ſeruare Feſta voto facta à populo, & confirmata ab Epiſcopo.*

3 *Authoris opinio.*

4 *Confirmatio non mutat eſſentiam rei confirmatæ.*

5 *Ex vi directiua, & ratione ſcandali tenentur ſeruare Regulares dicta feſta ſecundum aliquos.*

Ff 3 6 Non

6 *Non poſſunt Regulares cogi ab Epiſcopo, vt ſeruent octauam feſti ab eo indicti.*

7 *Regularium ritus ſemper illis feſtis permanere debet.*

8 *Priuilegium notabile datum Regularibus, quo ad feſta ſeruanda.*

1 QVOD Regulares teneantur ſeruare feſta indicta ab Epiſcopo docent communiter Doctores. Fuſcus *de viſitatione lib.2.cap.15. num.63.* Emanuel *qq. Regular. to.2. qu. 70. art.1.& 2. & qu. 108. art. 2.* in fine, Piaſec. *in praxi Epiſcoporum par.2. cap.3. nu. 47. verſ.dies feſtos,* Riccius *in praxi reſolut. 210. verſ. 6.* Vgolinus *de Officio Epiſcopi cap.20. §.3. num. 1.* Campanil. *in diuerſ. iuris Canon. rubric.12.cap. 13.ex numer. 91.* Cokier *de Iuriſdictione in exemptos par.2. quæſt.45.num.55.* Laurentius de Peirinis *in Conſtitut.ſui Ordinis Minimor.tom.1.Conſtitut.28.* Leonis X.omnes apud Barboſam *in Collectaneis Doctorum ſuper Concilium Trident. ſeſſ.25.de Regul.& Monial.cap.12. n.5.* nec in hoc eſt dubium, difficultas ergo eſt ſupra poſita. An Regulares teneantur ſeruare feſta voto facta à populo, confirmata poſtea ab Epiſcopo.

2 Affirmatiuè reſpondent Vaſquez *1.2.quæſt. 96. diſput. 167.* Sanchez *in Decalog. lib.4.cap.15.num.21.* & Fundamentum eſt,quia appellatione populi veniunt Religioſi, ergo

Negatiuè tamen reſpondet Homobonus *tom. 3. examinis Art. circa Epiſcopos c.9. reſol.3.* cũ qua ſententia.

3 Dico non tenentur Regulares ex vi præceptiua ſeruare illa feſta. Probatur primo; Quia licet in fauorabilibus veniant Religioſi nomine populi, non tamen in odioſis, qualis eſt hæc obligatio ſeruandi feſta voto à populo facta; nec illa confirmatio Epiſcopi aliquid facit, nam confir-
4 matio non mutat eſſentiam rei confirmatæ, nec nouum aliquid ius addit quod tollet eſſentialia: Sic confirmatio v. g. priuilegiorum oraculo viuæ vocis conceſſorum, vt tradunt multi Doctores, non mutat illa oracula tranferendo illa ad priuilegia ſcripta. ergo

5 Placet tamen quod addit poſtea citatus Homobonus, ſcilicet ex vi ſaltem directiua, & ratione ſcandali teneri Regulares ad illos dies feſtos ſeruandos; cum vt ait Apoſtolus ad eos maximè ſpectet exemplum afferre in verbo conuerſatione, & charitate. Vnde concludit ſic dicens: *Nefas eſt Regularibus in opere ſuorum Monaſteriorum ſeruilibus operibus diebus feſtis ſæculares, vel Fratres occupare, niſi aliqua præſenti,& vrgente neceſſitate excuſentur, ſed vt id licitè faciant licentiam ab Epiſcopis petere tenentur ſi ad eos, vel eorum Vicarios facilis ſit aditus.* Ita Homobonus *loco ſupra.*

6 Aduerte tamen nõ poſſe cogi Regulares ab Epiſcopo, vt ſeruent octauam feſti ab eo indicti. Ita Barboſa, *loco ſupra num.10.* ex Aldano; Sic etiã nec poteſt Epiſcopus cogere Regulares curam animarum exercentes ad intereſſendum Diuinis officijs in Eccleſia Cathedrali diebus Sanctorũ Protectorum ciuitatis. Ita refert deciſum *ſub die quinto Decembris 1626.* Sellius *in Sellectis Canon.cap.2. num.3.* apud

apud Barboſam *loco ſupra num.* 8.

7 Aduerte etiam ſecundo, Decretũ hoc Tridentini ita intelligendum eſſe, vt Regularium ritus illis feſtis ſemper permaneant, quo ad Miſſas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quam priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs perſoluenda; nec circa hæc poſſunt aliquo modo ab Epiſcopis cogi Regulares. Quo ad conciones verò, & lectiones, quas idē Regulares ad populum habuerint debent ſe Regulares conformare Euangelijs, & Epiſtolis, quibus clerus ſæcularis vtitur habes ex Quaranta *in Summ. Bullarijs verb. Priuilegia Regularium* Piaſecio, Vgolino, Laurentio de Peirinis quos citat Barboſa *loco ſupra num.6.*

8 Aduerte tertiò Rodriquez, *in ſuis quæſtionibus Regul. tom. 2. quæſt. 62. art. 1.* adducere quoddam priuilegium Eugenius IV. conceſſum Monachis Sancti Benedicti Congregationis Hiſpaniæ, per quod conceditur dictis Religioſis; quod tantum teneantur colere illas feſtiuitates, quæ per Vniuerſalem Eccleſiam obſeruantur, alias vero, quæ ſunt ſecundum conſuetudinem locorum particularium ne quaquam, niſi ſolum dum ex non obſeruantia ſequeretur ſcandalum. Vnde concludit dictus Doctor *loco citato* concordare hoc priuilegium cũ Tridentino *Seſſ. de Regul. cap.* 12. & ſic videtur ſentire non obligari vi coactiua Regulares ad ſeruanda feſta indicta ab Epiſcopo, ſed ſolum vel directiuè, vel ratione Scandali ſe tamen non explicat; Tu tamen ne diſcedas a communi ſententia.

An Regulares obligentur ieiunijs indictis ab Epiſcopo. Dub. CCCXII.

SVMMARIVM.

1 *Variæ Doctorum ſententiæ.*
2 *Non obligantur Regulares ex vi coactiua ad talia ieiunia.*
3 *Nec ex vi directiua tenentur talibus ieiunijs Regulares, & quare.*
4 *Difficultati quæ fit reſpondetur.*
5 *Clerici nullo pacto obligantur legibus Principis ſæcularis niſi ratione ſcandali ſi ſcandalum ſequi poteſt.*
6 *Quid dicendum, an Regulares teneantur ſeruare leges ſynodales Epiſcoporum.*
7 *Omnes tenentur ſe conformare legibus Principis, qui ſunt de corpore communitatis.*
8 *Ratio per quam Clerici non obligentur legibus Principis ſæcularis.*

1 NOſter Paſqualigus hanc quæſtionem doctè ſuo more reſoluit *deciſ. 96. de Ieiunio* & pro vtraque parte Doctores affert Affirmantes citat Villalobos, Peirinum, & Lezanam.

Negantes Azorium, Fagundez, Suarez; Boſſiũ, Marchinũ, Trulench, Portellium, Llamas, Dianam, Bonacinam, Ghelmum, Bordonum, & alios.

2 Dico ergo primo non obligantur Regulares ex obedientia, & vi præceptiua ad ieiunia indictā ab Epiſcopo, Ratio clara eſt quia ſunt omnino exempti a iuriſdictione Epiſcoporũ, Ergo non poſſunt ad hæc ieiunia obli-

Ff 4 gari

gari ab Epiſcopo, qui non habet in Regulares iuriſdictionem.

3 Dico ſecundo, ex vi directiua nec tenentur Regulares ſeruare dicta ieiunia indicta ab Epiſcopo. Ita Paſqualigus *loco ſupra citato*, Fundamentum eſt; quia Regulares non ſunt de corpore communitatis, & ſic non tenentur ſe conformare ei. Item ratione exemptionis ſunt, ac ſi eſſent non ſubditi; ergo ſicut non ſubditi, nec obligantur vi directiua ad leges ſeruandas, quas promulgat Princeps externus, vel Ordinarius non proprius, ſic pari ratione idem dicendum de Religioſis exemptis. Quod autem Regulares non ſint de corpore communitatis patet; nam licet dicantur eſſe in Diœceſi, non ſunt tamen de Diœceſi.

4 Quod ſi obijcias diſputationis gratia Princeps minus tenetur ſibi ipſi obedire, & minus forte obligatur ſe conformare cum reliquo corpore ſubditorum, quam Regulares; & tamen vi directiua obligatur ſuas leges ſeruare; ergo etiam Regulares obligantur. Reſpondeo primo, nec Principem obligari ad ſeruandas ſuas leges ex vi directiua, vt docent multi DD. Filliucius *to.* 2. *tract.* 21. *c. vltim. n.* 426. Azor. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *q.* 1. Salas *de legibus diſp.* 14. *ſec.* 2. *n.* 19. & 20. & *diſp.* 20. *ſect.* 12. *n.* 104. Leſſius *libr.* 2. *c.* 35. *dub.* 5. *n.* 34. quos refert, & ſequitur Diana *tract.* 10. *de Legibus reſolut.* 10. *part.* 1. Secundo eſto, quod Princeps teneatur directiuè ſeruare ſuas leges, adhuc paritas non vrget in Regularibus exemptis reſpectu legum Ordinarij, à quo eximuntur; nam Princeps adhuc pars, & caput eſt totius communitatis, cuius Princeps eſt, Regulares autem non ſunt pars talis corporis, vt dixi.

5 Quod ſi obijcias ſecundo: Clerici tenentur per ſe legibus Principum ſæcularium, & tamen magis exempti ſunt à Iuriſdictione Principis ſæcularis, quàm ſint exempti Regulares à iuriſdictione Ordinarij; ergo

Reſpondeo primo, nec Clericos obligari dictis legibus, niſi ratione ſcandali, ſi ſcandalum ſequi poſſit ex non obſeruantia. Ita Bonacina præcipuè *de Legibus diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punc.* 6. *num.* 53. Ioannes de Salas *de legibus diſput.* 14. *ſec.* 10. *num.* 11. apud Dianam *loco ſupra reſolut.* 12. Secundo, ita obligantur Regulares legibus Ordinarijs, ſicut Clerici legibus Principis ſæcularis, ſed Clerici ſolum obliganlur legibus Principis ſæcularis, quando dictæ leges dependent à lege naturali per modum conſequentiæ, ſeu concluſionis à principio, ſcilicet à legibus quatenus ſecundum ius naturale ſunt; præciſo quolibet Principis præcepto. Imo quando adeſt etiam præceptum, & determinatio Principis, tunc præciſa etiam tali determinatione obligantur ad ſeruandas tales leges, ſi bonum commune reſpiciant; Quod eſt dicere teneri ad leges, prout ſunt à natura, non à Principe. Vide circa hoc Ioſephum de Ianuario nouiſſimè *in ſuis reſolutionibus reſolut.* 66. vbi doctè, & acutè diſputat quomodo Clerici teneantur legibus Principis ſecularis, tali autem pacto obligari non eſt obligari legibus, ſed iure naturali.

6 Ex poſita doctrina in particulari, quo ad Ieiunium collige, quid dicendum ſit in quæſtione illa vniuerſali, An Regulares teneantur obſeruare leges Synodales Epiſcoporum. Affirma-

matiuè reſpondent ſcilicet teneri vi directiua. Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſputat. 167. cap. 4. nu. 3.* Sanchez *in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 21.* Villalobos *in Summ. tom. 1. trac. 2. dub. 31. num. 4.* Becanus *in Summ. Theologiæ part. 2. tractat. 3. cap. 6. quæſt. 11. nu. 3.* apud Dianam *de Legibus tractat. 10. part. 1. reſolut. 11.* Negatiuè verò docent Granado *in p. 2. tom. 2. controuerſ. 7. tractat. 3. part. 1.* Lorca *in primam 2. tom. 2. diſputat. 25. membr. vltimo* Suarez *de Legibus lib. 4. cap. 20. nu. 9.* Salas *de legibus tractat. 14. ſec. 4.* & alij apud eumdem Dianam, qui omnes docent Religioſos teneri ſolum ratione ſcandali, ſi ſcandalum ex non obſeruantia oriatur, ſeruare tales leges, & hæc opinio iuxta ſupra dicta à nobis amplectenda eſt, vt conſequenter loquamur, & loquens particulariter de Ieiunijs indictis ab Epiſcopo Portel. *Dub. Regular. verb. lex num. 1.* tradit ad dicta Ieiunia in conſcientia non teneri Regulares, niſi ratione ſcandali, & niſi in vſu, & conſuetudine acceptata ſint à dictis Regularibus, qui citat pro ſe Suarez *loco ſupra*, idem docent quam plures alij.

7 Sed vrgere quis poſſet contra Doctrinam vniuerſaliter traditam ſtatim ac Princeps, & Superior aliquis condit legem cum lex illa bonum commune reſpiciat ius naturæ dictat ſeruandam eſſe; ergo vi directiua tenentur omnes illam legem ſeruare, quia tenentur omnes ſe conformare in eo, quod recta naturæ ratio dictat, non prout eſt à Superiore, ſed prout eſt à natura.

Reſpõdeo tenẽtur omnes ſe cõformare, &c. qui ſunt de corpore Reipublicæ concedo, qui non ſunt de corpore, nego: tales ſunt Regulares, qui non ſunt de corpore cõmunitatis ſuprà quam eſt Ordinarius; ergo. Hinc videmus, quod leges Principum, quæ ob publicam neceſſitatem, & bonum imponunt gabellas non tamen obligant Clericos, vt magis recepta Doctorum ſententia docet; quia Clerici ob exemptionem non ſunt de corpore, & hoc non ſolum coactiue (in hoc enim dubium non eſt) ſed nec directiuè. Ergo ſic à pari de Regularibus dicendum.

8 Quod ſi dicas cum Ioſepho de Ianuario *reſolut. 65.* non obligantur Clerici directiuè talibus legibus ſoluendi tributa, & gabellas; quia ſunt contra immunitatem Eccleſiaſticam, benè tamen obligantur alijs legibus; quæ publicum bonum reſpiciunt, & eorum ſtatui conuenientes ſunt; ergo non valet paritas; Reſpondeo negando tales leges ſoluendi tributa, & gabellas ob publicam neceſſitatem eſſe cõtrarias immunitati, qua fruuntur clerici, nam cum ius naturæ dictet in caſu neceſſitatis omnes partes corporis debere operari ad leuandam talem neceſſitatem, iam hæc immunitas in eo caſu non debet habere vim illã eorum, quę ſunt de iure diuino aliquando ceſſant eſſe talia ob aliquas cauſas: dicendum ergo eſt non teneri Clericos talibus ſtatutis ſoluendi gabellas; quia non ſunt partes corporis Reipublicæ policitæ; ob quam ratiõe nullis etiam legibus tenentur Principis ſæcularis. Hoc idem proportionaliter dico de Regularibus reſpectu legum Ordinarij.

Ar

An Moniales teneantur ſeruare Ieiunia indicta ab Epiſcopo.
Dub. CCCXIII.

SVMMARIVM.

1 *Paſqualigi opinio ad verbum refertur.*
2 *Lex, & præceptum ſolum obligat eos, ad quos dirigitur.*
3 *Vtitur diſtinctione Author ad ſoluendum dubium.*

1 DIximus ſuperius; quid dicendũ de Regularibus viris, quo ad hæc Ieiunia indicta ab Epiſcopo, modo vt clarius in hoc tractatu procedamus ſequens remanet reſoluendum dubium, Quo ad Moniales.

Noſter eximius doctrina vir Paſqualigus in exactiſſimo tractatu *de Ieiunio*, mouet dubium in terminis, *deciſ.* 197. & habet ſic: *Certum eſt teneri ſi Epiſcopus intendat eas obligare*, atque intentionem ſuam *manifeſtet*, *quia cum ipſi ſubijciantur poteſt eiſdem imponere ea onera, quæ expedire indicauerit. Solum difficultas eſt; an teneantur ad ieiunia, quæ imponuntur vniuerſaliter pro Ciuitate, aut etiam pro tota Diæceſi abſque eo, quod fiat ſpecialis mentio de Monialibus: exiſtimo autem valdè probabile non teneri ad huiuſmodi ieiunia quãdo vniuerſaliter indicuntur ab Epiſcopo ita, vt nullum ſignum appareat, quod voluerit ſpecialiter obligare etiam Moniales. Ratio eſt; quia lex, aut præceptum* 2 *non obligat, niſi eos ad quos dirigitur, cum non excedat in obligando intentionem præcipientis, lex autem lata, aut præceptũ poſitum in vniuerſali nõ dirigitur ad Moniales; tum quia intentio non dirigitur extra eos, pro quibus intenditur finis, & in tali caſu cum finis ieiunij ſit bonum ſpirituale communitatis, aut in ordine ad gratiarum actionem, aut ex alio motiuo non fertur intentio extra eos, qui ſunt de communitate Moniales autem non ſunt de communitate, cum conſtituant diſtinctum Ordinem, & diſtinctam Communitatem, &c.* Hæc Paſqualigus, quæ licet doctè ſcripta mihi tamẽ propoſitam difficultatem, clarè, & diſtinctè reſoluere non videntur, nam videtur ibi eſſe ſermo de Monialibus non exemptis tantum. vnde

3 Dico, vt diſtinctius exponam quid ſentiam; ſi ſit ſermo de Monialibus ſubditis Epiſcopis tũc probabilis mihi videtur ſentẽtia Paſqualigi, ſcilicet non teneri niſi manifeſtetur intentio Epiſcopi volentis illas ad dicta ieiunia obligare ob rationes ibi adductas à Paſqualigo; ſi autem ſit ſermo de Monialibus exemptis tũnc idem puto dicendum, ac de Regularibus dictum eſt ob eaſdem rationes: in dictas enim Moniales illam tantum iuriſdictionem habet Epiſcopus, quam exprimit Confectius, *pag. mihi* 395. per hæc verba: *Sanctimonialium Eccleſias, & earum Monaſteria, & domos ſub cura Regularium exiſtentes, quo ad cultum Diuinũ, & clauſurã conſeruandã in caſibus eis cõceſſis, ac etiã quo ad perſonas curam animarum Eccleſijs annexam exercentes ſi qua immineat, & demum, quo ad Sacramentorum adminiſtrationem ipſis ſæcularibus dumtaxat Epiſcopi auctoritate Apoſtolica annis ſingulis viſitare, corrigere, & ſicut de Fratribus dictum eſt, & in prædictis, quæ viderint expedire decernere, & ordinare valent, in reliquis vero caſibus nullo eſt ſuper illis exemptis attributa poteſtas*, ergo idem

de

eis dicendum, ac de Regularibus exemptis.

An Epiſcopus poſſit cogere Regulares, vt in eorum Eccleſijs publicent, feſta, & ieiunia. Dub. CCCXIV.

SVMMARIVM.

1 *Contrariæ ſunt in hoc Doctorum ſententiæ, negatiuam ſequitur Author.*
2 *Obiectionis ſatisfit.*
3 *Epiſcopus non poteſt prohibere Regularibus, quod publicent feſta, & ieiunia.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Rodriquez *qq. Regular. tom. 1. quæſt. 43. art. 7.* Portel. verb *Epiſcopus num. 7.* Barboſa *in Seſſ. 22. Concilij de ſeruandis & vitandis in celebratione Miſſarum, & de Poteſtate Epiſcopi allegat. 24. numer. 21.* Rubeus *in Aphoriſmis Epiſcoporum verb. Feſtum num. 6.* Bordonus *Reſolut. 18. num. 12.*

Negatiuè e contra reſpondet Paſqualigus *Trac. de Ieiunio deciſ. 40. num. 3.* & hæc ſententia probabilior mihi videtur; tum quia oppoſita ſententia non colligitur ex Tridentino, *citata Seſſione,* nam ibi tantum Epiſcopi ſunt delegati Sedis Apoſtolicę in his quæ ſpectant ad celebrationem Miſſarum; annũciare autem Ieiunia, & feſta populis pertinet ad inſtitutionem populorũm. Deinde hoc onus incumbit Paſtoribus; Ergò nequeunt ad hoc cogi Regulares.

2 Nec obijcias, vt aduertit *ibi* Paſqualigus poſſunt Parrochiani audire Miſſas in Eccleſijs Regularium, ergo dum non accedunt ad Parrochiam nequeunt habere notitiam ieiuniorũ, & ſic ad euitandum hoc inconueniẽs, poterunt cogi Regulares ad annuncianda feſta, & ieiunia. Nam reſpondet optime *ibi* Paſqualigus non obligari Regulares ad hoc, quia priuilegium illis eſſet oneroſum ſi poſtea per illud ſubderentur Epiſcopis. Inſuper nec euitaretur incommodum; nam nec in ſingulis miſſis publicarentur feſta, & ieiunia; ſicut videmus nõ publicari in Parrochia; & ſic populus, qui abeſſet non haberet talium feſtorum, & ieiuniorum notitiam.

3 Sed quęres hic e contrario; poteſt ne Epiſcopus cogere Regulares ne publicent feſta, & ieiunia in ſuis Eccleſiis, Reſpondeo non poſſe, Ita fere communiter Doctores Bordonus, *in ſuis conſilijs Reſolut. 7. de exemptione & ſubiectione num. 103.* Barboſa *in cap. 8. Seſſ. 22. Tridentin. num. 37.* & *in Cap. 12. Seſſ. 25. num. 7.* Peirinus *tom. 2. ad Conſtitutionem 7. Pij V. num. 13.* qui adducit aliquas declarationes Sacræ Congregationis quas accepit Eminentiſſimus Cardinalis Lodouiſius Archiepiſcopus Bononię, Inter quas vna talis eſt, *Ad primam, Regulares non prohiberi in eorum Eccleſiis dies feſtos, & ieiunia annunciare.*

QVO

QVO AD EIECTOS, ET APOSTATAS *Cap. XXI.*

An Regularis eiectus debeat obedire Episcopo. Dub. CCCXV.

SVMMARIVM.

1 *Regularis iuridicè eiectus eſt ſubditus Epiſcopo.*

2 *Controuerſum eſt apud Doctores, an teneatur Epiſcopo obedire ex vi voti obedientiæ.*

3 *Regularis eiectus non tenetur ex vi voti obedientiæ obedire Epiſcopo.*

4 *Eiectus dum eiectus eſt adhuc eſt religioſus, ſed impeditus quo ad votum obedientiæ.*

5 *Etiam ſi votum obedientiæ fiat Summo Pontifici non per hoc bene arguitur, quod etiam fiat Epiſcopis.*

6 *Regularis promotus ad beneficium ſæculare cum debitis conditionibus tenetur obedire Epiſcopo, ſicut alij clerici beneficiati.*

7 *Epiſcopi, & Ordinarij non poſſunt diſpenſare cum his eiectis ad hoc, vt promoueantur ad Ordines, vel Ordines exequantur.*

8 *Non poſſunt Prælati Regulares in hoc diſpenſare cum eiectis.*

9 *Eiecti diſpenſati debent ſuſcipere Ordines ab Epiſcopo Originis.*

10 *Statim, ac eiecti ſunt tenentur Prælati notificare Ordinario expulſionem.*

11 *Quo habitu teneantur incedere tales eiecti.*

12 *Epiſcopus poteſt perquirere, an dicti eiectis iuſte vel iniuſte ab Ordine eiecti ſint ſecundum aliquos.*

13 *Eiecti quidquid aliqui ſentire videantur nequeunt ad altiores Ordines promoueri.*

1 REgularem iuridicè eiectum, &c. eſſe ſubditum Epiſcopo, ſicut ſunt alij Clerici ſeculares, eſt commune apud Doctores, & patebit infra ex decreto *de eiectis, & Apoſtatis*, ſub Vrbano VIII. ſed dubium poſitum eſt; an teneatur ex voto obedientię obedire Epiſcopo, ſicut tenebatur, dum erat in Religione obedire Prælatis.

2 Affirmatiuè reſpondet Suarez *to. 4. de Relig. lib. 3. cap. 6. num. 4.*

Sed negatiuè reſpondet Franciſcus Lopez Taxedo *in ſuis Controuerſijs li. 2. dub. 2. tract. 1. Controuerſia 9.* & pono concluſionem, &

3 Dico Regularis eiectus non tenetur ex voto obedientiæ obedire Epiſcopo, ſed tantum ei ſubditur, vt alij ſubduntur Clerici, & probatur; Quia Religioſus ex vi voti obedientiæ tantum tenetur obedire ei, cui obedire promiſit, qua ratione Religioſus non tenetur ingredi Religionem, quam non vouit, ergo non tenetur ex vi voti obedire Epiſcopo. Secundo, vel Religioſus eiectus Epiſcopo tenetur obedire ex vi voti obedientiæ emiſſæ in profeſſione, vel non. Si primum ergo etiam dum eſt in Religione tenetur obedire Epiſcopo. Si ſecundum ergo tantum tenetur obedire, vt alij Clerici cum nullo ſpeciali voto obedientiæ, Epiſcopo obligetur.

4 Obij. iſte eiectus manet verus Religio-

ligioſus etiam dum eſt eiectus, ergo tenetur obedire; Reſpondeo manet Religioſus, ſed impeditus quo ad hoc votum obedientiæ, nec hoc eſt inconueniens, quod ſcilicet nullum habeat cui obediat ex vi voti.

5 Obijcit Suarez, votum obedientiæ, quod emittunt Regulares non ſolum fuit Prælatis internis, ſed etiam externis, ergo, & Epiſcopis.

Reſpondeo, nego antecedens; nam etiam ſi votum obedientiæ fiat Summo Pontifici non per hoc bene arguitur fieri etiam Epiſcopis, vt patet conſideranti.

6 Obij. ſecundo Religioſus promotus ad ſæculare beneficium cum debitis requiſitis, &c. tenetur obedire Epiſcopo, ergo à fortiori eiectus. Reſpondeo, nego antecedens; nam promotus ad beneficium ſæculare tenetur tantum obedire Epiſcopo ſicut alij Clerici; & ſic ſolutum remanet dubium, ſed multa hic notanda ſunt circa hos eiectos, quæ ſubiectionem, vel non ſubiectionem Epiſcopo demonſtrabunt.

7 Primo, Ordinarios non poſſe diſpenſare cum his eiectis ad hoc, vt promoueantur ad Ordines, vel Ordines exequatur, ad quos iam ſunt promoti; ſed hoc debet fieri cum facultate Sedis Apoſtolicæ. Ita clarè ex decreto Sacræ Congregationis Concilij *de Regularibus eiectis, & Apoſtatis* §. 10. An autem in hoc poſſint Prælati

8 Regulares diſpenſare, & tollere dictum impedimentum nolo hic diſputare. Lezana habet quæſtionem breuiter reſolutam *in Summ. verb. eiecti Regulares ab ordine num.* 3. & negatiuè reſpondet; quia licet tales eiecti adhuc ſint aliquo modo ſubiecti Religioni, adhuc tamen indigni ſunt fauoribus Religionis.

9 Secundo, dato quod diſpenſentur in tali impedimento, quo ad ordines ſuſcipiendos debent ſuſcipere ordines ab Epiſcopo ſuæ originis in communiori ſententia. Ita Sanchez, Nauarrus, Barboſa omnes relati à Lezana *loco ſupra nu.* 5.

10 Tertio ſtatim, ac Regulares eiecti ſunt tenentur Superiores ordinario loci notificare expulſionis ſententiam. Ita ex decreto *de eiectis, & Apoſtatis* §. 7.

11 Quarto, tales eiecti tenentur habitu Clericali incedere donec ad Religionem redierint; ex eodem decreto per hęc verba eodem §. *ſic verò eiecti quamdiu non redierint ad Religionem in habitu Clericali incedant*, hoc tamen intellige de eiectis, qui in Ordinibus Sacris, etiam minoribus ſunt conſtituti, nam alij, qui Ordines adhuc non ſuſceperunt poſſunt in habitu Laicali incedere, Lezana *in Summ. verb. eiecti Regulares num.* 8. Hæc omnia debent conſiderari, quo ad ſubiectionem, & dependentiam, quam habent eiecti ab Epiſcopis, alia etiam habes in hoc opere Lector annotata *cap. quo ad Conciones cap. quo ad Ordines*.

12 Quinto, notandum ad Epiſcopum etiam pertinere perquirere; an dicti eiecti iuſtè, vel iniuſtè ſint eiecti ab Ordine. Ita Laurettus de Franchis *in ſuis Controuerſijs inter Epiſcopos, & Regulares pag. mihi* 219. *in quæſt.* 3. *& reſponſo* adducit Cardinalem *in Clement.* §. *quia verò verb. addo* 4. quod eſt notandum cum multi eiciantur culpa ſua, vt laxiori modo viuant, in quo caſu videtur eis patrocinari proprius dolus, quod eſt contra re-

regulam, & rationem.

13 Sexto ſcias, quod licet ſuperius *num.* 1. dixerim tales eiectos, qui iam erant aliquo ordine inſigniti non poſſe ad altiores, & Superiores ordines promoueri, attamen Laurettus de Franchis *loco ſup. cit. ad quæſtionem* 8. cōtrarium videtur ſentire, dum dicit: *certiſſimum eſt, quod eiecti ſi erant ſubdiaconi, aut aliquo ordine inſigniti niſi aliud obſtaret poterant ad alios Sacros Ordines promoueri. Hæc concluſio erat certa, & manifeſta, & communi vſu comprobata, & de ea vt credo nemo eſt, qui dubitet, aut dubitare poſſit, videatur hac de re Nauarrus, &c.* Addens infra, quod eiuſmodi promotio ad Sacros Ordines promotio fieri debet de licentia propriorum Epiſcoporum, quibus per expulſionem ab ordine fiunt ſubiecti, eſt tamen contra hoc Lezana *verb. eiecti numer.* 4. Tum quia cui vetita eſt functio ordinis, vetita etiam eſt illius ſuſceptio, cum ordines ſuſcipiantur, vt exerceantur. Tum quia ſunt irregulares, cum ſint infames ſaltem infamia facti ſunt enim eiecti ob incorrigibilitatem. Hæc opinio probabilior mihi videtur, quam nec abſolutè negat dictus Laurettus de Franchis ſi alia circa huiuſmodi eiectos videre cupis, quæ tamen propria non ſunt inſtitutæ materiæ, lege dictum Laurettum de Franchis, qui adducto decreto Sacræ Congregationis 21. *quæſtiones* mouet, & reſoluit breuiter, & doctè ſuo more.

An Regulares habitu Religioſo priuati, & ad triremes damnati ſubſint Epiſcopo.
Dub. CCCXVI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia, & ſubdi Epiſcopo originis docet opinio aliquorum.*
2 *Epiſcopus originis facultatem poteſt dare tali Religioſo tranſeundi ad alium Epiſcopatum.*
3 *Subduntur tales Regulares Epiſcopo, cui ſubduntur triremes.*
4 *Regulares ob pænitentiam relegati in aliquo loco remoto Summo Pontifici ſubduntur.*
5 *Regularis damnatus ad triremes ob delictum cum conſenſu Epiſcopi poteſt reponi in triremibus Principis ſæcularis.*
6 *Negatiua tamen ſententia tenenda eſt.*
7 *Quæritur cui acquirat Regularis ad triremes damnatus.*

1 CVm hi quoque Regulares ſpeciem aliquam habeant eiectorum, hinc de eis agendum hoc capite.

Affirmatiuè ergò dubio poſito reſpondent Cartharius *deciſ.* 58. *num.* 18. Nauarrus *in Commentar.* 2. *de Regularibus poſt num.* 34. *verſ. quæſtio tamen noua oritur,* qui Doctor ſupponens tamquam certum, tales Regulares damnatos ad triremes ſubdi Epiſcopo, quærit ſolum, cui Epiſcopo ſubdātur & docet ſubdi Epiſcopo originis, Primo, quia domicilium originis immutabile eſt, nec deperditur per acceſſo-

rium

rium dignitatis; quæ non aufert, ſed cumulat domicilium *leg. Senatores ff. de Senatoribus.* Secundo, quia domicilium quæſitum per Abbatiam non durat, niſi quo adfuerit Abbas Monachus, &c. Tertio, quia domicilium ratione habitationis tollitur per translationem eius in alium locum.

2 Aduertit tamen dictus Nauarrus, Epiſcopum originis, poſſe dare tali Religioſo facultatem tranſeundi ad alium Epiſcopatum, vbi alteri Epiſcopo ſubeſſet. Vnde ſine hac facultate docet non poſſe dictum Regularem ad libitum tranſire, quia dependet ab Epiſcopi voluntate talis mutatio, cum adhuc Religioſus ſit.

3 Addit tamen poſtea hæc verba: *Cui autem ſubijciantur, & acquirant Regulares exauthorati, & habitu Religioſo priuati, & ad triremes damnati, ſi quid in eis quærant commiſſo aliquo prælio nauali, vel inde fuga, vel pretio redempti, vel in partes ignotas deuenientes quæſtionis implexa videtur, & ſatis æquè reſponderi poſſet eiſdem Epiſcopis ſubiectos fore, quibus triremes ipſæ, & alij eis addicti ſuberunt, donec in eis manſerint, poſtea verò finito tempore ibi remanendi, vel redempti debent redire ad Epiſcopatus ſuarum originum, & ſubeſſe illis Epiſcopis, vel impetrare ab eis facultatem tranſire ad alios. perinde ac alij ſimpliciter debent eoſdem adire argumento ab eodem deſſump. iuxtà leg. Illud, ff. ad l. Aquil. c. 2. de translationibus Prælatorum.* Hæc Nauarrus ex quibus habes ni fallor lector tanti Doctoris clarè ſententiam.

4 Sed quæres hic; an etiam illi Regulares, qui ob pęnitentiam relegantur à ſuis Prælatis in aliquo loco à Prouincijs diſtanti, & remoto ſubdantur Epiſcopo loci illius, vel originis, vt diximus ſuperius de damnatis ad triremes. Negatiuè reſpondet Nauarrus *loco ſupra*, ſcilicet non ſubdi alicui Epiſcopo; Quia iſti ſunt ſubiecti ſoli Pontifici, & ſic ea, quæ acquirunt Summo Pontifici acquirunt; ſubdit tamen poſtea dictus Nauarrus hæc verba: *Quamuis ex quadam æquitate, & tacita mente Papæ ſi longè ab Vrbe exterminarentur ſatisfacerent, forte ſuis conſcientijs delegando aliquem Epiſcopum cuius Epiſcopo obedirent argumento cap. Nihil de electione.* Vnde concludit ſic ſe conſuluiſſe duos Regulares eiectos, & relegatos à Superioribus in Indijs, qui ad Vrbem venerunt vt ſcilicet ſuam infelicitatem narrarent Papæ, & peterent à Summo Põtifice facultatem viuendi ſub obedientia alicuius Epiſcopi.

5 Quæres ſecundo; ſuppoſito quod Regularis damnatus ad triremes ſubdatur Epiſcopo poſſit cum eiuſdem conſenſu poſtea reponi in triremibus Principis ſæcularis, Habet dubium in terminis Riccius loquens de Clericis ſæcularibus *par. 4. deciſ. 367.* & pro affirmatiua, quod ſcilicet cum conſenſu Epiſcopi hoc poſſit fieri videtur eſſe primo. Quia noſtra ea facimus, quibus auctoritatem noſtram impartimur *ex leg. 1. §. omnia, C. de Veter. Iur. enucleando*, & quando Princeps aliquod confirmat poſſe dare videtur, pro hac ſententia adducit dictus Doctor *Phœb. in ſuis Deciſion. Luſitanis, deciſ. 27.* & confirmatur hoc, quia detinens Clericum de licentia Ordinarij non incidit in excommunicationem, *ex cap. Nuper*, Vbi Abbas, & Doctores
6 id dicunt communiter. Pro negatiua tamen parte eſt concludendum ex

ſpecia-

ſpeciali littera Sixti V. data in hoc caſu, qua præcipit Clericos non eſſe ad regias triremes mittendos, etiam ſi hoc fiat auctoritate Epiſcopi non enim ſapit decentiam, & honeſtatem litteram Sixti teſtatur idem Riccius adeſſe.

7 Quæres tertio; Cui acquirat Religioſus damnatus ad triremes, Graſſius 1. *par. deciſ. lib. 3. cap. 5. num.* 82. docet acquiri Epiſcopo cui triremes ſubiectæ ſunt, Nouarius tamen *in Summ. Bullarum;* ſic diſtinguit *De Regularium condemnatione nu.* 14. vel dictus Regularis damnatus ad triremes perpetuò eſt ad illas damnatus, & cũ ſit ſeruus, & degradatus debet acquirere illi cui acquirunt ſerui; Vel eſt condemnatus ad tempus, & illo elapſo, non reuertitur tamen ad Religionem, ſed tamquam eiectus eſt habitu religioſo ſpoliatus; & tunc quęrit illi; cui acquirunt eiecti, vel eſt ad tempus damnatus cum hoc, quod elapſo tempore redeat ad ſuam Religionem; & tunc tenetur ſecum acquiſita portare. Ita Ioannes Antonius Nouarius *loco ſupra.*

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares Apoſtatas.
Dub. CCCXVII.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt Regulares Apoſtatæ carcerari ab Epiſcopis, debent tamen tradi ſuis Superioribus.*

2 *Doctores referuntur, qui docent, quales debeant æſtimari Apoſtatæ, & fugitiui.*

3 *Non poſſunt à Prælatis excommunicari Epiſcopi ob detentionem Apoſtatarum, & fugitiuorum, & quare.*

4 *Incidunt tamen DD. Epiſcopi detinentes hos Apoſtatas in pænas Conſtitutionis Nicolai V.* Etſi Cunctorum fidelium.

5 *Quomodo Epiſcopi ſint priuilegiati per caput* Quia Periculoſum.

6 *Quæritur an Prælati Regulares poſſint excommunicare Epiſcopos, qui eorum iuriſdictionem perturbant.*

1 PRimo, Poſſunt carcerari ab Epiſcopis; conſignari tamen debent ſuis Superioribus, vt eos puniant ſecundum regularia inſtituta patet ex decreto *de Apoſtatis, & eiectis* §. 4. per hæc verba: *Rurſus ſtatuit, vt fugitiui & Apoſtatæ, ſiue habitũ Regularẽ deferant, ſiue nõ poſſint, ac debeant ab Epiſcopo loci vbi morã trahunt in carcerẽ conijci, ac Superioribus Regularibus conſignari ſecundum Regularia inſtituta puniendi, vſque ipſi Superiores teneantur eos perquirere, & ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur, ſalua tamen in omnibus facultate Ordinariorum cap. 3. ſeſſ. 6. de Reform.*

2 Qui autem dicantur fugitiui, & Apoſtatę ſi vis videre lege inter alios Ioannem Antonium Nouarium in *Summ. Bullarum de Eiectis, & Apoſtatis, & de Apoſtatis, & Eiectis à Religione*, ibi enim multos adducit caſus quibus Regularis dicatur, vel non dicatur Apoſtata, vide etiam Lezanam *in Summ. verb. Apoſtata, & Apoſtaſia*. Nam ſi hic vellem eos recenſere recederem à materia propoſita.

3 Secundo, Scias iuxta opinionem Peirini *in Conſtitutionem Iulij II. Vndecimam*, & Ioannis Antonij Nouarij in *Summ. Bullar. loco ſupra*, non poſſe Epi-

Epiſcopos excommunicari à Prælatis
Regularium ob detentionem Apoſta-
tarum, & fugitiuorum ipſis inuitis,
quia habent in iure priuilegium Epi-
ſcopi ne poſſint excommunicari, niſi
de eis expreſſa mentio habeatur in
conceſſione excommunicandi, ſic in
cap. *quia periculoſum de ſententia ex-
communicat. in 6.* in quo habetur. *Nos
deliberatione prouida duximus ſtatuen-
dum, vt Epiſcopi, & alij Superiores Præ-
lati nullius conſtitutionis occaſione ſenten-
tiæ ſiuè mandati prædictam incurrant ſen-
tentiam vllatenus ipſo iure, niſi in ipſis de
Epiſcopis expreſſa mentio habeatur*, & ita
ex hoc capite colligunt plures Do-
ctores, quos refert Barboſa *in Colle-
ctan. ſuper ſextum Decretalium in dictum*
4 *caput*, cum tamen in hoc caſu videan-
tur Epiſcopi ſibi vſurpare iuriſdictio-
nem Prælatorum Regularium. Hinc
eſt, quod putem dictos DD. Epiſco-
pos incidere in pœnas, quæ habentur
in Conſtitutione Nicolai V. quæ inci-
pit, *Et ſi cunctorum Fidelium*, in qua ſic
ſtatuitur ad fauorem Minorum, &
conſequenter omnium Regularium
in priuilegijs communicantium. *Nos
igitur volentes eiſdem Miniſtro, & Fra-
tribus præſidio ſubuenire, per quod huiuſ-
modi perſonarum præſumptio retardatur,
& eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, Of-
ficialibus, & alijs Ordinarijs antedictis
præcludatur aditus ſimilia committendi
huiuſmodi ſupplicationibus inclinati au-
ctoritate Apoſtolica præſenti irrefragabili
conſtitutione ſtatuimus, & mādamus, quod
nulla perſona cuiuſcumque dignitatis, ſta-
tus, gradus, vel conditionis exiſtat de cæ-
tero eoſdem Fratres moleſtare, perturba-
re, capere, carcerare, vel de eorum domi-
bus antedictis inuitos expellere quoquo-
modo præſumant, quod ſi forſan quiſpiam
contra hanc noſtram Conſtitutionem teme-
rè venire præſumpſerit, & ab ipſis fratri-
bus monitus à præmiſſis reſipiſcere quo-
quomodo contempſerit excommunicatio-
nis pœnam ipſo facto incurrat, &c.* ecce
quomodo ipſi etiam Epiſcopi inci-
dunt in excommunicationem, dum
perturbare intendunt iuriſdictionem
Prælatorum Regularium; adeſt etiam
priuilegium Sixti IV. & Pauli V. Con-
gregationi Sanctę Marię Fulienſis, te-
ſte noſtro Peregrino *in Compendio pag.
mihi 91. tit. exceptio*, qui ſic habet, *Si verò
Eccleſiarum Prælati vellent illos moleſta-
re erunt ipſo facto excommunicati poſt
monitionem.*

5 Sed aduerte Epiſcopos quidem ex
c. ſupra adducto, *quia periculoſum* eſſe
priuilegiatos ne poſſint interdici, aut
ſuſpendi, niſi de eis ſpecialis mentio
fiat, & hoc rationabiliter, vt aduertit
Duardus *in Bullam Cænæ li. 2. Canon. 2.
qu. 5. n. 2.* nam cum Epiſcoporum Of-
ficium conſiſtat in Chriſmate, Ordinū
collatione, Eccleſiarum, & Altarium
cōſecratione magnum periculum eſ-
ſet in frequenti ipſorum ſuſpenſione,
vnde cum Pontifex non tam Epiſco-
pis, quam ſubditis intendat prouide-
re, iam eximit Epiſcopos à Generali
interdicto, & ſuſpenſione, non autem
ſic ſunt priuilegiati ab excommunica-
tione generaliter lata, & propterea
eam contrahunt, etiam ſi non ſint ex-
preſſi. Priuilegia enim cum ſint ſtricti
iuris debent ſtrictè interpretari, vt
minus derogetur iuri communi,
quam ſit poſſibile *ex cap. cum Dilectus
de conſuet.* Ita Duardus *loco ſupra nu. 6.*

6 Sed quid dicendum, an Prælati Re-
gulares poſſint excommunicare Epi-
ſcopos, qui eorum iuriſdictionem
perturbant in terminis non vidi Do-

ctores,qui hoc agant nominãdo Epiſcopos,ſi ſit ſermo de alijs. Tãburinus *tom.2. de Iure Abbatum quæſt.3. diſp.14.* dicit omnes Prælatos poſſe proprias perſonas, & bona, ac iura defendere per cenſuras extraiudicialiter nullo ſeruato iuris ordine per caput *Dilecto* & caput *Venerabilibus, §. attamen*, & citat plures Doctores datque rationem cur extraiudicialiter tãtum poſſit procedere, nam cum quis in cauſa propria Iudex eſſe nequeat, quia eſt ſuſpectus, non poteſt Prælatus iudicialiter ſuam iuriſdictionem contra tales exercere, extendit inſuper dictam doctrinam, vt etiam in non ſubditos,& exemptos ſic procedere poſſint tales Prælati; de Epiſcopis verò, nec verbum dicit, Videtur ergo dicendum non poſſe Epiſcopos à Prælatis excommunicari in caſu poſito, tum ob Epiſcopalem dignitatem,quã ab omnibus venerandam teſtatur Gigas *de Epiſcopis quæſt. 8.* Vnde Epiſcopus in ſua Diæceſi honorari debet etiam ab Archiepiſcopo Bal. *conſ. 22. vol.1.* immo etiam à Cardinalibus ſecundum Capyc. *deciſ. 27. num.24. & ſeq.* Secundo, ſi par in parem non habet imperium à fortiori Prælatus inferior non poterit, &c. Contrarium tamen etiam ſuaderi poſſet primo, quia in ſententia aliquorum, ſi Epiſcopus delinquat in aliena Diæceſi poteſt puniri ab EpiſcopoDięceſano. Immo Archiepiſcopus ipſe ſi delinquat in Dięceſi ſuffraganei poteſt puniri ab eo ſecund. Capel. Thol. 423. Gomez *in caput 2. §. ſtatutum num. 53. de Conſtitut. in 6.* & ibi Archidiaconu*s* *nu.3.* Abbas in caput *ſanè col.2. de foro competent.* & ſic in tali ſententia Metropolitanus incidit in excommunicationem latam à ſuo ſuffraganeo; ſecundum multos contra Clarum, *quæſt.35. verſ. vlterius quæro.* Quod vero nequeant Epiſcopi excommunicari in caſu poſito conſequenter ad dicta doceret forte Riccius, & merito, nam ſi ipſe putat nullo pacto poſſe Epiſcopum excommunicari ab alio Epiſcopo ſi in eius Dięceſi delinquat, ſic à fortiori dicet de Prælatis,motus eodem fundamento, nam ſi poſt Trident. cauſæ criminales Epiſcoporum reſeruantur iudicio Summi Pontificis cum cauſæ cenſuræ ſint criminales, iam Summo Pontifici reſeruatę erũt. Vide Riccium *p.2. Praxi, reſolut. 211.* vltimæ Venetæ impreſſionis.

POST ALIQVAS PONTIFICVM Conſtitutiones. Cap. XXII.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt Bullam Gregorij XV. quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater* de Conſeruatorib. Dub. CCCXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Bulla ad verbum inſeritur.*
2 *Poſtquam Regulares elegerunt Conſeruatores Epiſcopi non habent iuriſdictionem in Regulares, quo ad cauſas ciuiles.*
3 *An Trident. deroget* cap. 1. de priuileg. in 6.
4 *Regulares poſt electionem Conſeruatores non poſſunt eum amouere ſine cauſa.*
5 *Si non dent poſt electionẽ Conſeruatoris documentum in curia Epiſcopali, tunc ſecundum aliquos debent Regulares conueniri coram Ordinario.*
6 *Contrarium tamen tenendum eſt ob multas rationes.*

Teng-

7 *Tenentur tamen Regulares indicare nomina Conſeruatorum Epiſcopis.*

8 *Conſeruatorū eſt, an Regulares trahere poſſint ſuos debitores coram Conſeruatore.*

9 *Declaratio quædam Sacræ Congregationis explicatur.*

10 *Dum tamen debitores ſunt Regulares debent trahi coram Conſeruatore.*

11 *Conſeruatores ſe non poſſunt intrommittere in controuerſijs, quæ oriuntur inter Regulares in proceſſionibus.*

12 *Epiſcopus non poteſt cogere Conſeruatores, vt vtantur Notarijs Epiſcopalibus.*

13 *Quæres an pro debito particulari poſſint, & debeant Regulares conueniri coram Conſeruatore, remiſſiuè tamen, & multa alia dubia expenduntur, remiſſiuè tamen.*

1 BVLLA eſt tenoris ſequentis. *Sanctiſſimus in Christo Pater, & Dominus noſter D. Gregorius Diuina Prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum mouētibus, & de voto Venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum partic. fel. rec. Clementis Papæ VIII. prædeceſſoris ſui veſtigijs inhærendo §. 1. reuocauit, & nullas, & inualidas decreuit omnes, & quaſcumque Iudicum Conſeruatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim litterarum Conſeruatoriarum iuxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptā, quam in vim quorumcumq. priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum Apoſtolica auctoritate conceſſorum, ſeu alias quocumq. iure, vel titulo hactenus factas, pro quibuſumq. Conuentib. Capitulis, militijs etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationib. Collegijs, Ordinib. Monaſterijs, Hoſpitalib. aut alijs quibuſuis pijs, tam ſæcularib. quam cuiuſuis Ordinis etiam Mendicantium, ſeu Inſtituto, vel Societatis Regularib. locis quamtumuis exemptis etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis cuiuſuis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant.*

Secundo, in futurum verò Sanctitas Sua hac Generali, & perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuit, & decreuit, vt Iudices Conſeruatores huiuſmodi, ſiue principales, ſiuè ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimili, rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædeceſſoris ſui, quæ incipit ſtatutum; ita vt vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Conſilijs Prouincialib. aut Diæceſanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, ſeu deſtinati ſint.

Tertio, quodq deinceps litteræ Conſeruatoriæ, per Sedem Apoſtolicam concedēdæ ſupraſcriptis tantū dirigantur, etſi quæ litteræ aliter expediētur illæ, ac deputationes huiuſmodi omniaque exinde ſequentur nullius ſint roboris, vel momenti.

Quarto, & nihilominus, qui ſecus, quā iuxtam formam ſuperius præſcriptam, Conſeruatores huiuſmodi cum affectu eligere, nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis, ſeu deputatis vti auſi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & paſſiua ſint ipſo iure priuati, adeo, vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice conſequi valeant, reliqui verò alijs pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ coerceantur, & prædictorum omnium Con-

uentus, Monaſteria, ac loca huiuſmodi, eorumq perſonæ, ac bona careant Conſeruatore ad annum, ita vt illorum cauſæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat, cognoſci, ac definiri debeant.

Quinto, cæterũ, vt Latius pateat, Conſeruatorum huiuſmodi deligendorum facultas Sãctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialib. aut Diœceſanis, quamplures perſonas ex habentib. qualitates in prædicta Conſtitutione eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum vſq; ad futuram Prouincialem, aut Diœceſanam Synodum.

Sexto, Inſuper Sanctitas Sua inhærendo hac in parte, decreto ſimilis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam prædeceſſoris ſui ſtatuit, & ordinauit, vt Regulares ac perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero infra ſex menſes à die publicationis in Vrbe præſentis Conſtitutionis inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores iuxtà formam ſuperius propoſitam.

Septimo, eiuſq. electionis ſeu aſſumptionis documentum infra tempus huiuſmodi penes acta curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſeruatores ſecundum formam præſentis Conſtitutionis non elegerint corã eiſdẽ Ordinarijs cõueniãtur.

Octauo, quodq. Conſeruatores huiuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijſdem Regularib. & alijs ſupradictis libuerit approbanda durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.

9 *Ad hæc ſtatuit Sanctitas Sua, vt coram ipſis Conſeruatoribus, Regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ, conuenire quidem, aut trahi debeant, ſed alios conuenire, aut trahere non poſſint, ita vt memorati Conſeruatores in cauſis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorſus iuriſdictionem habeant, ſed in ijs tantũ, in quibus rei extiterint, neq; extra Ciuitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, cõtra quoſcumque procedere præſumant.*

10 *Si quæ vero inter Iudices Conſeruatores huiuſmodi, & locorum Ordinarios controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum.*

11 *Quod ſi qui Conſeruatores, ſiue in hac parte, ſiue aliàs quomodolibet ſuos limites excesſerint per annũ ab Officio Conſeruatoris huiuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit ſententiam excommunicationis incurrat iuxta formã alterius Conſtitutionis eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris, quæ incipit: Hac Conſtitutione, quam Sanctitas Sua in omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni nõ aduerſantur, innouauit, & innouat.*

12 *Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, et alij ſupradicti in caſibus à iure permiſſis petant Iudicem nõ ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus, dum tamẽ hæc tria copulatiuè concurrant: videlicet, vt Regulares, & alij prædicti ſint actores, nõ autem rei, vt quæ agant contra Laicũ, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliàs à Iuriſdictione ſæculari exemptũ, atq; vt cauſa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, nõ autem Eccleſiaſtica, & in ca iuxta Sacrorum Canonũ diſpoſitionẽ laicus, vt præfertur, eligendus ijſdem competens exiſtat.*

Quæ

13 *Quæ omnia, & ſingula in præſenti Cõſtitutione contenta Sanctitas ſua voluit inuiolabiliter obſeruari, decernentes ſic in ijs cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcũque, &c. etiam ſacri Palatij Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales ſublata, &c. iudicari, &c. nec non irritum, & inane, &c.*

14 *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris Cõſeruatorijs, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in fauorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium militiarũ, etiam Sancti Ioannis Hierſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiuſuis alterius Instituti etiam neceſſario exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorũ quorumcumque tam ſæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; etiam ea cauſa, & titulo oneroſo indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus, approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis, ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & formæ in illis tradita, & obſeruata inſerti forent præſentibus pro expreſſis habens, quibus quo ad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogauit, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

14 *Cæterum vt præſens Conſtitutio facilius omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit, vt non ſolum in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ publicetur, illiuſq; exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.* Hæc eſt Bulla nouiſſima circa Conſeruatores, circa quam aliqua occurrere poſſunt dubia, &

2 Primo, Dubitare quis poterit, an Epiſcopus in cauſis ciuilibus habeat iuriſdictionem in Regulares quando elegerunt Conſeruatorem.

Affirmatiuè reſpondet Pariſ. *de reſignatione beneficiorum lib.* 3. *queſt.* 11. *num.* 8. *in* 3. *caſu*, & hoc etiam ſi Iudicem deputatum habeant; Quando autem non habent certum Iudicem deputatum, tunc etiam in alijs cauſis poſſunt coram Ordinario conueniri, & hoc extante Decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 17. *cap.* 14. & dicto loco citatus Pariſ. refert 17. caſus in quibus ex vi Concilij Tridentini Regulares ſubduntur Epiſcopis.

Negatiuè tamen reſpondent communiter Doctores, & præcipuè Riccius *Parte* 4. *Deciſ.* 14. Fundamentum autem eſt, quia per Concilium ſolum conceditur iuriſdictio Epiſcopis in cauſis ciuilibus, quando Iudicem non

uentus, Monaſteria, ac loca huiuſmodi, eorumq; perſonæ, ac bona careant Conſeruatore ad annum, ita vt illorum cauſæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat, cognoſci, ac definiri debeant.

Quinto, cæterũ, vt Latius pateat, Conſeruatorum huiuſmodi deligendorum facultas Sãctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialib. aut Diœceſanis, quamplures perſonas ex habentib. qualitates in prædicta Conſtitutione eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris contentas, & alioquin ad id aptas deſignari procurent, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum vſq; ad futuram Prouincialem, aut Diœceſanam Synodum.

Sexto, Inſuper Sanctitas Sua inhærendo hac in parte, decreto ſimilis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam prædeceſſoris ſui ſtatuit, & ordinauit, vt Regulares ac perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero infra ſex menſes à die publicationis in Vrbe præſentis Conſtitutionis inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores iuxtà formam ſuperius propoſitam.

Septimo, eiuſq; electionis ſeu aſſumptionis documentum infra tempus huiuſmodi penes acta curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſeruatores ſecundum formam præſentis Conſtitutionis non elegerint corã eiſdẽ Ordinarijs cõueniãtur.

Octauo, quodq; Conſeruatores huiuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijſdem Regularib. & alijs ſupradictis libuerit approbanda durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant.

9 *Ad hæc ſtatuit Sanctitas Sua, vt coram ipſis Conſeruatoribus, Regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ, conuenire quidem, aut trahi debeant, ſed alios conuenire, aut trahere non poſſint, ita vt memorati Conſeruatores in cauſis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorſus iuriſdictionem habeant, ſed in ijs tantũ, in quibus rei extiterint, neq; extra Ciuitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati, cõtra quoſcumque procedere præſumant.*

10 *Si quæ vero inter Iudices Conſeruatores huiuſmodi, & locorum Ordinarios controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum.*

11 *Quod ſi qui Conſeruatores, ſiue in hac parte, ſiue aliàs quomodolibet ſuos limites exceſſerint per annũ ab Officio Conſeruatoris huiuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit ſententiam excommunicationis incurrat iuxta formã alteriꝰ Conſtitutionis eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris, quæ incipit: Hac Conſtitutione, quam Sanctitas Sua in omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni nõ aduerſantur, innouauit, & innouat.*

12 *Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, et alij ſupradicti in caſibus à iure permiſſis petant Iudicem nõ ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus, dum tamẽ hæc tria copulatiuè concurrant: videlicet, vt Regulares, & alij prædicti ſint actores, nõ autem rei, vt quæ agant contra Laicũ, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliàs à Iuriſdictione ſæculari exemptũ, atq; vt cauſa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, nõ autem Eccleſiaſtica, & in ea iuxta Sacrorum Canonũ diſpoſitionẽ laicus, vt præfertur, eligendus ijſdem competens exiſtat.*

Quæ

13 *Quæ omnia, & ſingula in præſenti Cõſtitutione contenta Sanctitas ſua voluit inuiolabiliter obſeruari, decernentes ſic in ijs cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcũque, &c. etiam ſacri Palatij Apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales ſublata, &c. iudicari, &c. nec non irritum, & inane, &c.*

14 *Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac litteris Cõſeruatorijs, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in fauorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium militiarũ, etiam Sancti Ioannis Hierſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiuſuis alterius Inſtituti etiam neceſſario exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorũ quorumcumque tam ſæcularium, quam Regularium locorum, nec non illorum etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alias roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoq; etiam ea cauſa, & titulo oneroſo indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam Marimagno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus, approbatis, & inuouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis, ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita, & obſeruata inſerti forent præſentibus pro expreſſis habens, quibus quo ad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permãſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogauit, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

14 *Cæterum vt præſens Conſtitutio facilius omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit, vt non ſolum in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ publicetur, illiuſq; exempla in ijſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.* Hæc eſt Bulla nouiſſima circa Conſeruatores, circa quam aliqua occurrere poſſunt dubia, &

2 Primo, Dubitare quis poterit, an Epiſcopus in cauſis ciuilibus habeat iuriſdictionem in Regulares quando elegerunt Conſeruatorem.

Affirmatiuè reſpondet Pariſ. *de reſignatione beneficiorum lib. 3. queſt.* 11. *num.* 8. *in* 3. *caſu*, & hoc etiam ſi Iudicem deputatum habeant; Quando autem non habent certum Iudicem deputatum, tunc etiam in alijs cauſis poſſunt coram Ordinario conueniri, & hoc extante Decreto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 17. *cap.* 14. & dicto loco citatus Pariſ. refert 17. caſus in quibus ex vi Concilij Tridentini Regulares ſubduntur Epiſcopis.

Negatiuè tamen reſpondent communiter Doctores, & præcipuè Riccius *Parte* 4. *Deciſ.* 14. Fundamentum autem eſt, quia per Concilium ſolum conceditur iuriſdictio Epiſcopis in cauſis ciuilibus, quando Iudicem non ha-

habent, imo ſolum in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, & ſolum in partibus conceditur hæc facultas Epiſcopis, etiam ſi Iudicem deputatum habeant, vt patet ex verbis Concilij, in quo ſenſu vera eſt contraria ſententia, quæ tantum etiam vera eſt reſpectu Regularium, qui degunt extra clauſtra, qui poſſunt conueniri coram Ordinarijs, etiam ſi Iudicem deputatum habeant, Loquẽdo autem de alijs Regularibus degentibus intra clauſtra, ſi habent certum Iudicem nequeunt coram Ordinario conueniri, etiam in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, & hoc patet clarè ex verbis Concilij, quod docet Nauarrus *Commentar. 2. de Regularibus numer. 63.* vbi aſſignat differentiam in hoc, quæ ſcilicet eſt inter Regulares degentes extra clauſtra, & Regulares degentes intra, ſic dicens: *Secundo Generalis differentia inter Regulares exemptos degentes extra Monaſteria, & degentes intrà, nam hi ſuper nullis cauſis poſſunt conueniri coram Ordinario, illi autem ſic ſuper prædictis duobus generibus cauſarum.* Tradunt idem in terminis Nouarius *in Lucerna Regularium verb. cauſa*, & apud eum Cenedus *Canonicar. quæſt. lib. 1. qu. 26. num. 33.* Campanil. *rubric. 12. cap. 13, num. 29.* Riccius *in Praxi 1. part. reſolut. 547.* & Vulpius *in praxi Iudic. fori Eccleſiaſt. cap. 42. num. 24.*

3 Quod ſi quæras; an per dictum decretum conciliare derogetur *capiti 1. de priuilegijs in 6.* reſpondet Barboſa *part. 3. de Officio, & Poteſtate Epiſcopi allegat. 105. num. 23.* textum illum loqui de exemptis in certo loco, & quando exemptio eſt certo loco circumſcripta, licet aliqui apud eumdem Barboſam contrarium dicant.

4 Quæres ſecundo, An Regulares poſſint poſt electionem Conſeruatorum illos amouere ſine cauſa approbata ab Epiſcopo, vel à Summo Pontifice.

Negatiuè reſpondent Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullarum de Conſeruatoribus num. 11.* & ante ipſum Moneta *de Conſeruatoribus cap. 10. fol. 883. num. 323.* qui tamen non loquitur propriè de Conſeruatoribus Regularium, cum loco citato dicat exceptis Conſeruatorijs Regularium.

Sed modo cum attendenda ſit Conſtitutio *Gregorij XV.* quæ ſupra adducitur clarè colligitur, quid tenendum ſit, vide §. 8. & ratio forte eſt, quia facta electione ius quæritur electo, quod ei nolenti nequit auferri. Vnde iam ſaltem poſt hanc Conſtitutionem non ſtat opinio Monetæ, *de Conſeruatoribus cap. 10. nu. 376.* dum dicit Regulares poſſe mutare Conſeruatores in Capitulis Prouincialib', quod non video quomodo cohæreat cum eo, quod paulò inferius ſubdit dum ait: *Perſona Conſeruatoris electa ſemel à Regularibus ſtatim à Summo Pontifice, & Sede Apoſtolica deputata eſt, vt in priuilegijs Iulij II. Clementis VII. & Pij V. declaratur ab eodem Pontifice dumtaxat, vel cui committendum duxerit, & non ab ipſis Regularibus poteſt ab Officio remoueri ſeu illo priuari ſtante dictæ Sedis deputatione, qua mediante intrat illa vulgata regula iuris, vbi Superior manus appoſuit, inferior ibi ſe ingerere minimè valet, de qua in cap. noſtrum de appellatione.* Ita Moneta, qui tamen hoc intelligit ſolum, cum datur facultas vnum eligendi Conſeruatorem, non autem, quando poſſunt eligere plu-

plures; ſed modo Lector, attende poſitam Conſtitutionem, & iuxta eam incede.

5 Tertio dubitabis, an ſi Regulares poſt electum Conſeruatorem iuxta formam requiſitam à Conſtitutione adducta, non ponant electionis documentum penes acta Curiæ Ordinarij loci, debeant conueniri coram Ordinario, an vero coram Conſeruatore. Quidam cenſent conueniri debere coram Ordinario, quia non dimiſerunt documentum electionis penes acta Curiæ, quod ſecundum illos pertinet ad formam ſubſtantialem electionis ex diſpoſitione prædictæ Bullæ §. 5. illis verbis *eiuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infrà tempus eiuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimmittere teneantur alioquin eo termino elapſo, quamdiu Conſeruatores ſecundum formam præſentis Conſtitutionis non elegerint coram eiſdem Ordinarijs conueniantur.*

6 Verum dicendum eſt debere conueniri coram Conſeruatore; & probatur. Primo, quia dimiſſio documenti electionis non præſcribitur, vt forma ſubſtantialis electionis, nam hæc forma ſubſtantialis electionis deſcribitur §. 2. *eiuſdem Bullæ*, puta, vt eligendi in Conſeruatores ſint, vel Eccleſiaſtica dignitate prædicti, vel Perſonatum obtinentes, vel Canonici Cathedralium, vel Iudices electi in Conſilijs Prouincialibus, ſeu Diæceſanis, vnde §. 3. ſubdit Summus Pōtifex, *qui ſecus quam iuxta formam ſuperius præſcriptam, &c.* & nullam facit mentionem de dimiſſione documenti electionis penes actu Curiæ, ſicut nec §. 4. licet replicet formam §. 2. præſcriptam, & §. 5. diſtinguit inter electionem Conſeruatoris, & dimiſſionem documenti electionis penes acta Curiæ illis verbis: *Regulares debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores iuxta formam ſuperius propoſitam,* ſcilicet §. 2. & ſubdit *eiuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur.* Ergo diſtinguit Pontifex electionem Conſeruatoris à dimiſſione documenti electionis penes acta Curiæ, quod confirmat verbis ſequentibus: *alioquin eo termino elapſo quamdiu Conſeruatores ſecundum formā præſentis Conſtitutionis non elegerint coram eiſdem Ordinarijs conueniantur,* non dicit quamdiu penes acta Curiæ documentum electionis non dimiſerint coram eiſdem Ordinarijs conueniantur; Quod autem infra præſcribitur non ingreditur formam electionis à Summo Pontifice propoſitam; Ergo Regulares cum in electione Conſeruatoris ſeruant dictam formam §. 2. Gregorianæ Conſtitutionis iam non debent conueniri coram Ordinario, & Probatur ſecundo, Quia Summus Pontifex *Gregorius XV.* ſtatuit, & ordinauit, vt a Regularibus in Italia penes acta Curiæ Ordinariorum dimittatur documentum electionis illius, quæ fieri debuit infra duos menſes à die publicationis in Vrbe ſuæ Conſtitutionis inchoandos, vt patet illlis verbis *eiuſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus eiuſmodi penes acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur*, ponderanda ſunt illa verba *eiuſque electionis* ideſt factæ intra duos ſupradictos menſes, non verò electionum, quæ fient elapſo dicto bimeſtri. Ergo Regulares in Italia non tenentur dimittere penes acta

Curiæ Ordinariorum documenta electionum quas fecerunt, vel faciunt, vel facient elapſo bimeſtri ſupradicto.

7 Aduerte tamen Regulares teneri indicare nomina Conſeruatorum Epiſcopis locorum Ordinarijs intrà menſem à die electionis, alioquin coram ipſis Ordinarijs conueniri poterunt ex declaratione Sacræ Congregationis iuſſu Sanctiſs. Gregorij XIII. facta, & relata à Quaranta *verb. Priuilegia Regularium verſic.* Inſuper ſciẽdum *pag.* 514. cum enim hi caſus omiſſi ſint à Summo Pontifice Gregorio XV. Conſtitutione ſupradicta §. *citat.* dicendum eſt comprehendi ſub dicto decreto, ſeu declaratione Sacræ Congregationis, quia à iure antiquo non debet fieri receſſus, niſi præſcribatur à iure nouum, & iurium correctio vitanda eſt, vbi de illa expreſsè non conſtat.

8 Dubitabis quarto, An Regulares conuenire poſſint ſuos debitores coram Conſeruatore, & ratio dubitandi deſumi poteſt ex §. 9. adductæ Conſtitutionis, vbi habetur: *Regulares coram Conſeruatoribus trahi poſſe non autem alios trahere; Ita vt dicti Conſeruatores, in cauſis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint nullam prorſus habeant iuriſdictionem*, latè, & doctè Rodriquez *tom.* 1. *qq. quæſt.* 65. *art.* 12. dubium reſoluit adducens pro vtraque parte Doctorum ſententiam, quod poſſint Regulares trahere ſuos manifeſtos debitores coram Conſeruatore docent Alciatus, & Didacus Perez relati *locis citatis* à Rodriquez. Quod verò non poſſint docent alij inter quos Gutierez, prima ſententia à Rodriquez firmatur tum iure communi, tum etiam priuilegijs; nam licet Conſeruatores dentur ad defendendos Regulares ab iniurijs, quæ ipſis inferuntur; attamen nomine iniuriæ damnum etiam culpa datum ſignificatur tradit Vulp. *libr.* 1. *de iniur.* deinde quod iniuria manifeſta ſumatur pro damno dato, & ſic quod Conſeruatores poſſint in tali cauſa ſe intromittere, indicatur ſatis à Sixto IV. in conſeruatoria indulta Minoribus, dum dicitur, *quod non permittant per quoſcumque indebitè moleſtari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, ſeu quomodolibet irrogari*; Sed grauamen Regularibus infertur, dum nolunt ſoluere debita, ergo Conſeruatores poſſunt ſe in hoc ingerere, dum debitores ſcilicet Regularium renuunt ſoluere eis debita, quæ manifeſta ſunt; per alias etiam multas conſeruatorias patet hæc ſententia, quas habes apud citatum Rodriquez *loco ſupra*, vbi etiam varia argumenta habes, quibus ſatisfacit idem Doctor, & certè ante conſtitutionem Gregorij XV. citatam, opinio hęc Rodriquez mihi veriſſima ſine aliqua difficultate videtur, poſt verò dictam Bullam licet aliquibus placet, vt præcipuè videtur arridere Ioanni Antonio Nouario *in Summam Bullarum de Conſeruatoribus par.* 2. *pag. mihi* 104. dum dicit *numer.* 9. *circa ſextum caput amplia illud primo, vt Conſeruatores defendere debeant Regulares ab iniurijs verbalibus, & in poſſeſſione temporalium, Rodriquez qq. Regular. tom.* 1. *quæſt.* 65. *art.* 11. & 12. mihi tamen iam videtur non poſſe defendi, dum clarè in Conſtitutione habeatur, Regulares dum actores ſunt nullo pacto poſſe alios

tra-

trahere coram Conſeruatoribus; 3
ſed dum ſunt creditores, & nolunt ſibi debita ſolui actores ſunt potius, & cæt. Ergo, & ita ſentiunt docti noſtræ Congregationis viri, quos viua voce conſului; nec obſtat declaratio adducta à Lezana, nam per illam tantum colligitur poſſe Conſeruatores, etiam poſt citatam Conſtitutionem defendere Regulares dum turbantur à poſſeſſione bonorum temporaliũ, quæ poſſident, quod non eſt eis dare facultatem intromittendi ſe in creditis Regularium.

9 (placed beside "ſtræ Congregationis viri")

10 E contra vero, dum debitores ſunt Regulares trahi poſſunt à creditoribus coram Conſeruatore, vel etiam coram proprijs Prælatis, in quo diſcordes video Guttierez, & Rodriquez hunc vltimum vide *loco ſupra*, *art.* 13.

11 Dubitabis quinto, an Conſeruatores poſſint ſe intromittere in controuerſijs de præcedentia, quæ oriuntur in proceſſionibus inter Regulares. Negatiuè reſpondeo cum Ioanne Antonio Nouario *in Summ. Bullar. de Conſeruatoribus*, & hoc per decretum Cõcilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Reformatione*, Epiſcopi enim habent, omni appellatione remota, facultatem cõponendi has ſimiles controuerſias.

12 Dubitabis ſexto, an Epiſcopus poſſit præcipere Conſeruatoribus, vt vtantur notarijs Epiſcopalibus. Negatiuè reſpondet Peirinus *in formular. Prælatorum litt. C. cap.* 20. *numero* 3. qui multos citat Doctores, & rationes. Ioannes Antonius Nouarius etiam idem ſuſtinet, aſſerens Conſeruatores poſſe ad libitum aſſumere Notarios quibus vti poſſint in negotijs, & cauſis expediendis.

Dubitabis ſeptimo, an ob debita particularia Regularium debeant, & poſſint creditores recurrere ad Conſeruatorem, vel ad proprios debitorum Regularium. Reſpondeo in dicto caſu eſſe recurrendum ad Prælatos. Ita Diana *in Summa verb. Priuilegia Regularium in reliquis num.* 12. vbi ſic habes, *& idem de debitis ciuilibus domus Religioſæ, minimè verò particularium, quia hi habent ſuum Prælatum, cui omninò ſubditi ſunt*, & ab aliena iuriſdictione penitus exempti, dum tamen manent intra clauſtra. Ita Rodriq. *ar.* 13. & Mirãda *q.* 47. *ar.* 10. *to.* 2.

Dubitabis octauo, an Epiſcopus, vel eius Vicarius Generalis poſſit eligi à Regularibus in Cõſeruatores. Affirmatiuè reſpondit Sacra Congregatio Concilij teſte Peirino *in Additament. ad Conſtit. Gregorij XV. c.* 11. *nu.* 17. qui ad verbum adducit declaratione dicens, ſibi datam fuiſſe à Maſſobrio.

Dubitabis nono, an quando habet bona in diuerſis Diæceſibus ſufficiat vnicus Conſeruator. Reſpondet ſufficere vnum Conſeruatorem, qui tamẽ debet deputari in ciuitate, in qua ſitũ eſt Monaſteriũ, qui poterit etiã procedere in cauſis bonorũ extra Diæceſim exiſtẽtium. Ita eadem S. Congregatio teſte eodem Peirino *loco ſupra*.

Dubitabis decimo, an Cõſeruatores poſſint procedere aduerſus eos, qui confugientes ad Eccleſias Regulariũ violenter extrahunt. Affirmatiuè reſpondeo cum Peirino *loco citato n.* 13. quia iſti faciũt iniuriã manifeſtã locis Regularium, nec obſtat, quod ab ſolos Epiſcopos pertineat modo dare facultatem extrahendi reos ab Eccleſijs Regularium, dum immunitate nõ gaudent, nam etiam ſi Epiſcopi ob hoc

hoc poſſent in dictos extrahentes procedere, non per hoc tamen tollitur talis facultas à Conſeruatoribus.

Dubitabit vndecimo, quid dicendum, dum Regulares duarum Religionum ſibi inuicem notoriè iniurias faciunt,& ſic ſingulæ ad ſuos Conſeruatores recurrunt,quis nam Conſeruator tunc procedere debeat,& cauſam cognoſcere.

Reſpondeo, tunc eſſe locum præuentioni: Vide Peirinum *loco ſupra numer.* 15. qui conſulit recurrendum ad Summum Pontificem in dicto caſu, ne ſe mutuò impediant.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt decretum de mandato Gregorij XV. circa promouendos ad tonſuram,& Ordines minores in Regno Neapolitano.
Dub. CCCXIX.

SVMMARIVM.

1 *Decretum adducitur.*
2 *Non comprehendũtur Regulares in eo.*
3 *Quando in aliqua diſpoſitione non fit mentio de Regularibus illi in ea non comprehenduntur.*
4 *Idem dicendum eſt de militibus Hieroſolymitanis.*

1 POteram ponere dubium cap. *quo ad Ordines*, ſed hic quoque ſuum locum habet,ponam igitur,primo ad verbum decretum,quod tale eſt:

Sacra Congregatio Cardinal. negotijs iuriſdictionalibus Regni Neapol. præpoſitorum iuſtis grauibuſque adducta cauſis de S.D.N.Gregorij XV.ſpeciali ordine viuæ vocis oraculo deſuper habito expreſsè præcipit, & mandat omnibus ſingulis eiuſdem Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis,& alijs inferioribus legitimam facultatem habentibus, vt antequam ad primam tonſuras,ſiue ad minores Ordines aliquem promoueant Parrocho, ſeu alteri cui magis videbitur committant, diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipsã Inquiſitionem factam continentes ad ipſum committentem quamprimum tranſmittat,ad hoc,vt tam ex his, quã ex alijs ex S. C. Tridentin. præſcripto in caput 7. ſeſſ. 23. de refor. adhibendis diligentijs ſibi conſtet promouendos illos eſſe qualitatibus prædictos, quæ per Sacros Canones idemque Concilium requiruntur. Quod, & obſeruent in litteris dimmiſſorijs concedendis, in quibus exprimetur præfatas diligentias præceſſiſſe. Dictæ autem litteræ dimmiſſoriæ vni tantum, & certo Ordinario ad electionem concedendis in poſterum dirigantur, & pluribus directæ ſint nullæ, prædictaque vult inuiolabiliter obſeruari, donec aliud fuerit ordinatum, ſi quis verò contra formam præſentis decreti fuerit ad primam tonſuram, ſiuè ad minores Ordines promotus ab executione collati, & à ſuſceptione Superioris Ordinis perpetuo ſuſpenſus ſit, & vlterius condignis pænis puniatur; ordinans vero,vel dimmiſſorias concedens vltra Diuinam vltionem,quam incurret à collatione Ordinum per annum ſuſpenſus ſit eo ipſo. Præterea ijſdem Ordinarijs enixè iniungit, vt decreta per Sacros Canones, Sacrumque Concilium Tridentin.& Apoſtolicas Conſtitutiones, quo ad delationem Clericalis habitus, & tonſuræ ſeruitiumque Eccleſiæ præſtandum ita curent per huiuſmodi Clericos obſeruari, & in eos, qui contrafecerint ſtatutis per ea pænis animaduertere, vt ipſi nequeant de damnabili circa hæc negligen-

tia redargui Romæ 10. *Kal. Iunij* 1623. *Card. Bandinus. Laur. Campegius Secret.* en decretum, quod dat dubitandi rationem, an in Regno Neapolitano, etiam cum Regularibus à DD. Epi-
2 ſcopis debeat obſeruari, Riccius *in praxi part.*4. *reſol.*482. in terminis reſpondet non comprehendi tali decreto Regulares hocque probat.

Primo ex declaratione Sacræ Congregat. tenoris ſequentis, Anno verò 1626. cum quæſitum eſſet an præfato decreto comprehendantur Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Cappuccini nuncupati in dicto Regno Neapolitano pro tempore de familia commorantes *Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpoſita cenſuit decretum, vt ſupra editum ad Cappuccinos, alioſque Regulares non pertinere. Laurent. Cardinal. S. Sixti. Proſper Fagnanus Secret.*

3 Secundo, Quia quando in aliqua diſpoſitione non fit mentio de Regularibus ipſi comprehenſi non videntur maximè in odioſis; facit pro hoc, id quod diximus, *cap. quo ad Ordines dub.*68. dum dubitabatur, an Regularis Vltramontanus comprehenderetur in decreto Vrbani VIII. *Secretis æterna prouidentiæ coſilijs*, reſoluimus cum Marchino non comprehendi, quia expreſsè ibi non nominantur Regulares.

4 Idem ſuſtinet Riccius *loco ſupra reſolut.* 483. de Militibus Hieroſolymitanis, quia ſunt Religioſi, &c. ſtatutum autem loquens de Regularibus extenditur ad huiuſmodi milites, citat Faber *decif.* 27. *C. de Epiſc. & Cler.* Rip. *obſeruat.* 185. & alios.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt decretum Gregorij XV. circa Conceptionem Beatæ Mariæ.
Dub. CCCXX.

SVMMARIVM.

1 *In publicis actibus non poſſunt Regulares aſſerere, quod Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali.*

2 *Regulares poſſunt concionari, & aſſerere Beatiſſimam Mariam fuiſſe ſine peccato conceptam, non tamen impugnare contrariam ſententiam.*

3 *Quid addidit Gregorius XV. decreto Pauli V. circa hanc materiam.*

4 *Regulares Ordinis Prædicatorum poſſunt inter ſe dumtaxat in priuatis colloquijs, & conferentijs de materia Conceptionis diſſerere.*

5 *Quomodo Regulares contrauenientes huiuſmodi decretis ſubdantur Ordinarijs.*

1 PRimo, Non poſſunt Regulares in publicis concluſionibus, lectionibus, concionibus aſſerere, quod Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Ita per decretum ſub Paulo V. confirmatum à Gregorio XV. ſi contrafaciant ſubiacent locorum Ordinarijs, qui executores ſunt in hac cauſa, & Inquiſitoribus.

Secundo, qui tamen contrariam opinionem defenderent, ſcilicet cum peccato fuiſſe Beatiſſimam Mariam conceptam non per hoc damnantur, &c. nec Ordinario ſubduntur.

Ter-

2 Tertio, Regulares poſſunt concionari; & aſſerere Beatiſſimam Mariam fuiſſe ſine peccato conceptam, contrariam tamen opinionem non poſſunt impugnare. Ita ex eodem decreto ſub Paulo V. quod incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter*, & eſt *in tom.*4. *Bullarum pag.*135. Vnde ſi concionator Regularis in cõcione dixerit Deiparam caruiſſe peccato originali, & aliquibus rationibus probauerit dicens ex eis poſſe argumenta in contrarium infirmari, non poteſt puniri ob hoc ab Ordinario, vt tradit Comitolus *lib.6. Reſponſ. Moral. quæſt.*40. quem refert, & ſequitur Portel. *Dubijs* 4
Regum ver. *Conceptio Deiparæ num.* 8. nam Pius V. cuius conſtitutionem Paulus V. confirmat, ſolum prohibet ne rationibus confirmemus opinionẽ Scoti adducendo, & ſoluendo argumenta contraria, eſt autem per accidens ſi probando opinionem Scoti non citando argumenta contraria dicamus aliqua vnde ſoluantur oppoſita argumenta; Regularis ergo, qui ſic concionetur non poterit puniri ab 5
Ordinario: Hęc omnia, Ergo procedunt iuxta decretum ſub Paulo V. quod, vt dixi fuit cõfirmatum a Gregorio XV. qui videns ſcandala, & diſſenſiones, etiam oriri ex ſermonibus
3 etiam priuatis circa Conceptionem Beatæ Mariæ addidit decreto Pauli V. prohibitionem etiam priuatorum ſermonum circa talem materiam, ſic dicens §.2. *Hoc ſuo præſenti decreto ex eiuſdem cauſis euitandi ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordias in populo Chriſtiano, quæ pari ratione oriri poſſunt, & vt accepit in aliquibus regionibus iam ortæ ſunt ex Sermonibus priuatis occaſione aſſertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & ſcripta mandans & præcipiens omnibus & ſingulis ſupradictis, ne de cætero donec articulus huiuſmodi a Sede Apoſtolica ſit definitus, vel per Sanctitatem ſuam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in Sermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit Concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare, exceptis tamen quibus a Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum*. Indultum eſt autẽ Fratribus ordinis Prædicatorum. Vnde idem Gregorius XV. per ſuam quę incipit *Eximij atque ſingulares*, concedit dictis Religioſis vt de cętero in quibuſcumque priuatis eorum colloquijs, ſeu conferentijs inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs de materia eiuſdem Cõceptionis diſſerere, & tractare poſſint abſq; vllo pęnarum incurſu.

Quarto, Regulares in feſto Conceptionis, debent vti verbo Conceptionis habes ex eodem decreto §. 4.

Quod autem Regulares contrauenientes tali decreto ſubijciantur Epiſcopo habes ibi §. 6. per hæc verba: *Volens, & decernens pro obſeruatione præſentis decreti & omnium in eo contentorum, quod contra huiuſmodi tranſgreſſores etiam Regulares, cuiuſuis Ordinis, & inſtituti etiam quomodolibet exemptos, & alias quaſcunque Eccleſiaſticas, & ſæculares perſonas cuiuſcunque, ſtatus conditionis, gradus Ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, alijque Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbiq; locorum deputati Inquiſitores procedant & cæt*. Vide circa hanc materiã Naldum in ſumm. verb. *Conceptio* Rodri-

dri-

driquez *in compendio qq. Regular. Reſolut.* 10 Barboſam de Offi. io Epiſcopi *allegat.* 105. Comitolum quæſt. *Moral.lib.*..*quæſt.*40 Filliuci *quæſt.Moral.tom.*2.*tract.* 27.*cap.* 3.*numer.* 51. Bonacinam, *de cenſuris in ſpetie diſput.* 293 *punct.*34.Omnes relati a Carena de Officio Sanctę Inquiſitionis *Parte* 2.*Tit.*17.§.*vndecimo*, vbi tradit praxim procedendi in contrauenientes dictis conſtitutionibus, & decretis; hic enim, quæ ad materiam ſpectant ſufficit indicaſſe.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares poſt conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs.*
Dub CCCXXI.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio per extenſum adducitur.*
2 *Ponuntur aliqua dubia exorta circa talem conſtitutionem.*
3 *Reſoluuntur a Sacra Congregatione dicta dubia.*
4 *Duo alia dubia a Sacra Congregatione declarata & reſoluta ponuntur.*
5 *Controuerſiæ quædam ortæ inter Epiſcopos, & Equites Hyeroſolimitanos a Sacra Congregatione reſoluuntur.*
6 *Non poteſt Epiſcopus poſtquam exegit rationes adminiſtrationis bonorum Monialium iterum cogere adminiſtratores, vt de nouo reddant rationes.*
7 *Poſſunt adminiſtratores appellare, dum prætendunt ſe fuiſſe grauatos in reddenda ratione.*
8 *Epiſcopi poſſunt amouere dictos adminiſtratores etiam non manifeſtata cauſa.*
9 *Quæritur, an Epiſcopus poſſit punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus illi ſignificatum.*
10 *Fuit per dictam Conſtitutionem ampliatum decretum Concilij Tridentin.* Seſſ. 25. Regularibus.
11 *Equites Hyeroſolomitani ſunt ſubditi Epiſcopo, dum exercent curam animarum.*
12 *Solum illa Monaſteria poſſunt ab Epiſcopo viſitari, in quibus cura animarum exercetur, & quomodo.*
13 *Per relatam conſtitutionem Regulares poſſunt aliter, & in diuerſis caſibus puniri, ac poſſint per Concilium.*
14 *Per Tridentin. poterant regulares puniri ſolum in delictis notorijs, & ſcandaloſis, modo per dictam conſtitutionem in omnibus delictis ſi ſint circa curam animarum, & cæt.*
15 *Reſtricta fuit per hanc conſtitutionem facultas Regularibus audiendi confeſſiones Monialium.*
16 *Regulares non obſtante hac conſtitutione poſſunt adhuc concionari in plateis publicis.*
17 *Quæritur an dicta Bulla habeat vim in Regnis Hiſpaniarum.*
18 *Regularis ſcandaloſus etiam ſi non delinquat circa pertinentia ad curam animarum poteſt ab Epiſcopo remoueri a confeſſionibus.*
19 *Adminiſtratores bonorum monaſterij virorum non tenentur reddere rationem Epiſcopo.*

1 H*Abe commoditatis gratia hic Bullam tranſcriptam Inſcrutabili Dei prouidentia Vniuerſalis Eccleſiæ regimini,*

ni, meritis licet imparibus, preſidentes, paſtoralis noſtræ ſolicitudinis partes eſſe dignoſcimus in eam curam precipuè incũbere, vt a dignis, & probatis tantum Sacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta, atque vt Virginum Deo Sacrarum Monaſteria diligentiſſime cuſtodiantur; & viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum.

Primo, Sane Tridentinæ Synodi decretis prouide cautũ eſt, nullũ Præsbiterũ etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi, aut parochiale Beneficium habent, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Secũdo, Nec nõ vt in Monaſterijs ſeu Domibus virorũ ſeu mulierũ, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium præter, ea quæ ſunt de illorum Monaſteriorum ſeu locorum familia perſonæ, tam Regulares, quam Seculares eiuſmodi curã exercentes, ſubſint immediate in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent iuriſdictioni, Viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius diœceſi ſunt ſita. Itemq; vt Epiſcopi Vniuerſi ſub obteſtatione Diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis, Ordinaria, in alijs vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sãctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maxime procurent, inobedientes atq; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas alia'q; pœnas, quacumque appellatione poſtpoſita, compeſcentes.

Tertio, Atq; vt Regulares in Eccleſijs ſuorũ Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Eccleſijs vero quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia; contradicente autem Epiſcopo, nulli etiam in ſuorum Ordinum Eccleſijs, prædicare præſumant.

Quarto, Verũ quia experiẽtia cõpertum eſt, Eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, vt decretis eiuſmodi aliquod adiungatur, matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valitura Conſtitutione, decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quàm Sæculares, quomodolibet exmpti, ſiue animarum curam perſonarũ Secularium Monaſterijs, ſeu domibus Regularibus aut quibuſuis alijs Eccleſiis, vel beneficijs, ſiue regularibus, ſiue Secularibus, incumbentem exerceant, ſiue aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis Miniſtrent ſine præuia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſiue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant, in his quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati plene in omnibus ſubiaciãt. Ad hæc tam Regulares quam Sæculares huiuſmodi, nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri ſe poſsint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degẽtes aut circa clauſurã, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum monialium, etiam Regularibus ſubiectarum ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Quinto, Confeſſores vero, ſiue Sæculares.

quomo-

quomodocumque exempti, tam Ordinarij, quam Extraordinarij ad Confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant, ſed & adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur etiam Regularibus ſubiectarum, pertinentia, ſiue Regulares extiterint, ſiue Seculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superiorum Regularibus ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi & compelli queant. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt eiuſmodi Confeſſores atque adminiſtratores amoueant, ijſque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores & Adminiſtratores amouendi, quoties & quando opus eſſe iudicauerit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vna cum Superioribus quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorum, quocumque nomine appellantur, electionibus per ſe, vel per aliũ intereſſe ac præſidere, abſq; vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

Sexto, Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus auctoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorũ Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius Benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint, ita vt Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea, quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, vti eiuſdem Sedis delegati procedere omnemque iuriſdictionem exercere libere, & licite valeant.

Septimo, Decernentes ſic per quoſcumque iudices quauis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, nec non S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Octauo, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicatium, quam non Mendicatium Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſario, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum Conuentuum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque tam Secularium, quam Regularium locorum, nec non illorum, etiã iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alias roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus: etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno ſeu Bulla aurea, aut alias nũcupatis. Conſeruatorũ Deputationibus, eorumq; atq; alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minime teneantur, & quibuſuis alijs, ſub quibuſcumq; tenoribus: & formis ac cum quibuſuis etiam Derogatoriarũ derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clau-

clauſulis nec non irritantibus decretis etiã motu proprio, & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam Communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis; etiã ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialibus, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quoad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſſe derogamus; cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Nono, Cæterum quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quoque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcãt, mandamus illas ad Valuas Lateranenſ. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eaſque detracto, earum exempla eo in loco relinqui.

Decimo, Ac volumus, vt earumdẽ præſentiũ litterarũ tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis & ſigillo Prælati ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica cõſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit eadẽ prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis Originalibus adhiberẽtur, ſi forent exhibitæ vel oſtẽſæ.

Vndecimo, Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginã noſtrorũ ſtatuti, declarationis, decretorũ, derogationis, mãdati, & volũtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽtare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorũ Petri & Pauli Apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurriſſe. Datũ Romæ, apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarij Pontificatus noſtri Anno ſecundo. In Nomine Domini Amen. Anno a Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1623. indictione ſexta, die vero octaua Menſis Februarij. Põtificatus autẽ Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Gregorij Diuina Prouidentia Papæ XV. Anno ſecũdo, retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ, affixæ, & publicatæ fuerũt ad Valuas Baſilicarũ S. Ioannis Lateranenſ. Principis Apoſtolorũ de Vrbe, ac Cancellariæ, Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidẽ earumdẽ litterarum Originalibus appẽſis per aliquod tẽporis ſpatiũ & exinde remotis, deinde dimiſſis earumdẽ litterarũ copijs, vt moris eſt per nos Coſmũ Modium, & Alexandrum de Rocchis Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.

Octauius Spada Magiſter Curſorum.

Subſequuntur hic aliquot Dubia ſuper iſta Conſtitutione exorta, quorum Reſolutiones mox ſubijcientur.

2 Poſita Conſtitutione fel. rec. Gregorij XV. de Exemptorum priuilegijs &c. Dubitatur.

Primo, An liceat Epiſcopis viſitare altaria Regularium Eccleſiarũ, quibus cura, animarũ perſonarũ Sæcularium non incũbit, aut loca, vbi in ijſdẽ Eccleſijs aſſeruatur Sãctiſſ. Euchareſtiæ Sacramentũ, vel vbi audiũtur Cõfeſſiones perſonarũ Sæculariũ.

Secũdo, An Epiſc. poſſint Regularibus præſcribere, vt certis tantũ in locis, ac tẽporibus, aut certarũ perſonarũ confeſſiones audiant, vel alias illorũ priuilegia reſtringere ac moderari in Sacramẽtis adminiſtrãdis.

Tertio,

Tertio, An facultas Epiſcopis per conſtitutionem attributa in exemptos, tam ſæculares, quam Regulares intelligatur etiam tributa in perſonas nullius Diœceſis.

Quarto, an eadem facultas cõpetat inferioribus Prælatis, proprium territorium ac iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalẽ habẽtib'.

Quinto, an per eandem Conſtitutionem in illis verbis poſſit Epiſcopus vnà cũ Superiorib. Regul. quarumcumq. Abbatiſſarũ, &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, ius Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur.

Sexto, an Confeſſores Monialium ante editam Conſtitutionem deputati debeant ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Septimo, an Superiores Regulares ſimiliter ante ipſius Conſtitutionis publicationẽ electi, ſeu deputati alia indigeãt Epiſcopi approbatione pro confeſſionibus Sanctimonialium ſibi ſubiectarum audiendis.

Octauo, an confeſſiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, ſeu deputati, vel confirmati poſt publicationẽ, & ſciẽtiã tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Epiſcopi approbatione ſint nullæ, atq irritæ, nec ne?

Nono, an Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones perſonarũ ſæcularium audiẽdas, cenſeãtur etiam approbati ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum.

Decimo, an Regularis ad audiendas cõfeſſiones Monialium vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatus, confeſſiones Monialium alterius Monaſterij audire poſſit.

Vndecimo, an Regulares Confeſſores extraordinarij ſemel ab Epiſcopo deputati, & approbati ad audiẽdas Monialiũ cõfeſſiones pro vna vice infra annũ ad præſcriptum Sac. Concil. Trid. poſſint, virtute dictæ approbationis pluries tanquam Confeſſores extraordinarij, earumdem cõfeſſiones audire abſq. noua Epiſcopi licentia.

Duodecimo, cum in eadem conſtitutione ſtatutũ ſit, vt liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt amoueãt Cõfeſſores Monialiũ, atq. administratores bonorũ ad earumdẽ Monialium Monaſteria pertinentiũ, iiſq. Superiorib. id facere detrectãtib. habeat Epũs facultatem prædictos Cõfeſſores, & Adminiſtratores amouẽdi quoties, & quãdo opus eſſe iudicauerit, an eiuſmodi causã Epiſcopus Superiorib. Regularib. ſignificare teneatur?

Decimotertio, an eadem Cõſtitutio, qua parte ſupponit Epiſcopi iuriſdictioni Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialiũ, aut circa clauſuram, vel bonorum adminiſtrationem eorumdem Monaſteriorum habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolum in notorijs, & cum ſcandalo populi.

Subſequuntur declarationes ad ſupradicta dubia à Congregatione Card. S. Conc. Trid. Interpretũ datæ, & ab iſto, & Vrbano VIII. eius ſucceſſore reſpectiuè approbatæ.

3 *Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trident. Interpretum cenſuit Conſtitutionem Sanc. mem. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs nequaquam ſubijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum ſæcularium perſonarum, non incumbit Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cum in Sacramentis perſonis ſæcularibus adminiſtrandis, iidem Regulares delinquunt, ac propterea.*

Ad primum dubium reſpondit, Epiſcopis non licere in vim eiuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarũ cura perſonarũ ſæculariũ, nec loca, vbi in iiſdem Eccleſijs aſſeruatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel vbi confeſſiones perſonarum ſæcularium audiuntur.

Ad ſecundum, hac in parte Conſtitutionem nihil noui iuris induxiſſe, nec vllam nouam auctoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe. Ideoq. in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopo Regularib. præſcribere, vt certis tantum in locis, ac temporib. aut certarum perſonarum Cōfeſſiones audiant, vel alias illorum priuilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. Quod ſi aliunde Epiſcopus huiuſmodi facultas cōpetat illā non fuiſſe ab eadem Cōſtitutione ſublatam.

Ad tertium, cenſuit eiuſmodi facultatem non intelligi tributam Epiſcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad quartum, non competere.

Ad quintum, ius confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributam.

Ad ſextum, Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus poſſe poſt Conſtitutionem illarum confeſſiones audire, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbentur, Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos, poſſe, durante triennio, ab eorum deputatione inchoãdo, pergere in confeſſionib. Sanctimonialium audiendis abſq; alio examine, & approbatione Epiſcopi. Quod ſi contingat, vt illorum facultas à Sede Apoſtolica vltra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Epiſcopo examinari, & approbari.

Ad ſeptimū, Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubditarum, poſſe, durante eorum Officio pergere ſine alia Epiſcopi probatione in confeſſionibus audiendis illarum tantum, quæ ſpontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur, aut quoquomodo deputabuntur, vel qui in eorum Officij, ſeu dignitatib. expleto iam tēpore à Conſtitutionib. eiuſq. Ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire niſi prius à Diœceſano Epiſcopo idonei iudicati atq; approbati fuerint.

Ad octauum, Confeſſiones huiuſmodi nullas atq. irritas eſſe.

Ad nonum, Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Ad decimū, Regularē ad audiēdas Cōfeſſiones Monialiū vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatum minimè poſſe audire Confeſſiones Monialiū alterius Monaſterij.

Ad vndecimum, Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialiū cōfeſſiones pro vna vice audiēdas, haud poſſe pluries inuī approbationis eiuſmodi illarū confeſſiones audire, ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbãdos quoties caſus deputationis contigerit.

Ad duodecimum, non teneri eiuſmodi cauſam ſignificare Superioribus Regularib. ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientiam Sacra Congregatio ſeriò onerauit ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquomodo abutantur, eius rei in diſtricto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad decimūtertiū, Conſtitutionē habere locū in omnib. delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacra Congregationis reſponſa ad ſe relata fel. rec. Gregorij XV. & S.D.N. Vrbanus VIII in omnibus approbarent.

A. Card. Caetanus.

Proſper Fagnanus Secr. S. Congr.

Sub-

Subſequuntur alia duo dubia ab eadem Congregatione declarata, & à S. D. N. approbata.

An Regularis abſque licentia legitima accedens ad Monaſterium Monialiũ Regularibus ſubiectarum, ibique in loco colloquij deſtinato cum Moniali colloquens à Diæceſano Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri, & puniri poſſit.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum cenſuit. Poſſe quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus Dominus Noſter Vrbanus VIII. ad ſe relatam approbauit.

An liceat Epiſcopo in vim Conſtitutionis Sanct. mem. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs punire Regulares, qui ad Abbatiſſæ electionem procedunt ante tempus ipſi Epiſcopo ſignificatum, aut die electionis eiſdem nullatenus prænunciata?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum reſpondit, Regulares ex eadem Cõſtitutione ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ eumq; vſque ad præfinitum tẽpus expectare, ſi antea ipſe expreſſe declarauerit ſe vti velle facultate ſibi hac in parte attributa, Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere. Poſt eam verò declarationem licere Epiſcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatiſſæ electionem procedunt.

Coſ. Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congr. Secr.

5 Poſt hęc etiam aliquę aliæ exortæ ſunt dubitationes inter Epiſcopos, & Equites Hieroſolymitanos, quæ ſic ſolutę fuerunt, vt teſtatur Nouarius *in Sum. Bullar. par. 2. pag. 607. in 1. editione* referens, referens *Sacræ Congregationis declarationes in hunc modum.*

Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Domine fel. record. Pius Papa V. ad ſedandas controuerſias, quæ vigebant inter Epiſcopos, & Milites, & alias perſonas ordinis Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani per ſuas litteras in forma breuis expeditas ſtatuit Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & alios Superiores, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatos quaſcumque Eccleſias ad Hoſpitale S. Ioannis Hieroſolymitani pertinentes, quibus animarum curã imminet in his, quæ animarum curam, illiuſque exercitium, & adminiſtrationem reſpiciũt, viſitare, omneſque actus circa prædictam viſitationem concernentes exercere poſſe, & debere, Rectores, Vicarios, & quoſcũq; alios tã Regulares, quam ſæculares curam animarum in eis exercentes ſubeſſe immediatè in his, quæ ad dictam curam animarum, illiuſque exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant viſitationi, & correctioni eorumdem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum vti Sedis Apoſtolicæ Delegatorum iuxta formam in eiſdem litteris præſcriptam. Et quia huiuſmodi litteræ egent declaratione, quoad plura propter quæ quotidie oriuntur diſcordiæ, & contentiones, ideo Religio petit reſponderi ſuper infraſcriptis.

Primo enim prætendit Religio, quod Epiſcopi non poſſint vigore dictarum litterarum viſitare Eccleſias Religionis niſi per ſe ipſos.

Secundo Religio prætendit, quod quatenus Epiſcopi poſſint ſubdelegare, talis Subdelegatio fiat perſonis conſtitutis in dignitate Eccleſiaſtica, quia Delegatus Apoſtolicus de iure non poteſt ſubdelegare, niſi perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam.

Tertio prætendit, quod Vicarius Epiſcopi, nec alius poſſit in omni caſu viſitare

Eccleſias, & perſonas dicti Hoſpitalis, niſi ſit ſpecialiter ſubdelegatus ad id, quod tam Epiſcopi, quam alij, in faciendo huiuſmodi viſitationem teneantur declarare expreſsè, quod illam faciunt vti delegati, & Apoſtolica auctoritate.

Quarto, quod dum fuit mandatum, perſonas in his, quæ ad curã animarũ, illiuſq; exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant ſubeſſe viſitationi, & correctioni Epiſcoporum intelligi debeat de illa correctione, quæ fieri contingit in actu ipſius viſitationis dumtaxat, & non extra viſitationem.

Quinto prætendit, quod dũ Epiſcopi, vel ab eis ſubdelegati volentes dilatare fimbrias, & viſitare Eccleſias, & perſonas, quo ad omnia adaptãdo ea omnia curæ animarũ illius exercitio, ac Sacramentorũ adminiſtrationi, etiam exprimendo in actibus viſitationũ, quod viſitãt in ſpiritualib. & tẽporalibus, poſſe eiſdem Epiſcopis, vel Subdelegatis fieri reſiſtẽtiam per perſonas dictæ Religionis, & eos impedire ne excedant fines eorum delegationis, prout ne viſitent fabricã Eccleſiæ, nec paramenta, nec temporalia Eccleſiæ, nec alia, quæ non deſeruiunt exercitio curæ, & Sacramentorum adminiſtrationi, & quod ſi mandant dealbari Eccleſiam, vel alia ſimilia fieri non teneantur illis parere.

Sexto, quod Epiſcopi, ſeu ſubdelegati mãdando Curatis prædictarum Eccleſiarum Religionis, quod moneant Parrochianos, vt feſta ſanctificent, vel quod moneãt, quod ijdẽ Parrochiani corã eis cõpareant, & quod illos publicent viſitationẽ ſub excõmunicationis, & alijs pœnis pecuniarijs, vel moneant eoſdem Parrochianos, vt ſoluant debitũ, quod habent verſus Confraternitates, vel alia loca pia, & ob non ſolutionem prohibeant ingreſſum Eccleſiæ, quouſq; aliter Epi, vel Subdelegati ordinaſſent, excedãt fines eorũ ſubdelegationis.

Septimo, quod ſimiliter, dũ ijdẽ Epi, & eorũ Subdelegati non poſſint, nec valeant cõpellere Parrochianos, quod dent frontaria, & alia ſimilia pro Altaribus Eccleſiarũ, nec modo aliquo ſe intromittere, quoad ornamenta Altariũ, in quibus non cuſtoditur Sanctiſſimũ Sacramentũ Eucharistiæ, nec quod reſtaurent portas hæremitariorũ, & aliorũ annexorũ Eccleſijs Parrochialibus dictæ Religionis, nec valeant ſe intromittere quoad regimen, & gubernium Confraternitatum fundatarum, & erectarum in dictis Eccleſijs exemptis, quoad ea, quæ concernunt dictas Eccleſias.

Supra dictis dubitationibus in Sac. Congreg. Conc. propoſitis Illuſtriſſimi Patres ad ſingulas ita cenſuerunt reſpondendum videlicet.

Ad primam, poſſe huiuſmodi facultatem viſitandi alijs delegare.

Ad ſecundam, poſſe ſubdelegare perſonam Eccleſiaſticam quamuis in dignitate non conſtitutam.

Ad tertiam, ſufficere generalem delegationem teneriq. viſitantem declarare, quod viſitat tãquam Sedis Apoſtolica delegatus iuxta litteras S.M. Pij V.

Ad quartam ita eſſe intelligendum.

Ad quintã, ſi aliqui Ordinarij exceſſerint facultatẽ ſibi conſt. S. mem. Pij V. hac de re edita cõpetentem oportere adiri Sedẽ Apoſtolicã à qua remedium adhibebitur.

Ad ſextã hæc omnia, vt materiã peccati cõcernentia, à quo Parrochus Parrochianos pro viribus retrahere debet ad curam animarũ ſpectare ad Epiſcopũ, alioſq; eius iuſſu viſitantem illa præcipere poſse.

Ad ſeptimam non poſſe Epiſcopum, vel alium eius nomine viſitantem quicquam iubere circa altaria, in quibus non miniſtratur cura animarum, vel circa Eccleſias annexas non curatus, neque

circa

circa adminiſtrationẽ Confraternitatum.

Multæ dubitationes, quæ circa pręſentem Conſtitutionem poſſent oriri iam ex dictis per totum hunc tractatum, & ex reſponſis ad verbum Sacræ Congregationis adductis remanent reſolutæ tantum, ergo hic aliquas difficultates proponemus, & reſoluemus, ad maiorem dictę Conſtitutionis intelligentiam.

6 Quæres ergo primo, an poſtquam Epiſcopus ſemel in anno exegit rationes adminiſtrationis bonorũ Monialium, &c. poſſit iterum cogere adminiſtratores, vt de nouo reddant rationes. Negatiuè eſt reſpondendũ, & colligitur *ex text.* in leg, *Semel, C. de Apoch. public. lib.* 10. fauent multi Doctores, Vide Ioannem Antonium Nouarium *de exemptorũ priuilegijs in Sum. Bullarum*. Notat tamen Riccius relatus loco ſupra à Nouario; poſitã doctrinam non habere locum, quando doloſè eſſent redditæ rationes, vel quando non eſſent finales, & plenę.

7 Quæres ſecundo, an dicti adminiſtratores, qui rationes ſuæ adminiſtrationis reddiderunt poſſint appellare, dum prætendent ſe fuiſſe grauatos in tali redditione, in qua apparuerunt debitores. Affirmatiuè reſpõdeo; & ratio clara eſt, quæ aduertitur, & meritò à dicto Nouario *loco ſupra num.* 30. Quia poſita Conſtitutio ſimpliciter loquitur, nec facit mentionẽ de excluſione appellationis, quã ſolet facere Concilium Tridentinum, quando vult illã excludere ſic, *ſeſſ.* 22. *c.* 9. dum loquitur Triden. de adminiſtratoribus locorũ piorum, appellationem excludit. Item dũ loquitur de Controuerſijs ſedandis, quæ in proceſſionibus oriuntur dicit amota appellatione *ſeſſ.* 25 *de Regular. cap.* 13.

8 Quæres tertio, an ex vi dictę Conſtitutionis Epiſcopi poſſint amouere dictos adminiſtratores ob aliquas cauſas non manifeſtando eas Prelatis Regularibus. Reſpondeo affirmatiuè. Ita ex multis S. Cõgregationis Reſponſis.

9 Quæres quarto, an per dictã Conſtitutionem poſſit Epiſcopus punire Regulares, qui ad Abbatiſſę electionẽ procedunt ante tempus illi ſignificatum. Habe circa hoc S. Congregationis declarationẽ, quã adducit Ioannes Antonius Nouarius *in hanc Conſtitutionem nu.* 35. in hęc verba. *S. Congregatio Cardinalium S. C. Trident. Interpretum reſpondit Regulares ex eadem Conſtitutione, ita demum teneri Epiſcopo ſignificare diem electionis Abbatiſſæ, eumque vſque ad præfinitum tempus expectare, ſi ante ipſe expreſsè declarauerit ſe vti velle facultate ſibi in hac parte attributa. Abbatiſſarumque electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, poſt eam uerò declarationem licere Epiſcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum, aut electionis eidem non pronũciatæ ad Abbatiſſæ electionẽ procedere, &c.* & hanc declarationem Sacrę Congregationis approbauit Vrbanus VIII. ad ſe relatam *ann.* 1626. Quid autem poſſit Epiſcopus in electione Abbatiſſarum, Vide Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum diſput.* 28. *quæſt.* 6.

10 Quęres quinto, an per adductam Bullam ampliatum ſit decretum Cõcilij Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularib.* Reſpondeo fuiſſe ampliatum, & tradit Ioannes Antonius Nouarius *de Exemptorum Priuilegijs in Summ. Bullarum*, & clarè patet, nam per Conciliũ loco citato ſancitur, vt Regulares omnes curam animarum exercentes ſubſint

Epiſcopis in eis, quæ ad dictam curã pertinent, at reſpectu illarum perſonarum tantum, quæ non eſſent de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia, per hanc verò Conſtitutionẽ videtur ampliatum in fauorem DD. Epiſcoporum; & ſic omnes Regulares ſubſunt Epiſcopis, dum curam animarum exercent, & hoc quocumque modo exerceant, ſiue inMonaſterijs, ſiue in beneficijs, vel quibuſuis alijs Eccleſijs, & tunc etiam ſubſunt Epiſcopis, licet non exerceant curam animarum, & ſe ingerant ſine facultate Ordinarij in Sacramentorum adminiſtratione. In quibus omnibus caſibus ſubſunt Regulares omnimodæ Iuriſdictioni Epiſcoporum, qui in his omnibus ſunt Sedis Apoſtolicæ delegati; fuit etiam per dictam Conſtitutionem ampliatum decretum Concilij, vt poſſint Epiſcopi viſitare, & examinare quoſcumq; exemptos. Ita idem Nouarius *loco ſupra*, qui citat Riccium *reſolut.* 276. *in praxi*, adducẽs inſuper deciſionem Rotæ *to.* 1.

11 *recentiorum*, quam tamen loco citato non inueni; Riccius vero dicit Equites Hieroſolymitanos eſſe ſubiectos Epiſcopis, dum exercent curam animarum mouetur ex diſpoſitione Cõcilij *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. vbi expreſsè cauetur, tam Regulares, quam ſæculares huiuſcemodi curã animarum exercẽtes ſubeſſe immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinẽt DD. Epiſcopis. Inſuper quia Epiſcopus dicitur Iudex competens tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus. Iuxta Concilium *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de Reformatione*, & Gregorius XIII. renocauit omnia priuilegia Religionis Hieroſolymitanæ, adducit etiam aliquas S. Congregationis declarationes hoc firmantes.

12 Quo ad viſitationem tamen dicta Conſtitutio ſolum procedit in illis Monaſterijs, in quibus verſatur cura animarum, adeſt circa hoc Bulla Clementis VIII. apud Rodericum *in Bullar. inter Bullas Clementis VIII. in principio*, & addit dictus Nouarius hoc etiam dicendum eſſe, quamuis Epiſcopi eſſent in poſſeſſione viſitandi. Vnde affert declarationem S. Congregationis directã Archiepiſcopo Genuenſi, qui prætendebat viſitare tabernaculum, in quo Sacramentum Euchariſtię ſeruabatur in EccleſijsRegularium, quæ eſt tenoris ſequentis: *Cum actum fuerit in Sacra Congregatione Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, an liceat amplitudini tuæ pergere in quaſi poſſeſſione Eccleſias Regularium viſitandi: Illuſtriſs. Patres perſpectis ſcripturis, huc ab amplitudine tua nõ ita pridem delatis cenſuerunt debere eam abſtinere ab huiuſmodi Monaſteriorum viſitatione atque Eccleſiarum Regularium exemptorum, quibus cura animarum ſæcularium non imminet. Itemque Monialium eiſdem Regularibus ſubiectarum in his, quæ ad ipſarum clauſuram non pertinent. Reliquum eſt, vt amplitudo tua Sacræ Congregationis reſponſo promptè, quod ſuis litteris pollicetur adhæreat, & diù valebit in Domino, quem illi propitium ex animo cupimus. Romæ* 26. *Ianuarij* 1619. Hæc declaratio etiam apud Peirinum habetur *tom.* 1. *Priuilegior. Minimorum ad Conſtitutionem* 2. *Sixti IV.* §. 10. *nu.* 18.

13 Quæres ſexto, an per dictam Conſtitutionem aliter poſſit puniri Regulares ab Epiſcopo, quam decernitur

tur in S. Concilio Triden.*ſeſſ.6.cap.5.*

Reſpondeo aliter poſſe puniri,&in diuerſis caſibus; nam ibi per Concilium poſſunt tantum Regulares puniri ab Ordinario, & Epiſcopo, dum degunt extra clauſtra,,& delinquunt, vel dum degũt intra,& extra notoriè, & cum ſcandalo delictum committunt, & tunc quando non ſunt puniti intra tempus præfixum ab Ordinarijs per proprios Prælatos, vt habetur etiam ex eodem Concilio *c.14.ſeſſ.25. de Regular.* & adeſt etiam circa hoc Conſtitutio Clementis VIII.per hanc verò Conſtitutionem *Inſcrutabili*, iam Regulares poſſunt puniri ab Epiſcopis, & Ordinarijs,dum curam animarum exercent ſi delinquant in tali cura, etiam in Monaſterijs,& circa perſonas intra ſepta degentes,puta circa famulos, & alios ſeruientes. Ita Nouarius *in Summ. Bullar. de exemptorum Priuilegijs*,qui refertMacer.*reſolut.18. libr.1.* Hæc tamen opinio non caret difficultate, tranſeat tamen. Vnde ſtando in ea videtur non poſſe ſubſiſtere ſententia Henriquez *lib.7.de Indulgentijs cap.25.numer.11.* aſſerentis Regulares non debere puniri ab Epiſcopo,ſi delinquant circa curam, ſed à ſuis Prælatis, & ſic etiam ruit Conſtitutio Leonis X. *26. loco poſita*. Vbi Regulares hanc curam exercentes, non erant puniendi ab Epiſcopis, ſed à Prælatis.

14 Inſuper per Trid. locis ſupra poterant tantum puniri Regulares in delictis notorijs,& ſcandaloſis,ſed modo per adductam Conſtitutionem poſſunt puniri in omnibus delictis, ſi ſint circa res,de quibus agit *quæſ.13.ſupra in calce Bullæ* adductum, & ſic reſpondit Sacra Congregatio.

15 Quæres ſeptimo, an per dictam Conſtitutionem aliquid ſit additum Trident.*ſeſſ.23.cap.15.* vbi de approbatione Epiſcopi requiſita ad confeſſiones agitur.

Reſpondeo,fuiſſe ex vi huius Conſtitutionis reſtrictam facultatem Regularibus audiendi confeſſiones, ſine approbatione Epiſcopi, ad hoc, vt Confeſſor ſiue ſæcularis, ſiue Regularis audiat confeſſiones Monialium, etiam ipſis Regularibus ſubiectarum, quod per Concilium non erat neceſſarium. Ita patet per verba Bullæ, & notat expreſsè Ioannes Antonius Nouarius *de exemptorum priuileg.in Summ. Bullar.* Immò aliqui putant nec præſentationem dicti confeſſoris faciendam eſſe à Prælatis Regularibus. Ita noſter Naldus *in Summ. verb.Moniales*, citatur à pluribus, ſed in mea ſumma non inueni locum in quo hicDoctor hoc aſſerat,quidquid tamen ſit, contrarium docent plures apud Tamburinum *de Iure Abbatiſſarum*,quem refertNouariùs *loco citato*, vt ſunt Zipæus *in Iure Pontificio nouo libr.3.num.3.*Polaccus *de Confeſſoribus Monialium*, & alij, mouentur ex quadam declaratione Sacræ Congregationis adducta à Zipæo, & ex praxi continua, qua ſolent ſemper Confeſſarij pro monialibus exemptis præſentari à Prælatis Ordinario loci, & hoc intellige non ſolum de Confeſſoribus Ordinarijs, ſed etiam extraordinarijs.

16 Quæres octauo, an ſtante dicta Cõſtitutione poſſint Regulares prædicare in locis publicis, vijs,& plateis ſine licentia Epiſcopi. Reſpondent poſſe Nouarius *in Summ. Bullar. de exemptor. Priuileg.* Miranda *in Manual.*

*tom.*1.*q.*50.*art.*4. Fundamentum eſt, quia ſolum habetur per dictam Conſtitutionem, & Concilium non poſſe in Eccleſijs ſuis, aut alienis prędicare ſine licentia, non autem alijs in locis, obſeruat tamen dictus Nouarius non poſſe Regulares his priuilegijs vti contradicente Epiſcopo, cum prædicare Dei verbum ſit proprium munus Epiſcoporum, atque ita ad minus ex igitur, ne Ordinarius contradicat, Rodriquez *tom.*3.*qq.*32.*art.*5.

17 Quæres nono, an dicta Conſtitutio habeat vim in Regnis Hiſpaniarum, Aliqui dicunt non habere vim, quia iuſſu Vrbani VIII. fuit ſuſpenſa pro illis Regnis, tempore, quo erat Nuncius Eminentiſſimus Sachetus 21. Aprilis 1625. teſte Ioanne Antonio Nouario *in Summ. Bullar. de exempt. priuilegijs*, & Patre D. Auguſtino de Bellis in ſua Allegatione multis in locis, quod maximè aduertendum eſt.

18 Quæres decimo, An Confeſſor Regularis, qui eſt ſcandaloſus, etiam ſi non delinquat circa pertinentia ad Sacramentorum adminiſtrationem, poſſit ſuſpendi ab Ordinario à Confeſſionibus. Reſpondeo affirmatiuè ex declaratione Sacræ Congregationis, teſte Ioanne Maria Nouario *in Lucerna Regularium, verb. Epiſcopis nu.*20. nam ea cauſa ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinet, & ſic ſubditur in hoc Epiſcopo.

19 Quæres vndecimo, An Regulares adminiſtratores bonorum Monaſterij virorum teneantur reddere rationem Epiſcopo. Negatiuè reſpondeo cum Lezana *verb. adminiſtratio, num.*2. Ioanne Maria Nouario *in Lucerna Regularium verb. adminiſtratio num.*2. quia ita declaratum fuiſſe per Sacram Congregationem Concilij interpretum.

Quid poſſint Epiſcopi, & Ordinarij in Regulares poſt aliquas Vrbani VIII. Conſtitutiones, & decreta. Dub. CCCXXII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Epiſcopus procedere in Regulares renuentes cantare in Choro hymnos reformatos ab Vrbano VIII.*

2 *Quid poſſit Epiſcopus in Regulares ex vi decreti S. Romanæ Inquiſitionis, quod incipit* Sanctiſſimus Dominus noſter *ſub Vrbano VIII.*

3 *Quæ nam ſint loca ſubiecta mediatè, vel immediatè Sedi Apoſtolicæ.*

4 *Quid poſſit Epiſcopus in Regulares ex vi Conſtitutionis Vrbani VIII. quæ incipit* Sacroſancta Tridentina Synodus *circa Imagines.*

5 *Verbum inſolitum quomodo accipitur à Doctoribus.*

1 Reſpondeo primo, ex vi Conſtitutionis *cum alias* editę ob reformationem hymnorũ 27. Aprilis 1643. poſſunt Epiſcopi, & locorum Ordinarij, tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ procedere in Regulares, qui contenta in dicta Conſtitutione non ſeruant. Ibi autem contenta ſunt, vt omnes Regulares teneantur recitare hymnos iuſſu Vrbani VIII. correctos exiſtentes in Vrbe, & in eius diſtrictu infra duos mẽſes à die datę Conſtitutionis, alij autem ſi citra montes ſint in-

intra octo menſes, ſi vltra intra duodecim, cuius Obſeruantiæ executionē demandat locorum ordinarijs, ſic dicens: *Quocirca dilectis filijs, noſtro in eadem Vrbe Vicario in ſpiritualibus Generali, ac locorum Ordinarijs per præſentes committimus, & mandamus, vt quo ad Vrbem, & eius diſtrictum huiuſmodi, Vicarius prædictus, quo vero ad reliqua loca Ordinarij in ſuæ iuriſdictioni ſubiectis quidem ſua ordinaria, in exemptis autē Apoſtolica auctoritate, tamquam noſtri, & Sedis Apoſtolicæ delegati eaſdem præſentes cum omnibus, & ſingulis contentis in illis ſolemniter publicantes faciant ad vnguem illa inuiolabiliter obſeruari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pænas Eccleſiaſticas aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, &c.* Poteſt ergo Epiſcopus tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus procedere in Regulares contrauenientes dictæ Conſtitutioni. Vnde Pellizzarius *in tract. de Monialibus cap.* 8. *num.* 65. *quær.* 47. docet poſſe Moniales ab Ordinario puniri, ſi in choro renuant recitare dictos hymnos iuſſu Vrbani VIII. correctos.

2 Secundo, Reſpondeo ex vi decreti ſub Vrbano facti S. Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis *die* 18. *Septembris* 1625. quod incipit *Sanctiſſimus Dominus noſter*, omnes degentes in ſtatu Sedi Apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiecto, qui libros à ſe cōpoſitos extra præfatum Statum tranſmittunt imprimendos ſine licentia Ordinarij, & Inquiſitoris, etiam ſi Regulares ſint, & etiam ſi ſint Societatis Ieſu, vt in pluribus decretis, & conſtitutionibus Pontificum, etiam includi dictos Religioſos Societatis tradit Iulius Cæſar Scotus in ſuo tractatu *de Poteſtate Pontificis in Societatē Ieſu*, in quo vir oſtenditur verſatiſſimus dictę Societatis conſtitutionum, & ordinum.

3 Sed quæret hic aliquis, quæ nam dicantur loca ſubiecta immediatè, vel mediatè Romanæ Eccleſiæ. Habe, ꝙ tradit doctus Duardus, *in Bullam Cænæ lib.* 2. *Canone* 20. *q.* 7. per hæc verba *in hac re quidam volunt, quod loca immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ, ſeu Romanæ Eccleſiæ dicuntur in quibus ipſa Sedes Apoſtolica ius dicit, & Magiſtratus ponit, vt ſunt omnes Ciuitate Romandiolæ, & Piceni, & aliæ ſimiles; loca verò mediatè ſubiecta ſunt Ciuitates in feudum conceſſæ. Secunda ſententia eſt Vgolini in explicatione huius Canonis, num.* 7. *quæ nobis magis vera videtur dicentis loca immediatè ſubiecta eſſe ſupradicta mediatè verò ſubiecta non dici in feudum conceſſa, quia iſta adhuc immediatè ſunt ſub Romana Eccleſia, cum eorum habeat dominium directum, & ſi vtile habeant feudatarij, ſed dicuntur illa, quæ reguntur, ac gubernantur à locis Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectis, vt ſunt oppida territorij Ariminenſis nempè mons Columbarum, Gemanum, Miſſarum, & reliqua Ariminenſi ciuitati ſubiecta, & ad quæ gubernanda Ciuitas ipſa Iudices, ac Magiſtratus mittit.* Hæc Duardus, ſed quæret aliquis quid dicendum ſi quis v. g. in Ducatu Parmenſi degens cōponeret librum, &c. iſte poſſet ne talem librum aliò mittere imprimendū. Reſpondeo eſſe pro vtraque parte opinionem, ſicuti eſt opinio pro vtraque parte an inuadentes dictum ſtatum incidant in pænas, & cenſuras *Bullæ Cænæ Canon* 20. contra inuadentes ſtatum Eccleſiæ mediatè, vel immediatè

mediatè ſubiectum Sedi Apoſtolicæ, Filliuccius in terminis dubium habet. *tom. 1. tract. 16. & vi de cenſuris in particulari cap. 3. numer. 66.* per hæc verba. *An autem eodem modo incurreret, qui idem ageret in terris ſubiectis Ducibus Parmenſi, & Vrbinati immediatè, Papa vero mediatè ob directum dominium dubitatio eſſe poteſt, & probabile eſt incurrere, tum quia talia loca dicuntur immediatè ſubiecta Eccleſiæ ratione directi dominij, &c.* probabilem tantum dicit hanc opinionem, idem ergo applicando dic in caſu poſito de libris, &c.

4 Tertio, Reſpondeo ex vi alterius Cõſtitutionis Vrbani Octaui, quę incipit *Sacroſancta Tridentina Synodus* 15. Martij 1642. Regulares pingentes, ſculpentes, vel ſculpi, aut pingi facientes imagines D.N.Ieſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, & Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarũ, aliorumque Sanctorum, & Sanctarũ quarumcumque, quæ ſint inſolitæ, & veſtitæ alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit, aut ſi pictę ſint cum habitu peculiari alicuius Religionis, &c. ſubduntur Ordinarijs locorum tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, & hęc Coſtitutio renouauit idem, quod in Tridentino pręcipitur, *ſeſſ. 25. de Purgatorio,* per illa verba, *ſtatuit Sancta Synodus nemini licere vllo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem niſi ab Epiſcopo approbata fuerit adhibitis in conſilio Theologis, &c.*

5 Et nota hic, quod ſi ly verbum *inſolitam* deberet ſumi in ea ſignificatione, qua ſumitur à Iuriſtis, ſicut res inſolita per aliquos dicitur, quæ mille annorum curſu euenit, vt per Bartholũ ad leg. *Serò*, §. *medico* in fine *ff. de annuis legatis* per alios, quæ quingentorum annorum, vt per Seraphinum *de priuileg.* 106. *num.* 5. Per alios, quæ centum annorum, vt per Corneum *conſ.* 23. Menochium *conſ.* 835. *num.* 9. *volum.* 9. per alios, quæ annorum quadraginta, vt per Soccinum, *conſ.* 123. *num.* 4. *lib.* 4. Ripam *de Peſte ſub rubric. de priuileg. contractuum ſub num.* 102. Bonacinam *de contractibus, diſput.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 3. *ſub num.* 13. per alios, quæ Iudicis arbitrio talis iudicatur, vt per eumdem ſupra relatum Menochium *de arbitr. Iudicum lib.* 2. *Centur.* 1. *caſ.* 180. Sic inſolita imago tunc deberet dici quando, vel poſt mille annos iterum pingeretur, ſculperetur, &c. vel poſt quingentos, &c. Sed verè puto, non debere nos in caſu poſito loqui de inſolitis imaginibus, ſicut de caſibus inſolitis, quia vt prudenti conſideranti patet malè poſſunt hi duo caſus adaptari, poſſet enim de nouo aliqua imago ita pingi, quæ nunquam fuerit picta, & tamen non dici inſolita ad effectum dictæ Conſtitutionis, inſolitam ergo imaginem, quam prohibent dicta Conſtitutio, & Tridentini puto eſſe illam, quæ parit videntibus ſcandalum, & non deuotionem, & pietatem, colligitur ex ipſo Tridentin. & Conſtitutione relata.

Quid

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares Monetarios poſt Conſtitutionem Vrbani VIII. quæ incipit *In Suprema*.
Dub. CCCXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio adducitur.*
2 *An Abbates exempti poſſint de hoc crimine cognoſcere.*

1 TAlis eſt Conſtitutio Vrbani VIII. in monetarios. *In ſuprema Paſtorali ſpecula meritis licet imparibus à domino conſtituti, vt noxia ab eius grege arcentes, eiuſdem ſalutari regimini proſpiciamus non ſine magno animi mærore videmus, eo noſtri temporis iniquitates eſſe progreſſas, vt ij quibus onus incumberet pacem euangelizandi, & charitate proximũ proſequẽdi, ſuæ vocationis immemores, à cupiditate uertice abrepti adulterinæ monetæ crimen perpetrare, ſiuè perpetrãtibus opem præſtare non erubeſcant, nec reformident. Quare Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones deſuper editas innouantes, extendentes, & ampliantes, huiuſmodi perditorum hominum, quos ſuæ exiſtimationis conſideratio in officio non continet condigna pænarum ſeueritate temerarios, & nefarios auſus intendere coercemus.*

Primo, Cum itaq. fælix. rec. Pius Papa V. Prædeceſſor noſter attendens, quod licet monetarum aurearum tonſoribus de iure vltimi ſupplicij eſſet inflicta pęna argenteas tñ monetas tondentibus ſatis minor erat impoſitã, omnes eos, qui argenteas tonderent, vltimi ſupplicij, & eadem, qua aurearum tonſores, eatenus puniti fuerant, & de iure puniri debebant, pænæ puniendos, eſſe ſtatuerit, prout in cedula motu proprio, manu eiuſdem Pij Prædeceſſoris ſubſcripta plenius continetur.

Secundo, nos motu proprio ac ex certa ſcientia, meraq. deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione ſtatutum, voluntatem, & mandatum Pij Prædeceſſoris præfati tenore pręſentium, approbamus, confirmamus, & innouamus, ac ad omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, etiam quomodolibet exemptas, tam ſæculares, quam cuiuſuis Ordinis Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam de neceſſitate exprimendi, nec non militiarum quarumcumq. etiam Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, Regulares non ſolum in ſtato Eccleſiaſtico, mediatè, vel immediatè, nobis, & Sedi Apoſtolicæ ſubiecto, ſed etiam in omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, & Locis, in Italia dumtaxat exiſtentib. qui aureas, vel argenteas monetas, tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, ſeu etiam quomodolibet adulteratas ſcienter erogare, aut expendere præſumpſerint, extendimus, & ampliamus. Volentes *vt culpabiles in præmiſſis reperti, prænia degradatione Curiæ ſæculari puniendi tradantur. Pecunias vero ſic, vt præfertur, adulteratas ſcienter detinentibus, ſeu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, inſtrumenta, ſiue opem ad præmiſſa præſtantibus pænam triremium per decennium imponimus. Et cognitionem cauſarum huiuſmodi quo ad perſonas Eccleſiaſticas præfatas, tam Sæculares, quam Regula-*

gulares in Prouincijs nobis, & Sedi præfatæ ſubiectis ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in eiſdem Prouincijs de latere Legatos,& Prolegatos pro tēpore exiſtentes, in aliis verò omnibus, & ſingulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & Locis, tam ſub noſtra,& dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis ditione, in Italia tantum comprehenſis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religioſorum,ipſiſq. Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum ſpectare etiam volumus. Mandantes propterea Venerabilib. Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſingulis videlicet in ſuis Ciuit.& Diæceſ.& quo ad loca intra fines alicuius Diæceſis non tamen dè Diæceſis exiſtentia ipſarum Diæceſum intra quorum fines eadem loca extiterint; quo verò ad ea quæ extra fines alicuius Diæceſis conſiſtūt, viciniorib. eorumdem locorum Ordinarijs, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis Fiſci, vel etiam cuiuſuis denunciatoris cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, præuia et iam auocatione à quibuſuis alijs,in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis,inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit brachij ſæcularis auxilio.

Tertio,inhibentes inſuper,tam Decanis & Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumuis Ordinum, & locorum Regularium,Societatum,& Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis, præfatorum Superiorib. Conuentib. & Fratribus, quantumuis exemptis, ne ſub priuatione beneficiorum, & Officiorum per eos reſpectiuè obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda vociſq. actiuæ, & paſſiuæ, nec non excommunicationis latæ ſententiæ, eo ipſo incurrendis pœnis, Legatos,& Prolegatos, ac Ordinarios locorum, vt præfertur procedentes, quoquo modo impedire, moleſtare, aut perturbare audeant, vel præſumant. Ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requiſiti Religioſos ipſos, etiam ſi Superiores alicuius loci Regularis actu fuerint, ipſis Legatis, Prolegatis, & Ordinarijs, vel alijs, quibus ijdem Legati, Prolegati, & Ordinarij mandauerint conſignent,cum ſcripturis, & actis, ſi quæ facta fuiſſe reperiantur.

Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios,delegatos, & Commiſſarios, & etiam Cameræ prædictæ Clericos, Præſidentes, nec non cauſarum Palatij Apoſtolici,& Curiæ eiuſdē Cameræ Generalem Auditorem ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiā de Latere Legatos, nec non Vicecamerarium,iudicari, & definiri, ac interpretari debere,ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate,& auctoritate Ac irritum,& inane quid quid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate,ſcienter vel ignoranter contigerit attentari,decernimus.

Quinto, Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Militiarū, Hoſpitalium,etiam S. Ioannis præfatorum, & aliorum Religioſorum, ac piorum locorum, etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis,ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis,& literis Apoſtolicis eiuſdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris,Oppidis,Locis,Eccleſijs, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & Militijs etiam S. Ioannis, vt præfertur,& alijs Religioſis, & pijs locis,Vniuerſitatibus; Capitulis,Superioribus,& perſonis in contrarium quomodo

modolibet conceſſis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis, etiam de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes, mẽtio, ſeu quęuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererent, præſentibus pro expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad effectum præſentium dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Sexto, Volumus autem, quod præſentes in Valuis Eccleſiæ, Lateran. & Baſilicæ, Principis Apoſtolorum de Vrbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicentur, & affigãtur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, poſt duos Menſes a die publicationis huiuſmodi computandos, quoſcumque tam in Statu noſtro, quam extra eum vbique locorum in Italia tamen exiſtentes, perinde arctẽt, afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quodque earum exemplis etiam impreſſis Manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ iiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Septimo, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innouationis, extenſionis, ampliationis, impoſitionis, voluntatum, derogationis, mandatorum, & decreti, noſtrorum infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, eius ſe nouerit incurſurum, Datum: Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1627. idib. Nouembris Põtificatus Noſtri Anno quinto. E. Dat. Ioſeph Anſelmus. Viſa de Curia. A. Hurandus G. Montanus. Anno a Natiuitate D.N. Ieſu Chriſti 1628. Indictione vndecima, die vero 28. Menſis Ianuarij Pontificatus S. D. N. D. Vrbani Diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno eius V. Retroſcripta litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateran. & Principis Apoſtolorum de Vrbe. Cancellariæ Apoſt. & in acieCampi Floræ dimiſſis ibid. præſentibus litteris, per aliquod temporis ſpatium appenſis, & deinde amotis, vt moris eſt, per nos Auguſtinum de Bolis Romanum, & Brandimartem Latinos Apoſtolicos Curſores.

Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares monetarios cap. *Quo ad delicta* ſupra in hoc tractatu iam dictum eſt: Vnde ad maiorem huius Bullę intelligentiam vide Ioannem Antonium Nouarium *parte 1. in Summ. Bullar. de Monetarijs*, vbi multas ampliationes, & limitationes ſuper hanc conſtitutionem adducit, quas omnes, cum communes ſint omnibus monetarijs ſiue Sæcularibus Clericis, ſiue Regularibus, hic ommiſi adducere ne a propoſita materia diſcederem; Aduertit ſolum, & eſt ad rem noſtram Nouarius *ſuper hanc Conſtitutionem num. 23.*

2 Abbates exemptos ſecũdum aliquos, & pręcipue Donat. Anton. de Marinis *quæſt. 57. num. 6.* poſſe cognoſcere de hoc crimine, & ratio eſt, quia nullibi in hac Conſtitutione legitur prohibitio quo ad Abbates exemptos, ſicuti quo ad ſuperiores Regulares; hoc tamen intellige, dum Epiſcopi negligunt punire, & procedere

in

in huiuſmodi criminoſos ; nam expreſsè habetur in conſtitutione, Ordinarios illarum diæceſum intra quorũ fines exiſtit locus exemptus, ſcilicet proximiores debere procedere etiam in ſubiectos dictorum locorum; & ſic videtur ablata facultas Abbati etiam exempto cognoſcendi de hoc delicto, Idem puto dicendum de Abbate exẽpto, qui nullius eſt diæceſis, & habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, hic enim non poteſt cognoſcere de hoc crimine, contra eum faciunt verba Conſtitutionis, dum ibi dicitur, *Quo verò ad ea, quæ extra fines alicuius diæceſis conſiſtunt vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs*, & cæt. Ecce quomodo ſemper Epiſcopis hoc demandatur licet poſſet aliquis affirmare tunc Epiſcopum viciniorem de hac cauſa poſſe cognoſcere, etiam reſpectu loci qui extra fines cuiuslibet Diœceſis eſt quando in tali loco Ordinarius non adeſt habens quaſi Epiſcopalem dignitatem; nam vt ſæpius diximus in hoc tractatu, non ſolum Epiſcopi veniunt nomine Ordinarij, ſed alij etiam Superiores, & Prælati.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares per Conſtitutiones, & Clementis VIII. & Pauli V. Quarum prima incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, Ann. 1602. altera eodem modo 1605. Dub. CCCXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarij non ſolum poſſunt, ſed tenentur inquirere de numero Religioſorum qui ad profeſſionẽ admittuntur.*

2 *Authoris opinio.*

3 *Numerum Monialium inquirere poſſunt Epiſcopi.*

4 *Regulares, qui de nouo recipiunt monaſteria, in quibus duodecim Religioſi viuere nequeunt, ſubduntur Ordinario, & quomodo.*

5 *Quando de nouo admittuntur Regulares in aliquo loco, debent vocari etiam illi Regulares, qui degunt extra ciuitatem, & locum per quatuor millia paſſuum.*

1 IOannes Antonius Nouarius Doctor. Laudet quidem non communi dignus *in Summ Bullar. parte 1. de Regularium numero* ex his conſtitutionibus colligit Ordinarios non ſolũ poſſe ſed teneri inquirere, ne Regulares excedant in receptione numerum Religioſorum, quos ex redditibus, vel conſuetis eleemoſynis poſſunt monaſteria ſuſtentare, & dicit ſic dicendũ per Verba, quæ ſunt apposita in dictis Conſtitutionibus ſcilicet, *ſuper quo Ordinariorum conſcientiam oneramus*, quæ tamen verba tantum in decreto Clement. VIII. inuenio, non verò in conſtitutione Pauli V. Ampliat dictum Nouarius, vt procedat etiam in Monialibus, quæ non debent reponi in Monaſterijs vltra numerum ſolitum virtute S. C. Trident. *Seſſ. 25. cap. 3. de Regul.* & virtute etiam Bullæ Pij V. quæ incipit *Paſtoralis Officij* 1566. & hoc non ſolum in monaſterijs ſubiectis eiſdem Epiſcopis, & Ordinarijs; ſed etiam in exemptis, Vt Zerola in praxi Epiſcopor. *parte 2. cap. 3. nu. 55.* Barboſa *de Officio & Poteſtate Epiſcopi parte 3. Allegat. 98. num. 3.* & alij communiter clare habetur per conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit

pit *Deo Sacris*, Ita Nonarius citatus qui abſolutè loqui videtur tam de numero Regularium virorum, quam de Monialibus: Barboſa etiam videtur abſolutè idem docere dum dictæ allegationi citatę 98. *parte* 3. ponit titulum, *Epiſcopus an poſſi numerum Religioſorum vel; Monialium in quolibet monaſterio conſtituere*, Quo tamen non obſtante

2 Dico Quo ad Regulares viros iam nequeunt Epiſcopi inquirere de numero Religioſorum, nec ſe ingerere hoc quod tot, & non plures recipiantur. Quo ad Moniales verò ſiue exemptas ſiue non bene hoc poſſunt; immo debent inuigilare, ne plures recipiantur, quam redditibus vel eleemoſynis conſuetis ſuſtentari valeant prima pars probatur. Quia illa verba, quæ teſtatur Ioannes Antonius Nouarius eſſe in conſtitutionibus relatis Clementis VIII. & Pauli. V. ſcilicet, *ſuper quo Ordinarium conſcientiam oneramus*, non ſunt poſita vt legenti patet niſi in decreto Clementis VIII. §. 15. nec tale præceptum imponitur Ordinarijs: circa numerum recipiendorum, ſed ne quempiam Nouitium approbent, vel admitti permittant qui non ſit id idoneus & cęt. Quod tamem decretum iam reuocatũ fuit, Vnde nec approbare poſsũt Epiſcopi Nouitios nec eos examinare & cæt. vt dixi cap. *Quo ad Nouitios*, & ita tenent viri doctiſſimi quos conſului viua voce. Secunda verò pars Quo ad Moniales probatum tum per Conſtitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Deo Sacris* per hæc verba, *Eleemoſynarum vero prædictarum contributionem durare, & valere decernimus, ac ſuos effectus ad plenum ſortiri debere donec numerus Monialium etiam Tertiarum huiuſmodi, quem per ipſos locorum Ordinarios etiam in Monaſterijs ab earum cura, & regimine quomodocumque exemptis cum illarum ſuperioris interuentu &c.* Tum etiam per Ordinationem Sacra Congregationis Regularium quam teſtãtur adeſſe Campanilis *rub.* 12. *cap.* 16. *num.* 7. & Barboſa *de poteſtate Epiſcopi parte* 3. *numer.* 4. qui illam ad verbum refert.

3 Verum quidem eſt poſt Vrbani VIII. Conſtitutione, *de Celebratione Miſſarum*, Regulares, qui de nouo recipiunt monaſteria in quibus duodecim Religioſi viuere nequeunt ob defectum vel reddituum, vel eleemoſynarum iam ſubdi Epiſcopis hæc tamen ſubiectio non eſt quo ad Regularem obſeruantiam, ſed quo ad Eccleſiaſticam diſciplinam, vt præcipuè habet celebris Lezana in Sum. Verb. *Monaſteria* quod eſt maxime aduertẽdum, nam per verba Conſtitutionis maior facultas videtur Ordinarijs tributa, *omnimodæ iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelliguntur*, Quibus tamen non obſtantibus puto nec per talia verba ita ſubdi Regulares in caſu poſito Epiſcopis ſicuti ante exemptionem ſubdebantur quidquid aliqui ſentiant viua voce, nam ante exemptionem attento iure communi vt obſeruat, Barboſa, *Alleg.* 105. 3. *parte de Officio Epiſcopi* ita erant ſubiecti Regulares Epiſcopis vti Epiſcopi veluti Generales Monachorum ad profeſſionem admittere, & ab ea repellere poſſent; Quod tamen modo quis audebit dicere, etiam ſi ob defectum numeri ſubdantur Regulares Epiſcopis per Conſtitutionem Vrbani *de Celebratione Miſſarum*?

Scias hic tamen excipi ab hac iuriſdi-

riſdictione & ſubiectione nec comprehendi dictaConſtitutione,quo ad hanc ſubiectionem dum duodecim numero non ſunt Religioſi Beati Ioannis Dei, per eundem Vrbanum
4 VIII. Nota hic obiter & aduerte, quod non aduerti ponere, *cap. 1. quo ad Monaſteriorum ædificationem* quando de nouo introducuntur in aliqua ciuitate Regulares debere vocari non ſolum alios Regulares degẽtes intra dictam ciuitatem; ſed etiam illos,qui degunt extra per quatuor millia paſſuũ, habetur expreſſe per Cõſtitutionẽ Gregorij XV. quę incipit *Cũ Alias* §.3. per hæc verba:*ac Priores ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum, ſeu domorum aliarum religionũ vel congregationum &c. non ſolum in prædictis, ſed, etiam in alijs per quatuor millia paſſuum circumuicinis locis ad id vocati,& auditi fuerint.*

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares. Aſtrogolos per Conſtitutionem Vrbani VIII. quę incipit *Inſcrutabilis*.
Dub. CCCXXV.

SVMMARIVM.

1 *Refertur Conſtitutio.*
2 *Vbi ſunt Nuncij, & Legati Summi Pontificis, non poſſunt Epiſcopi cognoſcere de hoc delicto reſpectu Regularium.*
3 *Quando tranſgreſſores huius Cõſtitutionis debeant denunciari Iudicibus in ea deſignatis.*
4 *Per dictam Conſtitutionem fuit innouata Conſtitutio Sixti V. & aliquid additum.*
5 *An Aſtrologi, qui futura libera prædicunt inclinatiuè, & cat. peccent.*
6 *Referuntur authores, qui agunt de diuinationibus, ſortilegijs, veneficijs, & ſimilibus.*

1 HAbes Conſtitutionem Vrbani VIII. contra omnes Aſtrologos tenoris ſequentis.

Inſcrutabilis iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroſo corporis carcere conſtrictus ſuper aſtra ſe extollens arcana in ſinu diuino recondita, & ipſis beatiſſimis ſpiritibus ignota, nefaria curioſitate non ſolum explorare, ſed etiam tanquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum, arroganti, & pernicioſo exemplo venditare præſumat.

Primo, Hinc eſt, vt quamuis ciuilibus canonicisque ſanctionibus, ac Nouiſſimè fel. rec. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutione de ſuper edita, Aſtrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum, qui euentura diuinare, ſeu prædicere audent, quoſque vti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimauit, illorum potiſſimum, qui de Summa Reip. vel Principis ſalute iudicia ferre præſumerent ars, profeſſio, ſiue exercitium grauibus pœnis inhibita eſſe noſcantur. Attamen ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ puſillitatis obliti, ac lenitate forſan, vel conniuentia audentiores facti, vanamque fatidicorum ęſtimationem aucupantes in deplorandam animarum ſuarum perditionem, graueque Chriſti Fidelium Scandalum etiam de Reip. & Principum incolumitate illis ſolicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occaſionem ea ratione inferre ſatagentes, pro-

prognoſtica, & prædictiones verbo, vel etiam ſcripto edere non erubeſcant.

Secundo, Nos itaque pernicioſis huiuſmodi auſibus, quantum nobis ex alto conceditur obuiam ire, ac quos Dei reſpectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & ſeuerioris diſciplinæ fræno coercere volentes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac Matura deliberatione noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtiutionem per præfatum Sixtum Prædeceſſorem de ſuper, vt prefertur editam, Apoſtolica auctoritate tenore prrſentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.

Tertio, Et inſuper omnibus, & quibuſcumque Laicis cuiuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſiue de Vita aut Morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè Conſanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruſpice, Vaticinatoreſue nuncupatos, vel alios Aſtrologiam iudiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes de cætero conſuluerint, ſiue de ſuper eorum iudicia, prognoſtica prædictiones, ſeu præcognitiones etiam ſibi oblatas, receperint, illiſue quomodolibet vſi fuerint, vel illas penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint, nec non ijſdem Mathematicis, Arielis, Aruſpicibus, Vaticinatoribus, ſiue alijs Aſtrologiam iudiciaram ſeu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentibus, qui iudicia, prognoſtica, ſeu praeognitiones, & prodictiones ſuper præmiſſis, etiam ſi id non certo ſe affirmare proteſtentur fecerint, ſiue a ſe vel ab alijs iam facta, ſeu factas impoſterum, penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint ſeu oſtenderint, aut de eis, quouis modo etiam improbando, ſcripto vel verbis tractauerint, ne dum excomunicationis maioris latæ ſententiæ, ſed etiam vti leſæ Maieſtatis reis, vltimi ſupplicij, ac Confiſcationis omnium bonorum ſuorum, etiam Romanæ curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcumque Ciuitatum, caſtrorum, & locorum iuriſdictionalium, & fæudalium.

Quarto Clericis, quoque & Præsbyteris, alijſque perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus, quam cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis ſeu Inſtituti, vel militiarum quarumcumque etiam Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, alijſque quomodolibet exemptis ac nobis & Apoſtolicæ, Sedis immediate ſubiectis, Regularibus vtriuſque ſexus, vltra prædictos, etiam priuationes beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum, etiam Monaſteriorum, Prioratum, & Præceptoriatum, ac aliorum quorumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa impoſterum obtinenda, ita quod perſonæ Eccleſiaſticæ præuia illarum degradatione, curiæ Seculari tradatur puniendæ; in Epiſcopali verò, Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam Superiori Eccleſiaſtica vel Mundana, quantumuis ſublimi, excellenti, & ſpeciali nota digna; etiam Suprema, conſtitutis dignitate eaſdem excommunicationis, ac priuationis, etiam Regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum, quantumuis ampliſſimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum ſuorum, & inhabilitatis,

pœnas ipſo facto incurrendas apoſtolica auctoritate tenore præſentium infligimus, & imponimus.

Quinto, Cognitionem autem cauſarum huiuſmodi quo ad perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares quam Regulares in vrbe noſtra, & illius diſtrictu ad dilectos filios noſtrum in eis Vicarium in Spiritualibus generalem, nec non eiuſdem Vrbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorē generalē, & eorū quemlibet in ſolidū; extra verò Vrbem, & diſtrictum prædictum, in Prouincijs nobis, & Apoſtolicæ Sedi Subiectis ad S. R. E. Cardinales in eiſdem Prouincijs de Latere Legatos, & Prælegatos, ac Præſides in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos pro tempore exiſtentes, in alijs verò omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis tam ſub noſtra, & dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis, ditione comprehenſis, priuatiuè quo ad omnes, etiam Superiores Religioſorum ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum, vbilibet vero locorum etiam ad hereticæ prauitatis Inquiſitores ſpectare volumus.

Sexto, Mandantes dilectis filijs noſtris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præſidibus prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus, nec non Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis videlicet in ſuis Ciuitate, & Diœceſi, & quo ad loca intra fines alicuius diœceſis, non tamen de diœceſi exiſtentia ipſarum diœceſum intra quam fines eadem loca extiterint, quo vero adea quæ extra fines, alicuius diœceſis conſiſtunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquiſitoribus prædictis, quateuus ad inſtantiam cuiuſuis Fiſci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, præuia etiam auocatione a quibuſuis alijs ſupra non expreſſis, nec a nobis ſpecialiter delegatis in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis inuocato etiam auxilio brachij Sæcularis.

Septimo, Inhibentes inſuper Decanis, & Capitulis Eccleſiarum Cathedralium Metrapolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumuis Ordinum & locorum Regularium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis, prædictorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumuis exemptis, ne ſub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcumque per eos reſpectiuè obtētorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, nec non excomunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, nec non Legatos ſeu Vicelegatos, alioſque prædictos in cauſis huiuſmodi procedentes, quoquomodo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant vel præſumant, ac etiam Mandantes, vt quoties ad id fuerint requiſiti Religioſos ipſos, etiam ſi alicuius loci Regularis Superiores actu fuerint Ordinarijs Lagatis ſeu Vice Legatis, ac alijs prædictis, ſeu quibus ijſdem mandauerint conſignent cum Scriptis, & actis, ſi quæ facta fuiſſe reperiantur.

Octauo, Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Iudices Ordinarios delegatos, & Commiſſarios, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos Præſidentes, nec non cauſarum Palatij Apoſtolici, & curiæ eiuſdem Cameræ Generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios

Cardi-

Cardinales etiam de Latere Legatos, nec non Vicecamerarium, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Nono, Non obſtantibus Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non noſtra in numero Septuageſima, & alijs Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Militiarum, Hoſpitalium etiam Sancti Ioannis prædictorum, aliorumque Religioſorum, & piorum locorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis, eiſdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Eccleſiis, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & Militijs prædictis, & alijs pijs locis, ac illorum vniuerſitatibus Capitulis Superioribus, & perſonis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores ac ſi de verbo ad verbum inſererētur, præſentibus pro expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe harum ſerie derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Decimo, Volumus autem quod præſentes Litteræ in valuis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec nō in acie Campi Floræ publicentur & affigantur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, quoſcumque tam in ſtatu noſtro temporali quam extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Vndecimo, Quodque earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Duodecimo, Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, Innouationis, inflictionis, impoſitionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtoli eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1631. Cal. Aprilis. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

2 Iam habes ex hac Conſtitutione claro quomodo, & quando procedere poſſint Ordinarij, & Epiſcopi in Regulares, dum violant decreta poſitæ Conſtitutionis, tantum ergo quis dubitare poſſet, an in locis in quibus ſunt Legati, & Nuncij Pontificis, Epiſcopi poſſint de his cauſis cognoſcere. Reſpondetur non poſſe, clare patet ex verbis ipſis Cõſtitutionis, & tradit id expreſſe Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullarum de Aſtrologia Iudiciaria*.

3 Item dubitabis an tranſgreſſores

huius Conſtitutionis ſint denũciandi iudicibus in ea deſignatis, & hoc etiã ſi vnus id ſciat, habe hic ad verbum, quod reſpondet Ioannes Antonius Nouarius, *in Summ. Bullarum de Aſtrologia Iudiciaria numer.* 2. ait ergo ſic, *Trangreſſores huiuſmodi Conſtitutionis denunciari debent iudicibus in ea deſignatis, etiam ſi vnus tantum id ſciat, ſi tales ſint pertinaces iuxta notata per Toletum in Summ. lib.* 4. *cap.* 5. *alioquin ſi ſpes emendæ credatur prius erunt fraterna correctione admonendi cum enim præceptum correctionis fraternæ quando adeſt ſpes probabilis lucrandi fratrem ſit iuris Diuini, non eſt cur non obliget in hoc caſu, tum etiam in caſu hæreſis dicatur obligare non obſtantibus edictis Inquiſitorum*; Ità Nouarius, quæ opinio mihi placet licet in caſu hæreſis denunciationem ſtatim putem faciendam.

4 Quæres, an per dictam Conſtitutionem innouata ſit Bulla *Sixti V. de Aſtrologia iudiciaria*, Reſpondeo fuiſſe iunouatam, Ità Ioannes Antonius Nouarius *in Summ. Bullar. parte* 1. *numer.* 10. *de Aſtrologia iuduciaria*, tantum qui additum fuit contra illos Aſtrologos qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vita Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum iudicia facere; nec non eos, qui illos deſuper conſulere præſumpſerint; Item per Conſtitutionem Sixti V. non ſubdebantur Regulares hanc Aſtrologiam, & ſimiles diuinationes exercentes, Epiſcopis, & locorum Ordinarij, ſicuti modo ſubduntur per poſitam Conſtitutionem Vrbani VIII. ſed aduerte ſubdi tunc tantum dum has diuinationes faciunt circà obiecta poſita in Bulla.

5 Nota hic etiam, quod licet, & ex natura rei Aſtrologi qui futura prædicunt demonſtratiuè, præſumptiuè, ſeù inclinatiuè, non verò per modum neceſſitatis, non peccent, nec de iure communi ſubiaceant pænis attamen modo, & per Bullam Sixti V. & poſitam Vrbani VIII. peccant, & multis pęnis afficiuntur. Ita. Farinacius, *de Delictis, & pænis quæſt.* 20. *in praxi, & Theoric. Criminal. Decima ſexta Concluſione verſ. ſi vero*, & eſt communis, quod debet ampliari vt in vtroque foro, & interiori, & exteriori peccent, Sanchez, *in Summ. cap.* 38. *numer.* 34. contrarium tamen docent quo ad forum internum Suarez, *lib.* 2 *de Religione de Superſtitione capit.* 11. *numer.* 30. Martinus del Rio, *Diſquiſition. Magic. libr.* 4. *capit.* 2. *quæſt.* 3. apud Ioannem Antonium Nouarium, *in Summ. Bullar. De Aſtrologia Iudiciaria*.

6 Si autem ſcire cupis quæ dicantur Diuinationes illicitæ, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, chiromantię, necromantiæ, geomantiæ, & hidromantiæ Vide Naldum, verb. *Superſtitio*, Farinacium, *in praxi de Delictis, & pænis quæſt.* 20. *n.* 73. Compendium operum Bonacinæ compoſitum a Ioannes Antonio Nouario; hic enim ſi expreſſe de hoc ageremus, eſſet a propoſita materia declinare..

QVO

QVO AD MONIALES. *Cap. XXIII.*

An Regulares poſſint ſine facultate Summi Pontificis ſubdere Ordinario Moniales ſibi ſubditas.
Dub. CCCXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium nequit renunciari niſi coram Superiori, qui dedit.*

2 *Verba aliqua capitis* cum tempore de arbitr. *referuntur.*

3 *Non poteſt Prælatus ſubdere ſuum ſubditum in foro contentioſo Ordinario.*

4 *Authoris ratio peculiaris pro parte negatiua, quam tuetur.*

5 *Quare poſſit Prælatus dimittere in manibus Ordinarij Monaſterium, dum delinquitur, & non regimen Monialium ſubditarum.*

6 *Quare Regulares poſſint ſuos ſubditos Epiſcopo ſubmittere pro abſolutione obtinenda, & non poſſit in caſu poſito, variæ rationes adducuntur.*

7 *Quando nam priuilegium poſſit à priuilegiato renunciari remiſſiuè tamen.*

8 *Peccant lethaliter Moniales, ſi renuant ſubdi Ordinario, dum ex mandato Summi Pontificis debent Ordinario ſubdi.*

1 HAbet dubium in terminis Portel. 1. p. *Caſuū caſ.* 12. & negatiuè reſpondet, docteque probat. Primo ſic, quia illa ſubiectio ſubſtantialiter, & in rigore eſt renunciatio priuilegij, ſeu exemptionis illius Conuentus Monialium, quod priuilegium eſt datum à Sede Apoſtolica, ſed beneficium nequit renūciari, niſi coram Superiori à quo fuit receptum. Ergò minor habetur ex cap. *admonet de renunciation. & cap. denique 6. quæſt. 3. & cap. Abbas 18. quæſt. 2.* quod adeo verum eſt dicit Portel. vt ſi ipſe Summus Pontifex ſuam velit renunciare dignitatem debeat hoc facere coram Cardinalibus tamquam coram teſtibus, qui videant ipſum Deo renunciare.

2 Secundo, valde confirmatur hæc ſententia, ex cap. *cum tempore de Arbitris*, vbi Pontifex approbans quoddam compromiſſum inter Eccleſiam exemptam, cum quodam Epiſcopo, excipit quæ contra illius Eccleſiæ libertatem continentur, & dat rationem, ſic dicens, *cum, & ſi ſponte volueris de iure tamen nequiueris ſine licentia Romani Pontificis renunciare priuilegijs, vel indulgentijs libertatis, quæ Monaſterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere.* Ecce quomodo priuilegiatus, & exemptus nequit ſine licentia Summi Pontificis ſuo iuri renunciare. Ergò ſic in caſu

3 noſtro. Tertio omnes Doctores docent non poſſe Prælatum ſubdere ſuum ſubditum Ordinario, & Epiſcopo in foro externo, & contentioſo, ſed ſic res ſe haberet, ſi ſubderet Moniales ſibi ſubditas Epiſcopo ergo. Quarto, per Summū Pontificē auffertur in perpetuum ab omnibus Ordinarijs iuriſdictio gubernādi vniuerſaliter Moniales exēptas, ergò cū iuriſdictio ſemel extincta nequeat reuiuiſcere, niſi renouetur denuò ab eo, qui

eam abſtulit ſequitur: quod nequeat hæc iuriſdictio in Moniales exemptas iterum Epiſcopo competere ſine facultate Summi Pontificis, &c. Alias ibi rationes adducit Portel. quas breuitatis cauſa omitto. Ego vero hac

4 præcipuè ratione vterer ad confirmandam hanc ſententiam, quæ non adducitur à dicto Portel. Priuilegium exemptionis Monialium exemptarū ſicuti, & aliorum Regularium non ſolum eſt datum in fauorem dictorum exemptorum; ſed quod maximè aduertendum eſt ipſiuſmet Summi Pontificis concedentis, ergo nequeunt Regulares hoc priuilegium exemptionis, quod habent Moniales in præiudicium Summi Pontificis.

5 Obij. primo, Generalis Ordinis poteſt dimittere Ordinario aliquod Monaſterium, ſeu Conuentum, v. g. locum inſalubrem, vel incommodum, Ergo ſic à pari poterit Ordinario cōmittere, & ſubdere ob aliquas cauſas.

Reſpondeo. Concedo antecedens, quod clarè debet admitti ob priuilegium, quod habent Regulares, de quo dixi *cap. Quo ad ædificationem Monaſteriorum*, attamen nego conſequentiam; & ratio eſt clara, nam quando Generalis, vel Religio dimittit Conuentum in caſu ſupraadducto dimittit parietes, ſaxa, non vero Fratres, quos non poteſt ſubdere Ordinario.

6 Obij. ſecundo, Prælati Regulares poſſunt ſubijcere ſuos ſubditos Epiſcopo pro abſolutione obtinenda, & tamen ſunt priuilegiati, Ergo ſic etiam in caſu noſtro.

Reſpondeo primo, Iam dixi non poſſe ſubdere pro foro externo, & contentioſo. Secundo, Tredecim ſunt Doctores relati à Sanchez *c. 39. lib. 4. in Decalog. num. 29.* qui vt notat citatus Portel. negant hoc poſſe fieri à Prælatis, nec etiam pro foro interno. Sed tranſeat hoc, vti alibi à nobis conceditur; attamen nego conſequentiam, nam dum Prælatus Regularis ſubdit ſuum ſubditum Epiſcopo pro abſolutione in foro interno tantum in hoc non abdicat à ſe iuriſdictionem ſpirituale in totum, ſed pro vna, vel altera vice, nec facit hoc ad ſemper, ſicuti Regulares, qui priuilegiati ne accedant ad proceſſiones, dū tamen accedunt per aliquot vices, nō per hoc cenſentur renūciare ſuo priuilegio, vt dicunt Doctores. At dum ſubdit Moniales pro regimine abdicat à ſe iuriſdictionem in foro non ſolum interno, ſed etiam externo, quod nequit fieri ſine conſenſu Summi Pontificis.

7 Quod ſi inſtes tertio. Quiſquis poteſt ſibi priuilegio conceſſo renunciare. Reſpondeo primo. Quando priuilegium eſt conceſſum propter ſtatum priuilegiati, falſa eſt propoſitio; vt patet de Clerico, qui non poteſt renunciare priuilegio fori, nec etiam Canonis, quod eſt conceſſum in honorem ſtatus. Secundo, Hoc non eſt priuilegium conceſſum ſolum Regularibus viris, ſed etiam Monialibus. Tertio, Poteſt quis ſuo priuilegio renunciare, at in manibus concedentis priuilegium, qui poteſt illam renunciationem acceptare.

8 Sed quęret quis hic obiter, quidquid dicendum eſt, ſi Moniales ipſæ ſubditæ Regularibus renuant, etiam dum adeſt commiſſio Summi Pontificis ſubdi Ordinario, peccant tūc lethaliter. Caſum in terminis habet Homobonus *part. 3. reſp. 32. ſuper vitia capitularia,*

laria, quem breuiter ſuo more reſoluit, ſed doctè dicens peccare lethaliter, & ratio eſt, quia omnes Regulares, tam viri, quam fœminæ Summo Pontifici obedientiam præſtare tenentur, & non ſolum obligatione illa generali, qua omnes alij fideles, ſed etiam ſpeciali ob votum, quo ſe Pontifici tanquam ſupremo illorum capiti, & omnium Religioni Generali ſubduntur. ergò

An Epiſcopus poſſit inuitis Monialibus recipere aliquam in Monialem ad profeſſionem.
Dub. CCCXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia refertur, & probatur.*
2 *Quæ à fortiori valet in Monaſterio exempto.*
3 *Quando ſine cauſa reijcerent Moniales Nouitiam, tunc Superior poſſet reiectam Nouitiam acceptare, & admittere ſe ſolo.*
4 *Contrarium docet Eminentiſſimus de Lugo, non tamen in hoc eius Doctrina acceptatur.*

1 SErmo eſt, de Monialibus ipſimet Epiſcopo ſubiectis, non exemptis. Negatiuè ergo reſpondeo cum Miranda *tom.1.Manual.q.15.art.1.* Lapo, Calderino, Ioanne Monacho *Cardinal.* à *Turrecremata* Archidiacono, quos refert nouiſſimè Pelliciarius *in trac. de Monialibus cap.2.ſect.1.n.35.* probatur ex c. cum Eccleſia *Vulterrana de electione*. Vbi Pontifex ait, Canonicos quoſdam nullam feciſſe iniuriam proprio Epiſcopo nolendo recipere quoſdam Canonicos ab ipſo ſolo creatos, & ratio erat, quia talium Canonicorum creatio pertinebat ad capitulum, ergò ſic à ſimili dicẽdum; caſus enim hic poteſt benè adaptari caſui noſtro de Monialibus, vt adaptat Miranda *loco ſupra* hanc etiam opinionem ſuſtinent Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.6. quæſt.5.numer.3.* dum dicit iubente Epiſcopo, vel alio Prælato Monialium recipi Nouitiam in Monaſterio ſibi ſubiecto contradicente maiori parte Monialium non debere admitti, quia admiſſio ad profeſſionem pertinet ad Abbatiſſam cum conſenſu maioris partis Conuentus. Immo in tali caſu poterunt Moniales ad Superiorem appellare, vt tradunt Archidiac. *cap. final. 16.quæſt.7.nu.2.* Bellamer, *ibidem nu.1.* Turrecremat. *eodem loco* ſimiliter *numer.1.*

2 Vnde à fortiori patet, nec Epiſcopum poſſe in Monaſterio exempto admittere Nouitiam ad profeſſionẽ, quia non eſt illius Superior, tum quia ad illum non pertinet quempiam Religioni exemptæ incorporare, Ita docent Emanuel, Rodericus, Nauarrus, Azorius, Bonacina, & alij relati omnes à Tamburino *loco ſupra nu.5.*

3 Si autem daretur caſus, quo Moniales ſine cauſa, & irrationabiliter excluderent, & reijcerent aliquam Nouitiam à Profeſſione; tunc teſtatur Pilliciarius ſe per litteras multos Doctores conſuluiſſe; an ſcilicet tunc poſſet Epiſcopus, & proportionaliter Superior in ſuo Monaſterio

admittere Nouitiam ſic excluſam ad profeſſionem. Aliqui affirmant tunc poſſe Epiſcopum admittere, &c. Fundamentum eſt, quia tunc Moniales delinquunt ſine cauſa excludendo à profeſſione, debet ergò huiuſmodi delictum ſubiacere correctioni Prælati, ne aliàs delicta maneant impunita. Ita Naldus Baldell. Sanctarellus, vt teſtatur dic. Polliciarius *c.3. ſect.1. de profeſſione Religioſa Monialium num.35.* Alij è contra negant. Ita aſſe-
4 rit reſpondiſſe Eminentiſſimum de Lugo. Ratio eſt, quia conſenſus Conuentus in caſu poſito videtur eſſe de ſubſtantia profeſſionis, & conſequenter omninò neceſſarius ad valorem illius, ſed licet concedamus hoc, vt aduertit Pelliciarius loco relato; attamen iam Prælatus in caſu poſito dictum conſenſum ſupplet, vt tradit Sanchez *lib.5. moral. cap.4. num.65. &* num.71. vbi dicit Epiſcopum in Monaſterijs ſibi ſubditis, ſi penuriam Monialium dicta Monaſteria patiantur, poſſe ſupplere conſenſum Conuentus dum Moniales nolent admittere, ergò ſic in caſu noſtro.

An ab Epiſcopo debeat explorari voluntas puellarum, quæ habitum Religionis aſſumunt, & in ea profeſſionem emittunt.

Dub. CCCXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Exploratio voluntatis, puellarum, quæ Nouitiæ dicuntur debet fieri ab Epiſcopo.*
2 *Variæ circa hoc opiniones referuntur.*
3 *Solum dum puella maior eſt duodecim annis, eius voluntas debet explorari.*
4 *Obiectioni ſatisfit.*
5 *Etiam ſi omittatur ab Epiſcopo exploratio volutatis puellæ, & cæt. non per hoc inualida eſt profeſſio.*
6 *An Epiſcopus poſſit punire Moniales recipientes Nouitias, & cæt. ante quam exploretur voluntas ab Epiſcopo, qui præcepit ne reciperent, niſi expectarent, quod exploraret.*

1 QVod exploratio volũtatis puellarum, quæ Nouitiæ dicuntur debeat fieri ab Epiſcopo eſt certum apud Doctores, ſed dubium, & controuerſia eſt, quot vicibus debeat talis exploratio fieri, ſcilicet ſolum antè profeſſionem emiſſam, vel dum habitum ſuſcipiunt.

2 Tamburinus *diſput.4. de iure Abbatiſſarum quæſit.2.* varias refert Doctorum opiniones.

Aliqui dicunt in multis Prouincijs, & præcipuè in Hiſpania decretum Tridentini *ſeſſ.25. cap.17.* ex colligitur talem explorationem puellarum poſſe, & debere fieri ab Epiſcopo, non eſſe receptum. Vnde in talibus Prouincijs vnicum tantum examen, ante profeſſionem ſcilicet ſubire debent puellæ. Ita Ioannes Bobadilla *in ſuo manuali manuſcripto.*

Alij, vt ſunt Michael Medina *de Sacror. hominum continentia libr.4. Controuerſ.9. cap.4.* Sanchez *in decalog. libr.4. cap.18. num.33.* Suarez *tom.3. de Religione lib.5. cap.2. num.9.* affirmant duo decerni in loco Concilij citato. Vnum eſt, ſi puella ingrediẽs ſit maior duodecim annis quantęcumque ætatis ſit debet duplex examen Epiſcopi ſubire

bire, & ante habitus ſuſpenſionem, & ante profeſſionem, ſecus ſi ante duodecimum annum ſit.

Alij, & præcipuè Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi allegat.* 100. dicunt duplicem ſemper explorationem debere fieri ab Epiſcopo abſolutè, & ante habitus ſuſceptionem, & ante profeſſionem, & hoc etiam ſi Monaſterium ſit Regularibus ſubiectum, & exemptum. Ita refert deciſum, Armerandię teſte Barboſa, *in Decretum citatum Trident. num.* 7.

3 Dico ergo ſtando verbis Concilij Tridentini ſecunda ſententia probabilior mihi videtur, nam habet hæc formalia verba Concilium. *Libertati profeſſionis virginum Deo dicandarum proſpiciens Sancta Synodus ſtatuit, atque decreuit, vt ſi puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit maior duodecim annis ſit non antè eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat quam explorauerit Epiſcopus, vel eo abſente, vel impedito eius Vicarius, aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter, &c.* ecce quomodo ſolum, dum duodecim annis maior eſt puella debet eius voluntas explorari ante habitus ſuſceptionem.

4 Quod ſi dicas, ſi ita intelligi deberẽt verba citati decreti, ſequeretur, quod dum puella recipitur ante duodecimum annum, nec etiam ante profeſſionem ipſius deberet ab Epiſcopo fieri exploratio volũtatis dictæ puellæ, nam videtur coniungere Concilium has duas explorationes, dum dicit, *non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, &c.* Reſpondeo ex ipſis verbis Tridentini colligi noſtram ſententiã, & bene roborari: ſic habet Cõcilium, *non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat,* quàm explorauerit *Epiſcopus, &c.* ergo dum dicit *alia* ſignum eſt, quod ante profeſſionem ſemper vult Concilium voluntatem puellæ explorari, ante vero habitus ſuſceptionem ſolum, dũ maior duodecim annis eſt puella recepta.

5 Nota tamen hic, quod ſi Epiſcopus omittat dictam explorationem non per hoc profeſſio emiſſa inualida erit, vt multi Doctores tradunt addita Sacræ Congregationis declaratione, teſte Barboſa *allegatione citata num.* 9.

6 An autem Epiſcopus ſub cenſuris, & alijs pænis poſſit prohibere Abbatiſſis, & Superioribus Regularibus, ne puella profeſſionẽ emittat, niſi prius explorata ipſius voluntate. Poſſe reſpondet Barboſa *de iure Eccleſiaſt. cap.* 44. *num.* 10. immo etiam punire contrafacientes, tum pænis à Concilio ſtatutis, tum etiam Eccleſiaſticis cenſuris, & alijs iuris remedijs. Sed hoc non eſſe facilè admittendum tenet Pellicairins, *tract. de Monialibus cap.* 3. *ſect.* 1. *num.* 3. *& cap.* 8. *q.* 3. ob priuilegium, quod habent Regulares, & Moniales exemptę ne poſſint excommunicari, ſecus de Monaſterijs non exemptis dicendum. Vide dictum Pelliciarium, nam ſæpius à nobis hæc doctrina, cap. *Quo ad Cenſuras,* fuit repetita.

An

An Monialis poſſit ad ſtrictiorem Religionem tranſire ſine licentia Epiſcopi, vel cum tali licentia dum ei ſubditur.

Dub. CCCXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Moniales tenentur facere in hoc tranſitu, quod tenentur facere viri Regulares.*

2 *Quid ſentiat Author.*

3 *Etiam ſi in hoc caſu agatur de clauſura Epiſcopi, tamen facultas ad ſic exeundum non requiritur.*

4 *Per multa priuilegia nequeunt Regulares, nec ad arctiorem tranſire inconſulta Sede Apoſtolica.*

5 *In ſententia Riciulli etiam ad laxiorẽ Religionẽ Monialis poteſt tranſire ex iuſta cauſa.*

6 *Explicatur* caput vnicum de Religioſis domibus in *6*.

1 BReuiter reſoluit dubium nouiſſimè Pelliciarius, *tract. de Monialib. cap. 3. ſect. 1. nu. 16.* & reſpondet Monialem tantum illud debere præſtare, quod tenentur facere viri Regulares, dum ad arctiorem tranſeunt Religionem iuxta Decretum S. Congregationis de mandato *Vrbani VIII. 21. Septembr. editum 1624. vbi habetur. Statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionẽ tranſire niſi prius Superiori legitimè conſtiterit eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta ſe transferat ad arctiorem, quod vt re ipſa impleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.* Idem docent Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſp. 21. quæſit. 1. num. 6.* Zerola *in praxi Epiſcopor. par. 1. verb. Moniales in fine*, Barboſa *de Iure Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 42. num 45.* Nouarius *in Summ. Bullar. de Apoſtatis, & eiectis*, & alij apud dictũ Tamburinum loco ſupra, qui omnes eadem ratione hunc tranſitum probant, qua Religioſorum virorũ tranſitum ad ſtrictiorem: diſpoſitio enim quæ loquitur de Monachis etiam locum habet in Monialibus.

2 Dico ergo ad hunc tranſitum ſufficit, quod habeat Monialis *præciſis priuilegijs* facultatem proprij Prælati, ſiue Epiſcopus ſit, ſiue Prælatus Regularis ſit dummodo alia requiſita, concurrant. Quæ facultas ſufficit, quod ſit petita, etiam ſi non obtenta, vt docet Sanchez male relatus à Bonacina *De Clauſur. §. 3. difficult. 1. num. 11.*

3 Quod ſi dicas. Quando Monialis eſt exẽpta à iuriſdictione Ordinarij, tunc etiam requiritur facultas Epiſcopi, cum agatur de clauſura, circa quam delegatus eſt Epiſcopus, ergo falſa Doctrina poſita ſcilicet, ſufficere ad hunc tranſitum Monialium Prælati facultatem.

Reſpondeo, licet in hoc caſu agatur de clauſura, attamen ad ſic exeũdum non requiritur facultas, & licentia Epiſcopi; quia dum Concilium Tridentinum, & alia iura prohibent Monialibus egreſſum è clauſura abſq; conſenſu Superioris, & Epiſcopi, ſcilicet cum in omnibus Monaſterijs, tam exemptis, quam non exemptis, non loquuntur in hoc caſu, ſed ſolũ ad tollendam Monialibus occaſionẽ vagandi, quæ occaſio non eſt in caſu

poſito

Digitized by Google

poſito Ita, Pelliciarius *in Tract. de Monialibus capit. 3. Sect. 1. numer. 16. & num. 19.*

4 Dixi ſuperius, *præciſis priuilegijs*, nam extant multa priuilegia concedentia Religionibus; ne earum Religioſi poſſint tranſire ad Ordinem etiã arctiorem abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, quæ priuilegia participant etiam Moniales per viam communicationis, Hæc autem priuilegia adducit Pelliciarius vbi agit de *de Profeſſione in Manuali*, quod modo ſub typis eſt *cap. 4. Sec. 3. quæſt. 6.* relatus a ſe ipſo *De Monialibus loco ſupra citato numer. 18.*

5 Ampliat poſitam Doctrinam Ricciullus relatus a Tamburino *dicta Diſputation. 21. quæſit. 1. num. 9.* vt poſſit etiam Monialis tranſire ad laxiorẽ Religionem ex iuſta cauſa, adducitur que ad hoc Sacræ Congregationis declaratio.

6 Nec obſtat caput *Vnico in 6. De Religioſis Domibus*, vbi habetur, *Nullus Ordo ad alium, vel conuentus ad Conuentum, ſi ac loca ſua totaliter transferat abſque licentia Sedis Apoſtolicæ*. Quia in tali textu ſermo eſt de tranſlatione locali non autem perſonali. Ita Tamburinus loco ſupra Roderic. *quæſt. 52. articul. 6. tom. 3.*

An Abbatiſſa, & Moniales validè accipiant profeſſionem nouitię Dnm Ordinarius in exploranda illius voluntate iudicat illam indignam, & ſic prohibet Monialibus ne eam recipiant.
Dub. CCCXXX.

SVMMARIVM.

1 *Validè recipitur talis Nouitia, & ſi illicitè.*
2 *Multa facta tenent, quæ fieri prohibentur, dum prohibitioni annexum non eſt decretum irritans.*
3 *Quandò audiendus eſt Ordinarius, & Epiſcopus ne profeſſio inualida ſit.*
4 *Et hoc procedit maximè, quando Monaſterium ſubditur Ordinario.*
5 *Taxatio dotis, quam dare debent moniales ſpectat ad Sacram Congregationem dum ſunt Moniales exemptæ.*

1 ITà in terminis mouet, & reſoluit dubium Pelliciarius, *de Monialibus cap. 3. Sec. 1. num. 33.* per hæc verba *Reſpond. validè recipere, & ſi illicitè ſi moniales, illius conuentus ſint exemptæ ab Ordinario, vel certe ſi ei ſubſunt fiat ſine decreto irritante, & ijs verbis quæ oſtendant ipſum nihilominus conſentire in talem admiſſionem. Moueor tum quia de iure communi admiſſio ad profeſſionem nõ ſpectat ad Ordinarium ſed ad Abbatiſſam, & ad Capitulum vt videre eſt apud Tamburinum. Diſput. 6. quæſ. 5. de Iure Abbatiſſarum num. 3. Sanchez lib. 5. Moralium cap. 4. num. 65. & 76. tum quia exploratio voluntatis non eſt de valore profeſſionis vt conſtat ex dictis. q. 2. §. verum*

2 *§.verum tamẽ eſt, & alioquin multa prohibentur, quæ facta tenent dummodo prohibitioni non ſit annexum decretum irritans, ſicuti re vera non eſt annexum, in præſenti caſu, vt patet ex Concilio Tridẽtin. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 16. verum*
3 *tamen eſt quod ſi Ordinarius poſt exploratam Nouitiæ voluntatem conſtanter deponat illam eſſe ſeductam, aut coactam, & non libere profiteri, vel non habere cõditiones neceſſarias ex regula Monaſterij, tunc omnino audiendus eſſet, & alioquin profeſſio eſſet nulla, ſi depoſitio eſſet vera, & hoc non quidem quod Ordinarius contradiceret ſed quod deeſſent libertas, &*
4 *alia ſubſtantialia. Quod item procederet in caſu, quo Monaſterium ſubſit Ordinario, & is prohibeat dictam admiſſionem cũ decreto irritante, vel certe illis verbis, vt oſtendat ſe aliter in eam non conſentire; ſic enim deeſſet conſenſus Prælati Monaſterij qui tamen requiritur ad valorem profeſſionis vt oſtendemus quæſt. ſequenti, ſic mecum ſenſerunt Excellentiſs. Ioannes de Lugo, Baldell, Sanctarellus, Naldus, alijque viri docti a me per litteras conſulti.* Hæc Pelliciarius quibus ſis circa poſitam difficultatem contentus.

5 Quod ſi hic obiter quæras, ad quęnam ſpectet taxatio dotis etiam reſpectu Monialium exemptarum. Reſpondeo modo id ſpectare ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, vt teſtatur Pelliciarius *cap. 3. Sec. 2. de Monialibus num. 43.*

An ad ſolum Epiſcopum ſpectet Moniales conſecrare. Dub. CCCXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Ex iure communi ad ſolos Epiſcopos hoc ſpectat.*
2 *Poteſt tamen a Summo Pontifice delegari hæc poteſtas.*
3 *Cur poſſit Summus Pontifex hanc poteſtatem delegare, & non poſſit hoc facere Epiſcopus.*
4 *Hæc conſecratio iam non eſt vniuerſaliter in vſu, adducitur ad hoc per Doctores quæ Sacra Congregationis declaratio.*
5 *Si Moniales ex aliqua cauſa renuant conſecrari, non poterit ad hoc eas cogere Epiſcopus.*

1 SI ſtemus in iure communi ad ſolum Epiſcopum ſpectat Ita Tãburinus *Diſputa. 27. de Iure Abbatiſſarum quæſit.* 5. & apud ipſum Sbrozz. *de Vicar. Epiſcopor. lib. 2. quæſt. 8. num.* 1. Azor. *Inſtitut. Moral. part. 1. lib. 12. cap. 20. quæſt. 6.* Hieron. Roder. *in Compend. qq. Regul. reſolut. 32. num. 2.* Barboſa *de Officio, & Poteſtat. Epiſcop. allegat. 27. num. 51. & 55.* Benedictus Bomathæius *de modo conſecrandi Virgines, cap. 4. num. 1.* Suarez *tom. 4. de Religione tract. 9. cap. 11. num. 12.* & nouiſſimè Pilliciarius in *Trac. de Monialibus cap. 3. Sec. 3. num. 91.* probatur ex cap. *Deuotis* 20. *q.* 1. vbi licet expreſſe & clare hoc non habeatur, vt notat Tamburinus attamen colligitur ex verbis, quę ibi adducuntur, & ſunt talia, *Viduas autem velare Pontificum*

ſicum nullus attentet, quæ intelliguntur de velo conſecrationis, ergò ſupponit talis prohibitio ad ſolum Epiſcopum tale munus pertinere.

2 Verum quidem eſt, poſſe Summum Pontificem ſimplici alicui Sacerdoti hoc munus demandare, vt tenet communis Doctorum ſententia, & colligitur ex *cap. peruenit, diſt.* 95. licet hoc nequeat Epiſcopus alteri demãdare, qui Epiſcopus non ſit, ita *in citatum caput* Gloſs. ex cap. *Aqua de Cõſecratione Eccleſ.* vbi Gregorius III. vult Epiſcopum non habere poteſtatem delegandi munus Cõſecrationis Presbytero, qui non valet impertiri actus ordinis. Hinc ſequitur benè potuiſſe Pontificem concedere hoc priuilegium multis Prælatis Regularibus, vt teſtatur Tamburinus *loco citato nu. 6.* vbi dicit Abbatem Generalem Vallis vmbroſæ ab immemorabili tempore conſecrare Moniales ſibi ſubiectas, idemque habetur teſte Barboſa *in Collectan. Bullar. verb. Monialis*.

3 Quod ſi quæras ad maiorem rei intelligentiam diuerſitatem cur poſſit Summus Pontifex hoc munus conſecrandi alteri, qui Epiſcopus non ſit demandare, non verò hoc poſſit Epiſcopus. Reſpondeo, quia de iure poſitiuo hoc munus conſecrãdi eſt munus Ordinis Epiſcopalis, vnde iam illud poteſt Summus Pontifex alteri demandare cum ſupra ius poſitiuum ſit, Epiſcopus verò nequaquam cum iuri poſitiuo ſubdatur.

4 Et ſcias hic obiter, hanc conſecrationem iam nõ eſſe regulariter in vſu, vt notant Tamburinus, & Barboſa primus *diſput. 27. quæſ. 3. verſ. ad quartum reſpondeo* ſecundus *de iure Eccleſiaſtico cap. 44. libr. 1. nu. 21. & de poteſtate Epiſcopi allegat. 27. part. 2.* qui Doctores teſtantur adeſſe circa hoc quamdam declarationem Sacræ Congregationis directam Patriarchæ Venetiarum *die* 5. *Decembris* 1597. quam adeo diuersè aſſerunt, vt contraria ſibi ipſi videatur. Tamburinus dicit per dictam declarationem tollendam eſſe conſecrationem ſeruandam tamen, ſi alicubi eſſet in vſu, & vigeret, Barboſa è contra aſſerit dicta *allegat. 27.* eſſe leuandam, etiam ſi adhuc vigeret in vſu, puto errorem eſſe in impreſſione poſitumque fuiſſe *verb. leuandam pro ſeruandam*, habes relatam dictam declarationem in praxi noua Epiſcoporum *part. 1. cap. 2. numer. 3. verſ. Virgines*.

5 Sed quæres hic, an inuitis ipſis Monialibus poſſit Epiſcopus eas cõſecrare caſus accidit in quadam Ciuitate, vbi ego tunc degebam, & reſponderunt Doctores non potuiſſe Epiſcopum dictas Moniales conſecrare, dum conſecrari nolebant, nam conſecratio eſt fauor per ius commune datus ipſis Monialibus conſecratis, quo vti poſſunt, & non vti.

An Moniales teneantur obedire Epiſcopo, & Ordinario ex vi voti obedientiæ. Dub. CCCXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur diſtinctio, qua Doctores communiter vtuntur.*

2 *In his in quibus ſubduntur Epiſcopis, & Ordinarijs tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis ex vi voti obedientiæ tenentur obedire Ordinarijs.*

3 *Limi-*

3 *Limitatur tamen dictum dummodò tales delegati non præcipient res extra regulam.*

4 *Moniales ſubditæ Ordinario non peccant contra votum obedientiæ, dum transgrediuntur leges generales factas ab Epiſcopo pro tota Diœceſi, & quare.*

5 *Cui teneantur magis obedire Moniales Ordinario loci, an proprio Prælato.*

6 *Cui teneantur magis obedire Moniales Abbatiſſæ, vel Ordinario.*

1 Diſtinctione hic vtendum eſt, qua vtuntur communiter Doctores, & præcipuè Pelliciarius *tract. de Moniali cap. 4. ſec. 3. num. 95.* vel ſermo eſt de Monialibus, quæ immediatè ſubduntur Epiſcopo, & tunc tenentur eodem modo obedire Epiſcopo quo obediunt proprijs Prælatis, cum Epiſcopus ſit illarum Prælatus, vel loquimur de Monialibus exemptis ab Ordinarij Iuriſdictione, & tunc tenentur ex vi voti obedire ſolum ſuis Prælatis.

2 In his autem, in quibus ſubduntur Epiſcopis, & Ordinarijs tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ex vi voti obedientiæ tenentur Ordinarijs parere etiam Moniales exemptæ. Ratio eſt, quia votum obedientiæ obligat ad parendum etiam illi, cui à proprio Prælato delegatur facultas præcipiendi. Vide Suarez *tom. 3. de Religione libr. 10. cap. 11.* & Pelliciarium *loco ſupra num. 96.* & ſic quo ad obſeruantiam clauſuræ tenentur Moniales exemptæ, obedire Epiſcopo præcipienti in tali materia; & hoc non ſolùm ex virtute generalis obedientiæ, ex qua tenemur obedire omni Superiori legitimè præcipienti, ſed ex ipſo voto obedientię, a'ia etiam plura adduci poſſunt exempla.

3 Limita tamen dictam Doctrinam dummodo delegati huiuſmodi, non præcipiant res extra regulam, nam ſicuti nec ipſimet Pontifici tenentur obedire Regulares exempti, dum res præcepta eſt ſupra regulam, & dum non procedit præcipiendo tanquam ſpecialis Prælatus Religionis, idem à fortiori dicendum eſt de Epiſcopis, & Ordinarijs, etiam dum delegati ſunt in aliquo caſu reſpectu Regularium exemptorum, qui non tenentur ex vi voti ſemper obedire dictis Epiſcopis delegatis.

4 Moniales autem immediatè ipſis Epiſcopis ſubiectæ non peccant contra votum obedientiæ, dum transgrediuntur leges generales factas ab Epiſcopo pro tota Diœceſi, quia non procedunt in hoc tanquam ſpeciales Prælati earum, imò etiam ſi procederent, dum non eſſent debita requiſita ad hoc, vt talia præcepta ſub vi voti obligarent, non violarent votum obedientiæ Moniales.

5 Quod ſi quæras cui nam debeant Moniales potius obedire Ordinario loci, an proprio Prælato. Reſponde cum diſtinctione exemptæ potius tenentur obedire ſuis Prælatis Regularibus, quam Ordinario, exceptis tamen ijs in quibus ſubduntur Epiſcopis tanquam delegatis, cuiuſmodi eſt Obſeruantia clauſuræ, alia autem, quę exemptæ non ſunt potius Ordinario tenentur obedire, quam Prælatis. Vide Sanchez, *lib. 6. Moral. cap. 1. n. 13. &* Pelliciarium *cap. 4. ſect. 3. numer. 101. quæres 11.*

6 Reſponde idem proportionaliter dubio, vtrum Moniales, potius teneantur

neantur obedire Abbatiſſæ quam Ordinario, potius ſcilicet teneri obedire Ordinario, quam Abbatiſſæ, in omnibus non ſolum concernentibus Eccleſiaſticam diſciplinam, ſed etiam Regularem Obſeruantiam. Ratio eſt, quia Ordinarius verè eſt Prælatus talium Monialium, Moniales autem exemptæ potius tenentur obedire proprijs Prælatis, quam Abbatiſſis.

An ſpectet ad Epiſcopum adſtringere Moniales ad Obſeruantiam clauſuræ.
Dub. CCCXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quo ad Moniales non exemptas, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiectas ſpectat hoc ad Epiſcopum, Quo ad exemptas ſubditas Regularibus ad Prælatos Regulares.*

2 *Capiti* Periculoſo *non derogat* Trident. ſeſſ.25.de Regular.cap.5.

3 *Ordinarius tamen poteſt ſupplere negligentiam Prælatorum Regularium etiam reſpectu Monialium illis ſubditarum.*

4 *Quomodo reſpondetur Conſtitutioni Gregorij XV.* Inſcrutabili, *quæ videtur eſſe contraria dictis.*

5 *Etiam facultas Prælati requiritur, dum egredi volunt Moniales, etiam in caſibus in quibus licitus eſt egreſſus.*

6 *Contrarium docent aliqui Doctores.*

7 *In Hiſpania ſola facultas Prælati ſufficit pro licito egreſſu reſpectu Monialium exemptarum, &c.*

8 *Attendenda eſt loci conſuetudo, an Epiſcopus, & Ordinarius poſſit dare facultatem alloquendi, & viſitandi Moniales.*

9 *In licentijs alloquendi Moniales, quas ſubſcribunt Epiſcopi, & Ordinarij nihil immutare poſſunt Prælati Regulares.*

10 *Quomodo intelligantur verba poſita in Conſtitutione Greg.XV.* Inſcrutabili, *quod poſſint Ordinarij corrigere, & punire quaſcumque perſonas delinquentes circa perſonas intra ſepta degentes.*

11 *Dum reſeruatur violatio clauſuræ ad malum finem, intelligitur ſolum de malo fine contra caſtitatem.*

12 *An clauſura commiſſa per Tridentin. Epiſcopis, ſit clauſura materialiter ſumpta, vel etiam formaliter.*

13 *Cura clauſuræ Monialium exemptarũ intelligitur de cuſtodia clauſuræ materialiter ſumptæ.*

14 *Obiectioni ſatisfit.*

1 RESpondet Pelliciarius, *tract. de Monialibus cap.5.ſect.1. numer.6.* ſpectare ad Epiſcopum quo ad Moniales ipſi immediatè ſubiectas, & etiam quo ad Moniales Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectas, ex poteſtate delegata quo ad Moniales verò Regularibus ſubiectas hoc dicit ſpectare ad ipſos Prælatos Regulares. Ita Sanchez *cap.15.num.21.lib.6.moral.* Tamburinus *de Iure Abbatiſſ.diſput.18.q.4. num.6.* Nauarrus *Commentar.4.de Regul. numer.60.* alijque viri docti quos ſuppreſſo nomine citat idem Pelliciarius, & deſumitur ex cap. *Periculoſo* per hæc verba. *Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & eorum quilibet in Ciuitate, ac Diœceſi propria in Monaſterijs Monialium ſibi Ordinario iure ſubiectis ſua in his mãdamus, quatenus verò*

verò, quæ ad Romanam immediatè ſpe-
ctant Eccleſiam Sedis Apoſtolicæ aucto-
ritate. Abbates verò, & alij tam exem-
pti, quam non exempti Prælati Eccleſia-
rum, Monaſteriorum, & Ordinum, quo-
rumcumque in Monaſterijs huiuſmodi ſibi
ſubiectis de Monialibus includendis quã-
primum commodè poterunt prouidere
2 *procurent*, cui decreto, vt communi-
ter tradunt Doctores non derogat
Tridentin.*ſeſſ.*25.*de Regul.cap.*5. dum
Epiſcopis præcipit, vt in omnibus
Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria, in
alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctorita-
te clauſuram Monialium, vbi violata
fuerit diligenter reſtitui, & vbi inno-
uata eſt conſeruari maxime procu-
rent, ex quo potius renouatur caput
periculoſo citatum, adeſt etiam circa
Conſtitutio Pij V. quæ incipit *Circa*
Paſtoralis, vbi habentur hæc verba.
Mandantes Patriarchis, & c. quatenus in
Monaſterijs ſibi Monialiũ Ordinario iure
ſubiectis, ſua in his verò, quæ ad Romanã
immediatè, vel mediatè ſpectant Eccleſiã
Sedis Apoſtolicæ auctoritate, vna cum
Superioribus eorumdem Monaſteriorum
clauſuram ſeruari procurent. Ergo Su-
periores Regulares in Monaſterijs ſi-
bi ſubiectis curam clauſuræ habere
debent, & licet verba illa *vna cum*
Superioribus videantur committere
dictam curam clauſuræ Prælatis Re-
gularibus non priuatiuè, ſed cumula-
tiuè, quo ad Epiſcopos, ita vt perti-
neat talis cura ad vtroſque in ſolidũ,
attamen attendendus eſt in hoc vſus.
3 Verum quidem eſt, & habetur ex Ca-
ſtro Pallao *tract.*16.*D.*4.*p.*9.*num.*7. &
ex Miranda relato ibi à dicto Caſtro
Pallao; in hoc Ordinarium poſſe ſup-
plere negligentiam Prælatorum Re-
gularium; & hoc etiam ſi non conſtet
certè de tali violatione clauſuræ, ſed
ſolum dubitetur, videatur Barboſa
de *Officio Epiſcopi, allegat.* 102.*num.* 7.
& 8.
4 Quod ſi obijcias Conſtitutionem
Gregorij XV. Inſcrutabili, quæ dat Or-
dinarijs poteſtatem puniẽdi, & coer-
cendi tam Regulares, quam ſæcula-
res delinquentes circa perſonas intrà
ſepta degentes, aut circa clauſuram,
ergò; Reſpondeo, vt clarè patet ex
verbis Conſtitutionis, intelligi, dum
Regulares ipſi delinquunt violando
clauſuram Monialium, (puta ingre-
diendo ad malum finem Monaſteria,
&c. vel alloquentes, ſine facultate, &
cæt.) non autem per hoc excluditur
poteſtas, quam habent dicti Prælati
curandi, ne à Monialibus ipſis ſibi ſu-
biectis violetur clauſura.
5 Hinc ſequitur requiri etiam facul-
tatem Prælati Regularis, vt Moniales
in caſibus, in quibus licitè egredi poſ-
ſunt egrediantur. Ita Pelliciarius *tra-*
*ctat. de Monial. cap.*5.*ſec.*2.*num.*37. &
patet tum ex Concilio Tridẽt.*ſeſſ.*25.
*de Regul. cap.*5. vbi licet expreſsè non
requiratur licentia Prælati Regularis
reſpectu Monaſteriorum exempto-
rum, illam tamen non excludit, ſed
ſupponit, vt iure communi neceſſa-
riam cum ſemper loquatur iuxta ius
commune, tum etiam ex Conſtitutio-
6 ne Pij V. citata ſupra, vbi clarè hoc
ſtatuitur. Contrarium tamen ſcias
docere Rodriquez relatum ibi Pelli-
ciario *loco citato*, ſcilicet poſſe Monia-
les Regularibus ſubiecta cum ſola
Prælati Regularis licentia egredi lici-
tè è Monaſterio in caſibus, & cæt.
contra quem tamen inſurgit San-
chez, item relatus ab eodem Pelli-
ciario.

Le-

7 Lezana tamen *tom.1.cap.25.nu.21.* teſtatur in Hiſpania eſſe vſu receptum pro licito egreſſu in caſibus permiſſis Monialium Regularibus ſubiectarum ſufficere licentiam Prælati Regularis, aduertit tamen Pelliciarius *cap.5.ſec.2.numer.21.* hôc poſſe admitti ſi conſtet dictam conſuetudinem fuiſſe legitimè, & cum debitis conditionibus inductam.

8 Quod ſi quæras hic; an Moniales etiam exemptæ ſubdantur Ordinario quo ad hoc, vt abſque eius licentia viſitari nequeant. Reſpondeo attendendam in hoc eſſe conſuetudinem loci. Ita teſte Tamburino ſtatuit Sacra Congregatio. Vide ipſum *de iure Abbatiſſarum diſputat.26.qu.2.nu.3.* & etiam Pelliciarium *tractat. de Monial.cap.10.ſec.1.ſubſect.2.numer.21.* vbi affert aliam declarationem ex Barboſa tenoris huiuſmodi. *Moniales Regularibus ſubiectas alloquendi licentia concedenda eſt ab Epiſcopo, ſeu eius Vicario Generali, & à Superiori Regulari cui Moniales ipſæ ſubiectæ ſunt coniunctim, ita vt idem Epiſcopus, ſeu eius Vicarius primo loco ſubſcribat*, cum ergò variæ ſint tales declarationes ſem-
9 per attendenda eſt conſuetudo. Aduertit tamen Prælati Regulares id, quod aduertit Monachus *p.5.Inſtruc. Monial.* relatus à Pelliciario *loco ſupra* in licẽtijs, quæ poſt Ordinarij ſubſcriptionẽ ſubſcribũtur à Prælatis Regularibus ad adeũda Monaſteria Monialium Regularibus ſubiectarũ nõ poſſe quidquam addi, aut tolli per ipſos Prælatos Regulares ex ijs, quæ in præfatis licentijs oppoſita ſunt ab Ordinario ad exactiorem clauſuræ obſeruantiam, hocque ex declaratione Sacræ Congregationis, teſte Barboſa *in Collectan. verb. Monialium clauſura.*

10 Secundo, ſi quæras quomodo intelligantur illa verba Conſtitutionis Gregorij XV. *Inſcrutabili*, quod ſcilicet poſſint Ordinarij corrigere, & punire quaſcumque perſonas, tam Regulares, quam ſæculares delinquentes *circa perſonas intrà ſepta degentes*. Reſpondeo intelligi ſolum delictum contra caſtitatem, Pelliciarius *cap.10. ſec.1.19.* cum hoc frequentius ſoleat intendi, & ſic etiam pro-
11 babile eſt violationem clauſuræ Monialium ob malũ finem, ꝙ delictũ reſeruatũ eſt à Clemente VIII. intelligi ſolum de malo fine contra caſtitatem. Ita idem Pelliciarius, & apud ipſum multi viri docti, & hoc maximè attenta illa doctrina generali, quod quando agitur de pœnis ſtricta facienda eſt interpretatio.

12 Tertio, ſi quæras, an cura cuſtodiæ clauſuræ Monialium commiſſa Epiſcopis in Concilio Tridentin. intelligatur de clauſura ſolum materialiter ſumpta, pro vt ſcilicet importat ſpatium, quod intra ianuam Monaſterij clauſum cõtinetur; vel etiam de clauſura formaliter ſumpta, vt ſic loquamur, quatenus etiam comprehendit ingreſſum extraneorum in ipſam clauſuram, vel egreſſum Monialium, & acceſſum ad loquendum cum ipſis. Reſpondeo ex Barboſa *de Officio Epiſcop.alleg.102.num.11.* & ex Pelliciario *de Monialib.cap.5.ſec.1.numer.10.* pertinere ad auctoritatem Epiſcoporum, vt impediant tum acceſſum ad ipſas Moniales, & colloquia cum eiſdem, tum ingreſſum extraneorum intrà ſepta Monaſterij,

tum egreſſum earumdem Monialium è Monaſterijs, vnde ſic dicendum eſt pertinere ad Epiſcopos cuſtodiam, non ſolum clauſuræ materialiter ſumptę, ſed etiam formaliter, ita debemus dicere attenta praxi
13 Epiſcoporum, & hæc doctrina certa eſt ſi ſermo ſit de Monialibus Ordinarijs ipſis ſubiectis, ſi autem loquamur de exemptis, probabile putat Pelliciarius, curam clauſuræ talium Monialium intelligi ſolum de cuſtodia clauſuræ materialiter ſumptæ, Ita *cap.* 10. *de Monial. ſect.* 1. *num.* 26. idque ex quadam declaratione Sacræ Congregationis, quam adducit Barboſa *in Collectan. v. Moniales alloqui* per hæc verba. *Moniales exemptas alloquentes contra Conſtitutionem Epiſcopi poſſunt ab ipſo puniri, non tamen ipſa Monales exempta.* Ergò ſolum ſtando in tali declaratione, materialiter ſumpta clauſura eſt illa, quam curare debet Epiſcopus, & Ordinarius.
14 Dices ergò ſi Moniales delinquant circa clauſuram nequeunt puniri ab Epiſcopo, quod videtur eſſe contra communem Doctorum ſententiam. Reſpondeo ſi delinquant circa clauſuram materialiter ſumptam, nequeunt puniri, nego, ſi circa clauſuram formaliter, concedo. Ita in terminis, & expreſsè Pelliciarius *cap.* 10. *ſec.* 1. *quæres* 13. Videatur ille ibi enim latius de hoc agit.

An Puellæ poſſint abſque licentia proprij Ordinarij admitti intra Monaſterium ad ſuſcipiendum habitum Religioſum. Dub. CCCXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ſuſtinetur.*
2 *Si Puella recedat à Monaſterio cum animo non redeundi, ſi poſtea velit redire requiritur licentia Epiſcopi, limitatur tamen hoc dictum.*
3 *Si Puella egrederetur cum animo intra paucos dies redeundi, tunc ſine facultate Ordinarij poſſet recipi.*
4 *Dum Fæmina coniugata volunt ingredi requiritur facultas Sedis Apoſtolicæ.*

1 NEgatiuè reſpondeo. Ita Pelliciarius nouiſſimè *cap.* 5. *de Monialibus ſec.* 3. *n.* 108. & alij apud ipſum Sanchez præcipuè. Fundamentum eſt, quia ad licitè ingrediendum non ſufficit iuſta cauſa, ſed requiritur etiã debita Superioris facultas. Non tamen dicendum ad id requiri facultatem Summi Pontificis, tum quia non apparet ex quo iure ad id requirenda ſit licentia Papę, cum tamen talis obligatio induci non debeat abſque iure aliquo ſufficienti, tum quia iure communi poteſt Epiſcopus dare facultatem ingrediendi clauſuram in caſibus neceſſitatis, talis autem eſt caſus poſitus, ergò, hoc totũ Pell. *c.* 2. *ſec.* 2. *n.* 54.
2 Sed hic obiter in mentẽ venit difficultas, an ſi nouitia Monialis dimmittat habitum, & recedat à Monaſterio occultè animo amplius ad ipſum non re-

reuertendi; an ſcilicet tunc ſi velit dicta Nouitia iterum ad Monaſterium redire, poſſit recipi in Monaſterium ſine licentia Ordinarij. Negatiuè reſpondendum eſt (dummodo tamen nullum inde ſequatur damnum dictæ Moniali, vel infamia,) nam ſi ex petitione facultatis huiuſmodi, ſequeretur talis infamia, tunc nullam requiri Ordinarij facultatem dicendum eſt. ratio negationis eſt; quia talis nouitia per dimiſſionem habitus deſinit eſſe nouitia, vnde de illa idem prorſus dicendum, ac de primò admiſſa; ergo ſicut prima vice admiſſa ſine Ordinarij facultate nequit admitti, idem dicendum de iſta habitum dimittente. Limita tamen dictum cum Suarez *tom.* 3. *de Religione lib.* 5. *cap.* 15. *nu.* 6. nam ſi nouitia eo animo egrederetur, vt poſtea intrà paucos dies ad Monaſterium reuerteretur, tunc iam ſine aliqua Ordinarij facultate poſſet iterum ad habitum admitti, tunc enim non interrumpitur nouitiatus.

3 Quod ſi quæras hic, an de licentia ſolus Ordinarij, vel Superioris Regularis poſſint admitti fœminę coniugatæ intra Monaſteria Monialium, dum proprios viros volunt ob aliquā iuſtā cauſam vitare. Reſpōdent DD. negatiuè, ſed ſemper dum commodè poteſt recurrendum eſt ad ſummū Pontificem. Ita Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. qu.* 46. *art.* 10. Portell. *de dubijs Regul. verb. Clauſur. Monaſter. in addit. num.* 2. Sanchez, Miranda, & alij relati à Pelliciario, *De Monial. cap.* 5. *ſect.* 3. *num.* 110. adeſt circa hoc declaratio S. Congregationis relata à Zerola *p.* 1. *praxis verb. monial. q.* 12. & ab eodem citato Pelliciario.

Quando Epiſcopus, & Ordinarius ingredi poſſit Monaſteria Monialium ſibi ſubditarum.

Dub. CCCXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt Epiſcopi, & alij Prælati ingredi in caſibus neceſſarijs.*

2 *An Prælati Regulares ingredientes prima vice extra caſus neceſſarios incidant in pœnas ſtatutas à Gregorio XIII.*

3 *Notabile circa poſitam materiam.*

1 Reſpondeo poſſe Epiſcopos, & alios Ordinarios Prælatos Monialium ingredi in caſibus neceſſarijs, quod ſi aliter ingrediantur iam incidunt in pœnas impoſitas *à Gregorio XIII. die* 23. *Decemb.* 1581. qui ſic habet. *Harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus Prælatos omnes, tam ſæculares, quam Regulares, quibus cura, & regimen Monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit facultate ſibi ex Officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta, ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis iiſque Senioribus Religioſis perſonis comitati.* Ecce quomodo etiam ipſi Epiſcopi, & Prælati comprehenduntur generali prohibitione Concilij Tridentini, vt non poſſint ingredi Monaſteria Monialium ſubditarum, niſi in caſibus neceſſarijs. Vide Pelliciarium *cap.* 5. *ſect.* 3. *numer.* 111. Quas pœnas autem incurrant, & quando, ſi vis ſcire lege Tamburinum, *Diſput.* 24. *quæſ.* 10. & Pelliciarium *loco ſupra,*

vbi etiam habet dubium, an Prælati Regulares ingredientes Monaſteria Monialium extra caſus neceſſarios prima vice, vel etiam ſecunda non autem tertia, incurrãt pænas excommunicationis ſtatutas à Greg. XIII. & ratio dubitandi eſt, quia Epiſcopi non incurrunt, niſi tertia vice; Idem dicendum de talibus Prælatis, ac dicitur de Epiſcopi tradit Llamas relatus à Sanchez *lib. 6. moralium cap. 16. numer.* 102. Ita etiam Bonacina, & Tamburinus apud Pelliciarium *cap. 5. ſect. 3. num.* 114. Ipſe verò Sanchez docet Prælatos Regulares prima etiam vice incidere in cenſuram ſi ingrediatur Monaſteria Monialium, &c. extra caſus neceſſarios, contraria tamen ſententia mihi magis placet, quia mitior, dum ſumus in pænalibus.

3 Scias tamen hic lector, id quod aduertit Pelliciarius ex Sanchez *loco ſupra*, quod ſi Prælati ſæculares habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Vicarij Epiſcoporum ingrederentur extra caſus neceſſitatis Monaſteria Monialium ſibi ſubdita, non inciderent in pęnas inflictas à Gregorio ibi in ſua Conſtitutione, quia ibi ſolum fit mentio Prælatorum dignitatem Pontificalem habentium, & Prælatorum Regularium, non autem aliorum, odia autem reſtringi opportet. Hoc tamen non placet, ſicut nec placet Paſqualigo viua voce à me conſulto abſurdum enim videtur.

An Epiſcopi munus ſit concedere facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium. Dub. CCCXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Eſt munus Epiſcopi concedere licentiã ingrediendi Monaſteria Monialium non exemptarum, & ſubditarum ipſimet Epiſcopo.*

2 *Etiam ſpectat ad Epiſcopum concedere facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium ſubditarum Sedi Apoſtolicæ.*

3 *Ad Prælatos Regulares ſpectat concedere hanc facultatem reſpectu Monialium illis ſubditarum.*

4 *Qui intelligendus ſit nomine Superioris reſpectu harum Monialium remiſſiuè.*

5 *Non poteſt Superior Regularis committere hanc facultatem alicui, qui non ſit Superior Monaſterij.*

6 *Etiam conſenſus Abbatiſſæ, aut Monaſterij requiritur ad talẽ ingreſſum.*

7 *Nec obſtat dictis quædam declaratio. Sacræ Congregationis, quæ adducitur à Doctoribus.*

1 Dico primo, concedere facultatem ingrediẽdi Monaſteria Monialium non exemptarum, & ſubditarum ipſimet Epiſcopo eſt munus Epiſcopi, eſt communis, quia illius eſt dare facultatem ingrediendi clauſuram, cuius eſt indicere dictam clauſuram, at ad Epiſcopum pertinet indicere, ergò, & cæt. pertinet etiam ad capitulum ſede vacante, & Vicarium capitularem, cum ſuccedant loco Epiſcopi, ad Vicarium autem Ge-

Generalem ſi ad hoc ſpeciale mandatum habeat, Ita Pelliciarius *c.5. ſect.3. num.* 147. & hoc facit Epiſcopus poteſtate ordinaria.

2 Dico ſecundo, Si ſermo ſit de Monialibus Sedi Apoſtolicæ ſubiectis, cõcedere hanc facultatem ſpectat ad Epiſcopum, eiuſq; Vicarium ſpeciale ad hoc mandatum habentem, & hoc poteſtate delegata, Ita Pelliciarius *cap.5. ſect.3. num.*146. nec eſt difficultas.

3 Dico tertio, ſi vero loquamur de Monialibus exemptis ſubiectis Regularibus, concedere hanc facultatem ſpectat ad ipſos Prælatos Regulares, non autem ad Epiſcopos, ſeu ad eorum Vicarios. Ita Nauarr. *comment. 4. de Regular. nu.6.* Azor. *tom.1. lib.13. cap.8. q.7.* Rodriquez *tom.1. qq. Regular. quæſt.46. art.2.* Sanchez *lib.6. Moral. cap.16. num.* 13. Barboſa *de officio Epiſcop. allegat.*102. *num.*40. Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.*23. *q.*1. *num.*4. omnes relati à Pelliciario *loco ſupra*, quod probatur, tum ex declaratione S. Congregationis, quam refert Tamburin. *loco ſupra num.6.* tum ex eadem ratione adducta ſupra ad probandum hoc pertinere ad Epiſcopum.

4 Qui autem debeat intelligi nomine Superioris reſpectu harum Monialium Regularibus ſubiectarum habes apud dictum Pelliciarium *loco ſupra num.*149. te illi remitto.

5 Aduerte tamen, non poſſe Prælatum Regularem committere hanc facultatem alicui, qui non ſit Superior Monaſterij in capite ex eo, quod Concilium vult ſolos Superiores poſſe habere huiuſmodi facultatem, tales autem ſimpliciter dicuntur, qui ſunt in capite,

6 inſuper nota, quod quando dicitur ad ingrediendum Monaſteria Monialium ſufficere licentiam Epiſcopi, aut Superioris non per hoc excluditur conſenſus Abbatiſſæ, aut Monaſterij, hic enim ex natura rei ſupponitur.

7 Nec obſtat dictis, vt obſeruat optimè toties citatus Pelliciarius, quod circumferatur quædam declaratio S. Congregationis ſtatuentis, vbi poſt Concilium Tridentin. inducta fuerit conſuetudo, vt etiam in Monaſterijs exemptis, Ordinarius det huiuſmodi facultatem ſeruandam hanc eſſe, nam hoc prouenit non ex vi Concilij, iuxta cuius diſpoſitionem fuit ſupra ſermo, ſed ex vi conſuetudinis, quæ vtique poteſt, & conferre iuriſdictionem, & auferre priuilegia, ſi inducta ſit cum debitis conditionibus.

An puellæ manentes in Monaſterijs exemptis cauſa educationis ſubiaceant Ordinario.
Dub. CCCXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſẽtẽtia à multis ſuſtinetur*
2 *Contrariam tamen ſequitur Author.*
3 *Dictæ puellæ non ſubiacent caſibus reſeruatis Ordinario.*
4 *Tempore interdicti poſſunt dictæ puellæ audire Miſſas, & alijs Diuinis Officijs intereſſe.*
5 *De iure communi non requiritur licentia Epiſcopi ad loquendum cum dictis puellis, ſecus eſſe poteſt de iure particulari locorum.*

1 Affirmatiuè reſpondent Reginal. *lib.9. n.*154. *Naldus v. exẽptis n.1.*

 Pei-

Peirin. *to.* 1. *priuil. conſt.* 2. *Sixti IV. n.* 9. Laynan quos ſequitur, & refert nouiſſimè Pelliciarius *de Monial. cap.* 5. *ſec.* 4. *num.* 190. exceptis tamen caſibus in quibus Moniales exemptę ſubduntur Epiſcopo. Ratio fundamentalis eſt, quia locus exemptus, & extra Diæceſim ęquiparantur ex Gloſs. *in Clement.* 1. *de foro competenti.*

2 Contrarium tamen docent ex Suarez *diſputat.* 5. *de Cenſuris ſec.* 4. *num.* 6. aliqui quos ſuppreſſo nomine refert idem Pelliciarius *loco ſupra*, nam illa regula locus exemptus, & extra Diæceſim æquiparantur intelligenda eſt de loco exempto non ratione perſonarum (quomodo exempta dicuntur ſecundum aliquos Monaſteria Regularium,) ſed de locis exemptis ratione loci, vt ſunt aliqua loca immediatè Papæ ſubiecta, tu tamen ne diſcedas à prima ſententia, loca enim Regularium omnimodè exempta ſunt.

3 Hinc iuxta poſitam doctrinam colligit dictas puellas non ſubiacere caſibus reſeruatis Ordinario. Ita varij Doctores conſulti à Pelliciario, vt ipſe *loco citato* teſtantur, & fundamentum eſt ſupra poſitum, quia locus exemptus ęquiparatur loco extrà diœceſim, ergò ſicuti, &c.

4 Hinc etiam collige ſecundo, huiuſmodi Puellas commorantes in talibus Regularium Monaſterijs tempore interdicti, ſeu generalis, ſeu particularis poſſe audire Miſſam, & alijs diuinis Officijs intereſſe, recipere Sacramenta, & ſepultura Eccleſiaſtica donari (dummodò tamen excommunicatæ non ſint, & debitæ conditiones ſeruentur, quas debeant ſeruare alij Regulares) colligitur hoc ex Sorbo in *Compend. priuilegior. verb. interdictum* 3. *in annotat.* §. 5. *Tertarij*, vbi ſic habet *Tertiarij, beatæ, famuli familiares, domeſtici, &c. Fratrum, & Monialium poſſunt tempore interdicti, ſiuè generalis, ſiuè particularis Miſſam, cæteraque diuina Officia audire, Eccleſiaſtica ſepultura in noſtris Eccleſijs tradi, ibique omnia Sacramenta recipere dummodò tamen nemo ex ſupradictis ſit excommunicatus, &cæt.* Vbi nota illa verba aliæque *in Monialium Monaſterijs degentes*, per quæ poſſunt intelligi puellæ cauſa educationis ibi degentes.

5 Quod ſi quæras hic, an pro acceſſu ad loquendum cum his puellis requiratur licentia Epiſcopi, (ſi hæc requiritur ad loquendum cum Monialibus exemptis,) de quo erit infra dubium, habe hic, quod ſcribit Pelliciarius ait ergò ſic *cap.* 5. *ſec.* 5. *nu.* 208. *de Nouitijs verò patet reſponſio, quod de iure communi tantum interdicuntur acceſſus ad Moniales, vt modo diximus, Nouitiæ autem non ſunt Moniales, cum Monialis propriè dicatur per profeſſionem, &c. quæ ratio à fortiori intentum probat de puellis manentibus in educatione, & alijs fœminis quibuſcumque commorantibus intrà Monialium Monaſteria, nam hæ nomine Monialium non veniunt, neque in odioſis, neque in fauorabilibus, cum alias Nouitiæ in fauorabilibus reputentur Moniales, &c.*

6 Aduertit tamen ibi loqui Pelliciarium attento iure communi, nam iure particulari locorum oppoſitum contingere poteſt.

Ad

Ad quem ſpectet dare facultatem accedendi ad Moniales exemptas.
Dub. CCCXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Per Sacram Congregationem in hoc ſeruanda eſt conſuetudo.*
2 *Si autem Regulares volunt accedere ad loquendum cum dictis Monialibus requiritur neceſſario facultas Epiſcopi.*
3 *Etiam requiritur licentia Abbatiſſæ propter Regularem Obſeruantiam.*
4 *Quando Regulares habent licentiam loquendi cum Monialibus, extenditur etiam, quo ad ſocium.*

1 RESpondeo per Sacram Congregationem teſtibus Tamburino, *De Iure Abbatiſſarum, diſput. 26. qu. 2. num. 2.* & Pelliciario, *cap. 5. ſect. 5. de Monial.* in hoc ſeruandam eſſe conſuetudinem locorum; nam huiuſmodi facultates in aliquibus locis ſolent concedi à ſolo Epiſcopo; in alijs, & ab Epiſcopo, & Prælatis proprijs Regularibus, ſecluſa autem dicta conſuetudine concedere talem facultatẽ ſpectat ad ſolos Prælatos, vide circa hoc declarationem S. Congregationis habes apud Gauantum *in Manual. verb. Monialium allocutio.*

2 Si autem Regulares velint accedere ad loquendum cum huiuſmodi Monialibus neceſſario requiritur facultas Epiſcopi. Ita Pelliciarius *loco ſupra nu.* 207. hoc per decretum Vrbani VIII. relatum à citato Doctore, vbi habentur hæc verba, *prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem ſpectat eam concedere*, collectiuè ergo vtriuſque facultas requiritur habes decretum per extenſum apud Tamburinum, *Diſput. 26. de Iure Abbatiſſarum quæſit. 3.* & reſolutionem dubij, *eadem loco quæſit. 2.* vbi in fine habet requiri etiam propter Regularem Obſeruantiam licentiam Abbatiſſæ iuxta decretum Concilij Aquilienſis primi, vt refertur, *tom. 4. par. 2. Conciliorum Generalium*, vbi ſic. *Si quis Monialem alloqui velit licentiam ab Epiſcopo obtineat, hic tamen non permittatur alloqui ſine licentia Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ.* Quod quomodo in praxi ſeruetur neſcio. 3

Scias tamen hic, quando Regulares habent licentiam alloquendi Moniales extendi talem facultatem etiã ad ſocium. Ita Roderic. *tom. 2. qq. Regul. q. 6. art. 1. Riccius par. 1. praxis deciſ.* 745. Tamburinus *diſput. 26. quæſit. 4. num. 2.* & ratio eſt, quia de connexis idem eſt iudicium, ex cap. *tranſlat. de Conſtitut.* vbi ait, quod licentia Papæ viſitandi Sacroſanctum Domini Sepulchrum extenditur etiam ad ſocium. 4

An Regulares accedentes ad loquendum cum Monialibus incurrunt in cenſuras ſtatutas ab Ordinarijs.
Dub. CCCXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Opiniones Doctorum referuntur.*
2 *Diſtinctio, qua vtitur Duardus arridet Authori.*

Digitized by Google

3 *Constitutioni Gregorij XV.* Inſcrutabili, *quæ obijci poteſt, reſpondetur.*
4 *An Epiſcopi poſſint cōcedere Regularibus facultatē alloquendi Moniales.*
5 *Moniales loquentes cum Regularibus non habentibus facultatem eas alloquendi incidunt in cenſuras ſtatutas ab Ordinarijs, ſi ſtemus declarationi Sacræ Congregationis, quæ adducitur, ſecus præciſa tali declaratione.*

1 INnumeri, vt ita dicam ſunt Doctores, qui tangunt, & reſoluunt hanc difficultatem ego paucis contentus ero, nouiſſimè Pelliciarius eam ſic reſoluit *cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 204. An autem Regulares accedentes ſine licentia ad Moniales incurrant cenſuras ab Ordinarijs ſtatutas contra accedentes ad Monaſteria Monialium ſine ipſorum licentia. *Reſpondeo incurrere ſi nòn gaudeant priuilegio relato à Sanchez lib. 7. de matrim. diſput. 33. nu. 23. quod non poſſint cenſurari ab Ordinarijs locorum, & ratio eſt, quod licet ij ſint exempti, in caſu tamen propoſito poſſunt contra eos procedere Ordinarij etiam cenſuris cum in eo procedant, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, adeoque non ſuffragetur exemptio, quod fallit ſi gaudeant dicto priuilegio, vtpote Regulares priuilegiatos eximentes etiam à poteſtate delegata, quo ad hoc generaliter conceſſa. Quod tamen non facit quin Religioſi ſine debita licentia alloquentes aliquam Monialium puniri poſſint ab Ordinario, iuxta Gregorij XV. Conſtitutionem Inſcrutabili, immo, & carcerari tradendi ipſorum Prælatis, qui tenentur eos punire, &c.* Ita Pelliciarius.

2 Sed in hoc diſtinctio quam habet noſter vbique notus doctrinæ fama Duardus *in Bullam Canæ lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 3. *n.* 119. magis mihi placet, diſtinguit ergo ſic, vel ſermo eſt de Regularibus loquentibus cum Monialibus ſubiectis Ordinarijs, & non exemptis, & tunc cum Ordinarij, & Epiſcopi procedunt auctoritate ordinaria, iā ſequitur ex hoc non comprehendi Regulares excommunicatione lata contra alloquentes cum Monialibus, & ratio eſt, quia Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regul. & Monial.* quod allegatur à Doctoribus oppoſitum ſuſtinentibus, non dat facultatē huiuſmodi Epiſcopis ſupra exemptos & priuilegiatos omnimodè, vti ſunt Regulares; nam Concilium ibi renouat cap. *periculoſo de ſtatu Regul. in* 6. vbi hanc auctoritatem tribuit Epiſcopis ſolum ſupra Monaſteria exempta ad violatam earum clauſuram, conſeruandam, & reparandam: in Monaſterijs vero nō exemptis tribuit Concilium facultatem ordinariam, ad talem clauſuram cuſtodiendam. Vnde cum Ordinaria poteſtate procedant, iam nequeunt in Regulares procedere.

Si autem ſermo ſit de Monialibus ſubiectis Regularibus, & exemptis, cū auctoritate delegata procedāt ex eodē Concilio iam poterunt etiam cenſuris coercere Regulares loquentes ſine licentia cum huiuſmodi Monialibus. Ita Duardus.

3 Quod ſi obijcias Conſtitut. Greg. *Inſcrutabili*, in qua videtur Epiſcopis, & Ordinarijs concedi facultas, vt ſuper clauſurā omniū Monialiū inuigilent; & ſic poſſe cenſuris etiam procedere cū Regularibus indifferenter loquentibus cum omnibus Monialibus, tam exemptis, quam non exemptis.

Reſponderi poteſt vt ſup. cū Pelliciario

liciario per dictam Conſtitutionem dari Epiſcopis facultatem puniendi alijs modis Regulares alloquentes cum Monialibus, nam licet habeant facultatem delegatam Summi Pontificis; tamen eximũtur Regulares,quo ad hoc etiam à poteſtare delegata generaliter conceſſa;in dicta autem Conſtitutione generaliter conceditur facultas Epiſcopi coercendi per cenſuras violantes in hoc, Conſtitutionem ſcilicet circa clauſuram. Vide illam §.2.quod autem Regulares ſic ſine facultate alloquentes Moniales ſibi ſubiectas poſſint puniri ab Epiſcopo,firmat reſponſio Sacrę Congregationis relata à Lauretto de Franchis *part.1.Controuerſ.pag.*230.

4 Si verò hic quæras, an Epiſcopi poſſint concedere facultatem Regularibus pro acceſſu ad Moniales, lege decretum Sacræ Congregationis iuſſu Sixti V. editum, quod affertur à Tamburino *de Iure Abbatiſſarum diſput.*25. *quæſit.*4. ex quo conſtat Epiſcopis ablatam eſſe poteſtatem concedendi has licentias Regularibus eſſeque reſeruatam talem facultatem Sacræ Congregationi Cardinalium. poſtea verò per eamdem Sacram Cõgregationem de mandato Vrbani conceſſum fuit Epiſcopis, vt valeant dare licentiam Regularibus pro acceſſu ad alloquendum cum Monialibus,ſeruatis tamen quibuſdam conditionibus,quo decreto, & præcipuè deciſione quadam teſte Sellio *in ſelec. Canonic.* ſub die 22. Auguſti, & 7. Septemb. 1605. comprehendunt probabilem aliquorum Doctorum ſentẽtiam, quam præcipuè ſequitur Tamburinus *de Iure Abbatiſſar. diſput.*25. *quæſ.*4. *n.*3. contrarium tamen alij iudicant Emanuel.Roder.*q.*1.*art.*7.*to.*1. Petrus de Aragona 22.*qu.*98. *art.*11. & Abbat.*in rubric.de Regul.iuris*.

5 Quid verò dicendum erit de ipſis Monialibus exemptis ſi alloquantur cum Regularibus legitimam facultatem non habentibus, incidunt ne dictæ Moniales in cenſuras fulminatas ab Epiſcopo? habet dubium reſolutum Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum diſput.*25. *quæſit.*8. & reſpondet affirmatiuè hocque per vnam Verulenſem 29. *Ianuarij* 1633. quæ habetur apud Barboſam *in Collectan.Bullar. verb.Moniales*,quæ ſi authenticè extat tollit difficultatem, ipſa verò præciſa idem puto de his Monialibus dicendum, ac de ipſis Regularibus, quia in priuilegijs communicant.

An Epiſcopi poſſint accedere ad loquendum cum Monialibus ſine facultate Ordinarij, aut Superioris Monialium. Dub. CCCXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſunt Epiſcopi loqui cum Monialibus ſine facultate Ordinarij Monialium.*

2 *Nec contra hoc eſt declaratio quædam facta à Sacra Congregatione Concilij,& quare.*

3 *Non poſſunt Epiſcopi concedere licentiam,vt magiſtri canendi,& pulſandi alia inſtrumenta accedant ad Moniales ſub prætextu docendi ſonum cymbalorum, & ſimilium.*

1 NOn poſſe Epiſcopos loqui cum Monialibus ſine facultate & licẽtia Ordinarij, & Superioris Monialium reſpondendum eſt, ſi ſtemus in iure

iure, nam etiam Epiſcopi comprehenduntur in cap. *periculoſo de Regul. in 6*. quod innouatum fuit à Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 5. Non tamen per hoc ſequitur, vt notat Pelliciarius *cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 210. poſſe Epiſcopos excommunicari ab Ordinarijs locorum, & Monaſteriorum, ad quæ fit acceſſus.

2 Nec contra hoc facit quædam declaratio Sacræ Congregationis relata à Tamburino *diſput.* 25. *q.* 2. *numer.* 4. his verbis. *Petitum fuit ab Illuſtriſſimis Patribus Concilij Tridentini, decreta interpretantibus declarari, an Prior Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicolai Barenſis quãuis Epiſcopus poſſit in tuitione iuriſdictionis Archiepiſcopalis in caſibus à Sacro Rota Romana auditorio reſolutis ſeruatis ſeruandis, excommunicari, & an eidem Priori permiſſum ſit ad Monaſteria Monialium iſtius Ciuitatis accedere abſque Amplitudinis tuæ licentia, & abſque eo, quod incurrat in cenſuras in edicto deſuper publicato contentas Sacra Congregatio licet cenſeret Amplitudini tuæ licere D. Priorem Barenſem excommunicare ex auctoritate tua ordinaria, illumque edicto contrauenientem pœnis in eo contentis ſubiacere, attamen tutius putauit etiã S. D. N. annuente, vt Amplitudo tua, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegata contra dictum Priorem in caſibus ſupra expreſſis ad cenſuras, & pœnas reſpectiuè procedat.*

Nam hæc declaratio, vt notat ſupra relatus Pelliciarius non probat quemlibet Ordinarium poſſe excommunicare Epiſcopos extraneos alloquentes ſine licentia cum Monialibus, ſed fuit edita in fauorem Archiepiſcopi Barenſis contra Priorem Barenſem Epiſcopali dignitate fulgentem ſubditum dicto Archiepiſcopo Vnde non curri hoc reſpectu Epiſcoporum in vniuerſali, & ſic non habet locum in his dicta declaratio. Vnde Diana *tract.* 2. 3. *p. reſolut.* 48. *verſ. nota* 5. dicit. *Et idem aſſerendum puto de Epiſcopis, qui vt experientia demonſtrat ſine ſcrupulo cum Monialibus alloquuntur abſque Ordinariorum licentia, & ita docet Graffius de caſibus reſeruatis lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 27. *&* 54. *licet contrarium doceat Gratianus tom.* 2. *cap.* 393. *n.* 20. *& hic Panormi obſeruatur.*

3 Quæres hic obiter, an Ordinarij, & alij Superiores poſſint concedere licentiam, vt magiſtri canendi, & pulſandi cymbala, & alia inſtrumenta poſſint accedere ad Moniales. Reſpondeo negatiuè, ex declaratione S. Congregationis, quam affert Gauantus *in Manual.* verb. *Monialium collocutio num.* 4. ſub his verbis, *non permittatur acceſſus ad Moniales ſub prætextu docendi ſonum cymbalorum, aut alterius inſtrumenti, aut muſicam, cantumue ad crates* idem tradit nouiſſime Pelliciarius, *cap.* 5. *ſect.* 5. *num.* 221.

An Moniales poſſint facere in proprijs Eccleſijs celebrare Miſſam abſque licentia Ordinarij, & Superioris.
Dub. CCCXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ſuſtinetur, & quænam ſit praxis circa hoc.*

2 *Cappellani, & alij, qui celebrant in Eccleſijs Monialium poſſunt celebrare de Sancto, de quo ipſæ Moniales officium recitant, & quomodo.*

In

3 *In Eccleſijs Monialium non poteſt cantari per ſæculares perſonas in cantu figurato per declarationem Sacræ Congregationis, quæ tamen non eſt in vſu.*

1 NEgatiuè reſpondet Pelliciarius *cap.7.num.7.de Monial.* idque ex Conſtitutione Clementis VIII. relata à Moſconio *de Maieſtate milit. Eccleſ. p.1.libr.4.* vbi hæc habentur. *Nulla Monialis, vel alia perſona ſæcularis audeat celebrare facere in Eccleſijs Monialium priuatas Miſſas præter eas, quæ à Cappellanis deputatis celebrari ſolent ſine licentia Ordinarij,* & hanc dicit eſſe praxim communem Pelliciarius *loco ſupra,* praxim autem puto talem eſſe ſcilicet ſufficere licentiam tacitam, & implicitam, quæ circa hoc debet ſemper adeſſe, nota ſufficere licẽtiam Prelati Regularis ad celebrandum in Monaſterijs exemptis.

2 Adde hic poſſe Cappellanos, & alios, qui celebrant in Eccleſijs Monialium celebrare de Sancto de quo ipſæ Moniales officium recitant, ex decreto Sacræ Congregationis *ſub 20. Nouemb. 1628.* ſed cum Miſſali Romano, & celebrando Miſſam de Communi ſi non extet propria Miſſa de eo Sancto in Miſſali Romano. Ita Pelliciarius *loco ſupra n.8.*

3 Scias hic inſuper in Eccleſijs Monialium non poſſe cantari per ſæculares perſonas in cantu figurato, vel ſimplici, refert quo ad hoc declarationem quamdam Gauantus *in Manual.* verb. *Monialium Eccleſia,* quæ tamen declaratio non eſt in vſu, vt obſeruat Pelliciarius *loco ſupra nu.9.* hic tamen cantus per perſonas ſæculares ſemper debet fieri de conſenſu Ordinarij, & Superioris dictarum Eccleſiarum, & Monialium.

An Epiſcopus poſſit intrare clauſuram Monialium pro conſecratione, ſeu benedictione dictarum Monialium.
Dub. CCCXXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ferè communis eſt.*
2 *Adeſt declaratio Sacræ Congregationis Rituum, per quam ſtatuitur debere fieri conſecrationem in Eccleſia exteriori.*
3 *Nec Superior, qui præeſt electioni Abbatiſſæ poteſt ingredi clauſtra Monaſterij, ſed ante cancellorum feneſtellam vota ſingularum debet audire.*

1 NEgatiuè reſpondet Riccius *p.4. dec.detiſ.309.n.6.* & hoc iuxta Concilium Trident. *ſeſſ.25. de Regular. cap.5.* vbi præcipitur, vt nullus Monialium Monaſteria ingrediatur niſi in caſibus neceſſarijs, hic autem caſus neceſſarius non eſt, cum poſſit Epiſcopus benedicere, & conſecrare Moniales etiam extra clauſuram. Idem tradit Miranda *in Manual. Prælator. tr. de Sacris Monialibus quæſt.2. art.14.* Pelliciarius item *cap.3. ſec.3. num.92.* qui teſtatur ex Tamburino adeſſe declarationem Sacræ Congregationis Rituum, per quam decernitur talem conſecrationem fieri poſſe in Eccleſia
2 exteriori. Addit tamen ibi in aliquibus locis ex iuſtis, & rationabilibus cauſis, ex reſcripto eiuſdem Congregatiu-

gationis inductum fuiſſe, quod Monialis conſecranda nequaquam egrediatur è clauſura, ſed conſecretur in Eccleſia interiori à Prælato exiſtente ad feneſtrellas.

3 Idem dic de Epiſcopo, & Superiori, qui præeſt electioni Abbatiſſæ, tunc enim non poteſt ingredi clauſtra Monaſterij, ſed ante cancellorum feneſtrellam vota ſingularum debet audire, vel accipere; nam licet hic ingreſſus ad talem finem videatur habere aliquam rationem,&conuenientiam, attamen, quia non habet neceſſitatem non licet. Ita Pelliciarius *c.5. ſec.3.num.*111.

An Epiſcopi, & Ordinarij locorum poſſint viſitare Monaſteria Monialium, quæ ſubiectæ ſunt Regularibus, & hoc ratione clauſuræ.

Dub. CCCXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ab aliquibus defenditur.*

2 *Pro qua* caput 1. de Regular.in 6. *adducitur.*

3 *Nec Concilium Tridentinum derogat iuri antiquo in hoc.*

4 *Lex interpretans recipit omnes extenſiones, quas recipit interpretata.*

5 *Contraria tamen ſententia tenenda eſt.*

6 *Per Concilium non ſolum poſſunt Epiſcopi viſitare, quo ad clauſuram Monaſteria immediatè ſubiecta Sedi Apoſtolicæ, ſed etiam ſubiecta Regularibus.*

7 *Adducitur ad hoc quædam declaratio Sacræ Congregationis.*

8 *Lex roborans ſeu interpretans intelligitur ſecundum terminos interpretatæ in dubio, ſecus vbi Legislator videtur voluiſſe diſpoſitionem ampliare.*

9 *Eſt controuerſum inter Doctores, an aſſiſtentia etiam Prælatorum Regularium requiratur pro tali viſitatione.*

10 *Eſt etiam pro vtraque parte opinio, an Vicarius Epiſcopi poſſit viſitare dicta Monaſteria.*

11 *Etiam Vicarius Epiſcopi poteſt monitoria concedere ad effectum reuelandi.*

12 *Etiam ſi poteſtas Epiſcopi eſſet delegata, dum viſitat dicta Monaſteria adhuc Vicarius Generalis poſſet cum ſpeciali mandato viſitare dicta Monaſteria.*

13 *Poteſt Ordinarius Oſtia frangere, &c. ſi renuant Moniales ab eo viſitari in caſu poſito.*

14 *Poſſunt Moniales exemptæ puniri ſi delinquant circa clauſuram.*

15 *Moniales, quæ degunt in aliqua Ciuitate, & ſubduntur Epiſcopo alieno poſſunt tamen viſitari, quo ad clauſuram ab Epiſcopo Ciuitatis in qua degunt.*

1 NEgatiuè reſpondet Emanuel, Rodericus *tom.1.qq.Regularium q.*47. *art.*10. qui explicat Concilium Trident. *ſeſſ.*25. *de Regular. cap.*5. dicens ſenſum Concilij eſſe, vt quo ad Monaſteria Regularibus ſubiecta nihil aliud agere valeant Epiſcopi, niſi dum clauſura dictarum Monialium iam eſt violata, monere Prælatos Religionis, vt illam reſtaurent,& contineant

neant in officio Moniales, quod ſi admoniti intra ſex menſes id emendare neglexerint, tunc Epiſcopi dictorum Prælatorum defectum poterunt ſupplere: fauent huic ſententię teſte Themudo a Fonſeca, *in ſuis deciſionibus deciſ. 63.* Llamas *in Methodo curat in appendice* §. 5. Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 15. num. 21.* Miranda *in Manual. Prælatorum tract. de Sanctimonial. quæſt. 2. art. 14. Concluſ. 3.* Bonacina *tract. de Clauſura q. 1. punct. 6. num. 1.* aliquæ rationes
2 adduci poſſunt pro hac ſententia: primo Quia *caput 1. de Statu Regular. in 6. §. & quoniam*, vbi ſtatuit, vt Epiſcopi faciant clauſuram cuſtodiri, & conſeruari quo ad Moniales ipſis iure Ordinario ſubiectas, quo verò ad exiſtentes ſub immediata Sedis Apoſtolicæ protectione iure delegato, Ergo nihil ibi habetur de Monialib⁹ Re-
3 gularibus ſubiectis, nec per Conciliū Tridentinum, *Seſſ. 25. citata cap. 5.* aliquid de nouo ſupra diſpoſitionem citati capitis additur, ſed ſolum antiquus textus roboratur; Ergo nec per Concilium Epiſcopis hæc facultas viſitandi monaſteria exempta tri-
4 buitur. Secundo, lex interpretans recipit omnes extenſiones, & limitationes, quas recipit interpretata, ſeu roborata, vt communiter tradūt Doctores. Ergo cum textus, & lex antiqua relati capitis de Statu Monachorum recipiat hanc interpretationem, etiam diſpoſitio noua Concilij eandem recipiet. Sed his rationibus non obſtantibus.
5 Contraria ſententia tenenda abſq; dubio eſt; poſſe ſcilicet ab Epiſcopo, & Ordinario loci viſitari Monaſteria exempta ratione clauſuræ, etiam ſi Regularibus ſint ſubiecta. Hanc tenent innumeri fere Doctores, & modo communiter: Zerola *in praxi Epiſcoporum parte 1. verb. Moniales* §. 4. Piaſecius *in praxi Epiſcopali part. 2. cap. 3. de viſitatione Sanctimonialium numer. 53.* Campanilis, *Rubric. 12. cap. 13. num. 83.* Cokier *de iuriſdictione in Exemptos parte 2. q. 45.* Barboſa, *de Officio Epiſcopi allegat. 102. numer. 3.* Themudo a Fonſeca, *deciſ. 63.* vbi alios doctores refert idem ſuſtinentes nouiſſimè etiam in ſuo *Tract. de Monialibus Cap. 10. num. 22.* Pellicciarius. Idem ſentit Sperellus; & latè defendit *in ſuis deciſ. Deciſ. 97.* adeſt circa hoc decretum Sacræ Congregationis teſte noſtro Naldo *v. Monialis num. 3.* probatur etiam ex ipſo Concilio;
6 nam dum iubet vt Epiſcopi in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis Ordinaria, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram conſeruari, & reſtaurari vbi violata fuerit procurent, dictio *alijs*, eſt indefinita, vt tradunt Doctores Vide Barboſam, *de Dictionibus dict. 17. in fin.* Inſuper cum in pręcedenti eiuſdem capituli diſpoſitione dictum ſit in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis dictio illa *in alijs* intelligitur ſub eadem generalitate, vt ſignificet in cæteris omnibus nullo excluſo; & ſic non ſolum per Concilium habent Epiſcopi hanc facultatem viſitandi monaſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta; ſed etiam Prælatis Regularibus ſubdita, & exempta,
7 roboratur inſuper hæc ſententia per deciſionem quandam Sacræ Congregationis, quam adducit ad verbum Sperellus citata deciſ. & poſt eum Themudo a Fonſeca; & eſt tenoris ſequentis: *Congregatio Cardinalium Concilij*

cilij Trident. interpretum ad vtrumque dubium reſpondit non ſolum Epiſcopo, ſed etiam Generali eius Vicario ad hoc ſpeciale mandatum ad id habenti licere pro clauſuræ viſitatione ingredi ſepta monaſteriorum Monialium Regularibus ſubiectarum; tametſi nulla rationabilis violatæ clauſuræ ſuſpicio irrepſerit, & acriter reprehendit Emanuelem Rodriquez, quod hac de re tã audacter locutus fuerit. Subſcriptio Antonius Cardinalis Caietanus, adeſt etiam circa hoc declaratio altera *Sub Vrbano VIII.* directa Epiſcopo Conimbricenſi, qui cum Moniales Sãctæ Claræ de Cellas exemptas vellet viſitare, obſtarentque Regulares Prælati; ad Sacram Congregationẽ recurſum habuit, & obtinuit, contra inobediẽtes ſententiam: adducit Luſitano ſermone dictam declarationẽ relatus Themudo, vnde hic eam ad verbum non refero. Opinio ergo hæc modo abſque dubio tenenda eſt.

8 Nec faciunt adducta pro contraria: nam lex roborans, ſeu interpretans intelligitur ſecundum terminos roboratæ, ſeu interpretatæ in dubio; ſecus autem vbi apparet legiſlatorẽ voluiſſe diſpoſitionem ampliare pro vt apparet in Tridentin. dicto *cap. 5. ſeſſ. 25. de Regular.* vbi plura adducuntur circa clauſuram, quæ *in cap. 1. de Statu Monachor.* non continentur.

9 Si autem dubites hic, & merito; an Epiſcopus, & Ordinarius loci poſſit viſitare dicta Monaſteria exempta & Regularibus ſubiecta ſe ſolo; an verò etiam interuentus, & aſſiſtentia Pręlatorum Regularium requiratur: Naldus *in Summ. verb. Monialis num. 5.* & etiam Pellicciarius, *cap. 10. ſeſſ. 1. num. 22.* reſpondent non requiri hanc aſſiſtentiam, Sed contrarium videtur docere Themudo a Fonſeca *deciſ. 63. citata*; dum non explicat Conſtitutionem Pij V. quę incipit *Cura Paſtoralis in Bullar. tom. 2.* vbi habetur, debere Epiſcopos vna cum ſuperioribus Monaſteriorum exemptorum curare vt clauſura ſeruetur: Ergo non excluduntur Prælati Regulares a viſitatione.

10 Sed quid dicendum de Vicario Epiſcopi; hic poteſtne viſitare hæc monaſteria Regularium exempta. Negatiuè reſpondet, & conſequenter quidem ad ſua principia loquens. Rodriquez, *tom. 1. qq. quæſt. 47. num. 10.* nam qui negat hanc facultatem Epiſcopo a fortiori negare debet eius Vicario.

Affirmatiuè tamen eſt reſpondendum, & ita reſpondet Sperellus, *relata ſupra deciſ. 97.* & probatur primo. Quia quotieſcumque Concilium voluit Vicarium excludere, illum ſemper explicite excludit ſic *ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 6.* vnde fit, & ſequitur; vt in cæteris caſibus ipſum non excipiẽdo includat hoc argumento præcipuè vtitur Genuenſis, *in praxi Archiepiſcopali cap. 1. num. 1. & cap. 26. num. 1.* apud eundem Sperellum. Deinde probabile ſatis eſt, hanc iuriſdictionem, & facultatem, quam habet Epiſcopus in caſu poſito eſſe facultatem Ordinariam, non delegatam, iuriſdictio enim conceſſa ex principis priuilegio officio, & dignitati non cenſetur delegata; ſed Ordinaria vt per Bartol, *in leg. Ambitioſa §. de Decret. ab Ordinar. faciend.* & Ioannem Andream, *in addit. ad Specul. titul. de delegat. §. vltim.* Imolam; Couarruuiam, & alios; ergo ſi eſt Ordinari

iam

iam Vicarius eius poterit viſitare, & cæt. Hinc eſt quod etiam ſi Concilium diceret, & diſponeret a nullo alio, niſi ab Epiſcopo poſſe monaſteria exempta Regularibus ſubiecta viſitari, & cæt. adhuc hoc poſſet fieri a Vicario Generali, ſicut etiam ſi Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reformatione*, diſponat a nemine prorſus concedenda eſſe monitoria ad effectum reuelandi pręterquam ab Epiſcopo, attamen Vicarius Generalis, qui habet generale mandatum eandem Epiſcopi auctoritatem in iuriſdictionalibus poteſt dicta monitoria concedere, vt tenent Henriquez, *in Summ. lib.* 13. *cap.* 17. §. 4. Sbrozz. *de Vicario Epiſcopi lib.*2.*quæſt.* 171. *num.* 2. Zerola *in praxi Epiſcopor. part.* 1. *verb. Vicarius, verſ. primum eſt,* Lezzar. *Sec.* 1. *quæſt.* 6. *numer. prim.* Franciſcus Leo *cap.* 7. *num.* 17. & alij plures apud Barboſam, *in Collectan. Doctorum ſupra Concilium Tridentin. num.* 5.

12 Sed dato quod hæc poteſtas eſſet delegata, attamen Vicarius Generalis poterit viſitare dicta monaſteria ſi ſpeciale mandatum ad hoc habeat, non ſufficiet tamen Generalis commiſſio, vt docent multi Doctores Felin. Federicus de Senis, Bertachinus & alij apud Sperellum, *dicta deciſione* 97. *numer.* 7. ſufficit tamen ſpeciale mandatum, & prob. ex alio loco Concilij *Seſſ.* 24. *cap.* 6. vbi dum tribuitur Epiſcopo facultas abſoluendi a caſibus reſeruatis Summo Pontifici dicitur vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, ergo videtur excluſa Vicarij poteſtas ad hoc ex generali commiſſione, non autem ex ſpeciali;

13 Ex poſita Doctrina ſequitur; Ordinarium, & Epiſcopum poſſe vim inferre oſtia Monaſterij Monialium frangendo, in caſu quo iuxta dicta habeat in illas ius viſitandi. Ita Barboſa ex Innocentio, Fuſco, Campanil. Genuenſi; Tamburinus etiam idem docet, item, Themudo de Fonſeca dicta *deciſ.* 63. & Pelliciarius nouiſſimè, *cap.* 10. *de Monialibus ſec.* 1. *num.* 25. & hęc doctrina vera eſt quomodcumque procedat Epiſcopus ſiue auctoritate Ordinaria hoc faciat, ſiue delegata.

14 Secundo poſſe ab Ordinario puniri Moniales exemptas delinquentes, circa clauſuram; quod colligunt aliqui ex loco ſæpius citato Cōcilij Tridentini *Seſſ.* 25. *de Regular. capitul.* 5. per ea verba, *inobedientes atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas aliaſque pœnas quacumque appellatione poſtpoſita compeſcentes*, Ita Pelliciarius, *loco ſupra num.* 26.

15 Scias hic obiter Moniales etiam illas quæ degunt in aliqua ciuitate, & ſubditę ſunt alteri Ordinario, poſſe viſitari ab Epiſcopo ciuitatis in qua degunt. Ita Naldus *in Summ. Verb. Monialis n.*4. quem ſequitur etiam nouiſſimè Pelliciarius, *Cap.* 10. *numer.* 22. intellige tamen quo ad clauſuram, non quo ad alia.

An

An Moniales ſubditę Epiſcopo gaudeant priuilegijs ſui Ordinis, quibus gaudent Regulares viri exempti.
Dub. CCCXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quæ videntur ſuadere Moniales, non gaudere dictis priuilegijs.*
2 *Rationes pro parte affirmatiua.*
3 *Opinio Authoris.*
4 *Moniales gaudent etiam priuilegijs illius Religionis ſub cuius cura viuunt.*
5 *Moniales ſub cura alicuius Religionis viuentes, ſunt veluti pars illius Religionis.*
6 *Quomodo dictæ Moniales ſubditæ Epiſcopo poſſint frui priuilegijs, ad quorum vſum requiritur miniſterium Prælati.*

1 Affert dubium in terminis Portel. *Parte* 2. *Caſuum Caſ.* 14. loquens de Monialibus Sanctæ Claræ, &

Pro negatiua parte, ſcilicet quod nõ gaudeãt facit quod habetur in Compendio Priuilegiorum Mendicantium verb. *Monialis*, & verb. *communicatio Priuilegiorum*, fauet etiam quædam rationabilis coniectura; nam cum Regulariter hæc priuilegia pro Monialibus ſint a Summo Pontifice, medijs Fratribus, & Religioſis viris impetrata credibile eſt ea non poſtulaſſe dictos Religioſos niſi pro Monialibus ſibi ſubiectis; Denique Moniales tertiariæ licet viuent in Congregatione non gaudent priuilegijs Regularium, niſi habeant aliquam particularem Bullam extenſionis priuilegiorum; priuilegia enim ſunt ſtricti iuris, ac proinde potius reſtringenda ſunt, quam dilatanda.

2 Pro affirmatiua autem parte, quod ſcilicet gaudeant facit, loquendo particulariter de Monialibus Sanctę Claręe Bulla Bonifacij VIII. quam habes *in Bullario Rodriquez fol.* 110. in qua conceditur Monialibus Sanctæ Claræ, etiam antequã eſſent ſub cura Minorum, quod gaudeant priuilegijs Minorum conceſſis, & concedendis ſecundo, & Sixtus IV. vt habes Verb. *Communicatio Priuilegiorum in Compendio priuilegiorum. Mendicantium*, dum concedit Monialibus Sancti Franciſci, & Sancti Dominici priuilegia eorumdem Fratrum non diſtinguit ſi viuant ſub cura eorumdem Fratrum; ſed hoc abſolutè concedit; nec dicta priuilegia ſunt reuocata, vt notat dictus Portel. qui inclinat nihilominus magis in negatiuam ſententiam; ſed ſit,

3 Concluſio Moniales ſubditæ Epiſcopo, & ſub eius cura viuentes adhuc priuilegijs ſui Ordinis gaudent (illis tamen quorum capaces ſunt) Ita Caſtro Pallao *parte* 1. *Tract.* 3. *Diſput.* 4. *de Priuileg. Punc.* 2. *§.* 9. *nu.* 1. Paſqualigus *in ſuis deciſion. deciſ.* 178. *de Celebratione Miſſarum*, & ratio eſt, quia ſunt pars adhuc eiuſdem Religionis, & ſic priuilegium conceſſum Religioni ad illas etiam extenditur. Vnde nõ ſolum gaudent priuilegijs directè cõceſſis ipſi Religioni, ſed etiam alijs conceſſis per participationem, & cõmunicationem; nec vim habent, vt patet conſideranti rationes pro contraria ſententia adductæ, nam motiuũ

quod

quod habuerunt Regulares petendi à Summis Pontificibus priuilegia pro Monialibus, ſolum erat in fauorem ordinis, deinde eo ipſo, quod Pontifices aliquem ordinem ditant priuilegijs omnes partes eiuſdem ordinis illis ditant, cum partes illorum capaces ſunt.

4 Amplia etiam poſitam concluſionem; & dic Moniales gaudere etiam priuilegijs illius Religionis, ſub cuius gubernatione, & cura viuunt; etiam ſi ſint diuerſi ordinis, exemplum ſit de Monialibus Sapientiæ Neapoli, quæ ſunt ſub cura meæ Religionis, & tamen ſunt Ordinis Sancti Dominici; iſtæ Teatinorum priuilegijs fruuntur Ita Paſqualigus *in ſuis ſupra citatis deciſion. deciſ.* 179. & hoc ob priuilegium, quod habent Fratres Minores, per quod Moniales ſub eorum cura viuentes gaudent illorum priuilegijs, conceſſit hoc priuilegium Minoribus Bonifacius VIII. vt teſtatur Sorbus *in Compendio tit. Communicatio priuilegior. numer. 6.*

5 Inſuper vt notat acutus Paſqualigus etiam præciſo priuilegio, Moniales ſub cura Regularium viuentes ſunt velut pars illius Religionis ſub cuius cuſtodia, & cura viuunt, & ſic gaudent illius priuilegijs.

6 Sed ſuppoſita hac doctrina poſita in concluſione venit in mentem dubium, quod mouet Pelliciarius *de Monialibus cap. 9. numer.* 4. Quomodo ſcilicet iſtæ Moniales immediatè ſubiectæ Ordinario poſſint vti, & frui priuilegijs illis Regularium, ad quorum vſum requiritur miniſterium Prælati (cuiuſmodi *v.g.* eſt priuilegium abſoluendi, diſpenſandi, & cæt.) quis nam debet eſſe Superior, qui det Monialibus hanc facultatem, & commodum fruendi priuilegijs huiuſmodi. Prælatusnè Regularis, vel Epiſcopus. Reſpondeo cum citato Pelliciario cum diſtinctione, ſi in tenore priuilegij, & conceſſionis habeatur præfata priuilegia ſuffragari Regularibus per miniſterium proprij Prælati abſtrahendo, quod Prælatus, ſit Regularis, aut non Regularis, poſſunt tunc vti, etiam ſi conceſſio detur ab Epiſcopo, & proprio Ordinario, at ſi in tenore conceſſionis, & priuilegij habeatur dicta priuilegia ſuffragari Regularibus per conceſſionem ſolum Prælati Regularis, tunc à ſolo Prælato Regulari recipere poſſunt hoc commodum fruendi dictis priuilegijs.

An ſolus Epiſcopus poſſit dare Confeſſores extraordinarios Monialibus, quæ ſubduntur Regularibus.
Dub. CCCXXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Doctores, qui affirmatiuè reſpondent.*
2 *Quid ſentiat Author.*
3 *Quid dicendum ſi attendatur Conſtitutio Gregorij Decimiquinti Inſcrutabili.*
4 *Si Moniales renuant recipere hos Confeſſarios nequeunt cogi ab Epiſcopo, vt accipiant.*
5 *Offerri tantum debent Confeſſores iſti extraordinarij, non autem inuitis dari.*

6 *Epiſcopus non debet dare particularem illum confeſſarium, quem petunt Moniales.*

7 *In probabili ſententia, nec tempore Iubilæi poſſunt Moniales confiteri niſi illi confeſſario, qui fuit deputatus ab Epiſcopo.*

8 *Etiam vltra tres vices poſſunt Superiores aſſignare confeſſarios extraordinarios Monialibus.*

9 *Obiectioni ſatisfit.*

1 Affirmatiuè reſpondent Barboſa *in Collect. Doctor. in Concilium Trident. ſeſſ. 25. de Regularibus, & Monial.* Aloyſius Riccius apud Ioannem Antonium Nouarium *in Sum. Bull. de exemptorum priuilegij num. 29.* Fundamentum illorum eſt Concilium *loco citato*, ſed ſit

2 Concluſio ſi ſtemus in Concilio, nec de hoc ſit aliqua authentica declaratio non video quomodo Epiſcopus poſſit dare ſe ſolo, quem voluerit confeſſarium extraordinarium dictis Monialibus. Habe verba Concilij: *præter ordinarium autem Confeſſorem alius extraordinarius ab Epiſcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat.* Ecce quomodo aliorum Superiorum & Prælatorum conſenſus, & oblatio requiritur ad hoc, imò ita requiritur, vt ſtando in verbis Concilij Prælati Regulares ſe ſolis poſſint dare hos confeſſarios, & ita conſiderando Concilium reſoluit Bordonus *in ſuis Conſilijs reſolut. 5. quæres 12.* quia licet Concilium copulatiuè loquatur, attamen copulat diſtributiuè, & reſpectiuè, non autem coniunctiuè per concurſum vtriuſque; Si attendamus ergò diſpoſitionem Concilij potius dicendum eſt Prælatos ſolos poſſe hoc facere, quam Epiſcopos.

3 Dico tamen ſecundo, ſi attendatur Conſtitutio Gregorij XV. *Inſcrutabili* iam ſpectant hoc ad Ordinarium loci. Ita Pelliciarius nouiſſimè *in tract. de Manual. numer. 258. cap. 10.* hoc tamen pacto, quod debeat præſentari à Prælato Regulari, & poſſe ab Epiſcopo, & Ordinario loci approbari; habe verba Conſtitutionis Gregorij citatæ. *Confeſſores verò ſiue ſæculares, ſiuè Regulares quomodocumque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij ad confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubiectarum audiendas nullatenus deputari valeant niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedantur obtineant.*

4 Sed quæres hic circa hos confeſſores. Primo, an ſi Moniales nolint recipere hos confeſſarios extraordinarios, poſſit Ordinarius, & Epiſcopus eas cogere, vt recipiant; Negatiuè reſpondeo cum Peirino *in formulario Prælatorum littera* C. *cap. 15. num. 6. §. aduerte etiam*, & ratio eſt, quia hoc, quod conceditur Monialibus illo loco Concilij eſt priuilegium quoddam & fauor, & ſic non confertur in inui-
5 tum. Imò per Concilij verba videtur etiam aliquo pacto hæc opinio roborari dum habetur *bis, aut ter in anno offeratur*, ecce quomodo offeri tantum
6 debeat non autem inuitis dari, Non tamen per hoc ſequitur, quod debeat Ordinarius, & Epiſcopus illum particularem confeſſarium Monialibus aſſignare, quem illæ petũt; ita vt neceſſario illum teneantur illis deputare, quia Conc. Trid. in allegato decreto ſo-

ſolum pręcipit Prelatis Monialium, vt confeſſarium extraordinarium illis offerant bis, aut ter in anno non autem, vt concedant illum, quem petunt ipſæ Moniales. Vnde cum à diuerſis non fiat illatio (maximè vbi agitur de oblgatione) præceptũ Concilij non debet ampliari ab vno caſu expreſſo ad alium non expreſſum, & confirmat dictum Pelliciarius *de Ma-*
7 *nual. cap.* 10. *ſect.* 3. *num.* 259. alio ſimili probabilis ſententia Doctorum habet Moniales, neq; tempore Iubilæi poſſe vigore illius confiteri, niſi ei ſolum, qui de facto fuerit deputatus ab ipſo Ordinario. Ergo ſi tempore Iubilæi, neq; liberum eſt Monialibus habere confeſſarium, quem volunt a fortiori, nec alio tempore.

8 Secundo quæres, an vltra tres vices poſſint Epiſcopi, & Superiores aſſignare hos confeſſarios extraordinarios. Affirmatiuè reſpondeo, & ita in terminis reſpondet Bordonus *in ſuis Conſilijs reſolut.* 5. *quæres* 11. Immo toties quoties extat legitima aliqua cauſa; vt aliqua ſolemnitas ex celebrioribus aliqua infirmitas; aliqua confeſſio generalis facienda, & ratio eſt; quia decretum Concilij *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regular.* dum dicit *alius extraordinarius ab Epiſcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur*, nullam continet prohibitionem, ſed tantum præceptum affirmatiuum, quo coguntur dare bis, aut ter in anno dictis Monialibus confeſſarium extraordinarium. Deinde hoc Decretum fuit factum in fauorem Monialium, ergo ampliandum erit vltra tertiam vicem. Inſuper Tridentinum non dat per hoc decretum facultatem Superioribus Monialium, ſed tãtum eis dat modum, per quem prudenter debeant vti tali facultate. ergo ſicut ante Concilium poterant, vel imediatè per ſe, vel per alium audire aliquibus vicibus confeſſarios Monialium ſic etiam poſt

9 Quod ſi dicas fuit reſtricta in hoc facultas Ordinariorum ſcilicet obligata, vt daret bis, aut ter confeſſo res extraordinarios Monialibus.

Reſpondeo fuit reſtricta, vt neceſſario bis, aut ter offerret concedo, & vltra illas vices nõ poſſit dare nego; nam de tali prohibitione, nec verbum dicit Concilium. Hæc Bordonu oppoſitum tamen, qui teneant non deſunt.

An Generales Regularium alijq; Prælati debeant ab Epiſcopis etiam approbari, pro audiendi confeſſionibus Monialium ipſis Regularibus ſubditarum. Dub. CCCXXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent aliqui.*
2 *Alij docent Generales eſſe quidem approbandos non autem examinandos.*
3 *Authoris opinio fauorabilis in hoc Prælatis omnibus Regularium.*
4 *Nomine Parrochialis Eccleſiæ non venit Parrochialis collegiata.*
5 *Obiectioni ſatisfit.*
6 *Declaratio, quæ videtur eſſe contraria explicatur.*

1 Affirmatiuè reſpondet Barboſa ex Sellio, qui teſtatur ſic fuiſſe

deciſum, vide *in Collect. Doctor.* ſupra Conc. *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Reg. & Mon.*

2 Limitat hanc ſententiam Bordonus *reſolut.* 5. *in ſuis conſilijs quæres* 1. & docet Generales eſſe quidem approbandos ab Epiſcopo, non autem examinandos, quia aliquid eſt dandum, & ſpecialiter concedendum huic ſupremæ dignitati.

3 Ego tamen, ſaluo meliori iudicio dicerem præciſa declaratione, de qua infra non eſſe neceſſario approbandos Generales, & alios Prælatos pro confeſſionibus Monialium; nam alijs multis exemplis poteſt hoc dictum roborari; Sic dicunt Doctores in odioſis nomine Monialium non veniunt Abbatiſſæ, & nomine Monachorum non veniunt Abbates, & colligitur *ex cap. Statutum*, fauent Lezana verb. *Abbas num.* 6. & Diana *de Dubijs Regularium reſolut.* 48. ſic nomine Parrochialis Eccleſię non venit
4 Parrochialis Collegiata. Ergo etiam ſi Regulares nequeant audire confeſſiones Monialium ſine peculiari Epiſcopi approbatione, adhuc tamen Prælati Regulares non veniunt nomine Regularium.

Confirmatur deinde ex ſententia probabili aliquorum Doctorum Prę-lati Regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſunt audire confeſſiones ſæcularium. Ita Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *numer.* 2. *Gloſſ. litt. E, & F,* licet aliam huius dicti diuerſam à noſtra afferat rationem., quia ſcilicet Prælatus quaſi Parrochiale beneficium habens cenſetur. Vide *Summ. Dianæ verb. Prælati Regularis iuriſdictio in abſoluendo.* Ergo idem dicendum eſt in caſu poſito, & cum magis ſubditæ ſint Moniales dictis Generalibus, & Prælatis, quam ſæculares, ſi poſſunt ſæculares etiam ſine approbatione audire cur non poterunt Moniales?

5 Nec obſtat, quod dicit Bordonus, ſcilicet in caſu poſito tales Prælatos Generales, & cæt. non conſiderari, vt Prælatos, ſed vt ſimplices Cõfeſſores, & ſic debere eſſe approbatos, nam reſpondeo primo ad hominem, ergo etiam examinatos, quod tamen ipſe negat. Secundo, ſi conſiderantur Prælati, vt Confeſſores in caſu poſito non vt Prælati, in omnibus alijs caſibus ſemper poſſent conſiderari, vt ſubditi, & ſic in odioſis ſemper communi nomine venirent, quod tamen, vt ſupra dictum eſt non concedunt communiter Doctores.

6 Doctrina tamen poſita ruit abſque dubio ſaltem, quo ad Confeſſarios Ordinarios, ex declaratione quadam Sacrę Congregationis, Concilij, quam habes poſt Conſtitutionem Gregorij XV. *Inſcrutabili, tom.* 4. *Bullarum dubio & reſponſ.* 7. quæ declaratio poſſet explicari de confeſſoribus Ordinarijs, quod ſcilicet Prælati Regulares non poſſent eſſe Confeſſarij Ordinarij Monialium ſine approbatione Epiſcopi, bene autem extraordinarij.

An Moniales per ſuos Confeſſarios Ordinarios abſolui poſſint à quinque caſibus à Clemente VIII. reſeruatis, & à reſeruatis per ipſum Ordinarium. Dub. CCCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Moniales abſolui poſsũt ab quinque caſibus reſeruatis, &c. per Clementem VIII. à Confeſſario Ordinario priuilegiato tamen.*

Mo-

2 *Moniales ſubditæ Ordinario nequeunt abſolui à caſibus, quos Ordinarius ſibi reſeruat in ſententia aliquorum.*

3 *Authoris opinio.*

4 *Poteſt Ordinarius reſeruare caſum aliquem circa clauſuram reſpectu Monialium, à quo nõ poſſunt Regulares Prælati abſoluere.*

5 *Obiectioni, quæ contra dictum fieri poſſet ſatisfit.*

1 DVas difficultates amplectitur dubitationis titulus, vt patet conſideranti.

Et quo ad primam. Reſpondeo affirmatiuè, (dummodo Confeſſarij ſint priuilegiati, quales ſunt Regulares) Ita Pelliciarius *cap. 9. n. 19.* & hoc ſubſiſtit, ſi fides habeatur illi declarationi, quam admittunt Naldus *in edit. Bonon. Summæ verb. reſeruatio* Vechius *diſp. de Nouitiatu d. 7.* & Bordonus *reſolut. 1. num. 17.*

2 Quo ad ſecundam verò, an Moniales abſolui poſſint à caſibus reſeruatis Ordinario, & dubium eſt ſolum de Monialibus non exemptis, & ſubditis ipſimet Ordinario, nam de alijs nulla poteſt eſſe controuerſia. Item dubium eſt de caſibus illis reſeruatis, quos in tota Diæceſi reſeruat, non autem de caſibus reſeruatis pro ipſis Monialibus; nam hoc bene poteſt facere Epiſcopus, vt tradit præcipuè Tamburinus *de iure Abbatiſſarum diſput. 16. quæſit. 8.* Negatiuè reſpondet Pelliciarius *cap. 10. ſect. 1. numer. 50.* & ratio eſt; quia cum edicta generaliter loquantur, ideò comprehendunt omnes ſubditos Ordinarij reſeruãtis, lex enim generaliter lo-

3 quens generaliter debet intelligi. Sed conſequenter ſi velim ipſe loqui ſicuti ſuperius ex Doctrina Paſqualigi, & aliorum, dixi Moniales ſi non exprimantur in ſtatutis generalibus Epiſcoporum, & Ordinariorum nullo pacto in ipſis comprehendi, ſic in caſu poſito idem dicendum fortè eſt: non enim apparet ratio, cur hic debeant includi in hac lege vniuerſali Moniales, quæ diſtinctam quandam faciunt communitatem.

4 Sed ſi loquamur de Monialibus exemptis poſſit quis dubitare, an Epiſcopus, & Ordinarius loci poſſit reſeruare aliquem caſum reſpectu earum circa clauſuram, ad cuius curam deputatur, tanquam delegatus à Sede Apoſtolica. Reſpondet affirmatiuè, item Pelliciarius *cap. citato* 10. *numer.* 48. *ſec.* 1. In hoc enim ſcilicet, quo ad clauſuram ſubduntur etiam Moniales exemptæ Ordinarijs locorum, & ſcias hic, quod à talibus caſibus reſeruatis Ordinario, dum poteſtatem habet in Moniales exemptas, nec poſſunt abſolui dictæ Moniales à Regularibus, quantumuis priuilegiatis, imò etiam ſi dicti Regulares Prælati illarum Monialium exemptarum eſſent, & hoc ex decreto *Clementis VIII. edito 9. Ianu. 1601.* expreſsè prohibente omnibus Regularibus, ne abſoluant vi cuiuſcumque priuilegij ipſis conceſſi à caſibus Ordinario ſpecialiter reſeruatis.

5 Neque obſtat dicto Bulla ſpecialis Pij V. per quam indulget Prælatis Regularibus, vt quod poſſunt Epiſcopi in Clericos, & Laicos ſubditos idem poſſint in ſuos ſubditos Regulares. Vnde ſicut poteſt Epiſcopus abſoluere à caſibus ſibi reſeruatis, ſic poteſt etiam abſoluere poterunt Moniales ſibi ſubditas exemptas Prælati

Regulares, nam vti notat, & optimè Pelliciarius *loco ſupra num.*49. conceſſio Pij V. loquitur de reſeruatis Papæ vt conſtat ex verbis Bullæ. *Et inſuper quia Sacrum œcumenicum Concilium Trid.conceſſit Epiſcopis, vt abſoluere poſſint in foro animæ, ſeu conſcientiæ ab omnibus*. Quæ verba intelligi non poſſunt, niſi ſolum de caſibus Papalibus, de quibus ibi Concilium loquitur, ſed hic occurrit conſequenter ſequens dubium.

An Moniales ab his caſibus reſeruatis debeant abſolui à ſolo Epiſcopo, vel poſſint etiam à ſuis Prælatis. Dub. CCCXXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Debere etiam Moniales exemptas abſolui à ſolo Epiſcopo ſunt, qui ſuſtineant.*

2 *Oppoſitū probabilius iudicat Author.*

3 *Deciſio Rotæ Romanæ non obſtat, & quare.*

1 Debere etiam Moniales exemptas abſolui à ſolo Epiſcopo in his caſibus, & etiam diſpenſari videntur ſuſtinere Naldus *v. Monialis nu.9.* Tamburinus *diſput.16. de Iure Abbatiſſarum q.8. num.5.* & mouentur *ex quadam deciſione Rotæ Rom.25. de ſent. excommunicat. in antiquis*, nam licet exemptæ Moniales habeant ſuos Prælatos Generales, attamen ob reuerentiam ordinis Epiſcopalis hoc Epiſcopis indultum eſt.

2 Oppoſitum tamen, & probabilius, meo iudicio docet nouiſſimè Pelliciarius *cap.10.de Monial.ſec.1.num.43.* & hoc ex conceſſione Pij V. quam refert pluribus in locis ipſe Pelliciarius per quam Prælati Regulares poſſunt abſoluere ab omnibus reſeruatis *exceptis quibuſdam* ſuos ſubditos, non apparet, ergò quo pacto auctores contrariæ ſententiæ ſuſtineant Moniales exemptas teneri adire proprium Ordinarium pro talibus abſolutionibus, & diſpenſationibus, cum id potius cedat in præiudicium exemptionis.

3 Nec obſtat, vt obſeruat Pelliciarius deciſio Rotæ Romanæ, quam pro ſe adducunt Doctores contrariæ ſententiæ, nam licet deciſiones Rotæ Romanæ, & declarationes Cardinalium ſint maximæ auctoritatis, adeoque non ſit recedendum ab illis, niſi vrgens ratio obſtet in contrarium; abſolutè tamen non ſunt habendæ pro legibus. Ita Suarez *lib.7. de legib.cap.*11. Vaſquez 12. *d.*177. *cap. vltim. numer.*75. Sanchez *lib.*8. *de Matrimon. d.*2. *n.*10. Salas *diſput.*19. *de leg.ſec.*19. *numer.*109. Caſtro Pallao *tract.*3. *d.*3. *p.*2. §.3. *num.*7. cum ergo in caſu poſito ſit vrgens ratio, per quam recedendum eſt à tali deciſione Rotæ ſcilicet Bulla Pij V. allegata, iam ſequitur illi ſtandum non eſſe.

An Moniales tempore iubilæi poſſint eligere Confeſſarium non approbatum ſpecialiter ab Ordinario pro Confeſſoribus Monialium. Dub. CCCXXXXVIIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia eſt aliquorum.*

2 *Priuilegium Principis debet ampliari.*

3 *Vrbanus VIII. conceſſit in Iubilæo 1625. Monialibus, vt eligerent Confeſſarium, quem vellent.*
4 *Negatiua ſententia adducitur, & probatur.*
5 *Cui non obſtat indultum relatum Vrbani VIII.*

1 HAbes dubium apud Dianam *par.5.tract.12.reſol.12.*& nouiſſimè apud Pelliciarium *de Monial.c.9. quæres 13.num.20.*

Aliqui ergo affirmant poſſe tempore Iubilæi Moniales eligere quamlibet confeſſarium approbatum ab Ordinario,& hoc ſiue Monialis ſubiecta ſit Ordinario, ſiue Prælato Regulari; probat tum quia Iubilæum eſt fauor ampliſſimus, Priuilegium autē
2 Principis debet quam maximè ampliari, tum quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; præſertim in materia fauorabili animæ; tum quia Conſtitutio Gregorij XV. quæ incipit *Inſcrutabili*, ex qua videtur deduci contrarium loquitur de caſibus Ordinarijs, nō verò de caſu adeo ſpeciali, & cum ſit exorbitans à iure, quā ſtrictiſſimè debet interpretari, tum quia declaratio etiam Sacræ Congregationis, quam ad hoc adducunt aliqui non conſtat ſufficienter. Tum quia Vrbanus VIII. in Bulla Genera-
3 lis Iubilæi conceſſit anno 1625. Monialibus, vt eligerent, quem vellent confeſſarium ſæcularem, aut Regularem ab Ordinarijs locorum approbatum. ergo, & infert ex hoc Peirinis relatus à Pelliciario, iam præſentem punctum non habere difficultatem.
4 Negatiuè tamen, reſpondet Pelliciarius *loco ſupra*, relinquit tamen alijs iudicandam probabilitatem oppoſitæ ſententiæ affert pro ſe Molfeſium, Alphonſum de Leone, Bartholomæum à S. Fauſto, Suarez, Ioannem Franciſcum ſcilicet, Georg. Pollac. quos omnes etiam videre potes apud Dianam *loco ſupra citato*, mouetur primo, quia talis eſt praxis communis, contra quam non poteſt prudenter procedi; Tum ſecundo, quia Confeſſarius approbatus ad Confeſſiones non poteſt accedere ad Monialium Monaſteria abſque licentia Ordinarij loci ſimpliciter loquendo, & conſequenter neque ad audiendas Confeſſiones Monialium, & ſic non debemus æſtimare Papam concedere hanc facultatem habenti aliquod impedimentū, & hæc mens videtur omnino eſſe ad euitanda multa mala, & inconuenientia, quæ ſequerentur ſi quælibet Monialis tempore iubilæi
5 poſſet eligere, quem vellet Confeſſarium. Nec obſtat indultum Vrbani VIII. in anno Iubilæi, vniuerſalis conceſſio enim Iubilæi Anni Sancti longè fauorabilior debet conuenienter eſſe, ac conceſſiones in Iubilæis Ordinarijs. Immo ex dicta conceſſione poſſet inferri contrarium, nam ſi tunc incluſæ ſunt Moniales, & expreſsè nominatæ regulariter alijs Iubilæis excluduntur. Hæc ſententia probabilior mihi videtur; non tamen adeo facilè oppoſitam puto reijciendam, tamquam improbabilem.

An Confeſſarius ordinarius Monialium, qui poſt triennium immediatè ex indulto Sacræ Congregationis proſequitur in Officio per aliud triennium poſſit ab Ordinario per aliud triennium eligi ad id munus. Dub. CCCXXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Pro parte affirmatiua Doctores, qui ſint, & pro negatiua.*

2 *Affirmatiuam tamen ſententiam ſequitur Author.*

3 *Aliqua ſcitu digna notantur.*

1 TEſtatur Pelliciarius *in trac. de Monialibus cap.* 10. *ſect.* 3. *ſubſect.* 1. *num.* 172. à ſe viua voce, vel ſcriptis conſultos doctos viros ſuper hoc dubio, & refert.

Pro affirmatiua parte, ſcilicet poſſe ab Epiſcopo ad tale munus eligi, &c. ex noſtris Dianam, & Naldum. Negantes verò citat ex Societate Eminentiſſimum de Lugo, & Baldellum.

2 Affirmatiua tamen pars mihi magis placet, quam ſequuntur, & ipſe Pelliciarius, & Bordonus conſultus ab eodem Pelliciario, & probatur, tũ quia conceſſum alicui ob gratiam non debet in eius diſpendium retorqueri. *de Regul. iuris Regul.* 61. *in* 6. tum quia interſtitium vacationis intelligendum eſt via ordinaria, ſicut iure ordinario præſcriptum eſt, ſtatuta enim, & leges non comprehenduntur, quæ rarò euenire ſolent ex leg. *ad ea ff. de legib.* tum quia inducta ad augmentum, nõ debent operari diminutionem, vt notauit Mandoſius *de priuileg. ad inſtar.* Idem conſequenter loquens ſentit Pelliciarius de Abbatiſſa, quę poſt elapſum triennium ex peculiari indulto Sacrę Congregationis eſſet confirmata in officio, nam poſt ſexennium poſtea poſſet iure Ordinario iterum in Abbatiſſam eligi. Ita dictus Doctor *cap.* 7. *num.* 47.

3 Et ſcias ad rem aliqua. Primo, Si quis ex caſu fortuito deputaretur in Confeſſarium, in quo officio per aliquot menſes perſeueraret per modum ſupplementi, poſſet tamen eligi ab Ordinario in Confeſſarium ordinarium per integrum triennium, nam prohibitio Sacræ Congregationis de non eligendo Confeſſario Monialium vltra triennium debet in mitiorem partem interpretari, & ſic vt intelligatur de electione Confeſſarij Ordinarij, docet hoc Pelliciarius *loco ſupra*.

Secundo Epiſcopos, & Ordinarios locorum in aliquibus locis ſinere Confeſſarios aliquorum Monaſteriorum maximè Cappucinarum durare vltrà triennium ad plures annos eo, quod ſit valdè difficile reperire Confeſſarios idoneos pro dictis Monialibus.

Tertio poſſe ab Epiſcopis, poſtquam ab eis admoniti ſunt Prælati Regulares, vt amoueant Confeſſarios Monialium, &c. dictos Confeſſarios amoueri, & hoc non ſignificata cauſa Superioribus, vt declarauit Sacra Congregatio.

Ad

An Confeſſarij Monialium Regulares poſſint alloqui Moniales ſibi commiſſas etiam extra caſus neceſſitatis cum licentia Ordinarij.
Dub. CCCXXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur Sacræ Congregationis declaratio, per quam videtur non poſſe.*
2 *Hæc declaratio non comprehendi Confeſſores ſæculares.*
3 *Non incidunt tamen Regulares dicti in pænas latas à Sixto V contra accedentes ad Monaſteria Monialium.*

1 HIc referam quod habet Pelliciarius in hęc verba reſpondet Barboſa *in Collectan.ſup.*§.12.*non poſſe ex declaratione Sacræ Congregationis* 21. *Februarij* 1617. *edita his verbis. Confeſſarius Regularis Monialium eiuſque ſocius confeſſionis, ac Sacramentorum adminiſtrationis caſibus exceptis eaſdem Moniales abſque Sacræ Congregationis licentia alloqui non poſſunt.*

2 Vbi notandum, quod cum Sacra Congregatio tantum loquatur de Confeſſoribus Regularibus non comprehendit Confeſſarios Monialium ſęculares, nam odia debent reſtringi. Scias tamen nec talem declarationẽ eſſe vſu receptam, nam dicti confeſſarij abſque vllo ſcrupulo loquuntur, cum ſuis Monialibus id ſcientibus, & conſentientibus earumdem Monia-
3 lium Superioribus, & nota confeſſarios dictos Regulares non incidere in pęnas latas per decretum Sacrę Cõgregationis iuſſu Sixti V. editũ, anno 1590. nam licet in eas incidant accedentes Regulares ad Monaſteria Monialium, vt celebrent, vel vt concionentur, attamen non valet hoc reſpectu confeſſariorum, cum maior ratio ſit indulgendi in hoc dictis confeſſoribus, quam alijs, &c.

An Regulares dum volunt concionari in Monaſterijs exemptis teneantur petere benedictionem ab Epiſcopo.
Dub. CCCLII.

SVMMARIVM.

1 *Reſpondent aliqui teneri petere tunc benedictionem, &c. dummodo non ſit conſuetudo contraria, quam dicunt adeſſe.*
2 *Nec obſtat dicto Trident.*ſeſſ.5.cap.2. de reformat.
3 *Bordoni opinio, quæ negat tunc opus eſſe tali benedictione, &c.*

1 REſpondet Pelliciarius teneri, ſi adſit talis conſuetudo aſſerit tamen non adeſſe, idque ſcientibus, & non contradicentibus Ordinarijs. Ita *cap.* 10. *de Monial. quæres* 18. *num.* 33.
2 Nec contra eſt Conc.Trid.*ſeſſ.*5.*c.*2. vbi requiritur benedictio Epiſcopi, vt Regulares poſſint concionari in ſuis Eccleſijs, nã poteſt dictũ Decretũ explicari de concionibus ſimpliciter dictis, quales ſunt, quæ habentur ad vniuerſum populum promiſcuè, non autem de priuatis ſermonibus, quales ſunt conciones, quæ habentur ad ſo-
3 las Moniales. Vnde Bordonus *in ſuis conſilijs, reſolut.*6. *num.*33. abſolute, & ſine limitatione aliqua docet pro huiuſmodi

iuſmodi concionibus, quæ habetur ad ſolas Moniales non opus eſſe Epiſcopi, & Ordinarij loci benedictione, & ſic etiam ſi Moniales ad quas habentur exemptæ non eſſent.

An Epiſcopus vocare, ſeu audire debeat Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas aliorum Monaſteriorum, ſeu eorum Prælatos, dum nouum Monaſterium Monialium erigitur.

Dub. CCCLIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè abſolutè reſpondet Author ſtando in Conſtitutione Clementis VIII. quæ incipit,* Quoniam ad inſtitutum Regulariũ.

2 *Non obſtat, quod opponit, quidam Doctor, qui contrarium docet nouiſſimè.*

3 *In Praxi non ſeruatur tamen hoc.*

1 Reſpondeo, ſi ſtemus in verbis Cõſtitutionis Clementis VIII. quæ incipit, *Quoniam ad inſtitutum Regularium*, qua ſtatuitur debere ab Epiſcopis, & Ordinarijs locorum vocari, & audiri alios Priores, & Procuratores Conuentuum Regularium exiſtentiũ in dictis Ciuitatibus, & locis, dum noua Monaſteria, & Conuentus eriguntur. Reſpondeo inquam affirmatiuè etiam audiendos Prælatos Monialium exemptarum, eſt contra Pelliciarium, *cap.* 10. *ſect.* 1. *ſub ſect.* 1. *num.* 31. *circa finem*, patet tamẽ ex verbis Conſtitutionis verba ſunt hæc, *harum ſerie declaramus locorum Ordinarios non poſſe licentiam ad nouos Conuentus cuiuſque Mendicantium Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis erigendos impertiri, niſi vocatis, & auditis aliorum in eiſdem Ciuitatibus, & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus*, Sed alij intereſſe habentes ſunt etiam Moniales præcipuè, quæ ex eleemoſynis viuunt, ergo ex vi Conſtitutionis etiam Superiores Monialium vocandi, & audiendi ab Epiſcopo ſunt, & hoc in conſtructione etiam Monaſterij virorum.

2 Nec facit, quod pro ſe adducit Pelliciarius, ſcilicet præfatam Conſtitutionem ſolum exprimere Priores, ſeu Procuratores, non autem Abbatiſſas, ſeu eorum Superiores, Vnde cum ſit odioſa, reſtringenda eſt obligatio, nã reſpondeo talem Conſtitutionem non eſſe odioſam, ſed fauorabilem, maximè Conuentibus exiſtentibus, &c. deinde exprimuntur in Conſtitutione omnes illi, qui intereſſe habent, quales ſunt Conuentus, & Monaſteria Monialium.

3 Verum tamen eſt in praxi hoc non ſeruari, vt notat relatus Pelliciarius, vnde praxis, quæ eſt in contrarium ſeruanda eſt, donec aliter expreſsè ſtatuatur.

An Epiſcopus poſſit ſibi reſeruare caſus reſpectu Monialium Exemptarum, quæ Regularibus ſubiectę ſunt.

Dub. CCCLIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè, & merito reſpondet Bordonus.*

2 *Nec obſtat, quod confeſſarij dictarum* Monia-

Monialium debeant approbari modo ab Ordinario.

1 Satisfacit clare, & breuiter dubio poſito Bordonus, *Reſolut.* 38. *nu.* 6. *quæres* 3. ſic dicens, *Quartum de Monialibus ſubiectis Regularibus probatur, Tum quia Prælatis Regularibus ſubijciuntur eo modo, quo viri Religioſi, cum Prælati dicentur Religioſi iure Ordinario vtriuſque ſexus; Ergo ſicut ligantur viri, ita fœminæ. Tum quia Moniales tenentur ad omnes conſtitutiones, & ordinationes factas a Prælatis Regularibus, quando Monialibus earum materia accommodari poteſt. Mirand. quæſt.* 5. *art.* 3. *de Monialibus, ergo tenentur etiam caſuum reſer-*
2 *uatorum, Nec obſtat quod modo earum confeſſarij debeant approbari per Epiſcopos ex Conſtitutione Gregorij XV. de qua ſatis dixi reſolut.* 5. *initio, & q.* 5. *&* 6. *& reſolut.* 36. *q.* 27. *quia per hoc non tollitur reſeruatio nec moniales ſubijciuntur reſeruationi Epiſcopali, ſed adhuc ſubſunt Prælatis Regularibus, quia per approbationem non recipiunt confeſſarij iuriſdictionem abſoluendi ab Epiſcopo ſed adhuc a ſuis Prælatis, ſub ea tamen conditione vt approbentur ab Epiſcopis, ſicut approbantur pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, & tamen immediate recipiunt a Papa iuriſdictionem ex probatis reſolut.* 36. *quæſt.* 5. Hæc Bordonus, & ad hoc ſufficiant.

An Moniales non exemptæ incidant in caſum reſeruatum Epiſcopo non comedendi carnes diebus prohibitis ab Eccleſia; ſi ex voto, vel obſeruantia aliquibus diebus nequeant comedere, & tamen comedant.

Dub. CCCLV.

SVMMARIVM.

1 *Mediolani reſeruatur hic caſus, & multis alijs in locis.*
2 *Pro vtraque parte ſunt Doctores.*
3 *Moniales non incidunt in caſum reſeruatum, & cat.*
4 *Monialis, quæ tenetur ex voto, vel obſeruantia non comedere carnes die veneris, ſi tali die ſit dies Natalis Domini nec poteſt comedere carnes, & ſi comedat incidit in caſum reſeruatum.*
5 *Obiectioni ſatisfit.*
6 *Qui adſtrictus voto comedit carnes die Natalis, qui dies Veneris fuit peccat contra præceptum de non comedendo carnes tali die.*
7 *Quid dicendum ſi Monialis ex vi ſuæ regulæ tantum teneatur ea die abſtinere a carnibus.*

1 IN Multis diæceſibus reſeruatur hic caſus comedendi carnes diebus prohibitis, & præcipuè in Mediolanenſi his verbis: *Qui ieiunij diebus, alijſque cum ab. Eccleſia vetitum eſt nulla legitima cauſa, aut facultate non impetrata carne veſcuntur.* Hoc ergo ſuppoſito, & loquendo de Monialibus non exemptis, ſed omnimodè Ordinario ſubiectis procedit dubium. cui

2 Ne-

2 Negatiuè reſpondent ſcilicet non incidere in caſum reſeruatum. Sanchez, & alij relati a Mazzuchello, *de caſibus reſeruatis Mediolan. de tali caſu comeſtiori, carnium*, quos idem Mazzuchellus ſequitur.

Affirmatiuè reſpondent e contra alij breuiter meum ſenſum exponam.

3 Dico ergo primo regulariter Moniales non incidunt in caſum reſeruatum Epiſcopo, ſi illis diebus comedāt carnes, quibus ex vi voti tenentur ab eis abſtinere, probatur; nam tunc nō peccant contra pręceptum Eccleſiæ, ſed contra votum. Ergo; probatur conſequentia; nam tantum diebus, quibus ab Eccleſia vetitum eſt, comedere carnes, peccatum reſeruatum eſt vt patet legenti verba reſeruationis.

4 Dico ſecundo, ſi Moniales v. g. teneantur ex vi voti vel obſeruantię non comedere carnes die Veneris; & tali die accidat Natalis Domini Feſtum, tunc ſi Moniales comedant carnes incidunt in caſum reſeruatum, eſt contra multos Doctores, habeo tamen pro me textum, *Caput. Final. de Obſeruantia Ieiunij* vbi hæc formalia verba. *Qui nec voto, nec regulari obſeruantia adſtricti ſunt in Sexta feria ſi, feſtū Natiuitatis Domini die ipſo venire contingerit carnibus propter excellentiam feſti, veſci poſſunt*. Ecce quomodo omnibus conceditur eſus carnium tali die illis tantum exceptis, qui vel voto, vel obſeruantia tali die abſtinere a carne tenentur.

5 Quod ſi obijcias cum Doctoribus contrarium ſentientibus, iſti, qui tali voto, vel obſeruantia tenentur, peccant quidem dum comedunt carnes, in tali die Natiuitatis contra votum, vel obſeruantiam, non tamen contra pręceptum Eccleſię, & ſic iam non incidunt in reſeruationem.

Reſpondeo peccare, etiam contra præceptum Eccleſiæ, nam adhuc viget præceptum reſpectu eorum qui in tali die tenentur ex vi voti, vel obſeruantię abſtinere a carnibus, vt patet ex textu cap. Final. de Obſeruantia ieiunij.

6 Si autem inſtes adhuc, & dicas, tātum vult textus ille, quod tales peccent contra votum, & obſeruantiam, non autem contta præceptum, ſicuti ſi quis poſt decretum, quod fecit Vrbanus VIII. de reformatione feſtorū, ſi ex voto teneretur obſeruare aliquod feſtum, de cuius obſeruantia iam preceptum fuit ablatum, peccaret quidem contra votum, non tamen contra præceptum dum tale feſtum non obſeruaret.

Reſpondeo, vt patet ex textu, comedentem carnes, & cæt. die Natalis, & adſtrictum voto peccare etiam contra præceptum, quia tale priuilegium comedendi carnes non concedit hoc ius voto adſtrictis aut regulari obſeruantia; excipit enim illos; & ſic præceptum eſt reſpectu illorum in robore, nec paritas contra nos vrget nam, dum ablatum eſt præceptum ſeruandi talia feſta reſpectu omnium ablatum eſt nullo habito reſpectu eorum, qui vel voto vel regulari obſeruantia tenentur illa feſta obſeruare, ſicuti habita ratio eſt, eorum qui voto vel regulari obſeruantia tenentur abſtinere a carnibus die Natiuitatis in cap. *Final. citat. de Obſeruantia Ieiunij*, Vnde non currit paritas Deinde nec dubium poſitū in caſu ſimili de obligatis ſeruare talia feſta, &c.

fine

ſine aliqua controuerſia fuit, a Sacra Congregatione reſolutum.

7 Sed quęres hic ad maiorem dubij intelligentiam;an ſi Moniales tantum obligentur ex vi obſeruantiæ ſuæ Regulæ non comedere carnes tali die; & hęc Regula tantum obliget ſub veniali, poſſint die Veneris comedere carnes dum tali die eſt dies Natalis, abſque eo quod incidant in caſum reſeruatum Epiſcopo. Affirmatiuè reſpondet Ludouicus Lopez. *Parte 1. Inſtruction. Trac. de Pœnitentia cap. 112. de Ieiunio fol. 716.* Sed meo iudicio negatiue melius reſpondendum eſt, nam clare loquitur textus excipiens obligatos ex vi regulę vel obſeruantiæ; regulæ autem, & obſeruantiæ Ordinarie, & regulariter ſub veniali tantum obligant: & non ſub mortali: Vnde licet Regula non obliget ſub mortali obligat tamen præceptum, quod eſt in ſuo robore pro adſtrictis voto, vel obſeruantia.

An Moniales immediate ſubiectæ Ordinario, ſi appellent ab ipſo Ordinario dum appellatio permittitur, incurrant excommunicationem, quam tulit Iulius Secundus contra Regulares appellantes a mandatis Prælatorum Ordinis.

Dub. CCCLVI.

SVMMARIVM.

1 *Talis appellatio prohibetur per multa priuilegia Pontificum.*

2 *Non incurrunt tunc Moniales in talem excommunicationem, & quare,*

3 *Regularibus licita eſt appellatio quando eis conſtat certo de grauamine, ſecus quando dubitant.*

1 HOc indultum Iulij 2. refert Caſarub. *in Compendio verb. Appellare num. 3.* & dicit talem conceſſionem eſſe bullatam; prohibetur etiam talis appellatio de iure communi, ex cap. *Ad noſtram de Appellation.* & cap. *Reprehenſibilis eodem tit. in fine*, Extat etiam Bulla Clementis VIII. edita Ann. 1604. vbi appellatio prohibetur carmelitis, quam refert Lezana, *Tom. 1. cap. 9. num. 4.* Sed difficultas propoſita habet vim ſtando in indulto relato Iulij II.

2 Reſpondeo ergò breuiter cum Pelliciario, *de Monialibus cap. 8. num. 12. quæres 7.* non incurrere tunc moniales in dictam excommunicationẽ nam Ordinarius non eſt verè Prælatus Ordinis, nec etiam reſpectu Monialium ipſi ſubditarum. Indultum autem loquitur de Prælatis Ordinum & ſic pęnæ non debent ampliari. Si autem indultum excommunicaret appellantes a Prælatis ſine cauſa, &c. tunc Moniales inciderent in excommunicationem, nam Epiſcopus, Ordinarius vere Pręlatus illarum Monialium eſt, & ſic verificatur, illas Moniales appellare a proprio Prælato, & hoc ſufficiat pro ſolutione dubij

3 Circa appellationem autem Regularium multa habet Lezana, *verb. Appellare*, & *tom. 1. cap. 9. a num. 4.* hic tantum ſcias. Regularibus rantũ tunc eſſe licitam appellationem, quando eis certo conſtat de grauamine, non autem quando dubitant; nam ſi priuilegia, quæ habent Religiones circa hoc debent aliquid operari

rari vtique hoc debent, quod in dubio grauamine nequeant appellare; alijs enim etiam in caſu dubij grauaminis licita eſt appellatio; Ita Thomas de Ieſu, *de viſitatione Regular.* 2 *trac.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. Diana, *de dubijs Regular. tract.* 2. *reſolut* 54. *in fine*, Cardinalis de Lugo, *de Iuſtitia, & iure diſput.* 37. *Sec.* 14. *num.* 175. relati omnes a Lezana, *loco ſupra*, & nouiſſime Pelliciarius, *de Monialibus cap.* 8. *num.* 14.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare circa ætatem requiſitam in electione Abbatiſſæ.
Dub. CCCLVII.

SVMMARIVM.

1 *Tridentin.* Seſſ. 25. de Regul. & Monial. cap. 7. *mouet rationem dubitandi.*

2 *Communis ſententia negat hoc fieri poſſe ab Epiſcopo.*

3 *Electio Abbatiſſæ, quæ non complet dictam ætatem controuerſum eſt an ſit valida apud Doctores.*

4 *Quam ſit neceſſaria hæc ætas in Moniali, vt eligatur in Abbatiſſam.*

5 *Epiſcopus non poteſt dare ſuum votum in electione Abbatiſſæ, etiam ſi Moniales inter ſe diſcordes ſint.*

6 *Per Conſtitutionem Gregorij XV. de Exemptorum priuilegijs, non datur ius Epiſcopis confirmandi Abbatiſſas electas.*

1 SVppoſito Tridentin. *Seſſ.* 25. *de Regular. & Monial. cap.* 7. in quo habetur, *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumq; alio nomine Præfecta vel Præpoſita appelletur eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expletam profeſſionem laudabiliter vixerit*, mouetur dubium, & communiter.

Negatiuè reſpondent apud Barboſam *in Collectan. Concilij dicta ſeſſ. & cap.* Hieron. Roderic. *in compendio Reſol.* 2. *num.* 5. Armerandiz *in addit. ad recopilat. legum Nauarri lib.* 1. *tit.* 18. Azorius *inſtitut. moral. parte* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *q.* 9. Nicol. Garc. *cap.* 4. *num.* 71. Aloyſius Riccius *in deciſ. curia Archiepiſcop. Neapolitan deciſ.* 309. *num.* 9. *parte* 4. Sigiſmundus à Bononia, *de electione dub.* 62. *num.* 6. Lezana *in Summa Verb. Abatiſſa*, idem docet. Ratio eſt quia eſt lex pontificia ſupra quam Pontifice inferiores nihil poſſunt niſi illis id concedatur.

3 Sed queres hic: electio Abbatiſſæ quæ non compleat dictam ætatem valida ne eſt, Reſpondeo ſtando in verbis Concilij non debemus dicere quod ſit inualida, nam in tali decreto non apponitur clauſula irritans, adducitur tamen quædam declaratio a Doctoribus, circa hóc quæ ſi authentica eſt, contrarium cogit dicere eſt tenoris ſequentis. *Abbatiſſa electio, quæ ætatem quadraginta annorum requiſitam non habebat, ſi in Monaſterio non deſunt aliæ Moniales quadragenariæ atq; habiles licet non adeo idoneæ ſicut electa eſt nulla*, hanc tradit Barboſa, *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 45. & hæc

4 ætas adeo requiritur vt ſi in aliquo Monaſterio plures ſint Moniales, quæ habeant ætatem requiſitam, & octo annos profeſſionis, & vna quæ non habeat dicta requiſita ſed aliquem menſem minus circa ætatem, & profeſſionem monialibus verS videatur magis habilis pro gubernio Monaſterij

rij non propterea primis ommiſſis poſſunt hanc eligere alias electio eſſet nulla, & eligentes eſſent priuatæ iure eligendi, & requireretur diſpenſatio Romani Pontificis, vt iterum eligentes poſſent eligere. Ita Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium teſte Lauonio *in varijs lucubr. tit. 4. cap. 24. num. 6.* Nec dicetur, vt notat idem Lauorius iſta electio reſtricta, ſeu per vim facta, nam eſt reſtrictio quædam iuris non hominis reſtrictio ad qualitates requiſitas tanquam ſubſtantiales ipſius actus electionis, non autem ad perſonam.

5 Quæres ſecundo; An caſu diſcordiæ inter Moniales pro electione Abbatiſſæ poſſit Epiſcopus dare ſuum votum in tali electione. Negatiuè reſpondendum eſt ex Sacræ Congregationis declaratione ſub die 23. Maij 1621. teſte Lauorio *dic. tit. 4. cap. 24. num. 42.*

6 Quæres tertio, An per Conſtitutionem Gregorij XV. *de exemptorum priuilegijs* per illa verba poſſit Epiſcopus vna cum Superioribus Regularium in quarumcumque Abbatiſſarum electione per ſe, vel per alium intereſſe, & cæt. habeant Epiſcopi ius confirmandi dictas Abbatiſſas electas. Negatiuè reſpondetur, & ita reſpondit Sacra Congregatio teſte eodem Lauario *loco citato numer. 43.*

QVO AD VARIA.

An Regulares poſſint pro Sacramento Confirmationis accedere ad quemlibet Epiſcopum. Dub. CCCLVIII.

SVMMARIVM.

1 *Ratio dubitandi.*

2 *Poſſunt Regulares accedere ad quemlibet Epiſcopum pro Sacramento Confirmationis.*

3 *Epiſcopus poteſt confirmare Regulares qui accedunt pro Ordinibus etiam ſine expreſſo conſenſu Prælatorum Regularium.*

1 RAtio dubitandi eſt, quia ſicut Regulares vt diximus cap. *quoad Ordines*, non poſſunt accedere pro Ordinibus ad quemlibet Epiſcopum, ſed tenentur accedere ad Diæceſanum, ſic videtur prima facie dicendum in caſu poſito, ſcilicet teneri Regulares accedere pro Confirmatione ad Epiſcopum Diæceſanum illius loci in quo ſitum eſt monaſterium. Hoc tamen non obſtante.

2 Reſpondeo poſſe Regulares accedere ad quemlibet Epiſcopum pro Sacramento Confirmationis, ratio eſt quia non ſubduntur Diæceſano, per aliquod ius, ſicut ſubduntur in hoc, quod debent recipere Ordines a Diæceſano, Vnde antiquam ita ſtatueret Summus Pontifex poterant a quoli-

quolibet Epiſcopo Ordinari, & ſic patet diſcrimen inter vnum caſum,& alterum; nec video difficultatem.

3 Quæres hic an Epiſcopus poſſit confirmare Regulares, qui accedunt ad eum pro Ordinibus, etiam ſi non habeat expreſſum conſenſum Prælatorum Regularium. Reſpondeo, idē dicendum de Regularibus, ac dicunt Doctores de non ſubditis dum accedunt pro Ordinibus ad alienum Epiſcopum. Poteſt ergo Epiſcopus confirmare aliquem alienæ Diæceſis, qui ſolum ſui Epiſcopi litteras dimiſſoriales affert, vt Ordinetur, vt tradunt apud Dianam, *Tract. De Sacrament. Confirmat. Parte* 3. *Reſol.* 20. multi doctores,quos ipſe ſequitur. Ratio eſt, quia qui concedit finem concedit neceſſaria ad finem; confirmatio autem eſt præmitenda Ordinibus.Ergò. Idem dic in caſu poſito de Regularibus ob eandē rationem. Sed quid ſi daretur caſus, quo Prælatus renueret ſuum ſubditum Regularem confirmari ab aliquo Epiſcopo poſſet ne tunc Epiſcopus confirmare? negatiuè reſponderem; ſecus ſi abſolute negaret Prælatus ſubdito, quod ab Epiſcopo confirmaretur.

An ad Epiſcopum pertineat dare licentiam extrahendi corpus occiſi ad finem capiendi informationem delicti, dum corpus eſt in Eccleſia Regularium ſepultum. Dub. CCCLIX.

SVMMARIVM.

1 *Ad Prælatum Regularem ſpectat dare talem facultatem.*
2 *Obiectioni, quæ fieri poſſet ſatiſfit.*
3 *Prælatus, qui dat hanc facultatem non incidit in irregularitatem, & quare.*

1 Reſpondeo breuiter ſpectare ad Prælatum dare talem facultatem; nam ſicut ad corpora defunctorum exhumanda,& de loco in locum transferenda, ſi dicta corpora ſint in Eccleſia Regularium ſufficit licentia Prælatorum ex priuilegio Leonis X. vt habes apud Dianam, *parte* 3. *trac.* 2. *reſolut.* 120. a fortiori idem dicendum erit in caſu poſito, in quo corpus defuncti occiſi non exhumatur, niſi ad breue tempus, nec de loco ad locum transfertur vt patet conſideranti,

2 nec valet dicere ad extrahēdum reum ab Eccleſia Regularium in caſibus, in quibus non gaudet immunitate non requiritur licentia Prelati, ſed Epiſcopi facultas neceſſaria eſt. Ergo ſic a pari ad extrahendum corpus occiſi ab Eccleſia Epiſcopi licentia opus erit,&c. nam Reſpondeo ad extrahendum reum et,&c. requiri facultatem Epiſcopi, nec ſufficere Prælati Regularis licentiam, quia ita determinauit,& ſtatuit Summus Pontifex

ſex Gregorius XIIII. in ſua Conſtitutione circa Eccleſiarum immunitatem, vnde ante dictam Conſtitutionem, erat munus Prælati Regularis dare talem facultatem. Deinde eſt diuerſus caſus hic a propoſito in præſenti dubio.

3 Sed quæres hic, incidit ne in irregularitatem Prælatus Regularis, dum dat hanc facultatem, Reſpondeo negatiuè, Ità Lauorius *in ſuis Lucubrationibus tit. 2. cap. 7. num. 31.* Turrianus *de Cenſuris lib. 9. diſput. 66.* Riccius *in praxi tom. 1. reſolut.* 453. Marcus Antonius Genuenſis *in prax. cap. 42. num. 10.* Venerus Leyua *in ſuo examine lib. 2. caput 23. num. 19.* & alij apud Dianam *parte 3. Tract. 2. de irregularitate Reſolut. 95.* & ratio eſt, quia actus qui requiritur ad incurrendum irregularitatem ex defectu lenitatis, debet eſſe proximus, & directus in mortem, vel mutilationem, ſed iſte actus eſt cauſa remota, ergò.

Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares quærentes eleemoſynas in ſua Dieceſi.
Dub. CCCLX.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſunt Epiſcopi prohibere Regularibus, ne eleemoſynas quærant.*
2 *Regulares ſunt in hoc valdè priuilegiati.*
3 *Nec talia priuilegia ablata ſunt per Concilium Tridentinum* Seſſ. 21. de Reformat. cap. 9.
4 *Tenentur Regulares dum quærunt eleemoſynas extrà diæceſim in qua ſitum eſt Monaſterium oſtendere licentiam Ordinario, datam a ſuis ſuperioribus.*

1 Dico Primo, non poſſunt DD. Epiſcopi prohibere Regularibus, ne eleemoſynas quærant. adeſt declaratio Concilij ſub hac forma teſte Peirino, *cap. 2. Additament. ad Conſtitutionem Sixti IV.* ſic habet declaratio: *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Generales Procuratores Ordinis Mendicantium conquæruntur, quod Fratres eorum à nonullis Epiſcopis, & locorum Ordinarijs interpellantur quominus eleemoſynas, quærant in ipſamet diæceſi vbi quis illorum conuentus exiſtit. Inſuper aliqui ex ipſis etiam prohibent, quin ipſi Fratres eleemoſynas in ſuas diæceſi extra conuentus locum niſi per quinque, aut ſex milliaria petant. Cum autem id priuilegijs Apoſtolicis aduerſari videatur, cadatque in graue Religionum detrimentum, ſupplicant ijdem Procuratores, vt declaratur; an hæc fieri poſſint ab Epiſcopis, nec ne Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum cenſuit Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi quominus poſſint per ſe ipſos in diæceſibus vbi habent conuentus eleemoſynas quærere, ſed tantum ſi extra loca vbi monaſteria exiſtant quæritare voluerint teneri ſuorũ Superiorum licentiam Ordinario oſtendere.*

2 Et adeo in hoc ſunt priuilegiati Regulares, vt prohibentes ipſis fieri elemoſynas ſint ipſo facto excommunicati, & contra tales poſſunt Prælati ordinum, & Auditor Cameræ Apoſtolicæ ac Inquiſitores procedere, ſicut

contra hæreticos. Ita conceſſit Sixtus IV. Carmelitis teſte Peirino, *in Conſtitutionem quarta Sixti IV.* §. 8. Item poſſunt Regulares ex priuilegio Iulij II. teſte eodem Peirino petere eleemoſynas in terris ex communi auctorum.

3 Nec hæc priuilegia Regularium quo ad hoc ſunt abrogata per Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 21. *de Reformat cap.* 9. quia in eo tantum deſtruuntur quæſtores, qui publicant, vel prædicant indulgentias conceſſas his qui manus adiutrices porrexerint pijs locis pro quibus petunt eleemoſynam, non verò mendicantes pro ſui ſuſtentatione quæſtuantes, Ita Frat. Emanuel, *tom.* 2. *quæſt.* 52. *art.* 7. Sanchez *in præcepta Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 7. Hieron. Roderic. *in Compendio qq. Regular. reſolut.* 59. *nu.* 5. omnes relati a Barboſa *in Collectan. Concilij dicta Seſſ.* 21. *De Reform. cap.* 9.

4 Tenentur ergò ſolum Regulares, dum quærunt eleemoſinas extra loca, & diæceſim, vbi ſitum eſt monaſterium oſtendere Ordinario licentiã quærendi eleemoſynas a ſuo ſuperiori ſibi datam adeſt determinatio Sa-
5 cræ Congregationis concilij teſte Piaſecio, *in praxi Epiſcop. parte.* 2. *cap.* 3. *num.* 37. & ita reſoluunt Gennuenſis, *in praxi cap.* 59. *num.* 11. Campanil. *in diuerſ. Iuris Canon. Rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 134. Franciſcus Leo, *in Theſaur. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 146. & Barboſa *de Poteſt Epiſcop. Alleg.* 109. *numer.* 10.

An Epiſcopus poſſit mittere Regularem pro ſe ad viſitanda limina Apoſtolorum.
Dub. CCCLXI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia.*
2 *Conſtitutio Sixti V. circa hoc ad verbum adducitur.*

1 NEgatiuè reſpondet Selli apud Barboſam *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 3. *numer.* 45. *in Collectan. Concil.* dicens, ſic fuiſſe deciſum, *in Viſen.* 13. *Nouembr.* 127. additque Sacram Congregationem Concilij gratiam feciſſe Epiſcopo Canarienſi vt poſſet viſitare limina Apoſtolorum per ſacerdotem Regularem ab illis partibus trãſmiſſum, & bene informatum ſtante quod propter itineris longitudinem milliarium 17. mill. & ob pericula in quæ incurrunt tranſmiſſi Sacerdotes Sæculares, qui a Turcis captiui ſolent fieri, nullus aderat, qui mitti velit, & eſt conformis hæc deciſio conſtitutioni Sixti V. relatæ a Piaſecio *in praxi Epiſcopali a pag.* 21. *vſque a* 24. vbi talia verba habentur.

2 *Hac perpetua conſtitutione ſancimus, decernimus, & mandamus, vt omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi per vniuerſum terrarum orbem conſtituti a nobis deinceps ordinandi, etiam ſi cardinalatus honore præfulgeant, antequã munus conſecrationis ſuſcipiant ſeù eis cõſecratis pallium de B. Petri corpore ſumptum tradatur, aut ſi ad aliam Eccleſiam transferantur antequam illius regimini, & adminiſtrationi ſe immiſceãt ſi quidẽ præ-*

ſentes

ſentes in curia fuerint in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis Ordine prioris, ſi verò abſentes in manibus Antiſtitis, qui ad impendendum munus prædictũ, aut ad tradẽdum pallium huiuſmodi a Sede Apoſtolica delegabitur, iurent iuxta formulã in libro Cãcellariæ Apoſt. Quinterno appellato nuper deſcriptã ſe Beatiſſimorũ Apoſtolorũ Petri, & Pauli limina ſtatutis in hac noſtra conſtitutione temporibus perſonaliter per ſe ipſos viſitaturos, ac nobis, & ſucceſſoribus noſtris pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus rationẽ reddituros de toto eorum paſtorali officio, deque rebus omnibus ad ipſarum, quibus præſunt Eccleſiarum ſtatũ, ad cleri, & populi diſciplinam, animarum denique quæ illorum fidei creditæ, ſunt ſalutem quouis modo pertinẽtibus, & viciſſim mandata Apoſtolica humiliter recepturos, & quam diligentiſſimè exequturos. Quod ſi legitimo impedimẽto detenti fuerint, iurent ſe prædicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad illa ſpeciale mandatum habentem de gremio ſuorũ capitulorum, aut alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum habentem, aut ſi huiuſmodi hominem Eccleſiaſtica dignitate, & perſonatu præditum non habeant per Diœceſanũ Sacerdotem, & ſi clero careant omnino per alium aliquem Presbyterum ſecularem, vel regularem ſpectatæ probitatis, & religionis de ſupradictis omnibus plene inſtructum, De huiuſmodi autem impedimẽto docere debeant per legitimas probationes ad dictum primum Diaconum Cardinalem per ſupradictum nuncium tranſmittendas, &c. Eccè quomodo ſolum, dũ nulli alij ſunt, qui iuxta conſtitutionem mitti poſſunt; Regulares poſſunt ab Epiſcopis ad limina viſitanda deſtinari, nec circa hoc puto adeſſe difficultatem. Quod ita amplia, vt etiam ſi Regularis ſit familiaris, & commenſalis Epiſcopi nullo pacto ſit acceptandus ad viſitanda limina pro ſuo Epiſcopo, tradit Nonarius, *in Lucerna Regulariũ verb. Limina num.* 4.

An Regularis non approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones poſſit aperire, & mandare executioni litteras Sacræ Pœnitentiariæ. Dub. CCCLXII.

SVMMARIVM.

1 *Gregorij XIII. priuilegium Societati Ieſu conceſſum refertur.*

2 *Non omnes confeſſores Regulares poſſunt executioni mandare has litteras Sacræ pænitentiariæ, ſed ſolum hi, qui obtinent facultatem a Generali.*

3 *Ex vi priuilegij Gregorij XIII. relati confeſſores Regulares exequentes dictas litteras debent eſſe approbati ab Epiſcopo.*

4 *Hodie per clauſulam quæ ſolet poni in dictis litteris approbatio Epiſcopi requiritur, etiam ſi per priuilegium non requireretur.*

5 *Poſſunt Generales, & alij Prælati concedere ſolum hanc facultatem exequendi dictas litteras Regularibus idoneis, &c.*

1 Gregorius XIII. conceſſit priuilegium Societati Ieſu, & conſequẽter omnibus alijs Regularibus, qui cõmunicant in priuilegijs, tenoris ſequẽtis, *Exponi nobis nuper feciſti quod alias quondam Alexander Frumentus tũc*

Officij Sacræ Pænitētiariæ regens dilectis filij Præsbyteris Societatis Ieſu, cui preeſſe dignoſceris, etiam ſi nullo magiſterij in ſacra Theologia, & doctoratus in iure canonico gradibus inſigniti eſſent alias tamē idoneis, & approbatis ipſius Societatis cōfeſſarijs, vt quaſcumq; obſignatas etiam Magiſtris in Theologia, vel iure canonico doctoribus directas in foro conſcientiæ eiuſdem Sacræ Pænitentiariæ litteras aperire, & abſolutionis beneficium iuxta illarum diſpoſitionem impendere poſſent, & valerēt verbo tenus conceſſit eaque facultate ipſi præſbyteri hactenus vſi ſunt. Cum itaque ipſius ſocietatis. Religioſi ad huiuſmodi gradus niſi pro neceſſitate Scholarum ſuarum promoueri non ſoleant, pænitentes etiā ad ipſos præsbyteros cū ſuis litteris abſolutionem petentes in dies recurrant, & importune obſecrent, opportune etiam eos iuuare cōuenit. Nos idcircò tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, præſbyteris Societatis huiuſmodi per te, vel tibi ſubordinatos illius ſuperiores, de tua licentia deſſignandis, & ab Ordinarijs locorū approbatis, vel approbandis, etiam ſi magiſterij vel doctoratus, aut alijs gradibus inſigniti non ſint, litteras huiuſmodi aperiendi confeſſionibuſq; fidelium ad ipſos recurrentiū auditis, & impoſita ſalutari in illis expreſſa, vel de iure inſligenda pænitentia, abſoluendi, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo, vel ſcriptis commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pænitentiarū iniunctiones, excipiēdi, exequēdi, & limitādi facultatē tenore præſentiū concedimus, & impartimur. Nō obſtantibus Cōſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibita, vel oſtenſa. Dat Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 3. Aprilis 1582. Pontificatus noſtri Anno X. Hoc eſt priuilegiū, quod habes apud Rodriquez, *in Collect. Priuil. Bulla 23. ſub Gregorio XIII.* cuius etiam meminit Sanchez, *lib. 8. de matrimon. Diſput. 34. num. 11.* Compendium *Priuilegiorū S. Hieron. Hiſpaniæ Tit. Confeſſ. §. 2.* Compendium *Priuilegiorum Fratrum Minorum Tit. confeſſiones, & Confeſſores* in *Annotation. Cappucini* Peregrinus etiam noſter, *in ſuo compendio noſtrorum priuilegiorum parte prima Tit. Confeſſarius, §. 1.* & Paſqualigus in ſuis doctis deciſionibus, *Deciſ. 414. num. 2.* ex quo

2 conſtat, vt notat Paſqualigus, quod non omnes confeſſarij Religionum, quæ gaudent hoc priuilegio poſſunt executioni mandare litteras pænitentiariæ, ſed hi ſolum, qui obtinent facultatem a Generali, & deputantur ab ipſo, ſed difficultas eſt modo; an hi Confeſſores deputati debeant eſſe approbati ab Ordinario loci, & quidem ſi litteræ Sacræ Pænitentiariæ contineant caſum, in quo opus ſit abſolutione Sacramentali clarum eſt, opus eſſe approbationem Epiſcopi in exequente, ſi autem ſit caſus, in quo non requiratur abſolutio Sacramentalis, (puta ſi agatur de diſpenſatione in voto, in irregularitate, iuramento, & ſimilibus) tunc dubitationi datur locus.

3 Dico ergo ex vi relati priuilegij Regulares exequentes, Litteras Sacræ Pænitentiariæ, in diſpenſationibus etiam, commutationibus indigēt approbatione Epiſc. patet ex verbis. ipſis

ipſis priuilegijs, & *ab Ordinarijs locorum approbatis, & approbandis*, Ecce quomodo abſolutè videtur loqui priuilegium, & requirere approbationem Epiſcopi.

4 Dico ſecundo, dato etiam, quod priuilegium talem approbationem Epiſcopi non requireret iam hodie per clauſuram, quæ ſolet poni in litteris Sacræ Pęnitentiariæ, *audita confeſſione nec aliter, nec alio modo*. Regulares debent eſſe approbati ab Ordinario,ſicut debent eſſe approbati ad confeſſiones, vnde antequam ſoleret apponi hæc clauſura, aſſerebant nonnulli diſpenſationes emanatas à dicta Sacra Pęnitentiaria potuiſſe fieri extra confeſſionem. Ita Salas *de Legibus diſput.*20.*ſect.*10.*numer.*98. Sanchez *de matrimonio lib.*8. *diſput.*34. *numer.*29. relati à noſtro Thoma del Bene *tractat. de Comitijs pag.mihi* 124. Ratio autem per quam impoſita eſt confeſſio à Sacra Pęnitentiaria eſt, quia cum huiuſmodi litteræ emanent in fauorem particularium perſonarum,Summus Pontifex vult tales gratias coarctare, & concedere cum tali onere, & conditione.

5 Nota hic obiter ad maiorem intelligentiam ſupra relati priuilegij, poſſe ſolum Generales, & Prælatos concedere hanc facultatem exequendi litteras Sacræ Pęnitentiariæ his,qui habent ſufficientem doctrinam pro tali executione; Ideo enim Summus Pontifex non conceſſit priuilegium Confeſſarijs abſolutè, ſed jis ſolum, qui obtinent facultatem à Generali quia voluit, quod talis facultas tantum daretur idoneis. Vide Paſqualigum dicta *deciſ.*414.*per totam*.

An Regulares Gręci, qui ad vnitatem S. R. E. redierunt ſubdantur Epiſcopo,in cuius diæceſi ſitum eſt Monaſterium.

Dub. CCCLXIII.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutio Pij Papæ IV. adducitur.*
2 *Delicta, quæ committebant huiuſmodi Græci recenſentur.*
3 *Omnes exemptiones, & priuilegia, quæ à Summis Pontificibus, erant antea dictis Græcis conceſſa, abrogantur.*
4 *Quæ debeant ſeruari ab Epiſcopo in viſitatione dictorum Græcorum; remiſſiuè tamen.*

1 Conſtitutio Pij Papę IV. quam hic refero ad verbum omnem tollet difficultatem talis ergò eſt Conſtitutio. *Romanus Pontifex præcipuus æquitatis, & Religionis aſſertor facultates, & gratias ab Apoſtolica Sede conceſſas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catholicos ſcandala prouenire animaduertit pro ſui paſtoralis officij debito maturè reuocare conſueuit. Sanè nonnulli locorum Ordinarij nuper ad audientiam noſtram referri curarunt, quod in quampluribus Regni Siciliæ citra, & vltra pharum, & alijs Chriſtiani nominis Ciuitatibus, & locis magna Græcorum, tam Religioſorum, & ſæcularium Clericorum, quam Laicorum multitudo reperitur, qui Eccleſiæ Græcæ mores, & ritus obſeruantes, ſeque ſuos proprios eiuſdem nationis Prælatos habere, ac illis non autem locorum Ordinarijs*

ſubeſſe, ſed immunitatum, aliorumque priuilegiorum per fel. recordat. Leonem X. Paulum III. Iulium etiam III. & forſan alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & dictam Sedem antiquitus conceſſorum prætextu, ſe ab eorumdem
2 *Ordinariorum iuriſdictione, & ſuperioritate exemptos eſſe prætendentes impunitate ſibi propoſita in diuerſas hæreſes, nefariaſque opiniones, & abſurda deliramenta paſſim dilabuntur, aſſerentes inter alias eorum blaſphemias nullum eſſe defunctorum Purgatorium. Romanum Pontificem aliquam in eos iuriſdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo conceſſas damnantes, Eccleſiaſticas ſententias, & cenſuras ab eo latas ſpernentes, Sanctiſſimæ Dei genetricis Virgin. Mariæ, Beatorum Apoſtolorum, & aliorum Dei Sanctorum feſtiuitates ab Eccleſia Romana, Sanctiſque Patribus ordinatas non obſeruantes, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis infantibus in baptiſmo exhibentes, inhumata Defunctorum cadauera ſuperſtitione quadã impia, & pluſquam Barbarica, è Sepulchris eruentes igneque comburentes, Ordinariorum locorum, quos habitant viſitationem, iuriſdictionemque contemnentes, & Eccleſiaſticam diſciplinam perturbantes, ac demum huiuſmodi, aliiſque ſuis opinionibus erroneis, atque ſacrilegis populos latinos inficientes correctionem legitimam ſuæ prætenſæ exemptionis clypeo repellentes in ſuis impietatibus, abuſibuſque conſeneſcunt, & immoriuntur, & in ſuarum vicinorumque populorum præſertim ſimplicium animarum pernitiem, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur prouidè conſiderantes eiuſdem Sedis intentionem numquam fuiſſe, exemptionẽ aliudue priuilegium à ſe conceſſum iri, vt inde ſcelerum impunitas, & animarum periculum emergat abuſibus, & periculis huiuſmodi, quantum cum Deo poſſumus tempeſtiuè obuiare volentes, ac quarumcumque exemptionum, aliorumque priuilegiorum dictis Græcis, eorumque Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, & aliis, tam Sancti Baſilii, & alterius Ordinis Regularibus, quam ſæcularibus, ac etiam laicis perſonis quocumque nomine nuncupatis, per præfatos, & alios quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, & ſedem præfatam ingenere, vel in ſpecie hactenus conceſſorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & innouatorum, litterarumque deſuper confectarum, & inde ſequutorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, noſtra ac de Apoſtolicæ Sedis plenitudine, omnes, & ſingulas exemptiones, ac pro vt illas concernunt deſuper confectas litteras præfatas, ad hoc videlicet, vt ipſi locorum Ordinarii quaſcumque Græcorum Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, & alia pia loca, tam ſæcularia, quam cuiuſuis Ordinis Regularia, earumque Prælatos, etiam ſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, ac maiori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Miniſtros, & quaſuis alias eiuſdem nationis perſonas in ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus conſiſtentia quoties opus fuerit viſitare, ac in illis ſuam ordinariam iuriſdictionem, plenamque, & omnimodam ſuperioritatem, in his, quæ Dei cultũ, Sacramentorum adminiſtrationem, & animarum ſalutem, hæreſumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi liberè, & licitè valeant, reliquis ipſorum Græcorum in diuinis celebrandis aliiſque ritibus à Sede Apoſtolica approbatis, nec non priuilegiis, & gratiis Apoſtolicis intactis remanentibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò reuocamus,*

mus, caſſamus, & annullamus, ac reuocatas, caſſatas, & annullatas eſſe, nec ipſis Græcis Clericis, vel laicis eorumue Prælatis, Eccleſijs, Cænobijs, aut alijs pijs locis in aliquo ſuffragari, ſed illos oẽs, & ſingulos, locorũ in quibus morã traxerint, Ordinariorũ viſitationi, correctioni, punitioni, iuriſdictioni, & omnimodæ ſuperioritati in præmiſſis ſubeſſe, illiſque tanquã Superioribus ſuis ſuarumq; animarum paſtoribus humiliter obedire, & ſi per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales ſublata eis quauis aliter iudicandi facultate iudicari, & definiri debere, ac quidquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Per hoc tamen non intendimus, quod ipſi Græci ab eorum Græcanico ritu abſtrahãtur, vel alias deſuper quoquomodo per locorum Ordinarios, aut alios impediantur, & quia difficile foret præſentes ad diuerſa loca, in quibus illarum exhibitio forſan erit neceſſaria circumferri, volumus, & eadem auctoritate ſimiliter decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manuſubſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo ſignatis plenarias, & indubia, eaque prorſus adhibeatur fides in iudicio, & extra, quæ præſentibus adhiberi deberet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Rom. apud S. Petrum die 16. Feb. 1564. Pontif. ann. 5.

Patet ergo per dictam Conſtitutionem ſubdi Epiſcopis Regulares Græcos, qui ad vnitatem fidei Catholicæ redierunt. Quæ autem ab Epiſcopo viſitante huiuſmodi Eccleſias Græcorum obſeruari debeant, quę aduertenda, & corrigenda vide ſi potes Piaſeccium *in Prax. Epiſcopal. De Viſitatione Eccleſiarum Græcorum*, vbi varias adducit Conſtitutiones ex mandato Clementis Papę VIII. impreſſas.

An Regulares teneantur ſoluere Quartam Epiſcopalem, & Parrochialem. Dub. CCCLXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſit Quarta Epiſcopalis.*
2 *Quæ ſit Quarta Parrochialis.*
3 *Regulares non tenentur ſoluere Epiſcopo quartam, & quare.*
4 *Nec etiam tenentur ob priuilegia ſoluere Quartam Parrochialem.*
5 *Virtute priuilegij non ſoluitur quarta de candelis, quæ manibus referuntur.*
6 *Nec debetur quarta, quando quis ad tempus eligit in aliqua Eccleſia ſepulturam per modum depoſiti.*
7 *Nec debetur quarta, dum quis ſepelitur in tali Eccleſia contra voluntatem eorum, quorum eſt Eccleſia.*
8 *Quarta quoque non ſoluitur, dum quis elegit ſepulturam in aliqua Eccleſia, in qua poſtea non ſepelitur.*
9 *Etiam ſi ob conſuetudinem tenerentur Regulares ſoluere quartam, non tamen deberent ſoluere in anniuerſario.*
10 *Solum adeſt obligatio ſoluendi quartam de obuenientibus ratione funeris, & in die funeris.*
11 *Aliqui Doctores dicunt deberi etiam*

quartam ex funeralibus ſequenti dic.

12 *Decretum Roma aditum ad tollendas controuerſias, quæ poßunt oriri inter Regulares, & ſæculares approbatum ab Vrbano VIII.*

13 *Quid dicendum, dum teſtator, qui vult ſepeliri in Eccleſia Regularium legatum facit pro Parrochiali, an ſcilicet tunc teneantur Regulares ſoluere quartam.*

14 *Argumentis, & rationibus aſſerentium tunc etiam deberi quartam, ſatisfit.*

15 *Quanta pars debeat eſſe hæc quarta.*

16 *Quid dicendum dum in Eccleſia Parrochiali adeſt vna conſuetudo ſoluendi quartam, & in altera Eccleſia diuerſa conſuetudo.*

17 *Lezana multos ponit caſus, in quibus ſoluenda non eſt talis quarta.*

18 *Quando eſt controuerſia inter Regulares, & ſæculares ratione huiuſmodi quartæ nihil poteſt Epiſcopus in cognitione talis cauſæ.*

19 *Moniales etiam exemptæ ſunt à ſolutione dictæ quartæ.*

20 *Corpora Defunctorum ſepelienda in Eccleſijs Regularium, non ſunt prius deferenda ad propriam Parrochiam, vt monſtrat praxis.*

1 SOlutio propoſiti dubij valde vtilis erit, frequentiores enim controuerſię, quę ſolent eſſe inter Epiſcopos, & Regulares ſunt ob ſolutionem iſtius quartę.

Supponendum eſt ergo antequam quid dicendum ſit exponamus quartam Epiſcopalem eſse illam, quę debetur Epiſcopo de relictis factis per teſtatorem locis pijs pro anima, & debetur non ab hęredibus, ſed à locis pijs, intellige tamen ſi legata iam ſoluta eſsent; nam ſi adhuc ſoluta non eſsent, tunc vel ab hæredibus, vel ab executoribus peti poſset, quæ autem dicantur loca pia, & quæ nam quarta pręferenda ſit Epiſcopalis, vel Parrochialis, explicant, & noſter Molfeſius, *tract.* 13. *de vltimis voluntatibus*, *cap.* 9. *num.* 17. & Riccius *in praxi p.* 3. *reſolut.* 335. *in nouiſſima impreſſione Veneta*, qui ad verbum tranſcribit Molfeſium, & ſcias deberi quartam hanc Epiſcopo non ſolum de legatis factis Eccleſię Parrochiali ſibi ſubiectæ, ſed etiam de omnibus mortuarijs, ſeu funeralibus c. *De Quarta de præſcript.* tradunt Federicus de Senis *conſ.* 6. Tuſch. *in verb. quarta, concluſ.* 21. *num.* 9. Megal. *tom.* 2. *Inſtitut. Confeſſor. cap.* 14. *numer.* 2.

2 Supponendum ſecundo, quartam Parrochialem eſse illam, quæ debetur Eccleſię Parrochiali de omnibus pro funere, & ſepultura ab illis, qui extra Parrochiam ſepeliuntur, & hoc fuit varijs rationibus introductum, vt poſt Bald. notant Federicis de Senis *lib.* 2. *conſil.* 326. & Tuſchus *verb. quarta Funerum concluſ.* 22. differt autem hęc quarta Parrochialis ab Epiſcopali in multis, vt aduertit Perez de Lara *de Anniuerſarijs libr.* 1. *cap.* 25. *nu.* 56. nam quartam Epiſcopalem nequit Epiſcopus petere ab Hęrede, ſed debet petere ab Eccleſia Legataria, quę cum Epiſcopo communicat Legatum cap. *Requiſiſti de teſtamentis*, Parrochus autem percipit quartam Parrochialem directè ab hęrede, Gloſs. *verb. largiri in Clement. dudum de Sepultur.* quam ſequentur Cardinalis Ancharanus, & Imola. Deinde Epiſcopalis quarta non detrahitur de

his

his, quę ad perpetuum cultum relinquuntur, Valaſcus *conſult.* 105. *num.* 12. quod pro multos non currit in quarta Parrochiali, licet de conſuetudine recepta ſeruetur quartam ſolum ſolui Eccleſię Parrochiali de his, quæ offeruntur eo tempore, quo funus, aut exequiæ defuncti celebrantur, vt tradit Cardinalis citata *Clement. Dudum*, & ſic hodie ex generali conſuetudine ſeruatur, quod de relictis pro anniuerſario celebrando quarta Parrochialis non ſoluatur, & in hoc ſenſu accipiendus eſt Daniel Benatorius *in Annalypſi Iuris Pontificij lib.* 3. *tit.* 28. his ſuppoſitis.

3 Dico primo Regulares non tenentur ſoluere Epiſcopo quartam. Ità ferè communiter Doctores, qui adducunt multa priuilegia Regularibus, quo ad hoc conceſsa à Summis Pontificibus. Iulius II. minimis hoc indulſit in ſua Conſtitutione. *Dum ad Sacrum Ordinem* §. 3. vbi ſic habetur. *Nec non ordinis Minimorum huiuſmodi Eccleſiæ, & Oratoria, domus, & loca tā recepta, quam recipienda tanquam Sedis, & Eccleſiæ Romanæ huiuſmodi ſpecialia Oratoria Eccleſiæ domus, & loca cū omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis p. orſus ab omni decimarum, & oblationum perſolutione, ſeu iuriſdictione perpetuò libera ſint, & eſse cenſeantur, ac ſub Beati Petri, & d. Sedis, & noſtræ protectioni immediatè ſubiaceāt, ipſiuſq; Ordinis Minimorum Fratres, pro tempore exiſtentes de hortis, ac virgultis, & alijs quibuſcumque bonis Ordinis Minimorum domibus, & illorum Eccleſijs huiuſmodi pro tempore relictis, & legatis, ac ſuper luminaribus, & alijs rebus diuino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas etiam ex noualibus, vel quartam ex funeralibus ſoluere minimè teneantur, nec ad id à quoquam cuiuſcumque nobilitatis, aut dignitatis exiſtat valeant quomodolibet coarctari*, multa alia priuilegia referunt Doctores ſimilia Rodriquez *tom.* 1. *q.* 39. *art.* 2.

4 Dico Secundo, etiam Regulares habent priuilegia ne ſoluant quartam Parrochialem, quam dicunt funeralem Paulus V. conceſſit Carmelitis in ſua conſtitutione, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem*, & adeſt pro noſtra Congregatione deciſio Rotæ, quam hic placet adducere lectoris gratia licet tranſcriptam apud multos Doctores inuenies, eſt ergo tenoris ſequentis.

R. P. D. Decano Licienſi Quartæ Funeralium Lunæ 15. *Ianuarij* 1618.

Domini cenſuerunt Monaſterium Clericorum Regularium non teneri ad ſolutionem quartæ Funeralium Reuerendiſſimo Epiſcopo; nam etſi de iure communi iſta quarta ſpectet ad Epiſcopum, vel Parrocum Clement. Dudum de Sepult. cap. 1. *& 4. cum alijs eodem titulo cap. cum quis pariter eodem tit. in* 6. *Attamen ſecus eſt quando Monaſterium eximitur à dicta ſolutione ad tex. in cap. Priuilegia diſt.* 3. *cap. in noſtra de Sepultur. in caſu autem de quo agitur ne dum prædictum Monaſterium, ſed etiam tota Religio eſt exempta à dicta ſolutione quartæ funeralium cum Paulus IV. & Gregorius XIII. dictis Clericis Regularibus communicauerint omnia priuilegia alijs Regularibus conceſſa quare cenſentur etiam communicata priuilegia eximentia à dicta ſolutione quartæ. Inter quæ adeſt priuilegium Iulij II. conceſſum Minimis de anno* 1506. *& aliud*

liud eiuſdem Pontificis conceſſum Minoribus de Obſeruantia ann. 1511. *ſui Pontificatus* 8. *& aliud Pauli III. conceſſum Minoribus ann.* 1544. *& aliud Pauli IV. conceſſum Ordini Prædicatorum anno* 1556. *quæ per extenſum refert Archangelus Caracia de quarta Funeralium caput* 1.

Nec obſtat Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. *cap.* 13. *de reformat. quia cum iſtud Monaſterium ſit fundatum, poſt publicationē Concilij, & quatenus eſſet funda-* 5 *tum ante cum non eſset ſolitum ſoluere dictam quartam Concilium ei non obſtat, vt declarauit Sanctiſs. Pontifex Pius V. in ſua Conſtitutione de anno* 1567. *quam refert Archangelus Caraccia loco citato, Gutierez de iuramento confirmatorio* 2. *parte cap.* 4. *num.* 3. *Emanuel. Rodriquez in qq. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 41. *art.* 2. *& ita etiam reſoluit congregatio Illuſtriſſimorum Interpretum, vt refert Rodriquez loco prædicto.*

Quod autem hoc monaſterium fuerit fundatum poſt confirmationem Concilij, ex 6 *eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die* 27. *Ianuarij* 1564. *Religio autem Clericorum Regularium fuit confirmata a Clemente VII. die* 24. *Iunij* 1524. *vnde perneceſſe inferendum eſt, quod hoc Monaſterium ſit fundatum intra quadraginta annos de quibus loquitur Concilium, & quatenus eſſet fundatum extra dictos quadraginta annos, non pro-* 7 *batur, quod eſſet ſolitum ſoluere quartam funeralium.*

Neque eſt verum, quod prædicta conſtitutio Pij V. fuerit reuocata per Gregorium XIII. vt in eius Bulla, quem refert Nauarr. in manual. cap. 27. *in fine, quia cum dicta Bulla Pij V. plura contineret per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilij, vt cenſuit Congregatio Illuſtriſſi-* 8 *morum Interpretum vt refert Caraccia loco citato, qui etiam in finem tractatus refert ipſam declarationem, & benè aduertit Gutierez loco citato, & ita fuit reſolutum vna parte tantum informante.*

Virtute ergo huius priuilegij multa colligit Molſeſius, *in Summ. trac.* 13. *de vltimis Voluntatibus cap.* 9. *a numer.* 32. *per multos ſequentes*, quæ ſicut tranſcripſit Riccius, ſic mihi etiam placet referre.

Primo Virtute huius priuilegij nō ſoluitur quarta de candelis, quæ ad manus deferuntur, ſunt enim illorum quibus dantur, vt tradunt Ioannes Baptiſta Confectius Megal. Couaruuias, Rodriquez, omnes relati a citato Molſeſio, & idem eſt dicendum de cereris, quæ manibus non deferuntur, ſed ante mittuntur ad Eccleſiam Regularium, & hoc non ſolum ratione priuilegiorum, ſed quia ita ſe habet antiqua conſuetudo quæ leges interpretatur.

Secundo, non debetur quarta quando quis ad tempus eligeret ſibi ſepulturam in Eccleſia Regularium, vt inde transferatur alio ad ſepulturam perpetuam, quia interim ibi manet loco depoſiti, & ſic ceſſante ratione, cur hæc quarta fuerit introducta ceſſat etiam obligatio illam ſoluendi.

Tertio, Non debetur quarta ſi quis ſepeliatur in tali Eccleſia contra voluntatem eius, cuius eſt Eccleſia veluti ſi tempore interdicti ſepeliretur in Eccleſia Regularium habentium priuilegium ſepeliendi; tunc enim ceſſat iniuria Parrochialis Eccleſiæ, notant Federicus de Senis *conſil.* 119. Azorius, *lib.* 9. *cap.* 13. *quæſt.* 4.

Quarto, nec debetur quarta; ſi in

loco

loco aliquo eligit quis ſepulturam, ſed in illo ſepeliri non poteſt, multos alios caſus habes apud dictum Molſeſium, quos hic tedet adducere, & tranſcribere, quod tamen Ricciurn non faſtidiuit.

9 Sed dato etiam, quod ex conſuetudine tenerentur Regulares ſoluere hanc quartam, non tamen deberet ab eis ſolui, in anniuerſario, quod fit, in Eccleſia vbi teſtator ſepultus eſt, Ità Perez Lara, *lib. 1. de Anniuerſarijs, cap.* 25. *num.* 54. ex *cap Final. de Teſtamentis*, in quo ponuntur hæc verba, *de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, ſeu fabrica luminaribus, anniuerſario ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo die, ſiue alijs ad perpetuum cultum Diuinum legantur Eccleſis, vel reliquis pijs locis Canonica portio, dummodo in fraudem non fiat vt ea Epiſcopus, ſeu Parrochialis Eccleſia debeat defraudari deduci non debet.*

10 Secundo, dato etiam quod Regulares tenerentur ſoluere quartam, ſolum adeſſet obligatio ſoluẽdi quartam de obuenientibus ratione funeris in die funeris ex Bulla Pij V. quę incipit, *Et ſi mendicantium*, quæ vt ſæpius diximus non eſt reuocata abſolutè, & ità declaraſſe Summos aliquos Pontifices teſtatur Molina, *de Iuſtitia, & Iure Diſput.* 215. relatus a Nouario, *in Lucerna Regularium verb. quarta*, quod eſt maxime notandum. Barbo-

11 ſa autem, *in tract. de iure Eccleſiaſtico lib. 3. Tit. de quarta Canonica cap.* 24. *num.* 38. dicit ex declaratione Sacræ Congregationis deberi quartam Parrocho ex funeralibus ſequenti die poſt funus ſolemniori pompa facta, addens tamen non intelligi de candelis a Regularibus manibus delatis ex declaratione Benedicti II. Vide dictum Barboſam *loco citato*, ibi enim fuſe caſus practicabiles circa hoc ad-

12 ducit. Refert inſuper dictus Doctor, Vrbanum VIII. die 21. Martij 1629. approbaſſe decretum Cõgregationis RR. DD. Præfectorum Vrbis habitæ coram Eminentiſſimo Vrbis Vicario, in qua ad tollendas quæſtiones, & diſſenſiones, & ad euitanda ſcandala fuit reſolutũ, tam interſtitia, cereos, & candelas, quæ per viã deferuntur, quam etiam omnia ea, quæ circa cadauera antequam terræ tradantur, eſſe pro æquali portione inter ipſos Parrochos, & alios miniſtros, diuidenda.

13 Sed quæres hic primo, an ſi teſtator, qui vult ſepeliri in Eccleſia Regularium leget aliquam pecuniam, vel aliud, Eccleſiæ ſuæ Parrochiali, an tunc Regulares teneantur ſoluere quartam; habet dubium in terminis Illuminatus Moronus, *in ſuis Reſponſis Reſponſ.* 52. & pro vtraque parte affert rationes. Quod tunc adhuc debeat ſolui quarta ab Eccleſia, in qua ſepultus eſt teſtator vidẽtur ſuadere hæc, primo, quia compenſatio non poteſt fieri niſi inter debitores, inter conditiones enim requiſitas ad compenſationem eſt hæc, quod fiat de bonis debitoris, non alterius, vt tradunt Nauarrus, *cap. 17. num.* 115. Sa *verb. depoſitum*, Leſius *lib. 2. cap.* 27. *dub.* 4. *num.* 16. & alij apud dictum Moronum, ſed Eccleſia, in qua electa eſt ſepultura debet quartam, & hæredes Legatum, ergo non poteſt fieri compenſatio; quod autem Eccleſia teneatur ſoluere quartam patet ex Clement. *dudum*, & ex multis alijs textibus. Secundo à pari ſi quid legatur Epiſcopo debetur legatum,

& quar-

& quarta nec ſit compenſatio, ergò eodem modo dicendum in caſu poſito, antecedens probatur ex cap. *Officij de Teſt.* Tertio, Maritus, qui tenetur reſtituere dotem vxori, ſi aliquid leget vxori eidem vxori debetur, & dos, & integrum legatum, vt per *leg. vnicam §. ſciendum C. de rei vxori*, ergo ſic à pari. Quarto, Si quid legetur Epiſcopo, & quid etiam capellis, & locis pijs; Epiſcopo debetur nihilominus, & legatum, & quarta, ergo ſic in caſu noſtro. Quinto, Quarta numquam eſt diminuenda, vt per *Clement.2.* vbi Gloſſa idem tradit. Ergò ſiue legatum relinquatur Parrochiæ, ſiue non ſemper quarta eſt ſoluenda. Pro contraria tamen parte ſunt ſequentia adducta ab eodem Morono. Primo, *ex leg. ſi cum dotem §. ſi pater ff. ſolut. Matrimon.* Si Pater legauit aliquid filię filia non poterit habere integram dotem, & legatum integrum, quia Pater cenſetur reliquiſſe animo compenſandi. Ergo idem in propoſito dubio. Secundo, Eccleſia non debet quartam Parrocho, ſed eam debet teſtator, & in eius defectum eius hæres, patet ex cap. *de his de Sepult.* ergò bene poteſt fieri compenſatio. Tertio, canonica portio, vel quarta debetur Eccleſiæ Parrochiali, vel propter onera, quæ ſubijt adminiſtrando Sacramenta Parrochiano, vel in compenſatione iniuriæ quam infert Parrochiæ eligens alibi ſepulturam, ergo debetur quarta ab eodem Parrochiano, qui ſatisfeciſſe putandus eſt legando eidem Eccleſię. Quarto ex cap. *Officij de teſtam.* Iura non faciunt teſtatorem debitorem quartæ, ſed ſtatuunt, quod relinquat quartam ſuo iudicio Eccleſiæ Parrochiali, ergò cum reliquerit legatum ſatisfecit ſuæ obligationi, ob has rationes, & alias etiam adhæret huic ſententiæ Moronus, dicens quando aliquod legatum eſt factum Parrochiæ, nec ab hæredibus, nec ab Eccleſia deberi quartam Parrochialem, ſed legatum intrare loco quartæ, & hæc

14 opinio etiam mihi magis placet, nec obſtant contraria, nam ad primum dico cum relato Morono compenſationem fieri inter terminos neceſſarios, deinde fit in caſu poſito de bonis debitoris, debitor enim quartæ eſt hæres. Ad ſecundum eſſe diſcrimen inter legatum relictum Epiſcopo, & Parrocho, quia teſtator nihil debet Epiſcopo, ſicut debet quartam Parrocho. Ad tertium ſic conciliandæ ſunt leges, quæ videntur contrariæ, aut enim debitum eſt voluntarium, aut neceſſarium, ſi voluntarium legatum, & debitum debetur integrum iuxtà *leg. 1. C. de rei vxoriæ*, ſi autem ſit neceſſarium, quia debitum ex lege eſt, vt dos filię tunc facienda eſt compenſatio. In caſu noſtro debitum quartę eſt neceſſarium. Ergo compenſatio debet, & poteſt fieri. Ad quartum reſpondetur ſicut ad ſecundum. Ad quintū etiā ſi quarta cōpenſetur cū legato ſemper datur integrè, datur enim totū legatum benè viſum teſtatori; at ſi pro quarta non ſufficeret, vt notat noſter Molfeſius *cap. 9. tract. 13. de vltimis volunt. num. 49. cum alijs Doctoribus*, tunc agere poſſent Parrochi ad ſupplementum.

15 Quęres ſecundo; An hęc quarta debeat verè eſſe quarta pars, & per hoc dicatur quarta. Reſpondeo de iure eſt quarta pars, caput *cum ſuper de ſepulturis*, Clement. *dudum eodem titulo*

tulo, ſed per conſuetudinem poteſt eſſe maior, vel minor portio, cap. *antiquos* 10.*q.*1.*cap.certificati de Sepulturis*, hæc tamen conſuetudo debet eſſe legitimè præſcripta,iuxta ea,quæ tradit Barboſa *de officio, & poteſtate*
16 *Parrochi cap.*25.*n.*2. & 16. Sed quid dicendum eſt ſi in Eccleſia Parrochiali eſt vna conſuetudo, & in alia Eccleſia, vbi ſepultum eſt cadauer eſt alia conſuetudo, quæ nam ex his debet ſeruari, aliqui dicunt ſeruandam eſſe conſuetudinem Parrochialis,ſed Moronus *loco ſupra numer.* 6. dicit neutram conſuetudinem eſſe ſeruãdam, ſed quartam eſſe ſoluendam prout de iure communi, & probat, quia conſuetudo debet eſſe vnius Eccleſię cum eadem, non verò cum alia, neque conſuetudo vnius Eccleſiæ cum alia eſt extendenda; quia licet in materia ſepulturæ multum tribuatur conſuetudini,conſuetudo tamen non extenditur de loco ad locum,neque de perſona ad perſonam. Vide Manticam *deciſ.*284. *nu.*6. nulla ergo eſt conſuetudo, & ſic quarta ſoluenda eſt iuxta ius commune.

17 Si autem cupis lector videre caſus in quibus non tenentur ſoluere Regulares quartam, Vide Lezanam *in Summa verb.quarta funeralis numer.*10. vbi enumerat quindecim caſus, in quibus non eſt ſoluenda talis quarta, quod ſi eſſet controuerſia inter Regulares,& Sacerdotes ſæculares circa ſolutionem huius quartæ nihil poteſt Epiſcopus, ſed tota res eſt expedienda, vel coram Sanctiſſimo, vel eius Legatis, vel coram Prælatis Regularium. Ita Moronus *loco ſupra nu.*16. qui citat Mirandam *in manual. Prælatorum tom.*2. *quæſt.*48. *à num.*14. §.*neque etiam*. Incurrunt autem Ordinarij cogentes Regulares ad ſolutionem quartæ in multas pænas (intellige tamen quando dicta quarta non eſt ſoluenda) Vide Rodriquez *tom.*1.*qq.quæſt.*39.*art.*8. Portell. *verb. Quarta num.*9. & 10.

19 Quæres tertio, & vltimo ad complementum huius materiæ, an Moniales etiam exemptæ ſint, & priuilegiatæ in ſolutione quartæ. Affirmatiuè reſpondent Portel. *de Dubijs Regul. verb. Canonica portio nu.* 8. Lezana *verb. Quarta funeralis num.*8. Pelliciarius *in tract. de Monialibus cap.*9. *n.* 17. & probant, tum quia Pius V. in Bulla hac de re edita generaliter dicit, Monaſteria non teneri ſoluere quartam funeralem (intellige iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini, *ſeſſ.* 25. *cap.*13.) Conuentus autem Monialium verè ſunt Monaſteria, tum quia in dicta Bulla expreſſa fit mentio de Monialibus, Bulla autem Pij V. incipit *Ad hoc nos Deus*,& eſt *in* 2.*to. Bullarii*, Laertij *ſub numer.* 41. Oppoſitum tamen ſuſtinet Nouarius *in Lucerna Regularium verb. Quarta num.* 1. vt refert Lezana, *loco ſupra*.

20 Nota hic obiter, cum de re funerali agamus poſt ſcripta in cap. *Quo ad ſepulturas vbi num.*28. dixi corpora defunctorum ſepelienda in Eccleſijs Regularium prius eſſe deferenda ad propriam Parrochiam, vidiſſe poſtea Peirinum *in Priuilegiis Conſtitut.* 21. *Leonis X.* §. 11. *num.* 19. qui contrarium docet ex priuilegio *Pij V.* in ſua conſtitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*, quam refert Rodriquez, *in Bullar. in Conſtit. Pij V. ſecunda*, & hoc practicatur, vt notat Lezana *in Summ. verb. Defunctus nu.*3.

Vide

Vide circa materiam quartæ ſoluendæ Lauorium *in ſuis Lucubrationibus tit.2. cap. 3.* ibi enim fusè, & doctè de hac agit, & plures alios Doctores refert.

An Regulares teneantur ſoluere Decimas.
Dub. CCCLXV.

SVMMARIVM.

1 *Innumera ſunt priuilegia, quæ eximunt à ſolutione Decimarum Regulares, immò, & de iure communi ſunt ab hac exempti.*
2 *Singulare in hac materia priuilegium adeſt Gregorij XIII. Societati Ieſu.*
3 *Hæc autem priuilegia iuſtè, & rectè potuerunt à Summis Pontificibus concedi Regularibus.*
4 *Hæc priuilegia non ſunt amplianda ſecundum aliquos.*
5 *Contraria ſententia magis placet Authori.*

1 Facilis erit dubij ſolutio ob innumera priuilegia, quæ habent circa hoc Regulares, & referuntur paſſim à Doctoribus, immo etiam de iure communi ſuntRegulares exempti à ſolutione decimarum cap. *Decimas 16.q.1.* Priuilegia autem à varijs Pontificibus ſunt obtenta. Clemens IV. pro Minoribus, Bonifacius VIII. pro Religioſis perſonis in communi, Eugenius IV. pro Monialibus S. Claræ, & Fratribus, ac Monialibus Ordinis Prædicatorum. Sixtus IV. pro Prædicatoribus Minoribus Carmelitis, & Monialibus S. Claræ. Alexander VI. pro eiſdem Monialibus, Leo X. pro eiſdem, Clemens VII. pro eiſdem, Lucius III. pro Fratribus Sancti Ioannis Hieroſolymitani, referuntur hæc priuilegia à Caſſarubio in Compendio verb. *Decimæ* teſte Lezana *in Summ. eodem verb.* alia etiam plura priuilegia idem concedentia Regularibus adducunt. Tamburinus *de iure Abbatum to.1. diſp. 15. quæſit. 18. à n. 18.* Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib. 3. tit. de Decimis cap. 26.* Ioannes Maria Nouarius *in Lucerna Regularium verb. Decimæ*, & ſingulare eſt in hac materia Priuilegium conceſſum à Gregorio XIII. Societati Ieſu, hic libet per extenſum ponere.

Gregorius PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam.

2 *Paſtoralis Officij, & infra. Exponi ſiquidem nobis fecit dilectus filius Euerardus Mercurianus Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu, quod licet alias fel. record. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter volens dictam Societatem per eum authoritate Apoſtolica inſtutam, & approbatam, illiuſque ſocios fauore proſequi gratiæ ſpecialis inter alia eidem Societati, & ſocijs dicta authoritate, conceſſit, ac indulſit, vt de ijs, quæ in ornamentis, aut pro eis, ſeu libris, fabrica, luminaribus, vel victu, aut indumentis eorum, nec non annuis cenſibus redimendis ad quorum ſolutionem aliquæ domus Societatis obligatæ forſan exiſtebant, ac de domibus, & Collegijs eorumque prædijs, hortis, & alijs locis eiſdem ſocijs iuxta eorum viuendi inſtitutum habere conceſſis, aut de his, quæ pro huiuſmodi rebus, domibus, Collegijs, prædijs, locis, & hortis emendis per quaſcumque perſonas pro tempore legari, aut relinqui contingeret, & alijs bonis quibuſcum-*

cumque per dictam Societatem, & illius Collegia poſſeſſis, & obtentis, aliquam decimam etiam Papalem ſoluere, ſeu canonicam portionem exhibere, aut ad præſtationem procurationum legatorum dictæ Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu Ordinariorum locorum, aut exactionum, collectarum, vel ſubſidiorum, ſeu prouiſionũ quarumcumque minimè tenerentur, nec ad id per litteras Sedis, vel Legatorum, ſeu Nunciorum, aut Diœceſanorum prædictorum, cuiuſcumque tenoris forent, nullo vnquam tempore compelli poſſent, niſi ipſæ litteræ Apoſtolicæ plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto, & conceſſione huiuſmodi, ac de eorum ordine mentionem facerent, & ſi fortè per ipſum prædeceſſorem, vel dictam ſedem de his legatis diſpoſitis, & relictis in genere, vel ſpecie decima, vel altera portio, ſeu quarta alteri piæ, vel non piæ cauſæ quomodolibet eatenus conceſſa eſſet, vel illam in poſterum concedi; ſeu ſolui, aut dari, mandari contingeret ſocios prædictos, aut illorum domus, & bona quæcumque, nec non eis legata, & relicta, aut aliàs in eorum fauorem diſpoſita in conceſſionibus, & mandatis huiuſmodi decreuerit, & voluerit minimè cõprehendi, niſi de ipſis, ac ſuis decreto, & voluntate huiuſmodi non per clauſulas generales idem importantes ſed vera expreſſa, & ſpecifica mentio fieret in eiſdem, & ſucceſſiue Piæ memor. Pius IV. etiam prædeceſſor noſter exemptionem, ac cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis litteras ipſius Pauli Prædeceſſor deſuper confectas, nec non inde ſecuta quæcumque per ſuas litteras ex certa ſcientia, confirmauerit, approbauerit, & etiam plenariè innouauerit, ac pro potiori cautela vniuerſam ſocietatem prædictam, omniaque, & ſingula illius, domos etiam probationis, & collegia vbilibet conſiſtentia, præſentia, & futura, eorumque perſonas. fructus, redditus, & prouentus, etiã bonorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & Regularium quorumcumque illis pro tempore vnitorum, aliaſque res, & bona quæcumque à quibuſuis decimis etiam Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus, ſubſidijs etiam charitatiuis, & alijs ordinarijs oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac alijs quomodolibet etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore impoſitis, & ſi in illorũ impoſitione caueretur, quod nulla prorſus exemptio cuiquam aduerſus illa caueretur. Ita quod Societas eiuſque domus etiam probationis, collegia, fructus, res, & bona præfata ſemper ab illis abſque declaratione deſuper facienda excepta eſſent, & eſſe cenſerentur perpetuò liberauerit, & exemerit, prout in ſingulis litteris prædeceſſorum huiuſmodi plenius continetur. Nihilominus quia in illis nulla de Conſtitutione recolendæ memoriæ Innocentij Papæ III. ſimiliter prædeceſſoris noſtri in Concilio Generali ſuper decimis edita, quæ incipit: Nuper expreſſa, & ſpecifica mentio facta, nec eis ſpecialiter, & expreſsè derogatum fuit idem Præpoſitus dubitat ſingulas litteras prædictas, de ſubreptionis, ſeu nullitatis vitio notari, ac ſocietati, illiuſq; domibus, collegijs, & perſonis prædictis minus vtiles reddi, aut illa ſuper exemptione huiuſmodi moleſtari, vel perturbari poſſe tempore procedẽte. Nos igitur, qui votiuum ipſius Societatis profectum ſincero paternæ charitatis affectu libenter proſequimur, eidem Societati, illiuſque domibus etiam probationis Collegiis, & perſonis ne propterea dictarum litterarum fruſtentur affectu opportune

portunè prouidere volentes, ipſumq; Præpoſitum, & ſingulares perſonas Societatis huiuſmodi à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pænis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſoluentes, & abſolutos forè cenſentes, nec non ſingularum litterarum prædictarum veriores tenores, ac quarumcumque litium, & cauſarum ſuper præmiſſis iam forſan motarum ſtatum, & merita nominaque, & cognomina indicum, & colitigantium, ac titulos, & iura eorum præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes ipſius Præpoſiti ſupplicationibus in hac parte inclinati, volumus, ac ſocietati, illiuſque domibus, etiam probationum Collegijs, & perſonis prædictis eadem authoritate concedimus, quod ſingulæ litteræ prædictæ, cum exemptionibus, cæteriſque omnibus, & ſingulis in his contentis clauſulis, & decretis, proceſſuſque habiti per eaſdem, ac inde ſequuta quæcumque valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, & eis quibus conceſſæ exiſtunt perpetuò ſuffragentur in omnibus, & per omnia perinde ac ſi in illis de Conſtitutione Innocentij prædeceſſoris, ſeu Conciiij Generalis huiuſmodi ſpecifica, & expreſſa mentio facta, eique ſpecialiter, & expreſsè derogatum fuiſſet pro vt nos eidem Cōſtitutioni ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus decernentes, ita in quibuſcumque cauſis pendentibus, & futuris per quoſcumque Iudices, & commiſſarios quauis authoritate fungeutes iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus litis pendentijs, ſi quæ ſint, & alijs præmiſſis, ac Imocentij Prædeceſſoris noſtri, ſeu Generalis Concilij huiuſmodi, alijſque Apoſtolicis, nec non in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac omnibus illis, quæ in ſingulis litteris prædictis expreßum fuit non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quod earumdem præſentium tranſumptis, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Ianuar. 1578. Pont. ann. 6.

3 Et notandum eſt ritè, & legitimè à Summis Pontificibus potuiſſe concedi Regularibus hæc priuilegia circa decimas. licet Gloſſ. in Caput *q.* 16. *q.* 1. de hoc dubitauerit, etſi enim ſolutio decimarum ſit de iure diuino, cum tamen illę ſolui debeant miniſtris Eccleſijs pro labore, quem reſpondunt in adminiſtratione ſpiritualium, Regularium etiam hoc munus exercent, & ſic benè potuerunt eximi in hoc à Summis Pontificibus; ſicut non tenentur ſoluere decimas Regulares curam animarum habentes, vt tradit Megal. *in Promptuario verb. Decima parte* 2. & fortè hac ſolum de cauſa.

4 Aduerte tamen hic aliqua, quæ etiam notat Lezana *verb. Decimæ*. Primo, hac priuilegia, cum ſint in præiudicium tertij habentis intentionem fundatam non eſſe amplianda, ſed ſtrictè accipienda. Ita deciſum teſtatur à Rota in vna Valentina citatus Lezana *loco ſupra*, debent tamen ſemper verba priuilegij in ſua proprietate ſaluari Suarez *tom.* 1. *de Relibione tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. Secundo, talia priuilegia non communicari in

gene-

generali communicatione priuilegiorum, vt ſtatuit Rota *in vna Valentina* 1603. & ratio eſt, quia in conceſſione generali non veniunt ea, quæ vel non ſolent concedi, vel magna cum difficultate conceduntur. Secundo, quia nec conceduntur ea, in quibus agitur de præiudicio tertij, talia enim priuilegia, vt diximus debent ſtrictè interpretari, ſed his non obſtantibus communicari docet Lezana *loco ſupra n.*8. qui reſpondet rationibus in contrarium adductis primæ, quia talia priuilegia non ſolent rarò, ſed frequenter concedi, vt patet ex tot priuilegijs. Secundæ, quia doctrina illa debet intelligi, quando ratio non dictat contrarium, vt quando agitur de cauſa pia, & religioſa, tunc enim amplianda ſunt priuilegia, ſic iuriſconſulti in leg. *ſunt Perſonæ ff. de Religioſis, & ſumptib. funer.* & ex Theologis Suarez *de legibus libr.*8. *cap.*27. *num.*7. Sanchez *libr.*8. *de Matrimon. diſput.*1. *num.*13. alia plura habes notata circa decimas à Lezana, quæ hic omitto quia proprio ad materiam noſtram non ſpectant, & ſufficiunt dicta.

An Regulares ſubdantur Epiſcopo quo ad contributionem pro Seminario.
Dub. CCCLXVI.

SVMMARIVM.

1 *Excipiuntur à contributione Seminarij Mendicantes, per Concilium Tridentin.*

2 *Qui autem veniant nomine Mendicantium determinat Pius V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit* Romanus Pontifex.

3 *Regulares obligati ad contributionem pro Seminario, non tenentur hoc facere ex emolumentis, prouentibus, & legatis ipſis relictis pro celebratione Miſſarum.*

4 *Beneficia Regularia, ſiue dentur in titulum, ſiue in commendam non poſſunt Seminario vniri.*

5 *An Regulares, qui recuſant ſoluere hanc taxam pro Seminario poſſint ab Epiſcopo puniri.*

6 *Confraternitates exiſtentes in Eccleſijs Regularium ſi habeat redditus tenentur contribuere pro ſeminario.*

1 Agit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reformation. cap.* 18. de Seminario, & omnes vult ad eius erectionem, contribuere excipit tamen Regulares Mendicantes, quorum nomine, qui nam Regulares veniant, tradit Pius V. in ſua Conſtitutione, *Romanus Pontifex* relata à Cõfectio *fol.*290. & à Piaſecio *in praxi de viſitatione Regularium numer.*49. in
2 qua habetur ſic. *Motu proprio non ad ipſorum Fratrum, vel alicuius eorum nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulos quatuor Mendicantium ordinum, videlicet Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, & Eremitarum Sancti Auguſtini, nec non Carmelitarum, & quos etiam recenſeri volumus Seruorum Beatæ Mariæ nominibus comprehenſos, eorumque domos, Monaſteria, & loca etiam ſi in communi propria bona, tam mobilia, quam immobilia, & ſtabilia, aç alia quæcumque poſſederint Mendicantium vocabulo, & omnibus, & ſingulis Mendicantium pri-*

 ui-

uilegijs, eis quomodolibet conceſſis, vti poſſe, & debere nec ſuper præmiſſis vllo vnquam tempore moleſtari poſſe auctoritate Apoſtolica per præſentes ſtatuimus, & declaramus, ac tam Concilij Trident. 3 *quam omnia, & ſingula alia decreta, ſtatuta, ordinationes, priuilegia, & iura de Mendicantibus loquentia ad omnes, & ſingulos ordines præfatos eorumque domos, ac loca etiam propria bona in communi tamen retinentes extendimus, & ampliamus, illaque de illis loqui etiam auctoritate præfata per eaſdem; præſentes* 4 *declaramus, ac inſuper eiſdem ordinarijs, & quibuſuis alijs, tam Eccleſiaſticis, quã ſæcularibus quauis auctoritate fungentibus in virtute Sanctæ obedientiæ, & alijs arbitrio noſtro moderandis pænis ſimiliter per præſentes mandamus, vt ſi quid per* 5 *eos, tam noſtro, quam prædeceſſoris noſtri temporibus, tam ratione ſeminarij, ſubſidij, & decimarum, quam aliorum onerum huiuſmodi exactum fuit id totum eiſdem fratribus, omni mora, & dilatione poſtpoſitis reſtituant, diſtrictiùs inhibentes eiſdem locorum ordinarijs, cæteriſque perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus quauis auctoritate fungentibus, & cuiuſuis dignitatis, gradus, & conditionis exiſtentibus, ne eoſdem Mendicantium Ordinum Fratres præfatos bona huiuſmodi retinentes quouis prætextu ſuper ſeminarij, ſubſidij, & decimarum contributio-* 6 *ne moleſtare, inquietare, vel perturbare audeant, vel præſumant decernentes, &c. Datum Romæ die 1. Octobr. 1568.* Vide etiam circa hoc Lezanam *tom. 2. c. 1.* vbi fuſius explicat, quinam ſint Regulares Mendicantes, gaudent tamen priuilegijs Mendicantium omnes alij Regulares communicantes in priuilegijs cum Mendicantibus, ſicut etiam Moniales Mendicantium, ſunt aliquæ declarationes, quę afferuntur à Barboſa, & videntur eſſe contrarię, omnibus tamen ſatisfacit Lezana verb. citato *ſeminarium nu. 6.*

Primo, ſcias tamen Regulares obligatos ad contribuendum pro ſeminario non teneri id facere, ex emolumentis, prouentibus, & legatis ipſis relictis pro celebratione Miſſarum ex declaratione Sacræ Congregationis, teſte Barboſa relato à Lezana *loco ſupra*.

Secundo, beneficia Regularia, ſiuè dentur in titulum, ſiuè in commendam non poſſe ſeminario vniri Sell. *cap. 10. nu. 23.* apud Barboſam *in Collect. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1. num. 39.*

Sed quæres hic vltimo, Epiſcopus poteſt ne punire Regulares, qui taxam ſoluere ſeminario recuſant. Affirmatiuè abſolutè videtur docere Barboſa *loco ſupra num* 51. dum ſic habet. *Seminario taxam ſoluere recuſantes poteſt Epiſcopus punire interdicendo, & alia grauiora iuris remedia adhibendo Aldan. d. tit. 18. nu. 15. vbi ſic refert deciſ. in vna Marſici,* ſed puto Regulares in hoc puniri non poſſe ab Epiſcopo, non enim inuenio ius aliquod, qui hanc facultatem tribuat in Regulares.

Aduerte Confraternitates exiſtentes in Eccleſijs Regularium teneri ad contributionem pro ſeminario, ſi habeant redditus, teſtantur deciſum à Sacra Congregatione plures Doctores. Vide Lezanam *tom. 2. c. 15. nu. 28.*

Qui

Qui nam dicantur Regulares Apoſtatæ ad hoc, vt Epiſcopus in eos poſſit procedere.
Dub. CCCLXVII.

SVMMARIVM.

1 *Recedens à Religione retento tamen habitu Apoſtata dicitur & quomodo.*

2 *Regularis dimmittens habitum, à Monaſterio tamen non recedens non eſt Apoſtata ſecundum probabiliorem ſententiam.*

3 *Regularis, qui vagatur ſtudiorum cauſa extra Monaſterium ſine facultate Apoſtata æſtimandus eſt.*

4 *Epiſcopus, qui non defert habitum ſuæ Religionis nō dicendus eſt Apoſtata.*

5 *Qui ingreditur aliam religionem ſiue arctiorem, ſiue laxiorem non eſt Apoſtata etiam ſi ſine facultate hoc faciat.*

6 *Moniales exeuntes è clauſtris ſine facultate dicuntur Apoſtatæ.*

7 *Qui habet parentes in extrema neceſſitate, ſi exeat ſine facultate non eſt Apoſtata.*

8 *Grauis neceſsitas parentum ad talem egreſſum non ſufficit.*

9 *Regularis, qui defert habitum coopertum ob timorem Apoſtata cenſendus eſt.*

10 *Qui fugit ad Prælatum Superiorem, quia inferior vult illum grauare iniuſtè eſt Apoſtata.*

11 *Si Regularis exeat è monaſterio habitu dimiſſo, & poſt breue tempus redeat non debet reputari Apoſtata.*

DIximus *cap. Quo ad Apoſtatas, & fugitiuos*, quomodo poſſit in dictos Regulares Epiſcopus procedere, ſed modo occurrit dubium, qui nam dicantur Apoſtatæ, &c. & ſic, ne aliquid omittatur pertinens ad propoſitam materiam, cum ſuo loco non venerit in mentem, hic volui ponere præſens dubium; varia enim caput præſens amplectitur.

1 Quæres ergo primo, an recedens à Monaſterio abſque licentia Superioris, & deferens habitum Religionis dicatur Apoſtata. Affirmatiuè reſpondet Riccius *in ſua praxi, Praxis Apoſtaſiæ criminis reſolut.* 14. *tertia par.* vbi pro ſe citat plures Doctores, & præcipuè Ioannem Mariam Nonarium ex recentioribus, ex antiquis vero Abbat. *in cap. extra de Apoſtatis*, Soccin. Caietanum in D. Thomam 22.*q.*12.*art.*1. Bannes inſuper, qui teſtatur, hanc eſſe communem ferè canoniſtarum ſententiam, intellige tamen, quando ſic habitum dimittens, ita dimittit. vt animum non habeat redeundi ad Religionem, alios etiam refert, qui contrarium docēt, poſſunt concordari iſtę opiniones ſi diſtinguatur de Apoſtata in foro interno, & externo, in foro externo hic certè reputabitur Apoſtata, in foro autem interno non erit talis.

2 Quæres ſecūdo, an Regularis eſto, quod habitum aſſumptæ Religionis dimittat, ſi à monaſterio non recedat dicatur Apoſtata. Reſpondet negatiuè Duardus *in Bullam Cænæ lib.*2.*Canon* 1. *q.* 17. *num.*3. refert tamen Farinac. contrariam ſentientem *De Hæreſi q.*183.§.6. *num.* 7. quam ſententiam non reprobat Duardus dum loco citato dicit, *& non immeritò, quia verè dici poteſt à religione recedere, qui habitum aſſumptæ religionis dimittit ani-*

mo redeundi ad ſæculum, quamuis Monaſterio non egrediatur, & conſequenter dicitur Apoſtata etiam quo ad Eccleſiam, non tamen quo ad omnes pœnas ſtatutas contra Apoſtatas, quia ſaltem de conſuetudine ad huiuſmodi pœnas contrahendas exigitur corporalis receſſus à Monaſterio. Hæc Duardus, caſus tamen inſolitus, & rarus eſt, vnde eius ſolutioni non eſt immorandum.

3 Quæres tertio, an Regularis ille dicatur Apoſtata, qui abſque Prælati licentia extra monaſterium vagatur ſtudiorum cauſa. Reſpondet affirmatiuè Riccius 3. *parte praxis reſolut.* 17. eſt textus ad litteram in capit. *vt periculoſa*, vbi Gloſſa, & communiter Doctores idem tradunt Dacian. *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 73. *num.* 3. Menochius *de arbitr. iudic. lib.* 2. *centur.* 6. *caſ.* 546. *num.* 35. Azorius *Inſtitut. moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *qu.* 16. Vnde incurrunt in excommunicationem, & in alias pœnas inſuper, & magiſtri, qui eos ad lectiones admittunt incurrunt in excommunicationem, & cæt.

4 Quæres quarto, an Epiſcopus Regularis, qui non defert habitum ſuæ Religionis ſit Apoſtata pro parte affirmatiua aliquas rationes adducit Riccius *loco ſupra reſolut.* 18. ſed negatiuè reſpondendum eſt, vt reſpondet Ledeſma *in Summ. par.* 2. *tract.* 32. *c.* 3. Ioannes de la Cruz *De ſtatu Relig. li.* 1. *cap.* 2. *dub.* 4. Barboſa *in Collect. Concilii ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 19. nam licet peccet læthaliter Epiſcopus Regularis, qui habitum non defert, attamen non eſt Apoſtata quidquid dicat Triuiſan. *lib.* 2. *deciſ.* 19.

5 Quæres quinto, an Religioſus ingrediens Religionem laxiorem, aut arctiorem ſine Superioris licentia dicatur Apoſtata. Idem Riccius *loco eodem reſolut.* 19. habet dubium, & teſtatur negatiuam ſententiam ſuſtinere Roſſellam *in Summ. verb. Apoſtaſia num.* 6. Angelus eodem verbo, Syluestrum *num.* 10. Azorium *inſtitutionum moral. par.* 1. *lib.* 12 *cap.* 13. *quæſt.* 10. docent tamen eſſe fugitiuum, & vt talem poſſe puniri.

6 Quæres ſexto, an Moniales exeuntes è clauſtris habitu dimiſſo dicantur etiam ipſæ Apoſtatæ. Reſpondeo dici tales. Ita Riccius *eodem loco reſolut.* 20. qui multos alios citat. Idem docet Duardus noſter *in Bullam Cœnæ lib.* 2. *Canon* 1. *q.* 17. *num.* 25. Moniales tamen tertij Ordinis Sancti Dominici, & Sancti Franciſci non ſunt tales, quia vota ſolemnia non emittunt, alia tamen vtitur ratione Duardus.

7 Quæres ſeptimo, Regularis, qui habet parentes in extrema neceſſitate, ſi exeat è Religione animo eis ſubueniendi ſine facultate ſit Apoſtata. Reſpondent negatiuè Riccius *loco ſupra reſolut.* 21. qui fusè, & doctè agit de hoc caſu, & Lezana etiam *in ſuis additionibus primo tomo ad caput* 16. *pag. mihi* 174. *impreſsionis Venetæ in fol.* debet

8 tamen eſſe extrema neceſſitas, non ſufficit grauis quidquid dicant Valentia *tom.* 3. *diſput.* 7. *q.* 1. *punct.* 2. Corduba *in Regul. D. Franciſci cap.* 2. *qu.* 6. *art.* 2. habet tamen cum hoc legitimam cauſam, vt cum ipſo diſpenſetur, vt notant Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 20. *num.* 33. Corduba *in Sum. qu.* 141. *art.* 2. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 6. *à num.* 3. Vide omnino ad hoc Riccium, & non pigebit.

9 Quæres octauo, an Regularis, qui coo-

coopertum deferat habitum Religionis ob timorem dicatur Apoſtata; pro parte negatiua multa adducit Riccius *in praxi parte 1. reſolut.* 548. concludit tamen pro affirmatiua, idemque ex noſtris ſentit Duardus *in Bullam Cœnæ libr. 2. Canon. 1. quæſt. 17. numer.* 40. & ratio eſt, quia deferre habitum coopertum idem eſt, ac ſi non deferretur, timor autem non eſt excuſabilis cum proueniat ex metu pœnæ meritæ, vt docet Thomas Triuiſan. *libr. 2. Decret. Venet. deciſ.* 19. relatus à Stephano Quaranta *in verb. Apoſtata in ſuo compendio Bullar.*

10 Quæres Nono, an Regularis fugiens ad Prælatum Superiorem, quia inferior Prælatus vult illum grauare iniuſtè ſit Apoſtata: ſic reſpondet Portel. *verb. Apoſtata* his verbis. *Fugiens ad Prælatum Superiorem, quia inferior vult illum grauare notabiliter iniuſtè non eſt Apoſtata Rodriquez tom. 1. qq. q. 30. art. 2. dixi, quando vult grauare, quia ſi iam grauauit non licet fugere pro ſola quærela facienda; ad hanc enim faciendam tempus ſuppetit. Neque item poteſt fugere ſi leuiter timet grauari; erit tamen Apoſtata fugiens ad Superiorem ſine fundamento, &c.* Iſti tamen non poſſunt puniri ab Epiſcopo, Vide Bordonum *reſolut. 7. nu.* 101. vbi multa habet notatu digna.

11 Quæres decimo, an ſi Regularis exeat habitu dimiſſo è Monaſterio, & poſt breue tempus redeat, puta ſpatio quatuor, aut ſex horarum, ſit dicendus, & æſtimandus Apoſtata; Negatiuè reſpondet Moronus *in ſuis reſponſis reſponſ. 86. numer.* 24. hoc tamen intellige in foro externo. Ratio eſt, quia ſicut egreſſus è carceribus ſi intra id tempus redeat habeatur, ac ſi non receſſiſſet, ſic in caſu poſito, multi alij caſus ſunt in quibus dubitari poteſt, an Regulares Apoſtatæ dicantur, ſed cum relati maiorem inuoluant difficultatem alios, ne te faſtidiam, omitto eo etiam reſpectu, quia non directè ſubiacent præpoſitæ, & inſtitutæ materiæ.

Quomodo Epiſcopus ſedare poſſit controuerſias ortas in proceſſionibus inter Regulares. Dub. CCCLXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Attendenda eſt conſtitutio Gregorij XIII. quæ hic per extenſum adijcitur.*
2 *Quid dicat Bordonus circa has præcedentias refertur.*
3 *Lezanæ circa hoc dicta.*
4 *Quod tradit Tamburinus circa has præcedentias.*
5 *Id etiam, quod habet Ioannes Maria Nouarius, hic tranſcribitur.*

1 DEbueram ponere hoc dubium *cap. quo ad Proceſſiones*, ſed tunc non aduerti, nō te tñ pigeat, lector hic legere inſertum, quod in hac materia à Doctoribus, & præcipuè neotericis, collegi, commodum enim erit hic in vnum collecta illa habere, quæ ſparſim ſunt apud Doctores quærenda.

In primis ergò, vt ſciat Epiſcopus modum componendi has controuerſias attendenda eſt declaratio Gregorij XIII. in ſua Conſtitutione, quam referunt Confect.

Nn 3 fol.

*fol.*250. & Paſec. *in ſua praxi de viſitatione Regularium pag. mihi* 185. *nu* 48. & eſt tenoris ſequentis: *Expoſcit Paſtoralis officij munus, &c. de nobis attributæ poteſtatis plenitudine volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter ſe de præcedentia huiuſmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum inter quos lites, & cauſæ præmiſſorum occaſione ortæ iam ſint, ſeu oriri contigerit in futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac iuris præcedendi ſunt ij (quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & alijs ſubterfugijs prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis in proceſſionibus, tam publicis, quam priuatis præcedere debeant. Quando verò non probetur aut conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ huiuſmodi inter fratres quidem Mendicantes, ij qui antiquiores in loco controuerſiæ, inter confratres verò inter ſe litigantes, ij qui prius ſaccis vſi ſunt in proceſſionibus, tam publicis, quam priuatis præcedere debeant, Ita vt ſi contigerit noua Monaſteria, aut domos alicuius Ordinis Mendicantium in loco in quo alterius ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus prius erecta, & inſtituta ſint ille ordo, qui prius Monaſterium, ſeu domum in loco habuerit præcedat. Propterea, quia inter Prædictos Ordines plerumque alia in proceſſionibus, & alia in Concilijs generalibus, & alijs actibus publicis, ſeu priuatis ratio circa modum præcedendi ſeruatur, volumus per præſentes prærogatiuas dictorum ordinum, quo ad præcedentias huiuſmodi, quæ proprijs præterquam in proceſſionibus prædictis debentur, aut Fratribus Cuppucinis nuncupatis, qui in proceſſionibus publicis ſub Conuentualium Sancti Franciſci, aut Minorum de obſeruantia Fratrum Nuncupatorum Cruce, vt ſolent incedere poſſint aliquod præiudicium generari, ſicque per quoſcumque Iudices, &c. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſt. nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum Ordinum, Congregationum, Domorum, aut Confraternitatum, quarumcumque etiam iuramento confirmatione Apoſtol. vel quauis firmitat: roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtol. Dat. Rom. apud Sanctum Marcum die* 15. *Iulij* 1583. Iterum etiam Sacra Congregatio teſte relato Piaſecio, & Stephano Quaranta *verb. præcedentia*, reſpondit idem ad tollendas has controuerſias, & non ſolum quo ad proceſſiones, ſed quo ad omnia alia illud ſeruandum eſſe, quod Romæ ſeruatur, ſed referamus hic, quæ dicunt ad materiam propoſitam aliqui Neoterici.

2 Bordonus *in ſuis conſilijs reſolut.* 7. ſic habet, *Vndecimo ordo præcedentiæ inter Regulares ferè in omnibus locis attenditur ratione antiquitatis loci, qui enim primo obtinuerunt Monaſterium gaudent præcedentia ſuper alios, quod procedit maximè inter Mendicantes. Vide compend. reſolut.* 118. *num.* 6. & cum dubium poſſet moueri, quid nam eſſet dicendum, quando plures conuentus procedunt ſub vna Cruce, vt olim faciebant Cappucini, & nunc obſeruantes Reformati, an ſi vnuſquiſque conuentus incipiat erigere Crucem debeat præcedere iuxta loci antiquitatem, an à tempore erectionis Crucis, ſic teſte eodem Bordono, reſpondit in facti contingentia Sacra Congregatio contra Cappucinos. *Congregatio Sacrorum rituum ad tollendas controuerſias, quæ poſt conceſſam Fratribus Cappucinis*

cinis propriæ Crucis erectionem inter Regulares circa præcedentiam in proceſſionibus ortæ ſunt cenſuit Illuſtriſsimo Melino referente Cappucinos cedere debere digniorem locum ijs Regularibus, qui ſub propria Cruce, & in proprio loco in proceſſionibus incedebant antequam ipſi propriam Crucem deferrent. Die Sabbati 23. *Martij* 1610. authenticam teſtatur eſſe hanc reſponſionem Bordonus *loco ſupra*.

3 Lezana circa hanc materiam hæc habet *in Summ. verb. Præcedentia* conſiderās relatam ſupra Gregorij XIII. dicit; *Circa hanc vero Gregorij Conſtitutionem nota primo, quod licet Portellus*, in dubij Regular. *verb. proceſſiones n.9. dicere videatur eam non eſſe vbique receptam, ac proinde ſtandum eſſe conſuetudini nihilominus ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis, quas referunt Barboſa loco relato ex lib. Iuris Eccleſiaſtici num.* 182. *&* 183. *& Nouarius ſupra num.6. habetur eam vbique obſeruari debere. Immo ex alijs, quas refert ipſe Nouarius num.* 18. *elicitur eam eſſe in* viridi obſeruantia, & poſt pauca addit: *Nota ſecundo cum poſt dictamConſtitutionem aliæ complures ortæ fuiſſent lites circa præcedentiam iſtam, ideo Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, ad tollendas omnes lites,& controuerſias, quæ inter Regulares plerumque ſolent oriri ſuper eorum præcedentia in proceſſionibus cæteriſque actibus, tum publicis, tum priuatis illud in futurum obſeruandū cenſuit, quod in hac alma Vrbe omnium Magiſtra ſeruatur, & die* 30. *Auguſti eiuſdem anni* 1593. *Dominus Cardinalis Alexandrinus retulit ſupraſcriptam Cōgregationis ſententiam Sanctiſsimo placuiſſe, & cæt.* & quia quis cupiet fortè ſcire quid Romæ ſeruetur circa hanc præcedentiam ſubiungit idem Lezana eodem loco.

Præcedentia autem, quæ Romæ obſeruatur inter Regulares in proceſsionibus talis eſt, prout ex Reginaldo Bottigliero Decano Mandatariorum tribunalis Eminentiſsimi Domini Cardinalis Vicarij teſtimonium authenticum ab ipſo acceptum habeo. Poſt pueros Litterati Orfani *vocatos incedunt primo Fratres Reformati Sancti Auguſtini,* 2. *Sanctæ Mariæ dictæ de Miracoli.* 3. *Cappucini.* 4. *Fratres de Beato Ioanne de Deo.* 5. *S. Adriani Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede.* 6. *Sanctorum Ioannis, & Pauli Ordinis Sancti Hieronymi.* 7. *Sancti Honufrij.* 8. *Sancti Hieronymi Beati Petri de Piſis.* 9. *Minimi.* 10. *Minores.* 11. *Auguſtiniani.* 12. *Carmelitæ.* 13. *Sancti Clementis, Pancratij, & Ambroſij ad nemus.* 14. *Seruitæ.* 15. *Prædicatores.* 16. *Monachi Sancti Alexij.* 17. *Canonici Regulares Sancti Petri ad Vincula, & Sancti Laurentij extra muros.* 18. *Oliuetani.* 19. *Celeſtini.* 20. *Ciſtercienſes.* 21. *Vallis Vmbroſani.* 22. *Camaldulenſes.* 23. *Caſſinenſes.* 24. *Canonici Regulares Lateranenſes, & Canonici Regulares Sancti Saluatoris in Lauro.* Hæc tradit circa præcedentiam Lezana.

4 Tamburinus verò hæc tibi exhibet Lector loquens de Præcedentia inter Regulares, *tom.1. de iure Abbatum diſput.* 25. *quæſt.* 8. vbi poſtquam retulit conſtitutionem ſupra allatamGregorij XIII. dicit *Monachi Congregationis Sanctæ Mariæ Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis Sancti Benedicti in proceſsionibus, aliiſque actibus publicis, omnibus Fratribus Mendicantibus præferuntur, de qua præcedentia extat Bulla Clementis VIII. quæ incipit Regis Pacifici, ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo*

Digitized by Google

Piſcatoris die 9. Februarij 1599. *Pontificatus ſui anno octauo*, & poſt aliqua ſequitur. *Quod decretum ipſe Summus Pontifex extendit non ſolum pro Monachis Ciuitatis Burdegbalenſis, qui erant in cauſa, ſed etiam vbique præcipitque in virtute Sanctæ Obedientiæ; & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo iure incurrendæ, omnibus, & ſingulis Superioribus, & Fratribus quorumcumque Ordinum Mendicantium præſentibus, & futuris, à qua non poſsint, niſi per Romanum Pontificem tantum pro tempore exiſtentem præterquam in mortis articulo conſtituti abſolui, &c.*

Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, tam publicis proceſsionibus, quam in funeralibus præcedunt Fratres Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, & de tali præcedentia extat Bulla Clementis VIII. quæ incipit decet Romanum Pontificem apud Laert. Cherubin. Bullario tom. 3. Bulla eiuſdem Pontificis 95. per quam Bullam Summus Pōtifex committit Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, vt quandocumque, & vbicumque opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum Carmelitarum requiſiti virtute Bullæ prædictæ poſſint, & valeant cogere per cenſuras, & alias pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris remedia ipſos Fratres Beatæ Mariæ de Mercede, vt præcedentiam relinquant, &c. & poſtquam alia adduxit ad probandum Ordinem Carmelitarum Ordini Beatæ Marię de Mercede præferendum, ad præcedentiam, quam habere debent Minores de Obſeruantia deſcendit ſic ſubdens, *Fratres Minores de Obſeruantia in omnibus actibus habent locum magis dignum, quam Fratres Conuentuales, vnde ipſi Fratres de Obſeruantia Crucem ſuam in loco digniori deferre poſſunt, prout motu proprio declarauit Leo X. in Bulla, quæ incipit*, licet alias, *in qua diſponitur, quod tam Conuentuales, quam de Obſeruantia, & Reformati Fratres prædicti in quibuſcumque proceſſionibus, & alijs actibus, in quibus crux deferenda foret ſuā deferre poſſint, ita tamen, quod crux ipſorum Fratrum de Obſeruantia, & Reformatorum loco digniori deferatur, vt videre eſt apud Cherubin in Bullar. tom. 1. Bulla eiuſdem Pontificis 26. &c.*

Fratres Ordinis Prædicatorum obtinent primum digniorem, & honorabiliorem locum inter cæterorum quorumcumque aliorum Ordinum Mendicantium Religioſos; & etiam non mendicantes poſt Clerum ſæcularem, & antiquos ordines Monachales, vt declarauit Pius Quintus in Bulla, quæ incipit, Diuina diſponente clementia. Idemque ſtatuit Clemens Octauus in Bulla, quæ incipit. Inter cætera ſub datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 25. Septembris 1592. Pontificatus ſui ann. 1. apud Cherubin. tom. 3. Bullar. nou. Bulla eiuſdem Pontificis 13. &c.

Minores Obſeruantes Reform. cum controuerſiam paterentur circa præcedentiam quaſi nuper aſciti in Ciuitate, cum tamen ingreſſi ſint, & habitent in Monaſterijs familiæ Sacra Rituum Congregatione referente Illuſtriſs. Cardinali Mellino mandauit illis omnino dari præcedentiam, &c.

Monachi Congregationis Cæleſtinorum præcedunt Monachos Oliuetanos, quia Cæleſtini ſunt antiquiores origine vt fuit dictum in Rota Deciſ. coram Illuſtriſſimo Cardinali Cauallerio Salernitana Præcedentiæ, & adducit ad verbum dictam deciſionem poſtquam ſequitur adhuc & dicit ſic, *Circa verò præcedentiam eorum*

eorumdem Oliuetanorum reſpectu Monachorum Montis Virginis, in terra Ayrolæ adhuc Sacræ Rotæ deciſiones vna coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Caualerio altera verò coram bon. mem. Burrato, & eas ad verbum etiam tranſcriptas affert, & ſunt in fauorem Oliuetanorum; ſic aſſignata loca Regularibus Tamburinus teſtatur.

5 Habe modò, quid circa hoc dicit Nouarius *in lucerna Regularium verb. Præcedentia*, vbi poſtquam eadem dixit, ac relati ſupra auctores dicunt, aliqua addit ſic dicens, *Sed non reticeam dicere ceſſare præcedentiam reſpectu Fratrum Sancti Franciſci de obſeruantia ſupra Fratres Tertij Ordinis quoties iſti in loco controuerſiæ prius Conuentum, ſeu Monaſterium obtinuerunt vt non vna vice tantum declarauit Sacra Congregatio, nempe in vna Roſſanenſi terra noua de ann.* 1615. *ſub die* 14. *Februarij, & 15. Iulij* 1616. *& in alia Tudertina Terra Alaſſa de ann.* 1620. *ſub die* 14. *Ianuarij.*

Præcedentia a Cappucinis eſt tribuenda in proceſſionibus illis Regularibus, qui propria ſub Cruce, & proprio in loco incedebant antequam ipſi propria vterentur Cruce, vide in verb. Cappucini, & ità deciſum habes nouiter apud Vul. in praxi fori Eccleſiaſt. cap. 34. *num.* 33. & 34. & poſt aliqua, *numer.* 17. *ſubdit. Præcedentia vt præſtetur inter Ordines Mendicantium, & cõfratres Beati Ioannis Dei ſeruanda eſt Bulla edita per Gregoriũ XIII. ſub die* 15. *Iulij de ann.* 1583. *a tẽpore autem, quo præfati confratres Religioſi fuerunt declarati, vt legitur in Bulla Vrbani VIII. quæ incipit, Commiſſi, quam promulgauit de ann.* 1627. ſequitur deinde loquens de Bulla relata Gregorij XIII. *Quæ quidem Bulla eſt in viridi obſeruantia, etiam reſpectu præcedentiarum inter Monachos, vt declarauit Sacra Congregatio Rituum in ſaxoferratenſ. Nuccirinen. Diæceſ.* 14. *Maij* 1614. *& alias de ann.* 1618. *Præcedentia non datur Monachis Caſſinẽſibus, quod ad canonicos Regulares Lateranenſes, vt patet in Bulla Pij V. cum alias, &c. Præcedentia antiquitatis eſt ſeruanda inter milites magnæ crucis eiuſdem ordinis, non autem inter milites diuerſi ordinis, ita Sacra Congregatio &c. Præcedẽtia inter Moniales oritur a die profeſſionis, non a tempore habitus receptionis, quod ſi ambò ſimul profeſſionem emmitterent quæ prius ad habitum admiſſa præcedentiam habere debet, & ſi vna eademque hora omnes admiſſæ fuerint data pariter &c. Præcedentia debetur Sylueſtrinis ſupra mendicantes, vbi a quæſtuando deſiſtunt, vt de anno* 1617. *declarauit Sacra Congregatio, &c. De Præcedentia autem Abbatum, & aliorũ Prælatorum inferiorum tam ſæcularium, quam Regularium, inter alios, & inter ipſos, quia ſatis manu larga ſcribit Tamburinus in ſuo tract. de iure Abbatum diſput.* 25. *a q.* 1. *cum ſequent. tom. primo, illius remiſſione contentus hic calamum quieſcere facio, &c.* Hæc Nouarius ex quibus, & ex aliis quę dicunt ſupra relati auctores DD. Epiſcopi ex parte modum habent, componendi, & ſedandi controuerſias ortas in proceſſionibus inter Regulares.

Quid

Quid poſſit Epiſcopus, quo ad horas canonicas in Regulares.
Dub. CCCLXIX.

SVMMARIVM.

1 *Regulares poſſunt vti Calendario Romano Epiſcopali illius diœceſis, in qua morantur.*

2 *Non poſſunt tamen cogi ab Epiſcopo, vt illo vtantur.*

3 *Quid dicendum, dum agunt iter, & vtuntur calendario dicto Epiſcopali.*

4 *Dum Regulares ſeruiunt alicui Epiſcopo, poſſunt ſe conformare Epiſcopo in recitando Officio.*

5 *Non poſſunt cogi Regulares ab Epiſcopo, ad faciendam commemorationem ipſius in vltima collecta.*

1 DIco primo, poſſunt Regulares vti calendario Romano Epiſcopali Diæceſis, vbi morantur.

Ita Bordonus *in ſuis conſiliis reſolut.* 30. *quæres* 15. *n.* 19. & ratio eſt, quia nulla adeſt circa hoc eis facta prohibitio, teſtatur etiã Bordonus *loco ſup.* in ſua Religione adeſſe facultatem vtendi non ſolum calendario Romano, ſed etiam Epiſcopali, & hoc *ex regula Nicolai IV. cap.* 8. addit tamen eſſe iam ablatam facultatem mutandi ſubſtantiam Officij, & diuinum Officium eſſe recitandum iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, non tamen per hoc excludi vſum calendarij Epiſcopalis, quod ſolet confici iuxta Ritum Romanum.

2 Dico ſecundo Regulares non poſſunt tamen cogi ab Epiſcopo, vt vtantur tali calendario Epiſcopali facto iuxta ritum Romanum. Ita relatus Bordonus *loco ſupra*, & ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij ſuper *cap.* 12. *ſeſſ.* 25. dum explicantur illa verba. *Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua idem Epiſcopus præceperit ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſeruentur*, intelliguntur enim hæc verba, quo ad abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, & quo ad auditionem Miſſæ, non autem quo ad recitationem diuini Officij, & celebrationem Miſſæ, vt ordinat Epiſcopus, referunt verba relati ab eodem Bordono, Quaranta *verb. Priuilegia*, & Portel. *verb. Feſti dies* ad confirmandum hoc poteſt adduci Conſtitutio Clementis VIII. quę incipit *Dudum felicis*, qua præſcribitur Barnabitis Officium Diuinum recitandum iuxta vſum, & morem Sanctę Romanæ Eccleſiæ, & ſtatuitur ad aliũ vſum cogi non poſſe, ſi ergo Regulares vti velint calendario Romano, non poterunt cogi ad vſum calendarij Epiſcopalis, etiam ſi iuxta Ritum Romanum ſit editum.

3 Quod ſi quæras hic, quo nam modo iter agentes recitare habeant diuinum Officium, dum vtuntur calendario Epiſcopali, v.g. an qui diſcedit Cremona, & venit Placentiam per aliquot dies ibi moraturus debeat vti calendario Cremonæ, vel Placentiæ; Reſpondeo vti poteſt calendario loci vbi reperitur, eſt Doctorum ferè cõmunis ſententia iuxta illud axioma, *dum fueris Romæ Romano viuito more*; vide Bordonum *loco ſupra*, qui dat aliam etiam congruentiam; cur Regulares præcipuè debeant, vti calendario loci, in quo reperiuntur.

4 Dico tertio, ſi Regulares ſeruiant alicui Epiſcopo poſſunt ſe conformare cũ Officio, quod dicit Epiſcopus.

Ita

Ita Venerus Leyua *li. 4. Examinis cap. 17. num. 30. de Priuilegiis Epiſcoporum*, & colligitur *ex Clement. cap. fin. de celebrat. Miſſarum*. Quod ſi aliquis Religioſus deſeruiat alicui Eccleſiæ Parrochiali tenetur ſe conformare ſecũdum conſuetudinem talis Eccleſiæ Parrochialis, & in recitatione Officij, & in celebratione Miſſarum.

5 Et ſcias hic obiter non poſſe cogi Regulares ab Epiſcopo ad faciendam commemorationem ipſius in vltima collecta. Ita declarauit Sacra Congregatio Rituum in Egitanienſi die 10. Iunij 1602. teſte Nouario *in Lucerna Regularium verb. Epiſcop. quo ad Regulares num. 37.*

An dum Epiſcopus prætendit viſitare Regulares, & Regulares prętendunt non poſſe, ſi appellent Epiſcopus de facto poſſit procedere. Dub. CCCLXX.

SVMMARIVM.

1 *Campanilis docet de facto poſſe procedere.*

2 *Temperatur tamen dicta ſententia à Laurentio de Peirinis.*

3 *Triplex etiam monitio requiritur, etiam dum Epiſcopus vult procedere per oſtij fractionem.*

4 *Quid dicendum, dum dubium eſt, an Epiſcopus ſit in poſſeſſione viſitandi dictos Regulares.*

5 *Quando Regulares viuentes ſub regulari obſeruantia poſſint ab Epiſcopis viſitari.*

1 Breuitati ſtudens nimis breuis fui *cap. quo ad viſitationẽ*, & ſic nil mirum ſi ibi præſens dubium ponere non fui recordatus, habe tamen hic quid dicendum.

Campanil. *in diuerſ. iuris rubric. rubric. 12. cap. 13. à num. 52.* docet tunc poſſe Epiſcopum de facto procedendo in Eccleſiam irruere oſtia, & muros frangere, &c. & Regulares ipſos excommunicare nulla monitione præmiſſa, nec vlla appellatione admiſſa.

2 Laurentius verò de Peirinis *in priuileg. Additament. ad Conſtitutionem Sixti IV. cap. 2. num. 7.* dicit Campanilis opinionem temperamento indigere, quia licet ſecundum Abbat. in caput *Venerabili de cenſur. num. 3.* poſſit Epiſcopus ad ſuam iuriſdictionem defendendam armis materialibus, & ſpiritualibus vti, nec teneatur admittere appellationem in præiudicium ſui iuris cum ſit in poſſeſſione, nec etiam debeat recipere probationem, quia procedit, vt pars ad ius proprium ſuſtentandum, quæ omnia colliguntur ex cap. *Dilecto de ſentent. excommunicationis in 6.* tenetur tamen ante excommunicationem monere Regulares, & monitio trina neceſſaria eſt, vt aduertit Peirinus *loco citato*, quod docent, vt teſtatur dictus Doctor Couarruuias *in cap. Alma Mater p. 1. §. 9. num. 6. verſ. hinc denique*, & Suarez *de cenſur. diſput. 2. ſec. 8.* &
3 aduertas, hanc monitionem requiri, etiam ſi Epiſcopus velit procedere per oſtij fractionem, nam poteſt eſſe, quod Regulares tali monitione territi pareant, & ſic omnia fiant ſine ſcandalo, vt decet, paritas videtur eſſe de cenſuris, nam ſi ante excommunicatione monitio requiritur, cur etiam ante vſum gladij temporalis

non

non requiretur, qui maiorem rumorem, ſolet generare?

4 Sed quid dicendum, ſi dubium ſit an Epiſcopus ſit in poſſeſſione viſitandi Regulares, & tunc Regulares recuſent viſitari; Reſpondeo cum Peyrino *loco ſupra* tunc excommunicationis valorem dependere à cauſæ deciſione, quæ debet fieri à Superiore competenti. Interim poterunt Regulares reſiſtere ſua iura tuendo, & de facto procedenti de facto reſpondere.

5 Et ſcias hic obiter, (quod nec ſuprà *cap. quo ad viſitationem*, video adnotandum) iuxta Trident. *ſeſſ.21. de reform.c.8.* poſſe ab Epiſcopis Regulares viſitari, etiam ſi in Monaſterio, vbi ſunt vigeat Regularis obſeruantia, ſi poſtquam ab eodem Epiſcopo admoniti ſunt Prælati Regulares, vt viſitent, vel viſitari curent, & ſpatium ſex menſium decurrat, adhuc non viſitentur tradunt Campanil. *rubr.12. cap.13. n.50.* Stephanus Vueyms *conſtitut.17.n.9.* Laurettus de Franchis *in controuerſ. inter Epiſcopos, & Regulares c.6. verſ.10.* omnes relati à Barboſa *in Collect. Concilij dicta ſeſſ.21. cap.8. num.11.* quod tamen non video quomodo ſeruetur in praxi, nec quomodo poſſet ſeruari, multæ enim poſſunt occurrere difficultates ad explicandum dictum locum Concilij.

An Regulares in ſuis Monaſterijs poſſint erigere Oratoria, in quibus Miſſa celebretur. Dub. CCCLXXI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia ab aliquibus ſuſtinetur.*

2 *Affirmatiuam tamen ſententiam ſequuntur plures alij, quæ placet Authori.*

3 *Etiam ſi hæc priuilegia Regularium eſſent viuæ vocis oracula, attamen in eorum Monaſterijs poſſent Oratoria erigi, & quare.*

4 *In dictis Oratorijs poſſunt Regulares inſtituere Congregationes Laicorum ad pia exercenda.*

1 NEgatiuè reſpondet Piaſecius *in Praxi Epiſcopali part.2. cap.3. de viſitatione Regularium nu.47.* idque colligit ex Concilio Tridenr. *ſeſſ.22. de Sacrificio Miſſæ cap.8.* per illa verba fortè licet relato loco non ſe explicet, *neuè patiantur in priuatis domibus, atq; omnino extra Eccleſiam, & ad diuinũ tantum cultum dedicata oratoria ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, &c.* ergò in priuatis Regularium domibus erigi non poſſunt ſine facultate Epiſcopi.

2 Affirmatiuè tñ reſpondendum eſt, cum multis Doctoribus cum Lezana præcipuè *tom.1. cap.21. num.14.* & in Summ. *verb. Oratorium*, & hoc ob multa priuilegia, quæ habent circa hoc Regulares, quibus non derogat Concilium Trid. loco ſupra, ibi enim ſolum videtur prohibere, nè in priuatis domi-

mi-

mibus omnino extra Eccleſiam erigantur oratoria in quibus Miſſæ celebrentur ſine Ordinariorum licentia, clauſtra autem Religioſorum nec ſunt priuatæ domus, nec omnino extra Eccleſiam, vt colligitur ex cap. *Abbati* §. *hac autem diſput.* 54. & cap. *Alma mater de ſententia excommunicationis in 6*, vbi Gloſſ. verb. *Monaſterium* Rodriquez *tom.2.quæſt.* 75. *art. primo, & ſecundo*, Peirinus, *tom.* 1. *Priuilegiorum minimorum in Conſtitutionem Pirrhi num.* 31. qui poſtquam adduxit aliqua priuilegia quibus fruuntur Regulares quo adhoc, addit; *Quæ priuilegia per Concilium Tridentin. non ſunt derogata, quia Concilium ſeſſ. illa* 22. *decret. de euitan. &c. ſolum vult tollere, vt in domibus priuatis non erigantur oratoria ſine licentia, & approbatione Ordinarij in quibus poſſit Sacrificium Miſſæ celebrari, non autem videtur tollere quin poſſint in grangij, quæ domus priuatæ non ſunt, vt conſtat ex dicto priuilegio Eugenij illis immunitatem concedente, &c.* Cauendum tamen eſt, notat Lezana, *ſupra*, ne dicta priuilegia ſint viuæ vocis oracula, nam iam non valent; puto tamen etiam præciſo priuilegio poſſe in clauſtris Oratoria a Regularibus erigi ſine facultate Epiſcopi in hoc enim nihil fit contra Tridentinum, vt patet conſideranti.

4 Sed hic poteſt ſtatim occurrere dubium, an liceat Regularibus inſtituere in dictis oratorijs Congregationes laicorum, qui conueniant ad canendum, Officium Beatæ Mariæ Virginis, & ſimilia opera pia exercenda; Reſpódeo affirmatiue, & colligo, quia Sacra Congregatio teſte Gauanto, *in Manual. Epiſcopor.* verb. *Confraternitas num.* 2. non licere Regularibus inſtituere Confraternitates cum vſu ſaccorum ſine licentia Ordinarij, ergò licebit inſtituere ſine vſu ſaccorum cum incluſio vnius ſit excluſio alterius: & ita puto in praxi ſeruari.

An Dum Epiſcopus Diæceſanus non Ordinat eſt tamen præſens in Diæceſi, & ciuitate, & alium Epiſcopum eligit, qui vice ſua Ordinet, neceſſario ab eo Epiſcopo poſito debeant Regulares Ordinari. Dub. CCCLXXII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent aliqui.*
2 *Negatiuè tamen reſpondet Author, & adducit rationes.*
3 *Epiſcopus ad quem mittuntur Regulares Ordinandi ſtare poſſunt atteſtationi Prælatorum Regularium de tali abſentia Diæceſanis.*

1 Habes dubium ſimile *cap. quo ad Ordines Dub.* 72. An dum Epiſcopus ponit alium, qui vice ſua Ordinet poſſint Regulares a quolibet Epiſcopo Ordinari modo ſolum quædam circumſtantia variatur, nam dubium eſt non ſolum quando alium ponit Diæceſanus, qui vice ſua Ordinet, ſed quando ipſe eſt præſens in ciuitate, & alium tamen ponit Epiſcopum qui vice ſua Ordinet.

Peirinus, *tom.* 2. *de Prælatis cap.* 8. *num.* 8. *quæſt.* 3. licet doceat, poſſe Regulares ordinari a quolibet, dum Diæceſanus alium ponit, qui vice ſua ordinet, negat tamen hoc fieri poſſe a Regularibus dum præſens Epiſco-

piſcopus Diæceſanus eſt, idem docet, *in priuileg. ad Conſtitutionem 2. Sixti IV. num.* 34. citat etiam pro ſe Tamburinum, *de Iure Abbatum tom. 2. Diſput. 2. quæſit.* 19. *num.* 4. ſed *quæſt. eſt* 18. *num.* 4. fundamentum eſt, quia qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur de regul. iuris in ſexto ſed hoc non obſtante.

2 Contrarium ego teneo, ſcilicet etiã ſi præſens ſit Diœceſanus Ordinationes tamen ipſe non tenet, poſſe tunc Regulares a quocumque Epiſcopo ordinari ſeruatis conditionibus, &c. requiſitis in decreto Clementis VIII. & probo in primis dictum ex verbis ipſius decreti, inter alia ſunt hæc, *Et ſi Diæceſanus abſuerit vel non eſſet habiturus Ordinationes, vel ſedes Epiſcopalis vacaret, ad quemcumque alium Epiſcopum dum tamen*, & cęt. Eccè quomodo ſiuè abſens ſit Diæceſanus, ſiuè pręſens dum non tenet ordinationes. ad quemcumque Epiſcopnm poſſunt mitti Regulares ordinandi ſecundo. Si quando præſens Dięceſanus ponit alium qui ſua vice ordinet tenerentur Regulares ab illo poſito ordinari exprimeret hoc ius, & decretum ſicuti, Clement. *Dudum* dum prohibet Rugularibus ne prædicent Epiſcopo cõcionante, vel alio pro Epiſcopo ſolenniter concionante exprimit dicẽs *hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe ſolemniter facere prædicare*, Ergo ſic debere Decretum ſummi Pontificis exprimere quod Regulares deberent ordinari a Diæceſano ordinante, vel ab alio ſua vice poſito nec fundamentum opinionis contrarię vim habet, nam primo ad hominẽ ſic poſſem arguere, etiam ſi Diæceſanus abeſſet, & alium poneret pro ſe Ordinantem, diceretur iuxta regulam iuris per ſe ipſum pręſtare, quod faceret per alium, & tamen per Doctores oppoſitæ Sententię tunc Regulares Ordinandi mitti poſſunt ad quemcumque Epiſcopum; Ergò, vel nec Dięceſano abſente mitti poſſunt, ad quemcumque; vel ſi poſſunt tunc; etiam poterunt, dum præſens eſt. Reſpondeo ergo axioma illud non valere quando eligitur perſona, at in hoc caſu eligitur perſona Diæceſani; Ergò.

3 Sed quæres hic, an Epiſcopus, ad, quem mittuntur Regulares Ordinãdi in abſentia Dięceſani poſſit ſtare ſoli atteſtationi Prælatorũ de tali abſẽtia Reſpondet poſſe ſtare tali atteſtationi Peirinus *Tom. 2. de Prælato Quæſt. 3. cap. 7. num.* 5. & colligit hoc ex quo dam decreto Summi Pontificis, vnde ſic concludit. *Quare nimis ſcrupuloſi mihi niſi ſunt illi Epiſcopi qui præter illam Prælatorum atteſtationem volunt atteſtationem ordinarij Diæceſani gratis grauantes Regulares* & citat pro ſe Bariolam *In Aphoris. litter. R. verb. Regulares ad ordinationem.*

An prohibitio Epiſcopi, qua confeſſoribus inhibetur, ne abſoluant Socium criminis comprehendat Regulares. Dub. CCCLXXIII.

SUMMARIUM.

1 *Regulares etiam ligantur hac ordinatione, ſed quo ad reprobationem, ſeu non approbationem.*

2 *Quo ad pœnas vero etiam ligari tenet author*

author quidquid alij dicant.

3 *An Epiſcopus poſſit approbare Regulares confeſſores quo ad viros tantum, & non quo ad fæminas.*

1 IN hac re cum diſtinctione procedit Io. Angelus Boſſius *de triplici Iubilæi priuilegio Sec.* 1. *caſ.* 12. *num.* 7. & docet comprehendi etiam Regulares, quo ad reprobationem, ſeù non approbationem; non verò quo ad pęnas contentas in tali prohibitione. Probat primam partem, quia quo ad approbationem ad confeſſiones audiendas Regulares etiam ſubduntur Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, qui ex iuſta cauſa poſſunt illos limitatè approbare ſeu etiam reprobare, vt docent apud dictum Boſſium. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. §. 6. *& lib.* 7. §. 4. Auguſtinus Barboſa *part.* 2. *Alleg.* 25. *num.* 30. *&* 34. Fagundez *in quinque Eccleſiæ præcepta Præcept.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 31. Paulus Layman. *lib.* 5. *Tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 6. & alij. confirmatur idem ex motu Pij V. *Romani Pontificis* & quodam decreto Sacrę Congregationis concilij edito die 20. Nouembris 1618. vbi autem adeſt talis prohibitio Fpiſcopi approbantis confeſſores, tam ſæculares, quam Regulares limitatè illos approbat, quod ex iuſta cauſa facit.

2 Secunda verò pars, quod ſcilicet quoad penas contentas in tali edicto prohibitione non ligentur Regulares probat, quia quo ad pænas cenſuraſque, caſus reſeruationem non ſubduntur Epiſcopis ſed ſuis Prælatis. Ita procedit Boſſius, qui licet placeat, quo ad primum ſcilicet ex iuſta cauſa (vt hæc eſt) poſſe limitatè approbari Regulares ad confeſſiones & conſequenter ſubdi, quo ad hoc Epiſcopis; non placet tamen, quo ad ſecundum non ligari pænis ſtatutis, ibi ab Epiſcopis ſi abſoluant, & hoc per conſtitutionem Gregorij XV. *De exemptorum Priuilegijs*, per quam adminiſtrantes Sacramenta ſine facultate Epiſcopi poſſunt ab eodem Epiſcopo puniri, ſed approbati ſic limitate verè ſi abſoluunt faciunt hoc ſine facultate Epiſcopi, Ergo. Iuxtà tamen ſupra dicta etiam in hoc poſſet moueri difficultas.

3 Hic ſtatim occurrit dubium, an Regulares ligentur Ordinatione illa Epiſcopali, quę multis in locis fieri ſolet, ne audiant confeſſiones fęminarum, ſed tantum virorum vſque dum perueniant ad certam ętatem; puta quadraginta annorum.

Affirmatiuè reſpondent multi Doctores quos videre potes apud Dianam, *Tract.* 2. *de Dubijs Regularium Reſolut.* 25. *part.* 3. ſed negatiuam Sententiam ponit inter alios Villalobos, licet affirmatiuam ſeatentiam ipſe ſequatur, & ſic habet *La razon es porque en todos los Obiſpados, ſe da vn beneficio curado à vn Clerigo de veinte, quatro años y* por el conſeguiente puede cõfeſſar *mugeres, no oſtante, que no tenga quaranta años luego ne puede hauer razon porque ſe limite la licença a los Religioſos por eſſe reſpetto*, & ob hoc fundamentum ipſe huic ſententię negatiuæ magis libenter adhæreo, non enim hic adeſt ratio, & iuxta cauſa, ob quam limitatè approbet Epiſcopus Regulares ſicut eſt iuſta cauſa, ne approbet cum facultate ad abſoluendum ſocium criminis. vti ſupra dictum eſt.

An

An Eremitæ ſubſint Epiſcopo.
Dub. CCCLXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Sunt, qui docent Eremitas abſolutè ſubdi Epiſcopo.*
2 *Diſtinguendum tamen eſt in hac re.*
3 *Qui nam ſint Eremitæ, qui ſubdantur Epiſcopo.*

1 Lauretus de Franchis reſpondet abſolutè ſubdi Epiſcopo, nec aliquam limitationem facit. Ita *quæſt.*41. *in ſuis controuerſiis pag.mihi* 355. & adducit pro ſua ſententia plures Doctores, Felinum *in cap.*2 *.de foro competent. nu.*5. Antonium de *Butr.* Barbatiam, & Aretin. Innocentium in cap. *cum ad Monaſterium de electione Collectarum*, & cap. *ex parte de conuerſione coniugum*, & in cap. *cum Inannes Eremita*, Cardinalem Turrecrematam. Immolam in *Clementinam per litteras* Gemin. *in caput identitatibus*, Stephanum Aufrerium, *in additionibus ad Cappellam Tholoſ. deciſ.* 8. & alios plures. Fundamentum eſt, quia dicti Eremitæ debent eſſe ſub obedientia Epiſcopi, ne ſint velut locuſtæ ſine capite ex c.
2 *aliud* 10. *quæſt.*1. ſed clarius debemus in hac re procedere, diſtinguendo tres ſpecies Eremitarum.

Prima ſpecies eſt illorum, qui & ſi tria vota ſubſtantialia Religionis non emittant, tamen ſub ſpeciali obedientia alicuius Superioris Eccleſiaſtici *v.g.* Epiſcopi viuunt.

Secunda illorum, qui pro ſua voluntate degunt in Eremis, aut locis deſertis, nec ſub obedientia alicuius Superioris.

Tertia principalior illorum, qui emittunt tria vota ſubſtantialia, vt ſunt Camaldulenſes, Carmelitæ diſcalciati, & ſimiles, qui non ſubduntur Epiſcopo, ſicut nec alij Regulares Eremitæ ſecundi generis potius reprobandi ſunt, quam admittendi, & de his intelligenda eſt declaratio *Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regular.* quam affert Barboſa *in Collect. Bullarum verb. Eremitæ.*

3 Eremitæ ergo primi generis ſunt illi, qui ſubduntur Epiſcopo, & gaudent priuilegio fori, & per aliquos etiam priuilegio Canonis, vt notat Lezana *ca.*7. *tom.*2. qui alios etiam citat, vide aliqua alia circa hanc materiam apud dictum Lezanam, & de Franchis à nobis dicta hæc ſint ſatis cum propria ſint inſtitutæ materiæ, à qua inuitus diſcedo.

Quando in priuilegijs, quæ habent Regulares ponitur clauſula, ſaluo iure Parrochorum quid per ius Parrochiale intelligitur.
Dub. CCCLXXV.

SVMMARIVM.

1 *A Doctoribus variè aſſignantur iura Parrochialia.*
2 *In priuilegiis Regularium dum adeſt illa clauſula intelligitur de oblationibus decimis, atque primitiis.*
3 *Quam auctoritatem dent Parrochis, hæc verba poſita in priuilegiis Regularium* ſaluo iure, &c.

4 *Regu-*

4 *Regulares oua benedicere non poſſunt.*

5 *Priuilegia Regularium non tollunt ordinariam Parrochorum poteſtatem.*

1 VArie à Doctoribus aſſignantia iura Parrochialia, à Syluestro in verb *Parrochia* ſeptem numerantur. Primum vt diebus feſtis Populus in Parrochiali Sacrum audiat. Secundum, vt Parrocho ſoluat decimas. Tertium, vt ſoluat oblationes, & primitias. Quartum, vt det pænitentias. Quintum, vt miniſtret Sacramenta. Sextum, vt det ſepulturam. Septimum, vt benedicat nubentes, alij alia aſſignant, ſed quidquid ſit de tali aſſignatione non enim eſt ad noſtrum inſtitutum dubitatur modo an quando Regulares ſunt priuilegiati in aliquo, cum hac tamèn limitatione *ſaluo iure Parrochiali*, an veniunt, tunc omnia iura Parrochialia, vel ſolum aliqua, ita vt citra præiudicium omnium iurium Parrochialium, vel ſolum citra præiudicium aliquorum poſſint vti tali priuilegio Regulares.

2 Dico ergò, vbicumque in Regularium priuilegijs aliquid inuenitur cõceſſum *citra præiudicium iurium Parrochialium* eo nomine veniunt intelligendæ oblationes decimæ, atque primitiæ. Ita ex declaratione Gregorij IX. facta Prædicatoribus, & Minoribus, Syluest. *loco ſupra*, Tabiena verb. *Parrochia, & Parrochialis Sacerdos*, Naldus *verb. Parrochus num.* 4. Roderic. *tom.* 1. *quæſt. Regul. quæſt.* 28. *art.* 1. vbi teſtatur idem declaraſſe, quo ad omnes Mendicantes Sixtum IV. & in ſpecie *in mari magno Carmelitarum*, apud eumdem Roderic. *in Collectan. priuileg. ſub Sixto IV. Bulla* 37. *num.* 87. habetur infraſcripta declaratio, *& ne de iure huiuſmodi poſſit aliqua quæſtio ſuboriri iuris huiuſmodi appellatione intelligimus decimas, & primitias dumtaxat, quæ à Laicis ſolent Clericis exhiberi*, dictio autem dumtaxat, cum ſit taxatiua eius eſt naturæ, vt reſtringat, & excludat, ac proinde omnes alios caſus, & perſonas excludit præter expreſſos.

3 Et ſcias iſta verba, quæ ſolent ſæpe poni in priuilegijs Regularium *ſaluo iure Parrochorum, vel abſque præiudicio Parrochorum*, non dare hanc facultatem Parrochis, vt intuitu ſolius iuriſdictionis poſſint prohibere Regularibus, ne aliquod faciant, quod præſtare poſſunt per priuilegium, exemplum ſit habent Regulares priuilegium miniſtrandi Euchariſtiam etiam extra proprias Eccleſias, excepto tempore Paſcatis, non poſſunt Parrochi, ſolum intuitu iuriſdictionis prohibere hoc Regularibus, fundati in illis verbis appoſitis in priuilegio *ſaluo iure Parrochorum*, cum enim nullum eis tunc fiat præiudicium, iam ſequitur iniuſtam eſſe talem prohibitionẽ non tamẽ putarẽ iniuſtã prohi-
4 bitionem, quam facerent Parrochi Regularibus, ne benedicerent oua, vt affirmat Laurettus de Franchis *in controuerſ. inter Epiſcopos, & Regulares pag.* 392. eſſet enim in præiudicium Parrochorum, ſi hoc facerent Regulares, attamen in tali etiam benedictione habendam eſſe rationem conſuetudinis docet Lezana *verb. benedictio num.* 17.

5 Nota etiam hic in fauorem Regularium, quod cum multis notauit

ex noſtris D. Benedictus Baſſus Venetus, genere, & Doctrina clarus amiciſſimus meus, huius mei laboris reuiſor ex commiſſione Reuerendiſſimi Inquiſitoris, priuilegia Regularium non tollere, nec reſtringere ordinariam Parrochorum poteſtatem, ac proinde nullum per dicta priuilegia eis inferri præiudicium, præiudicium enim tunc fit alicui, cum ei ſubtrahitur, quod in fauorem eius introductum eſt, at ſubiectio ſubditi ad Paſtorem Eccleſiæ non in ipſius Paſtoris ſed in ſubditorum vtilitatem eſt ordinata, ergo eſt Diui Thomæ, *opuſc.* 19. *cap.* 4. *col.* 19. *litter. E*, & habet relatus Baſſus in celebri manuſcripta allegatione, quam ipſe vidi.

Quid poſſit Epiſcopus circa Confraternitates Regularium, ſeu in Eccleſijs, & locis Regularium fundatas.

Dub. CCCLXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Clementis VIII. circa hoc Conſtitutio quæ incipit* Quæcumque à Sede Apoſtolica.

2 *Etiam ſtante hac Conſtitutione Clementis VIII. poſſunt modo Regulares inſtituere dictas Confraternitates, & quare.*

3 *Epiſtola Sacræ Congregationis directa Archiepiſcopo Bononiæ refertur.*

4 *Ex qua colligere poteſt lector, quid circa dubium dicendum.*

5 *Laurettus de Franchis reprobatur.*

6 *Nō poſsūt Regulares erigere huiuſmodi Confraternitates ſiuè in proprijs, ſiue in alienis Eccleſijs ſine conſenſu Epiſcopi ex vi Bullæ Clementis VIII. & quare.*

7 *Indulgentiæ antiquæ poſſunt ſine Epiſcopi auctoritate publicari.*

8 *In quibus Regulares ſubdantur Epiſcopis reſpectu harum Confraternitatum.*

9 *Priuilegium, quod habent Mendicantes quærendi eleemoſynas non extenditur ad eorum Confraternitates.*

10 *Epiſcopi poſſunt rationem exigere rerum adminiſtratarum ab ipſis Confratribus.*

11 *Quæritur, an priuilegia, quæ habent Regulares circa ſuas Confraternitates ſint reuocata, prout contradicunt Tridentino.*

12 *Poſſunt compelli iſtæ Confraternitates erectæ in Eccleſijs Regularium ad contribuendum pro Seminario.*

13 *An vero poſſint compelli, vt accedant ad proceſſiones, eſt opinio Doctorum pro vtraque parte.*

14 *Adeſt circa hoc declaratio Sacræ Congregationis facta Epiſcopo Scadēſi.*

1 Adeſt in hoc Clementis VIII. Conſtitutio, quę incipit *Quæcumque à Sede Apoſtolica*, & refertur à Lauretto de Franchis, & à pluribus alijs, & de hac materia latè, & doctè agit Lezana *tom.* 2. *cap.* 15. *per totum*. Vnde ei remitto lectorem; hic ſolum adnotans aliqua, quæ ad inſtitutam materiam pertinent.

2 Dico ergo Regulares non poſſunt inſtituere Confraternitates in ſuis Eccleſijs ſine conſenſu Ordinarij ſtante Conſtitutione citata Clementis VIII. attamen quia poſtea ſub Paulo V. quædam declaratio Sacræ Congregationis emanauit *anno* 1607. poſſunt iam Regulares ſine conſenſu Ordinarij

rij inſtituere dictas Confraternitates, & erectas iam confirmare, dummodo hoc fiat in Eccleſijs Regularium, vbi ſub tegulari obſeruantia degunt duodecim Religioſi, vbi autem non degunt, iam conſenſus Ordinarij requiritur. Ita Lezana *num.* 19. *vbi ſupra*, & patet ex Epiſtola Sacræ Congregationis Italo ſermone data, quã hic ponam Lectoris commodo.

Dichiaratione e decreto fatto dalla Sacra Congregatione dell'Indulgenze, approuato dalla Santità di N.S. ſopra la Bolla della felice memoria di Papa Clemente VIII. per lettere dell' Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Sig. Cardinal Arigone,

3 *Scritto à Monſignor Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Arciueſcouo de Bologna, publicato in detta Città à 20. Ottobre 1607.*

Molto Illuſtre, & Reuerendiſs. Monſignore. Hauendo riſoluto queſti miei Illuſtriſs. Signori della Congregatione delle Indulgenze con auttorità, & ordine particolare hauuto viuæ vocis oraculo della Santità di N.S. di leuare alcune difficoltà che ſi trouano nell'eſſequire la Conſtitutione di Clemente VII. felic. mem. fatta già ſopra le aggregationi delle Confratrie dichiarando ancora alcune coſe concernenti le Conſtitutioni antiche fatte da Superiori Regolari, à quali è ſtata conceſſa nuoua facoltà da Sua Beatitudine di inſtituire Confraternità ſecolari ſecondo la forma della ſoddetta Conſtitutione poſſino confermare ſenza conſenſo dell' Ordinario de luoghi quelle Confraternità, quali ſi trouano canonicamente erette da medeſimi Superiori Regolari auanti ſi publicaſſe l'isteſſa conſtitutione nelle Chieſe proprie loro Regolari colleggiate doue ſtiano almeno dodeci Religioſi di famiglia ordinaria, non oſtante, che nella patente della confermatione ſi dica eſpreſſamente farſi ciò di conſenſo dell'Ordinario medeſimo, dichiarando però, che nel fare nuoue inſtitutioni nelle Chieſe proprie loro Regolari, quanto ſecolari di qualunque ſorte, e nel confermare etiam Dio le antiche erette in Chieſe ſecolari ancora nelle quali non ſtiano dodeci Religioſi ſi debba neceſſariamente hauer il teſtimonio, e conſenſo dell' Ordinario, e ſeruare tutto il reſtante, che ſi preſcriue nell' iſteſſa Conſtitutione.

Permettono ſimilmente, che i medeſimi Regolari à quali è ſtata conceſſa la nuoua ſuddetta facoltà di inſtituire poſſino confermare le Confratrie antiche, & inſtituirne di nuouo ancorche non ſia tutta quella diſtanza de luoghi, oue ſono e ſaranno tali Confratrie, che viene preſcritta da breui Apoſtolici, mentre però oltre tutti gli altri requiſiti concorra anche à queſto il conſenſo particolare dell' Ordinario del luogo, il quale ſi dourà eſſebire in ſcritto prima, che ſi ſcopra tal diſtanza, & non altrimente.

Permettono ancora, che ritrouandoſi diuerſe Confratrie de ſecolari antiche erette canonicamente come ſopra in Chieſe Regolari collegiate di dodeci Religioſi almeno ſi poſſino confermare ſeruata però in tutto il reſto la forma data dalla medema Conſtitutione, e parimente ch'eſſendo in vna Città, ò Terra più d' vna Confraternità vogliono le SS. Illuſtriſſime, che vna ſola ſe ne poſſi fare in qualunque Città, Terra, o luogo accettuando però la compagnia del Santiſſimo Sacramento, quale concedono anzi deſiderano ſia eretta in ogni Chieſa Parrochiale, non oſtante, che ci ſi troui eretta prima qualſiuoglia altra Confraternità.

E perche molti dubitano, ſe per la Conſtitutione de Sua Beatitudine ſopra le In-

dulgenze conceſſe vltimamente alle perſone Religioſe con reuocatione delle antiche venghino riuocate anche le Indulgenze conceſſe alle Chieſe Regolari, & à quei, che le viſitano, ancorche la conſtitutione comprehendi chiaramente ſolo le perſone Regolari ſenza eſtenderſi alle Chieſe loro, tuttauia la Congregatione per leuar ogni dubio dichiara, che le indulgenze conceſſe à quelli, che viſitano le Chieſe de Regolari ſtiano nella lor forza, e vigore, ſinche la Santità Sua fa altra deliberatione, e però ſi poſſino laſciar publicare, quando non oſti altra coſa.

Tutto queſto è parſo alla Congregatione di ſcriuere à V.S. accio nelle occorrenze di coteſta Chieſa ſappia ciò, che paſſa in queſto particolare, e lo faccia ſapere, &c. Di Roma alli 7. Settembre 1067.

D.V.S. &c.

4 Habes ergo clarè ex hac declaratione quomodo conſenſus Epiſcopi, & Ordinarij requiratur ad erectiones, & confirmationes harum Confraternitatum; & hoc ſtante, non video quomodo procedat dubium, quod mouet Laurettus de Franchis *pag. mihi* 349. An Regulares erigendi Societates facultate muniti poſſint extra eorum Eccleſias erigere dictas Societates citra Epiſcopi conſenſum; nam non video dictam facultatem erigendi conceſſam Regularibus, nec in proprijs Eccleſijs ſine conſenſu Epiſcopi, niſi dum, &c. Sed dato, quod eſſet poſt dictam declarationem aliquod priuilegium in hoc conceſſum Regu-

5 laribus; nec benè procedit dictus de Franchis, dum aſſerit, non poſſe dictos Regulares agere aliud præter erectionem, & aggregationem in Eccleſijs alienis ex cap. *Peruenit*, & cap. *Interdicimus* 16. *qu.* 1. ſine conſenſu Epiſcopi, quia excedit eorum auctoritatem, & Iuriſdictionem; & addit non poſſe erigere altare; hoc inquam non placet, nam dato, quod priuilegia habeant erigendi Confraternitates vbicumque, iam habent auctoritatem illa omnia faciendi, ſine quibus nequeunt erigere, & inſtituere, alioquin videretur ſuperfluum priuilegium. Vnde illa, quæ pro ſe ibi congerit de Franchis tantum habent locum, & ſunt vera, dum priuilegio obſtarent illa, quæ facerent tunc Regulares, & eſſent à priuilegio ſeparabilia, non autẽ ſi eſſent iuxta priuilegiũ.

6 Quæres hic primo, an aggregatio Confraternitatum poſſit fieri à Regularibus, in quibuſcumque Eccleſijs ſiue extraneis ex Bulla Clementis Octaui dicta ſine conſenſu Epiſcopi.

Reſpondeo negatiuè, nam Epiſcopus debet dare ſuum conſenſum, & litteras teſtimoniales, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ pietas commendetur. Secundo, debet examinare ſtatuta harum Confraternitatum, & pro ratione loci approbare. Tertio, non poſſunt vti dictæ Confraternitates aggregatæ priuilegijs, & facultatibus, niſi præuia recognitione Ordinarij, qui adhibitis duobus de eiuſdem Eccleſiæ capitulo iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta promulgãda decernat. Quarto, nequeunt miniſtri dictarum Confraternitatum excipere eleemoſynas, niſi iuxta modum, & formam per ordinariũ deſcribendã, remotis tamẽ menſis, peluibus, & capſis, quæ in Eccleſijs, & Oratorijs dictarũ Cõfraternitatũ, & Congregationũ publicè ad hoc exponi cõſueuerunt. Ita Nouar. *in Lucerna Regul.* ver. *Confraternitates.* Epiſco-

Quarto Epiſcopi auctoritas requiritur, vt indulgentiæ dictarum Confraternitatum publicentur non obſtante quacumque exemptione, etiã ſi ſint Regulares aut in Eccleſijs ipſorum Regularium, nec prætextu priuilegiorum etiam Confraternitatis Roſarij. Ita Ioannes Franciſcus Leo *part.4.cap.2. de Confraternitatibus num.*
7 118. ſecus dicit dictus Leo de Indulgentijs antiquis iſtę enim poſſunt ſine Epiſcopi auctoritate publicari.

8 Sed ſcias hic etiam, quo ad Confraternitates in multis ſubdi Regulares Epiſcopis. Primo nequeunt Regulares inſtituere Confraternitates cum vſu ſaccorum ſine licentia Ordinarij. Ita per Sacram Congregationem *6.Decembr.*1606. teſte Gauanto *in Manuali Epiſcoporum* verb. *Confraternitas num.*2. Inſuper proceſſiones Confraternitatum non debent fieri ſine licentia Epiſcopi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regũt, Ita Gauantus verb. *Proceſſio num.*49.
9 & Lezana *tom.2.de Confraternita.* Tertio circa eleemoſynas quæritandas licet Mendicantes, habeant priuilegiũ, vt poſſint inconſulto Epiſcopo in eius Diœceſi eleemoſynas quęritare, quod videtur concedere Ioannes Franciſcus Leo *loco ſupra*, attamen ſtante etiam hoc priuilegio, de quo nolo diſputare non poſſunt illud dictis Confraternitatibus communicare, quia vt inquit dictus Leo *num.*148. priuilegium Mendicantibus conceſſum eorum perſonas transgredi non debet, nec per eoſdem alijs poteſt communicari ex cap. *Conſtitutionem*, & Nauarrus *conſil.*13. ſecundum vltimam impreſſionem Romanam.

10 Item Epiſcopi poſſunt rerum ab ipſis Confratribus adminiſtratarum ſingulis annis ab eiſdem rationem exigere. Ita per Concilium *ſeſſ.*22. *cap.9. de reformat.* & ſic etiam viſitare cappellas Confraternitatum in Eccleſijs Regularium erectarum, & ita ſe feciſſe teſtatur Ioannes Franciſcus Leo loco ſupra dum viſitaret Diœceſim Theleſinam, viſitaſſe enim ſe dicit etiam Confraternitates etiam Sanctiſſimi Roſarij, S. Antonij, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, & alias etiam.

11 Quæres ſecundo, an priuilegia, quæ habent Regulares circa ſuas Cõfraternitates ſint reuocata prout contradicunt Concilio Tridentino.

Affirmatiuè abſolutè reſpondet Leo *cap.2.de Confraternitatibus part.4. num.*165. ſed

Lezana procedit cum diſtinctione *tom.2.cap.15.num.*18. & dicit ſic, vel illa priuilegia ſunt contra Concilium, vbi habet clauſulas derogatorias priuilegiorum, vel contra Concilium, vbi tales clauſulas non habet, ſi primũ dicit priuilegia illa iam non valere, ſed eſſe abrogata, ſi ſecundum dicit adhuc valere, & id etiam vti probabile iudicant Rodriquez *tom.1.qq.Regular.quæſt.8.art.6.* Portel. *in dubijs Regular.* verb. *priuilegii confirmatio nu.6*1. Suarez *de Legibus*. Vide Ioannem de la Crux *lib.2.de Religione cap 3.dub.6.* & nota hoc maximè, deſeruit enim in innumeris fere caſibus, in quibus agitur, an priuilegia Regularium ſint derogata, & maximè, dum quærunt Doctores, an Conſtitutio, *& ſi Mendicantium* Pij V. ſit reuocata per Conſtitutionem Gregorij XIII. *In Tanta* de quo etiam à me alibi dicitur multis in locis.

12 Quæres tertio, an iſtæ Confraternitates erectæ in Eccleſijs Regulariũ poſſint ab Epiſcopo compelli ad contribuendum pro ſeminario.

Affirmatiuè reſpondent Zerola *in praxi Epiſcop.* verb. *ſeminarium declaratione 7. & 8.* Auguſtinus Barboſa *de officio Epiſcopi allegat. 77. num.* 10. Marchinus *de Peſte parte 4. cap. 7.* & hoc ex deciſione Sacræ Congregationis.

13 Quæres tertio, An poſſint dictæ Confraternitates compelli ab Epiſcopis ad proceſſiones.

Affirmatiuè reſpondent Marius Antoninus *variarum reſolut. libr. 1. reſolut. 93.* Sayrus *deciſ. 5. de Officio Ordinarij,* Nauarrus *concluſ. 3. de foro competent.* ſed

Negatiuè reſpondent Marchinus *part. 4. de Peſte cap. 7. numer.* 11. & alij plures. Vide Lezanam *verb. Confraternitas*, quia ſimpliciter ſunt corpus Laicum, & ſecundum quid Eccleſiaſticum. Secundo, quia in Concilio Tridentino non habetur nec minimũ verbum, quo hæc facultas Epiſcopis tribuatur, nam *ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 13.* de eis tantum mentio fit. Tertio, quia ſæpiſſimè hoc fuit deciſum à Sacra Congregatione, vt referunt Leo *part. 1. Theſauri cap. 8. num. 18.* Auguſtinus Barboſa *de Officio Epiſcopi allegat. 78. num. 24.* apud quem alios habes, & adde etiam Stephanum Quaranta in verb. *Præcedentia,* qui ad verbum affert talem declarationem, directam Epiſcopo Scadenſi, & eſt tenoris ſequentis.

14 *Reuerendiſſime Domine vti Frater, quamuis Confratres Sanctæ Mariæ Annũciatæ magis conſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſent, ſi amplitudini tuæ eos ad publicas proceſſiones vocanti mores geſſiſſent, cum tamen ad eas accedere detrectauerint neque ab amplitudine tua compelli, neque vllis propterea cenſuris adſtringi atque innodari debuerint, quod ſæpius alias conſulti reſponderunt Illuſtriſs. Patres Sacri Concilij Tridentini. Itaque interdictum hac de cauſa latum protinus tollas oportet ac de cætero ab huiuſmodi compulſionibus omninò abſtineas. Romæ die 6. Maij* 1597. *Cardinalis Mathæus.*

Quid poſſit Epiſcopus in Hoſpitalia Regularium.
Dub. CCCLXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Multi Regulares Hoſpitalarij dicuntur.*
2 *Ordinarij negligentibus Rectoribus horum Hoſpitalium, debent facere, quæ præcipit fieri Summus Pontifex in Clement.* quia contingit *de Religioſis* domibus.
3 *Per Concilium Tridentinum innouatur dicta Clement.*
4 *Omnes adminiſtratores Hoſpitalium debent reddere rationem rerum adminiſtratarum Ordinario.*
5 *Quod tamen ſolum valet reſpectu hoſpitalium publicorum, quæ eriguntur auctoritate Epiſcopi.*

1 Multi ſunt Regulares, qui Hoſpitalarij ſunt ideſt quorum ordines ſuper hoſpitalitatem fundati ſunt, vel ſaltem habent hoſpitalia, & in eis curam infirmorum exercent de quibus agunt Lezana *cap. 6. tom. 2.* Miranda *in Manuali Prælatorum tom. 1. quæſt. 4. art. 14.* & alij.

2 Primo, igitur ex Clementin. *quia con-*

contingit de Religioſis domibus Ordinarij habent auctoritatem, vt negligentibus Rectoribus faciant ea, quæ præcipit ibi in Clement. Summus Pontifex adimpleri per ſe ipſos, & hoc tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati.

3 Secundo per Concilium Tridenticum in *ſeſſ.7. cap.15.* prædicta Clementina innouatur, dum dicitur. *Curent Ordinarij, vt hoſpitalia quæcumque à ſuis adminiſtratoribus quocumque illi nomine cenſentur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur Conſtitutionis Viennenſis, quæ incipit. Quia contingit forma ſeruata, quam Conſtitutionem eadem Sancta Synodus innouandam duxit, & innouat cum derogationibus in ea contentis*, & idem Concilium *ſeſſ.22. cap.* 8. dat auctoritatem Epiſcopis viſitandi hoſpitalia quæcumque, etiam ſi exemptionis priuilegio ſint munita. Quæ loca omnes Doctores exponunt, & dicunt comprehendere etiam hoſpitalia Regularium; de quo tamen poſſet eſſe dubium, nam per loca exempta non ſtatim veniunt etiam loca Regularium, vt alibi diximus, *tit. quo ad viſitationem*.

4 Tertio ex dicto Concilio Trident. *eadem ſeſſ.22. cap.9.* obligantur omnes adminiſtratores Hoſpitalium reddere rationem ſingulis annis coram Ordinario; niſi ſecus in fundatione cautum eſſet, & quando adeſſet conſuetudo immemorabilis in contrariũ, vt alij deputati videant rationes adhuc Ordinarius cum eis concurrere debet ad talem cognitionem.

5 Sed aduerte *cap.15. ſeſſ.7.* habere tantum locum reſpectu hoſpitalium publicorum, quæ eriguntur auctoritate Epiſcopi. Ita Valaſc. *Conſult.* 105. *num.*23. Poſſe tamen Epiſcopum etiam videre rationes hoſpitalium priuatorum refert deciſum Armerandiz apud Barboſam, *ſeſſ.22. cap.9. in Collect. &c.*

Quid poſſit Epiſcopus circa campanas Regularium.

Dub. CCCLXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Regulares vnica tantum campana contenti eſſe debent, alioquin ſubduntur in hoc Epiſcopo.*

2 *Mendicantes ſunt in hoc priuilegiati, & præcipuè Prædicatores.*

3 *Per communicationem omnes ferè religiones habent tale priuilegium.*

4 *Per conſuetudinem contrariam lex abrogatur.*

5 *Non habent Epiſcopi facultatem puniendi Regulares tranſgredientes in hoc.*

6 *Rationi ſententiæ oppoſitæ reſpondetur.*

7 *In Sabbato Sancto non poſſunt pulſare campanas ante Cathedralem.*

8 *Quod tamen fallit, vbi immemorabili conſuetudine ſolerent facere hoc Regulares.*

1 EPiſcopum poſſe procedere in Regulares, ſi vnica tantum campana contenti non ſint, ſed vti pluribus velint affirmant Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi par.* 3. *allegat.* 105. *n.* 62. Tamburinus, *de Iure Abbatum tom.* 1. *quæſt.* 7. *num.* 33. & ita ſentire videtur Abbas in caput *Patentibus ſuper Gloſ.* 2. *de Priuilegijs*, Albericus etiam *in diction.* verb. *Campana.* & fundamentum

eſt caput *quia Cunctos de Officio Cuſtodum* Cokier idem affirmat 1. *tom. de Iuriſdictione in exemptos qu.*45 .*parte* 2.
2 *num.*86. ſed dicit, hoc non habere locum in prædicatoribus,& ratio huius ſententiæ eſt,quia licet tale delictum, & inobedietia incipiat in loco exempto effectus poſtea peragitur in loco non exempto, quia ſcilicet ſonus cãpanarum lædit, & turbat audientes extra ipſum locum.

3 Sed quo ad hoc in primis dicendũ eſt (ſtante, quod Prædicatores habeant priuilegium habendi plures campanas) iam omnes ferè Religiones habent idem priuilegium. Deinde eſto, quod non adeſſet tale priuilegium, attamen per conſuetudinem contrarium videtur talis lex iam ab-
4 rogata; ſic per leges Ludus taxillorũ alearum, & ſimiles ſunt prohibiti, & tamen,vt vult Sanchez per conſuetudinem contrariam, ſi ſæculares huiuſmodi ludis ludant,iam non peccabunt. Ita *in Opuſcul.lib.*1.*c.*8.*dub.*25. ſic dicit. *Laici ludentes contra præſcriptum harum legum iuris communis nõ peccant mortaliter, quia receptæ non ſunt, ſed per contrariam conſuetudinem derogatæ ſic Metina, Soto, Nauarrus, Alcozer, & alij.* Ergo idem dicendum in caſu noſtro. Inſuper eſto, quod non eſſet talis lex iam per conſuetudinem in contrarium abrogata non video ex illo textu. *Quia cunctos de Officio Cuſtodum*. Quomodo competat Epiſ facultas puniendi Regulares in hoc transgredientes, nam ibi non video verba, quæ eis hanc poteſtatem tribuant. Imò videtur ad Sedem Apoſtolicam recurrendum pro hac re conſidera verba, quæ talia ſunt. *Nos præmiſſis obuiare cupientes periculis pacemque deſiderantes, inter ipſos ſine qua bene pacis auctor non colitur obſeruari de Fratrum noſtrorum conſilio hoc edicto perpetuò ordinamus, quod Religioſi dictorum Ordinum Mendicantium in nullo conuentu ſuo plures campanas habeãt ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſed vna tantummodo pro loco quolibet ſint contenti*, Ecce quomodo in hoc ſit procedendum, nec video quam habeant DD. Epiſcopi ex dicto textu.

6 Ad rationem verò, quod effectus campanæ ſit in loco non exempto. Reſpondeo Regulares, & ratione perſonarum, & reſpectu omnium eſſe exemptos, deinde eſt ratio nimis vniuerſalis, & miſeri Regulares, ſi valeret multa, & innumera facere nequirent, niſi ſe ſubdendo Epiſcopis.

7 Secundo, non poſſunt pulſare cãpanas in Sabbato Sancto ante Eccleſiam Cathedralem. Ita Tamburinus *de Iure Abbatum tom.*1. *diſput.*15. *q.*7. Ioannes Antonius Nouarius, *in Sum. Bullar.de Campanis.* Ita per Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ex Conſtitutione, quæ incipit *Sacro approbante Concilio*. Idem ſtatuitur *in Cæremoniali Rom.* auctoritate Clem.VIII. publicato *lib.*2.*cap.*27.quod cæremoniale ſicut etiam Pontificale in cæremonijs Eccleſiaſticis habetur, vt lex ſcripta, & tanquam ius commune ſic habet Rota *in Eleborenſi exemptionis* 3.
8 *Martij* 1600. coram Cardinali Sacrato. Hoc tamen fallit. Vbi Regulares immemorabili conſuetudine ſoliti eſſent ad libitum in tali die pulſare campanas ante Cathedralem, quæ immemorabilis non fuit ablata per Leonem X. neque per cæremoniale Clementis VIII. vt tradit Rota *in Caliguritan. iuris pulſandi campanas*, & ita de-

Digitized by Google

declarauit Sacra Rituum Congregatio teſte eodem Tamburino.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares circa Sanctorum cultum.
Dub. CCCLXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Non poſſunt Regulares capere informationem ſuper ſanctitate, & miraculis alicuius defuncti ſine conſenſu Ordinarij.*
2 *Regulares non poſſunt imagines nouas, & inſolitas cum habitu nouo, & inſolito adorandas proponere.*
3 *Inconſulto Epiſcopo non poſſunt Regulares publicare miracula alicuius.*
4 *Venerus Leyua reprobatur.*
5 *Regulares non poſſunt etiam cum licentia Epiſcopi dare corpora, & reliquias inſignes Sanctorum.*
6 *Obiectioni ſatiſit.*

1 DIco primo, non poſſunt Regulares capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius defuncti etiam ſpeciali nota digni ſine conſenſu Epiſcopi, & Ordinarij. Habes in hoc decretum Sacrę Congregationis tenoris ſequentis, *Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil maius, nihil ſit auguſtius, Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum, vt pote homines iam demortuos etiam cum fama ſanctitatis ac miraculorum declarare pro Sanctis, eoſq; vt tales colendos, & venerandos decernere. Sancta Rituum Congregatio vt res hæc ampliſſima, atque grauiſſima ritè ſancteque conficiatur prohibet omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam Regularibus etiam ſancti Ioannis Hieroſolymitani. Societatis Ieſu, vel aliorum quamuis ſpeciali nota dignorum ne audeãt ipſi per ſe, vel per alios capere informationes ſuper ſanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neq; vllo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales teſtificationes aut ſubſcriptiones ſub pænis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis Quod ſi ſuperiori ſacriſtæ ſeu alteri officiali illius eccleſiæ in qua requieſcit corpus ipſiuſmet defuncti, vel alterius etiam eccleſiæ fuerint reuelata aliqua miracula ſeu, prophetiæ dona poſſint ea recipere ſub ſigillo Secreti ab ipſis tantum relatoribus in quorum gratiam contigiſſe narrabitur, teneantur tamen quam primum commode poterunt eadem deferre vel obſignata tranſmittere Epiſcopo loci, cum expreſſa declaratione quod reuelationes ſic vt ſupra receptæ non faciunt aliquem probationis gradum etiã cuiuſuis longiſſimi temporis curſu.*

2 Dico Secundo, Non poſſunt Regulares imagines nouas, & inſolitas cum habitu nouo, & inſolito adorandas proponere populo ſine approbatione Ordinariorum, adeſt in hoc Conſtitutio Vrbani VIII. de qua nos loco proprio. *Cap. quid poſt multas Pontificium conſtitutiones*, tractabimus, & aliquas difficultates, quæ circa hoc occurrere poſſunt reſoluemus breuiter tamen.

3 Dico Tertio, non poſſunt Regulares inconſulto Epiſcopo publicare miracula alicuius, non placet tamen id quod dicit Hieronymus Venerus Leyua, *lib. 4. ſui examinis, cap. 16.* incurrere ſcilicet Regulares in excommunicationem, & poſſe ab Epiſcopo incarcerari, & alijs pænis affici. Nam
4 non video, vbi per Concilium detur

talis

talis facultas Epiſcopo, *Seſſ. enim* 25. *de Veneratione Sanctorum*, tantum hęc verba habentur, *Tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum, aut præpoſtere, & tumultuariè accommodatum nihil prophanum, nihilque inhoneſtum appareat hæc vt fidelius obſeruentur ſtatuit Sancta Synodus*, Quomodo colligi ex verbis poteſt, quod DD. Epiſcopi punire poſſint Regulares, & cæt.

5 Dico Quarto, Nec cum licentia Epiſcopi poſſunt Regulares concedere,& donare corpora vel reliquias inſignes Sanctorum quæ in ſuis Eccleſiis habent. Ita reſpondet Genuenſis *in Praxi cap.* 56. *in Annotatione* Lezana *Verb. Alienare*, qui ſic habet. *De Reliquijs Sanctorum dicendum eſt ſicut de immobilibus pretioſis quæ ſeruando ſeruari poſſunt quod ſcilicet alienari nequeant ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ ſunt enim res argento, & auro pretioſiores, & Stylus Curiæ ita obſeruat*, fauēt etiam huic ſententiæ Riccius, *in praxi Deciſ.* 63. & Bonacina, *de Alienatione bonorum Eccleſiæ diſput.* 2. *quæſt. vnica part.* 2. *num.* 31.

6 Nec obſtat huic ſententiæ. Caput. *Corpora Sanctorum*. Vbi habetur quod cum licentia Epiſcopi poſſint corpora Sanctorum de vno ad alium locum transferri, Ergo etiā cum tali licentia poterunt donari, cum in hac quoq; donatione ſit translatio.

Nam Reſpondeo eſſe magnum diſcrimen inter vnum caſum, & alterū translatio non eſt prohibita ſicut donatio, ad translationem enim ſufficit conſenſus Epiſcopi, ad donationem nequaquam, cum ſit in ea alienatio rei prętioſæ ad quam requiritur conſenſus Summi Pontificis. Vnde vt notat Cardinalis de Turrecremata, *ſuper illum textum*. Corpora Sanctorum dicit. illo tantum prohiberi, ne transferantur corpora perpetuo ſepulturæ tradita de loco ad locum ſine conſenſu Ordinarij, nihil autem haberi de donatione.

Quid poſſit Epiſcopus circa Regulares Cathedralis Eccleſiæ.

Dub. CCCLXXX.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus habet in eos omnimodam iuriſdictionem, ſed intellige quo ad ea, quæ non pertinent ad regularia inſtituta.*

2 *Quæ veniant nomine Regularium Inſtitutorum.*

3 *Deciſio Rotæ Romanæ ad hoc.*

4 *Quæritur, an hæc iuriſdictio, quam habent Epiſcopi circa huiuſmodi regulares ſit priuatiuè ad Prælatos Regulares vel cumulatiue Deciſio Rotæ Romanæ adducitur.*

5 *Priuilegia Caſſinenſium dictis non obſtant.*

6 *Concilium quoddam Auguſtini Barboſæ Regularibus fauorabile.*

7 *Ex dictis multæ caſuum ſolutiones colliguntur.*

8 *Clerici ſæculares in tali cathedrali recepti tenentur recitare officium Regulare, & pariter iuxta Regulares celebrare.*

9 *Quando Epiſcopus eſt ſimul Abbas illorum Regularium, tunc habet etiam poteſtatem in concernentibus regularia inſtituta.*

10 *Quod*

10 *Quod intellige etiam ſi Epiſcopus ſit ſæcularis.*

1 IN Multis locis ſunt Regulares in Cathedralibus Eccleſiis vice Canonicorum, Ita in Sicilia in Eccleſia montis Regalis, at alijs in locis.

Reſpondent ergo Doctores communiter habere Epiſcopos in eos omnimodam iuriſdictionem, Ita Lezana. Verb. *Epiſcopi quo ad Regulares*, Tamburinus *de Iure Abbatum diſp.* 15. *quæſ.* 7. & conſtat id ex Bulla Pauli III. & ex deciſione Rotæ coram Illuſtriſſimo Coccino *ann.* 1604. Vbi agitur de iuriſdictione Archiepiſcopi Montis Regalis in Monachos Cathedralis Eccleſiæ. Sed intellige hoc, quod ad ea, quæ non pertinent ad

2 Regularia inſtituta. Quæ vero veniant nomine Regularium inſtitutorum ſunt ea, quæ priuatiuè propria, & peculiaria ſunt Regularium, vt ieiunia, ſilentium, & abſtinentia a carnibus, humilitas in habitu, & lectiſternijs, mortificationes, & ſimilia habe hic tranſcriptam deciſionem Rotę apud Farinacium deciſ. 69. tenoris ſequentis.

3 *Dubitaui an & quam iuriſdictionem habeat Reuerendiſſimus Archiepiſcopus in Monachos Montis Regalis tam in Eccleſiſia, & Monaſterio, quam extra, & DD. vnanimiter cenſuerunt omnimodam illum habere iuriſdictionem, & in omnibus caſibus exceptis his, quæ concernunt Regularia inſtituta. Verba enim Bullæ Pauli III. viſa fuerũt ſat's in clara paragra. Declarans autẽ, vbi dicitur. Quod Archiepiſcopus eſt caput ipſorum Monachorum declaranda illorum exemptionem à viſitatione, & correctione Archiepiſcopi, quo ad Regularia inſtituta tantum, & non quo ad ſupradicta, in Bulla, vel exceſſus perpetratos, vel perpetrandos in quibus viſitationi, & correctioni Archiepiſcopi, prout ſunt ſubiecti ſint, & eſſe cenſeantur, & hac quidem diſpoſitio eſt conformis diſpoſitioni iuris communis, cum enim agatur de Eccleſia Regulari Cathedrali Epiſcopus eſt caput, & Abbas Monachorum, & ipſi loco Canonicorum Doctores in caput cauſam Hoſtienſis Ioannes Andreas Abbas, qui loquitur expreſsè de Eccleſia* Montis Regalis *num.* 8. *& ſequent.*

Et idem Epiſcopus etiam de iure communi exceptis his, quæ concernunt Regularia inſtituta habet omnimodam iuriſdictionem in Monachos Cathedralis Regularis c. 1. *ne Sede vacante Gloſſ. in finem in cap. nullus, verſ. vt Epiſcopus etiam ſæcularis de elect. in* 6. *Vbi Ancharan. n.* 3. *verſ. ſed aduerte Ioannes Andreas nu.* 3. *verſ. in Gloſſ. Vltimo Gemin. num.* 7. *Ibi Franc. num.* 3. *Corr. conſil.* 193. *num.* 4. *lib.* 2. *vbi num.* 5. *apparet de hoc non eſſe haſitandum, ceſſantibus indultis, & conſuetudinibus particularibus loci, propter quæ in illo caſu ipſe conſuluit contrarium, & hanc ſententiam alias ſecuta fuit Rota coram Oradino in cauſa Peruſina iuriſdictionis* 27. *Februarij* 1558. *quæ, & refertur licet diuerſis verbis inter Miſcellanea Coſtæ ſub num.* 56.

Nec placuit Dominis verba Bullæ (pro vt ſunt) eſſe intelligenda conditionaliter non cauſatiuè, quia contrarium eſt verius, tum quia D. Archiepiſcopus habet diſpoſitionem iuris pro ſe, tum etiam quia huiuſmodi verba ſunt prolata ab habente poteſtatem diſponendi in diſpoſitione certa, & ideo important cauſam non conditionẽ. Fel. in cap. 2. *num.* 10. *De reſcriptis, & tenuit Rota corã Lauretano in cauſa Caurienſi iuriſdictionis* 5. *Nouembr.* 1576.

Et

Et hoc etiam euidentiſſimè apparet cũ Monachi eximantur à iuriſdictione D. Archiepiſcopi, Quo ad Regularia inſtituta tantum, quæ exceptio firmat Regulam in omnibus caſibus expreſsè non exceptuatis Portel. in leg. quæſitum, §. denique D. de Fundi inſtitutione. Quo ad alia non expreſſa excepti extendi nequit, leg. qui aliena §. libertus ff. de Negot. Geſt.

Nec placuit Dominis verba Bullæ eſſe intelligenda de iuriſdictione, quo ad Eccleſiam tãtum, quia Bulla vlterius proſequitur, ſcilicet vel exceſſus perpetratos, vel perpetrandos, &c. Quæ diſpoſitio non ſolum eſt generalis comprehendens omnia, ſed etiam argumentatiua propter dictionem, vel, quæ ampliat diſpoſitionem etiã ad diuerſa, Crauet. conſ. 326. num. 2. quæ eo magis vera ſunt, quia cum iure communi concordant, à quo verba ſtatutorum interpretationem aſſumerent, vbi dubia viderentur leg. 2. C. de inoff. teſt. Vnde non poteſt dici vigore Bullæ iuriſdictionem D. Archiepiſcopi reſtringi vltra quam ipſa Bulla faciat.

Nec ſubſiſtit, quod Epiſcopus non habeat iuriſdictionem etiam, quod procedatur in figuram iudicij cum iſti Monachi ſint Ordinis Sancti Benedicti, Abbas in c. Quanto de Officio Ordin. Rom conſ. 375. cum alijs, nam ommiſſo, quod iſti Doctores non loquuntur quando Eccleſia eſt Cathedralis Regularis contrarium eſt verius de iure cap. cum Perſonæ de priuileg. in 6. &c. Et hanc opinionem tamquam veriorem ſecuta eſt Rota in Cæſarauguſtan. iuriſdictionis 27. Maij 1573. coram Oriolenſe, & in alia Cæſarauguſtan. exemptionis 3. Nouembris 1587. & 28. Martij 1588. & 12. Februarij 1590. coram Orano.

Minus etiam ſubſiſtit, dum dicitur, quod in omnem euentum ceſsat Iuriſdictio D. Archiepiſcopi ſtantibus priuilegijs Venerabil. Congregationis Caſſinenſis cui fuit vnita Congregatio Sicula d. caput cum Perſonæ de priuilegijs in 6. nam fuit reſponſio, quod vnio fuit facta ſine præiudicio tertij cap. 2. de Religioſ. Dom. Rebuffus in praxi tit. de electione in Collegiat. Vnde per talem vnionem non cenſetur derogatum Iuriſdictioni D. Archiepiſcopi.

Et ceſſat omnis difficultas, quia in Bulla erectionis Congregationis Siculæ in cuius locum ſubrogata eſt Congregatio Caſſinenſis expreſsè legitur ſine præiudicio iurium Archiepiſcopi quare huiuſmodi priuilegia non poſſunt Monachis ſuffragari, dum degunt, in Monaſterio Montis Regalis Iuriſdictionis Archiepiſcopi ſubiecto cap. 1. §. in eos de Priuilegijs in 6.

Nec facit quod Monachi habent menſã ſeparatam de qua diſponitur, & quod negotia Archiepiſcopi, & Monachorum ſint ſeparata, quia ex hoc non poteſt inferri ad non iuriſdictionem D. Archiepiſcopi Cap. edoceri de Reſcriptis, & videmus, quod capitula ſæcularium Eccleſiarum habent menſam ſeparatam, & negotia ſeparata, & non propterea iuriſdictio Epiſcoporum eliditur.

Neque etiam Monachis ſuffragatur diſpoſitio Sacri Concilij Tridentini Seſſ. 21. cap. 8. quia loquitur de Monachis exiſtentibus in locis exemptis a iuriſdictione Ordinarij quales non ſunt degentes in Monaſterio Montis Regalis per ſupra dicta, & ita concluſum fuit omnimodam iuriſdictionem ſpectare in omnibus ad D. Archiepiſcopum præterquam quod ad Regularia inſtituta tantum.

R. P. D. Pamphilio.

4 Sed quæres hic an hęc iuriſdictio quam habent Epiſcopi in Cathedralibus

bus

bus ſit priuatiuè ad Prælatos Regulares; an vero cumulatiuè in hoc ego nihil addam niſi deciſionem Rotæ quę eſt tenoris ſequentis apud Farinacium *deciſ.* 121. *tom.* 1.

Dubium an DD. Archiepiſcopi Montis Regalis pro tempore habeant priuatiuè, vel cumulatiuè ad ſuperiores Regulares, iuriſdictionem in Monachos illius Eccleſiæ Cathedralis, & domini cenſuerunt priuatiuè exceptis tantū his, quæ cōcernūt regularia inſtituta, quia in huiuſmodi Cathedralibus ſunt loco Abbatum Monachorum, vt generalem conſtituendo regulam dicunt Ioannes Andreas Hoſtienſis, & alij in caput Cauſam, & in ſpecie de hac Eccleſia dicit Abbas ibidem num. 8. & ſequentibus, & propterea cum illi Archiepiſcopi ſint loco Abbatum fruſtra quæritur, an iuriſdictio competat priuatiuè vel cumulatiuè, Quia conſentur ſubrogati quo ad omnia Non excepta, vt bene per Abbat. in d. Caput. Cauſam num. 10. & Doctores in caput Nullus de electione in ſexto dixerūt ad Epiſcopū Cathedralis Regularis ſpectare omnimodam iuriſdictionem in Monachos, & idem firmauit Rota in hac cauſa 8. Martij 1604. corā me.

Et quando proceditur in forma iudicij quod Epiſcopi habent de iure communi iuriſdictionem priuatiuè etiam quod Eccleſia cathedralis non ſit Regularis firmauit Rota per tres deciſiones in cauſa Cæſarauguſtana Exemptionis 13. Nouembris 1578. & 28. Martij 1588. & 12. Februarij 1590. coram bonæ memorię Orano, & in hac cauſa in dictis deciſionibus 8. Martij per textum in Caput cum perſonæ de Priuileg. in 6. Guid. Papa deciſ. 559. Collat. 4. Vbi vero ageretur de crimine contra Monachum cum alijs pluribus ibidem allegatis.

Hinc etiam vltra diſpoſitionem iuris communis in Bulla Pauli III. Monachi eximuntur a iuriſdictione DD. Archiepiſcoporum, quo ad Regularia inſtituta tantum, quæ exceptio firmat regulam in caſibus non exceptuatis, & concluſiones sūt claræ, quod quando conſtat de mente concedentis iuriſdictio cenſetur data priuatiuè non cumulatiuè, vt per Felinum in caput Paſtoralis Coll. 3. in prima limitatione, de Offic. Iudic. Rom. Conſil. 393. vbi addit in litter. A. & communem dicit Ferrett. in conſil. 142. num. 5. in principio lib. 1.

Præterea licet in dubio regulariter iuriſdictio cenſeatur data cumulatiuè nō priuatiuè, vt late per Rom. dicto conſilio, & tenuit Rota ex ſententia Illuſtriſſimorum Interpretum Concilij in cauſa Piſcienſis Iuriſdictionis 15. Iunij 1590. coram Illuſtriſſimo Platto, tamen hæc concluſio intelligitur reſpectu illius qui habet iuriſdictionē; tunc enim ſi alteri concedatur cenſetur conceſſa cumulatiuè niſi appareant de mente contraria concedentis, & ideo in propoſito non applicentur, quia DD. Archiepiſcopi ſunt ſuffecti loco Abbatis Monachorum qui habet iuriſdictionem, & propterea iuriſdictio potuit dari priuatiuè tantum, quia non aderat cum quo daretur cumulatiuè, Vnde concluſum iuriſdictionem ſpectare ad Dominos Archiepiſcopos pro tempore priuatiuè, non cumulatiuè. Itā Rota Romana, & habet Martha, *in Digeſtis ſuis nouiſſimis. Tom. 6. Titul. Epiſcopus cap. 87. & 88.*

5 Nec obſtant priuilegia Venerabil. Congregationis Caſſinenſis cui vnita fuit congregatio Sicula, nam, vt notat Martha citatus; hæc vnio tertio, ſcilicet Epiſcopo non potuit præiudicare Immo fuit facta ſine præiudicio iurium D. Archiepiſcopi.

Et

Digitized by Google

Et aduerte conſiliũ, quod dat Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi* DD. Epiſcopis, *allegat.* 105. *num.* 77. ſic dicens, *Quare quo ad iſta debet Epiſcopus dictos Regulares remittere ſuo Prælato Regulari, vel ſaltem tempore viſitationis adhibere ſecum vnum illius Religionis, vt diſponitur in Extrauaganti Debent ſuperioribus ſuis.*

7 Et ex dictis etiam collige aliquas caſuum ſolutiones, Primo, quod dum Epiſcopus prouidet de Canonicatu, vel dignitate in Cathedrali Regulari Regulariter non poteſt dictus Regularis amoueri a ſuo ſuperiori, Ita Lotterius, *libr.* 1. *quæſt.* 33. *numer.* 115. apud Barboſam, *citat. ſupra allegatione.*

8 Secundo, ſi Clerici ſæculares in ea Cathedrali Regulari ſunt recepti tenentur celebrare officium Regulare, nec admittendi ſunt ad ſæculare ad euitandum ſcandalum. Ita Barboſa, *loco ſupra num.* 53. nec contrarium poteſt ſtatuere Epiſcopus. Vide deciſionem Rotæ apud Farinacium, *prima Parte deciſ.* 84. per totam.

9 Tertio, Quando Epiſcopus eſt ſimul Abbas illorum Regularium Regularium Cathedralis &c. tunc habet etiam poteſtatem in concernentibus Regularia inſtituta, Ita Barboſa *de Canonicis, & dignitati,* & ratio eſt, quia in eo repræſentatur duplex perſona videlicet Epiſcopi, & Abbatis proprij, & patet ex cap. *Nullus* Hoc totum docet Lotterius, *de re beneficiaria lib.* 1. *quæſt.* 33. qui tamen dicit caſum raro dari Epiſcopum ſcilicet eſſe ſimul Abbatem.

10 Et hoc intellige, etiam ſi Epiſcopus ſæcularis ſit. Ita Barboſa, *loco ſupra.*

An Epiſcopus poſſit concedere Regularibus licentia adeundi ſtudia.
Dub. CCCLXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Eſt ſermo de Regularibus non exemptis.*
2 *Affirmatiuam opinionem ſequitur Author, & rationi contrarium reſpondet.*
3 *Quid dicendum, dum Epiſcopus confirmat ſtatutum vel gratiam factam Regulari a Prælato.*

1 LOquimur hic de Regularibus nõ exemptis ad complete agendum de materia nam de exemptis nulla eſt difficultas eſt ergo duplex opinio.

Prima, negat id Epiſcopo. Ita Gloſſ. Ioannes Andreas; Francus Tabiena, & alij apud Sanchez, *lib.* 6. *in Decalog. tom.* 2. *cap.* 8. *num.* 86.

Secunda, Affirmat. Ita Syluester. Verb. *excommunicatio* 9. *Caſu* 25. *num.* 55. *quæſt.* 2. Sanchez etiam *loco ſupra,* & ratio eſt, quia non adeſt ratio negandi hanc facultatem Epiſcopo, qui ſuperior eſt talium Regularium, & hoc immediate.

2 Nec obſtat textus adductus a Doctoribus, contrariæ Sententiæ, quem videre potes apud Sanchez; nam licet ibi coarctatur in hac licentia danda poteſtas Prælati Regularis immediati, vt requiratur etiam conſenſus maioris partis conuentus, attamen non tollit poteſtatem alijs Prælatis ſuperioribus; cum de eis nec verbum quidem

Digitized by Google

quidem dicat, Vnde concludit Sanchez non requiri conſenſum Conuẽtus, quando iuxta conſtitutiones dicti conuentus, & religionis non exẽptæ dare poteſt hanc facultatem, Vnde videndæ ſunt conſtitutiones dicti conuentus & Religionis, & eius vſus, quod ſi iuxta eas poſſit dari hæc facultas, non oberit Epiſcopis textus adductus ab aduerſarij.

3 Hic etiam ſcias, quod ſi Epiſcopus confirmet ſtatutum, vel gratiam factam Regulari alicui a Prælato, communiter docere Doctores, non eſſe irreuocabilem talem gratiam, & cæt. Ita Sanchez, *in opuſc. lib.* 7. *cap.* 29. & *tom.* 2. *in Decal.* Sa, Rodericus *in quæſt. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 29. *Art.* 9. & ratio eſt quia requiritur confirmatio ſuperioris illo Prælato. Si tamen ſit ſermo de regularibus non exemptis affirmatiuè eſt reſpondendum, Ita Rebuffus, *de pacificis poſſeſſoribus num.* 278.

An Epiſcopus poſſit interpretari priuilegia Regularium in caſu, qui tangit propriam iuriſdictionem.
Dub. CCCLXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondent Doctores.*
2 *Clementis IV. conſtitutio adducitur.*
3 *In ſententia aliquorum poteſt Epiſcopus quærere apud Prælatum de priuilegio dubio.*
4 *Quid dicendum, dum eſt dubium, an iuriſdictio in Regulares pertineat in aliquo caſu ad Epiſcopum, & negatiuè reſpondetur.*
5 *Priuilegia dum ſunt dubia, eorum interpretatio reſeruatur Summo Pontifici.*

1 HAbet dubium Bordonus *reſolut.* 7. *quæſt.* 22. & reſpondet negatiuè, ratio eſt, quia ſic Epiſcopus eſſet Iudex in propria cauſa contra vulgata iura adeſt etiam Conſtitutio Clementis Quarti, quæ incipit *Ordinis veſtri* apud Confectium, *pag. mihi* 13. & eſt tenoris ſequentis.

2 *Clemens Epiſcopus, &c. Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Religio, ſub qua Domino in humilitate ſpiritus laudabiliter deſeruitis promæretur, vt nos ipſum Ordinem ſincera diligentes in Domino charitate illa vobis libenti animo concedamus, per quæ materia ſubmota grauaminis ſtatus veſtri tranquillitas procuretur. Sanè tranſmiſſa nobis quæſtione mõſtraſtis, quod nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati noſtris libertatibus derogantes Indulgentias, ſeu priuilegia vobis ab Apoſtolica Sede conceſſa interpretari, & ad ſuum intellectum trahere moliuntur quamquam intellectum ipſum verba indulgentiarum, & priuilegiorum huiuſmodi exprimere videantur, & vos iuxta ipſorum interpretationem priuilegia ipſa ſeruare compellunt in veſtrum non modicum præiudiciũ, & grauamen. Quia verò ſuper hoc Apoſtolicæ prouiſionis remedium implorastis nos veſtris ſupplicationibus annuentes ne præfati Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alij prædicta priuilegia, & indulgẽtias ſiue clara, quæ interpretatione non indigẽt, ſiue dubia contineant de cætero interpretari præſumant auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus volentes, vt cum eius ſit interpretari, cuius eſt concedere interpretatio ſuper huiuſmodi dubijs etiam obſcu-*

obſcuris dictæ Sedis iudicium requiratur. Nulli ergo hominum liceat, &c.

3 Notat tamen Bordonus cum Rodriquez, *tom. 1. q. 56. art. 12. §. 6. & tom. 2. qu. 63. art. 7. §. 2.* Epiſcopum poſſe de priuilegio dubio exigere, & quærere apud Prelatum tamen & Superiorem Religionis, contra quam
4 vult procedere. Hinc collige ſolutionem illius quæſtionis, an quando eſt in dubio, an iuriſdictio in Regulares pertineat ad Epiſcopum, tūc poſſit idem Epiſcopus cognoſcere de tali dubio, & cauſa negatiuè ſe è communiter reſpondent Doctores, Sanchez *lib. 6. cap. 9. dub. 1. num. 34.* Tamburinu *tom. 1. de iure Abbatum diſput. 16. q. 6.* & apud illum Panormitanus, qui addit; etiam ſi caſus eſſet clarus, & Fundamentum huius ſen-
5 tentiæ eſt, quia priuilegia Regularium quando ſunt dubia, reſeruatur Papæ eorum interpretatio, vt vidimus ſupra, & conceſſit etiam Paulus Tertius Societati Ieſu *in Bull. ann.* 1549. & idem fuit conceſſum Congregationi Sancti Benedicti, & Ordini, & Prædicatorum, & Minorum fauetque opinioni etiam Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs cap. 25. num. 6.*

An Epiſcopus poſſit dare facultatem laico ferendi habitum alicuius particularis Religionis. Dub. CCCLXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Reſpondetur negatiuè, & quare.*
2 *Putat Author peccare DD. Epiſcopos lethaliter ſi dent hanc facultatem.*
3 *Habitum Religionis cum capuccio deferendi, nec Epiſcopi, nec Prælati dare poſſunt facultatem.*
4 *Priuilegio Minorum gaudent omnes aliæ Religiones.*

1 NEgatiuè eſt apertè reſpondendum ex nouiſſima Conſtitutione Vrbani VIII. quæ incipit *ſicut dilectus Filius*, quam habes apud Peirinū *in nouiſſimis cōſtitutionibus Vrbani VIII. in fine*, quæ collectæ fuerunt ab Angelo Vigo Minimo, in ea ſunt hec verba. *Omnibus & ſingulis locorum Ordinarijs, ac noſtris Sedis Apoſtolicæ Nuncijs vbiuis terrarum conſtitutis & degentibus tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, ne de cætero quemquam prædictam tunicam oblongam, cum vel ſine mantello abſque prædictæ Religionis Minorum de Obſeruantia, & cuiuſuis inſtituti, ſeu Congregationis Ordinis eiuſdem S. Franciſci licentia in ſcriptis obtenta quoquomodo deferre permittant, vt ſi aliquem præmiſſorum trāſgreſſorem repererint illum carceri mancipandum tali habitu exuendum, & alijs pænis arbitrarijs mulctandum*
2 *irremiſſibiliter curent.* Aduertant hoc maximè Epiſcopi, nam licet in ea cōſtitutione nulla ſit eis pæna impoſita ſi talem dent facultatem, attamen eſt præceptum ſtrictum, quod puto ſub læthali obligare.

3 Additur etiā in illa Conſtitutione, nec Epiſcopos, nec Prælatos Regulares poſſe alicui Laico dare facultatem deferendi habitum Religionis cū cappucio, ſeu mantello conſuto non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs Ordinis, &c.

4 Scias inſuper hoc priuilegio Minorum gaudere omnes alias Religiones in priuilegijs communicantes, & non ſolū, quæ habent in habitu cappuciū, ſed etiā aliæ, quia militat eadē ratio.

An

An Tertiarij, qui emittunt tria vota, & non portant habitum cum cappucio ſubdantur Epiſcopo. Dub. CCCLXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*
2 *Obiectioni Satisfit.*

1 NEgatiuè reſpondet Portel. *prima Parte Caſuum cas. 36. num. 4.* & ratio eſt quia Pontifices dum eximunt Tertiarios ab Epiſcopis, non aſſignãt peculiarem habitum, quem debeant geſtare ſic Pius V. in ſua Bulla, quam habes, *in Bullario Rodriquez fol. 671.* & ante eum Sixtus IV. & etiam Leo Decimus, qui ſtatuit regulam pro Tertiarijs viuentibus in congregatione cum votis ſolemnibus, vti habetur apud Cappucinum, *in Compendio, &c. fol. mihi* 43. Ergo licet nõ geſtant dicti Tertiarij capuccium cum Mantello,&c. non ideo ſubduntur Epiſcopis.

2 Obijcere quis poteſt in Portugallia ſunt conuentus Monialium Tertij ordinis, quæ obediunt Epiſcopo, vt cõſtat teſte Portel. *loco ſuprà* ex monaſterio Saluatoris Eboræ conſtitutio, & alio ædificato in oppido de Torrano, quæ tamen viuunt cum tribus votis, & in congregatione. Ergo idem dicendum de iuris Tertiarijs.

Reſpondet tamẽ idem Portel. Dictas Moniales eſſe ſubiectas Epiſcopis, quia Fratres minores illarum regimẽ a principio acceptare noluerũt, & facit ad hoc quod ſẽper a principio Fundationis harum Tertiarum impetratur licentia a Summo Pontifice, vt illæ Epiſcopis ſubdantur; & ſic patet diſcrimen inter vnum, & aliũ caſum.

An Oblationes factæ imagini depictę in pariete Regularium ſint Epiſcopi, vel Parochi loci, in quo eſt monaſterium. Dub. CCCLXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Variè caſus poteſt accidere.*
2 *Oblationes huiuſmodi Regularibus acquiruntur.*
3 *Oblata imagini in pariete priuato ſunt Parochorum, in quarum parochijs ſunt imagines depictæ.*
4 *Idem dicendum de oblatis in capella ſeu oratorio intra limites Parochiæ alicuius exiſtenti.*

1 DVpliciter poteſt caſus accidere vt notat Ioannes Aloiſius. Riccius *Parte 4. Deciſion. Deciſ.* 170. primo, Quando cõſtat de intentione offerentis, vt ſi pecunia exponatur in capſa eleemoſynarum pro fabrica, vel pro miſſis celebrandis; & hæc mens debet maximè obſeruari. ſecũdo modo quando non cõſtat de mente offerentis, & tunc, ſi abſit peculiaris conſuetudo in aliquo loco obſeruanda eſt, dummodo non repugnet ius.

2 Reſpondet ergo Riccius *citato loco* oblationes factas in loco Regulariũ (puta in pariete Monaſterij) acquiri ipſis Religioſis ex *Cap. 1. de ſtatu Monachor.* & ex *ca. nimis de exceſſibus Prælator.* vbi habentur hęc formalia verba *Quidquid etiã eis dũ celebrãt miſſarũ ſolemnia intra domorũ ſuarũ ambitũ pia fideliũ deuotione donatur ab ipſis extorquere oblationis nomine cõtẽdẽtes, quod eiſdẽ tã in ornamentis altaris, quã in libris Eccleſiaſticis confertur, quocirca mandamus*

quatenus vniuerſi, & ſinguli a prænotatis grauaminibus deſiſtatis, & idem decidıtur cap. 1. de ſtat. Monachor. his verbis. *Alicui Monaſterio nec tu nec præsbiteri tui præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiæ inferatis, aut ſi quid illic pro diuerſorum deuotione acceſſerit vobis vendicare æſtimetis cum Monachis ibi ſeruientibus debeat proficere quidquid a fidelibus taliter offerri contingit* Ex quibus clare patet nihil acquiri nec Epiſcopis, nec Parochis in dicto caſu Regularium. Hoc idem firmant Abbas, & Vbaldus, *in ſuo tractatu de Quartis Epiſcopalis*, apud Riccium, *loco ſupra* & ex recentioribus Bordonus, *reſolut. 7. num.* 106. qui ſic habet, *Quæres; an Epiſcopus poſſit diſponere de oblatis Regularibus vel imaginibus ſitis infra eorum Eccleſias vel extrà in parietibus monaſterij vel hortorum; Reſpondeo de nullis poteſt, & ſimpliciter loquendo de factis Regularibus eſt certi iuris, & aſſerit Gloſſ. in caput primum de Statu Monachor. Ergo idem dicendum eſt de oblatis imaginibus in muris Regularium, quia dicuntur oblata religioſis.*

3 Sed ſi quęras hic obiter, cuinam acquirantur oblata imagini in pariete priuato, Epiſcopo ne, vel Parocho. Reſpondet Riccius in deciſ. *loco ſupra* ſic. *Verior, & communior opinio eſt quod Parocho acquirantur, cum is habeat intentionem fundatam de iure communi ſuper omnibus obuenientibus ſpiritualibus contingentibus intrà limites ſuæ Parochiæ & per Ioannem Andream, & Hoſtienſem in d. caput Paſtoralis*, & addit hoc etiam valere reſpectu oblationum, quæ fiunt imagini pictæ in Capella, ſeu oratorio exiſtenti intra limites Parochialis Eccleſiæ; nam iſtæ quoque oblationes acquiruntur Rectori Eccleſię Parochialis. Habet aliquid de Oblationibus Naldus, *in Summ. Verb. Oblationes*.

An in caſu neceſſitatis alienandi, vel oppignerandi res ſuas debeant Regulares ad Epiſcopum recurrere pro licentia.

Dub. CCCLXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Variæ ſententiæ referuntur, negatiuam ſuſtinet cum multis author.*

2 *Quid dicendum, dum Epiſcopus haberet circa hoc priuilegium.*

3 *Negatiuè etiam reſpondet author in tali caſu.*

4 *Si priuilegium eſſet datum ad dandam facultatem, quando expectari non poteſt conſenſus Summi Pontificis, tunc Epiſcopi facultate opus eſſet.*

1 DVbium habet in terminis Diana *parte 5. Tract. 11. Miſcellaneo. Reſol. 6.* qui more ſuo pro vtraque parte ſententias affert.

Affirmatiuam ſequitur noſter Peregrinus in nouo Compēdio noſtrarum Conſtitutionum. verb. *Alienare*, *dub. 9.* ſed.

Negatiuè reſpondet ipſe Diana dicens nullo pacto requiri talem facultatem Epiſcopi ad alienationem, & oppignerationem in caſu, neceſſitatis in quo mora non habet locum, & ratio eſt, quia in tali caſu omnes docent non requiri licentiam Summi Pontificis vti apud Quarantam videre potes *in Summ. Bullarum* Verb. *Alienatio rerum*

rum Eccleſiæ num. 42. & apud Filliucium *tom.* 3. *trac.* 44. Peirinum, *in ſuo, Formulario litter. A. cap.* 11. *num.* 3. Ergò ſi non requiritur cōſenſus Pontificis, cur Epiſcopi? gratis certe hoc dicitur, & maximè quo ad Regulares, qui nō debēt ſubdi Epiſcopo abſque neceſſitate, vt inquit Diana, & optimè, nec rationes adductæ a contrarijs vrgent, & maximè illæ, quas habes apud Sanchez. *Tom.* 1. *de Matrimonio lib.* 2. *Diſput.* 40. *num.* 3.

2 Sed poteſt ſtringi magis difficultas in caſu, quo Epiſcopus haberet priuilegium, vt concedere poſſet alienationem bonorū Eccleſiarum in ſua diœceſi; an ſcilicet ſtante hoc priuilegio Regulares ad illum debeant recurrere pro licentia alienationis in caſu neceſſitatis &c. dixi; an debeant, nam quod poſſint docet Bordonus, *reſol.* 27. *quæres* 27. priuilegiū enim Epiſcopi etiā pro Regularibus eſſe debet, nam alia etiam priuilegia Epiſcopi ſi ſint fauorabilia faciunt pro Regularibus; & Fundamentum eſt, quia licet Regulares ſint exēpti a iuriſdictione Epiſcopi, attamen hoc intelligitur in præiudicialibus, nō autem in fauorabilibus. Deinde licet Religioſi dicātur exempti a iuriſdictione ordinaria Epiſcopi, non tamen ſunt exēpti a iuriſdictione delegata Papali, cuiuſmodi eſt illa, quā habet in caſu poſito ad concedēdam facultatē alienandi res Eccleſiaſticas, ſicut enim in odioſis ſubduntur dū delegatur ita etiā a fortiori in fauorabilibus. Ex hoc igitur videtur dicendum prima facie debere tunc Regulares licentiam Epiſcopi habere, vt alienare poſſint res eccleſiaſticas.

3 Sed tamen ego puto nullo pacto tunc hac licentia opus eſſe, nam Priuilegium quod habent Epiſcopi tūc eſt pro alienandis rebus Eccleſiaſticis, ad quarum alienationem requiritur cōſenſus Summi Pontificis, ſed in caſu poſito non requiritur vt diximus, Ergo ſuperfluè talis licentia requirenda

4 eſt; ſi autem priuilegium eſſet ad dandam facultatem tunc quado expectari non poteſt conſenſus Summi Pontificis, iam tunc Regulares etiam ad eum deberent recurrere, nam tunc videtur delegari Epiſcopus a Pontifice in hoc caſu.

An Epiſcopus poſſit Cogere ad ingreſſum Religionis, in caſibus in quibus, quis tenetur ingredi.
Dub. CCCLXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Concil. Tridentin.* Seſſ. 25. cap. 18. de Regularib. *quid dicat circa hoc.*
2 *Caſus excepti in hoc caſu qui ſint.*
3 *Epiſcopus nequit cogere ad ingreſſum Religionis, qui ſponte vouit ingredi, & quare?*
4 *Coniux manens in ſæculo cum periculo, &c. poteſt cogi ab Epiſcopo ingredi religionem.*
5 *Quando ob crimen, quis debet intrudi in Monaſterium non ſemper ſpectat ad Epiſcopum ad hoc cogere.*
6 *Multi doctores docent, vouentem ſpōtè religionem poſſe non ſolum cogi ad ingreſſum, ſed etiam ad profeſſionem, ſed non dant rationem.*

1 Licet Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 18. anathematis ſententia afficiat omnes; & ſingulas perſonas, tam clericos, quā laicos ſæcula-

culares, vel Regulares qualibet dignitate fulgentes; qui coegerint aliquam Virginem vel viduam, aut quamcumque mulierem inuitam ad ingrediendum Monaſterium; attamen cum ibi
2 dicat exceptis caſibus in iure exceptis. Hinc eſt quod cum caſus excepti ſint tres vt communiter tradunt Doctores. Primus quando quis religionem vouet. Secundus Quando coniux conſcius de diſpens atione iuris conſentit alterum ingredi religionem, vt in ea profiteatur. & ipſe remanet in ſeculo cum periculo incontinentiæ terzius. Quando quis delictum commiſit, propter quod neceſſe eſt in Monaſterium detrudi, vt eſt adulterium fæminę ſtatim dubitatio inſurgit ad quem nam ſpectet in his caſibus cogere ad Religionem, An ad Epiſcopum, an verò ad alium, & licet de hoc dubio expreſſe agentes non viderim Doctores. attamen hic breuiter, & diſtinctè exponam quid ſentiam.

3 Dico ergò Primo In illo priori caſu de vouente ſponte Religionem Epiſcopus nequit cogere ad ingreſſum. Probatur. Quia votum Religionis, eſt reſeruatum nec circa ipſius. diſpenſationem aliquam habet Epiſcopus auctoritatem; ergò nec habebit auctoritatem ad cogẽdum ad talis voti obſeruantiam. Deinde neque caput *licet de voto* ex quo colligunt Doctores eſſe cogẽdum vouentem ad ingreſum, quod caput loquitur ſolum de vouẽte peregrinationẽ. Terrę Sãct. per modum ſubſidij; nec caput illud dicit cogendũ eſſe vouentem ab Epiſcop. ſed a Sum. Pontifi. Ergo & cæt.

4 Dico ſecondo In caſu ſecondo de manente in ſæculo. Poteſt. illum Epiſcopus compellere ad ingreſſum clarè colligitur ex cap. *Significauit* vbi habentur hæc verba. *Idem Decanus qui gerebat vices tunc Archiepiſcopi Senonenſis poſt factam profeſſionẽ a viro prædicto in Monaſterio in quo habitum aſſumpſerat monachalẽ aſſeruit ipſam debere religionem intrare quamquam id primo non expreſſiſſet eidem, & hoc expreſſo illi licentiam non dediſſet. Quo circa mandamus, quatenus ſi eſt ità, & eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poſſit, ipſam votum continentiæ obſeruantem intrare monaſterium non permittatis inuitam* ex quibus a contrario, vt patet conſideranti colligitur coactionem eſſe faciendam ab Epiſcopo.

5 Dico terzo in tertio Caſu in quo ob crimen quis debet intrudi in Monaſterio non ſemper ſpectat ad Epiſcopum cogere ad talem ingreſſum aliquando ſpectabit vtique, vt expreſſe in caſu qui ponitur. *Diſt. 16. Quæſt. 6. de Clericis lapſis* in aliquibus autem non, vt in caſu adulterij vxoris, & ſimilibus in quibus ad viros potius & maritos hanc coactionem facere ſpectabit, licet poſtea in acceptatione a Monaſterio Epiſcopi conſenſus requiratur modo tamen iam ad ſacram Congregationem eſt recurrenda vide Portel. *in addit. ad dub. Regular.* & Pelliciar. *cap. 5. de Monialibus.*

6 Sed ſcias hic in pr. caſu de vouente Religionẽ. multos Doctores docere poſſe vouentẽ cogi nõ ſolũad ingreſſum, ſed etiam ad profeſſ. ita Tamburinus *de Iure Abbatiſſarũ. Quæſt. 2. d. 2.* & ſequi videtur etiam hanc ſentent. Peirinus. *cap. 29. Qu. pr. vers. noto 3.* ſed nullam adducunt ration. in alijs autẽ caſibus aduerte non poſſe cogi vt geſtent habitum, ſed ſolum poſſe cogi ad ingreſſum Monaſterij.

An

An Epiſcopus poſſit prohibere hæredibus, ne ſoluant legata Regularibus antequam dent Parrocho quartam canonicam.

Dub. CCCLXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent aliqui.*

2 *Modo tamen negatiuè eſt reſpondendum ſtando in priuilegijs Regularium.*

3 *Priuilegium ampliſſimum conceſſum Carmelitis adducitur.*

4 *Præciſis etiam priuilegijs iam Regulares non tenentur ſoluere hanc quartam.*

1 Affirmatiuè reſpondet Bellettus *in ſuis diſquiſit. de fauore Clericor. Real.*§.5.*num.*94. citat Gloſſam *in Clement. dudum de Sepultur.* & Abbatem *ibi num.*54. Federicum *conſil.*10. Oldradum *conſil.* 287, & quidem Gloſſa loco citato ita habet. *Per hoc dicebant ipſi Fratres, quod hæredes debebant ei ſoluere integra legata quorum quartam curati de manibus ſuis recipere debebant, ſed declarat prædicta commiſſio, quod ſicut falcidia eſt in bonis hæredis, ſic iſta quarta in bonis Eccleſiarum Parrochialiũ, quare curati eam vendicare poſſunt, & inhibere hæredibus, vel per fidei commiſſum grauatis, ne illam ſoluant Fratribus præcipuè, cum illos ſuſpectos habere poſſint, quod ſibi non ſoluant eamdem.* Ita Gloſſa.

2 Sed modo ſcias lector, (& hæc eſt praxis, quæ ſeruatur) iam hanc quartã non ſolui à Regularibus ex priuilegijs, quæ habent. Id conſtat præcipuè ex priuilegio Innoc. IV. Alexan. IV. & Clementis IV. quę priuilegia habes apud Caſſurubium verb. *Canonica portio.* Iulius etiam II. conceſſit hoc minimùs apud Peirinum *in* 1. *tom. priuilegiorum in Conſtitutionem* 2. *Iulij II.* &

3 quia ampliſſimum eſt priuilegium, quod concedit Nicolaus V. Carmelitis teſte *Lezana tom.* 3. verb. *Canonica portio*, hoc adducam ad verbum. *Vobis, & dicto Ordini veſtro perpetuo concedimus, vt de illis, quæ vobis pro fabrica Eccleſiarum, & Conuentuum veſtrorum, Eccleſiaſticis ornamentis, luminaribus, anniuerſarijs, ſeptimo, trigeſimo, vigeſimo, & alijs diuinis cultibus pitantijs indumentis, calceamentis, emendis celebrandis, & habendis in eiſdem, nec non annuis cenſibus redimendis ad quorum ſolutionẽ aliqua domus prædiaq; cũ hortis, & alijs locis Ordinis eiuſdem obligatæ noſcuntur per Chriſtifideles eleemoſynæ pietatis intuitu, ſiuè in funeralibus, oblationibus ſepulturis, vltimis voluntatibus, legatis, aut aliis quoquomodo etiam abſolutè iam erogata ſunt, & impoſterum forſan erogentur bonis etiam abſolutè elargiantur nulli Canonicam aliquam portionem teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari; & ne quis à vobis, vel vltimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium hæredibus de præmiſſis bonis aliquid extorquere, vel exigere præſumat diſtrictius inhibemus, non obſtantibus piæ memoriæ Clementis Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri in Concilio Viennenſi edita; quæ incipit Dudum, & aliis conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non priuilegijs, & conceſſionibus.* Quod priuilegium confirmauit Sixtus IV. in Bulla quæ incipit *Dum attentã*. Inſuper adeſt declaratio Sacræ Congregatio-

nis Epiſcoporum apud Barboſam *in Collectaneis Bullarum*, vbi expreſsè habetur Epiſcopum exigere non poſſe quartam Legatorum piorum à Regularibus niſi ea ſoluere ſoliti ſint à 1 quadraginta annis iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini.

4 Deinde vt optimè notat Lezana *loco ſupra* etiam ſi Regulares non habeant huiuſmodi priuilegia, attamen non tenentur ſoluere, & hoc ratione conſuetudinis præſcriptæ de illa non ſoluenda eſt enim valida dicta præſcriptio.

Ex dictis ergo conſtat ſolutionem poſiti dubij datam à Belletto, & alijs non conſiderare priuilegia, quæ habent Regulares, habes de hoc alibi hoc capite.

An Regularis ad beneficium ſæculare translatus cum debitis requiſitis vti poſſit priuilegiis ſuę Religionis, & conſequenter in multis caſibus exemptione.

Dub. CCCLXXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Pars negatiua multis ſuadetur rationibus.*

2 *Affirmatiua verò magis placet Authori.*

3 *Quæ nam ſint Religionis obligationes, & onera.*

4 *Argumentis, & rationibus pro parte negatiua factis ſatisfit.*

Remiſſiuè multis in locis huius tractatus tetigi præſentem difficultatē, quę cū grauis ſit, vt par eſt nō fuit à Doctoribus pertractata, atque examinata. Vnde præter morem fuſius quid ipſe ſentiam exponam.

Pars negans ſuaderi poteſt. Primo, quia quando quis potitur aliquo priuilegio ratione dignitatis, aut officij, quo fungitur, ſi ad aliam dignitatem promoueatur non poteſt amplius vti eo priuilegio tradunt Tamburinus *de iure Abbat. tom. 1. diſput. 16. quæſi. 11. num. 4.* Azorius *Inſtitut. Moral. par. 1. lib. 5. cap. 22. q. 6.* Salas *de legibus diſput. 17. ſect. 2. num. 13. circa finem*, at priuilegia Regularibus concedi vidētur ratione profeſſionis, ex eo videlicet, quod Regulares ſunt, ergò ceſſante Regularitate ceſſat priuilegium eius intuitu conceſſum. Secundo, quia priuilegia Abbati ſæculari conceſſa ad Commendatarium non extēduntur, Salas *ſect. 8. num. 18.* Roderic. *qq. Regular. tom. 3. q. 51. art. 9.* vbi in fine ſubdit, nec priuilegijs eiuſdem Religionis gaudere poſſe, Tamburinus *dict. diſp. 16. q. 4. num. 1. & 3.* qui alios quamplurimos citat, & ratio eſt, quia priuilegium, etiam ob rationis ſimilitudinem de vna ad aliā perſonā extendi nō debet c. *Sanè de priuil. c. vlt. de præb. Clement. 1. de cenſi. c. Priuilegium de Regul. iuris lib. 6.* & Doctores communiter, & ratione potiſſimum, quia Commendatarij non ſunt Religioſi, nec regulam Monachalem profitentur, ergo ſic à pari. Tertio, quia Religioſus effectus Epiſcopus Religionis priuilegijs priuatur ceſſante quippe cauſa, quę eſt Religio effectus, qui ſunt priuilegia ceſſare debent. Ita Peregrin. *ad noſtras conſtitut. part. 3.* Portel. verb. *Epiſcopus*, Roderic. *quæſt. Regul. tom. 2. quæſt. 58. ar. 4.* vbi

vbi refert priuilegium Sixti IV. Ordinis Minorum, & Prædicatorum conceſſum, quo Epiſcopis alijſque ex præfatis Religioſis inhibetur vſus priuilegiorum dictarum Religionū, quod etiam priuilegium per extenſum refert Laurentius de Peirinis *in priuil. Minimor. tom. 1. conſt. 4. Sixti IV.*

2 Pars autem affirmans ſuaderi poteſt, Primo, quia per mutationem ſtatus non amittitur priuilegium, quod eſt compatibile cum ſtatu nouiter aſſumpto, Cokier *de iuriſdiction. in exemptos tom. 2. part. 2. quæſt. 6. num. 9.* Seraphino Rotæ Rom. *deciſ. 1444. n. [illegible]* intelligitur enim trāslatio facta rebus ſic ſtantibus. Secundo, quia non eſt tanta vis, & poteſtas translationis, vt rei & translati loci priuilegia adimat, ſed rem, & locum in eadem conditione relinquit; Ita per *leg. 2. ff. de priuilegijs credit. leg. Tempus de Iudic.* per Felin. *c. quia iudicandæ ſub fine de præſcription.* Tertio, quia penſio conceſſa ſuper collegiata ſi ea poſtea in Cathedralē erigatur nō extinguitur, Rot. Rom. coram Seraph. *deciſ. 1444. n. 9.* ergo ſic in caſu noſtro priuilegia, &c. Valet enim argumentum à re ad perſonam, prout alijs quamplurimis recenſitis tradit Barboſa *argument. loco à re.* Quarto probatur ex regula illa, qui ſentit onus, ſentire debet & commodum, deſumpta ex *leg. 1. ff. de Inſtit. Action.* & ex innumeris Doctoribus. Vide Barboſam *Axioma iur. 169. num. [illegible]* & Cardinalem Tuſcum *pract. concluſ. tom. 5. litt. O, conſ. 144.* ſed talis Religioſus tenetur ad onera Religionis, etiam dum eſt translatus, &c. ergo eius etiam priuilegijs debet gaudere: minor probatur auctoritate
3 D. Thomæ 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. vbi ſecundum Caietanum tria religionis onera, ſeu obligationes diſtinguit, quædam ſunt, quæ Pontificale officium non impediunt, ſed magis valent ad perfectionis cuſtodiam, cuiuſmodi ſunt caſtitas, paupertas, & alia huiuſmodi, & per conſequens obligatio portandi habitum. Quædam ſunt, quæ officio Pontificali repugnāt, cuiuſmodi ſunt ſolitudo ſilentium, & ſimilia. Quædam alia ſunt neutra, vt dicit Caietanus, quæ modo impediunt, & modo etiam non impediunt cuiuſmodi ſunt carnium abſtinentia, & ſimilia, ad prioris generis obſeruantias obligatur adhuc Regularis factus Epiſcopus, ad ſecundi nequaquam, ad tertij ex parte non, & ex parte ſic. Cum ergo hæc onera ſentiat hic Regularis translatus ad Epiſcopatum, etiam commoda Religionis debet ſentire. Idem hic in caſu noſtro de Regulari translato beneficio ſæculari. Quinto, quia in cap. *de Monachis 16. quæſt. 1.* ſtatuitur, quod ſi poſtea ad Clericatus Ordinem peruenerint non debeant à priori propoſito diſcedere, vbi Gloſſ. verb. *diſcedere*, quantum ad ea, inquit, quæ ſunt de ſubſtantia Monachatus, vt de habitu ſeruando, & continentia & de non habendo propria in his enim non abſoluitur, licet tranſeat ad Eccleſiam ſæcularem, ſicuti abſoluitur à ieiunio, vigilijs, & ſilentio, ex quibus elicitur, quod ſi dictus Religioſus non abſoluitur ab obſeruantijs Regularibus, nec etiam priuandus erit Religionis priuilegijs. Sexto demum, quia Eccleſia Regularis ad ſæcularem ſtatum redacta non amittit exemptiones, & priuilegia ſibi antea conceſſa, niſi expreſsè ſint ſublata,

quo fit, vt Abbatia Regularis exempta effecta ſæcularis remaneat exempta, vt multis probat, Aſcanius Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1 *diſput.* 15. *q.* 11. *à num.* 4. & Eraſm. à Cokier *de iuriſdiction. in exemptos tom.* 1. *lib.* 3. *quæſt.* 24. & facit text. in *Clem.* 1. *de ſupplend. negligen. Prælator.* vbi Epiſcopus ſubrogatus in locum Canonicorum ad eligendum Abbatem intelligitur ſubrogatus in eumdem modum & formam, quibus Monachi eligere debebant, Tamburin. *ibidem numer.* 9. poſt Felyn. in cap. *Cum acceſſiſſent col.* 6. *de conſt.* ergo, & præfatus Regularis, ſæcularis effectus priuilegia ſuæ Religionis non amittet à loco enim à re, & loco ad perſonam, vt diximus validum eſt argumentum, ob has rationes huic parti adhæreo, & ſic ad argumenta in contrarium reſpondendum eſt.

4 Ad primum reſpondeo, priuilegia de quibus nobis eſt ſermo non ſunt priuilegia, quæ conceduntur Regularibus ratione dignitatis, (hæc enim finita dignitate abſque dubio ceſſant) ſed ſunt, quæ conceduntur Regularibus, vt Regulares ſunt, & fauore regularitatis, regularitas autem non eſt dignitas, ſicut nec Clericatus, dignitas quippè Eccleſiaſtica ſecundum Petrum de Ancharan. *in Clement. ſi dignitatem de præbend.* quem ſequuntur multi alij, eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione etiam in modicis cauſis. Igitur habere dignitatem eſt habere iuriſdictionem in foro contentioſo, quam certè non habent Regulares, aut Clerici ratione regularitatis, aut Clericatus præcisè quo fit, vt Regularis ille non debeat amittere priuilegia, niſi quatenus ſtatui nouiter aſſumpto ſint pugnantia, ſicuti Regularis eſſe non deſinit.

Ad ſecundum eſſe diuerſam rationem de Abbate titulari, atque de Commendatario hic enim, vt bene probat argumentum, numquam fuit Monachus, neque Regularis, ac proinde priuilegijs Regularibus conceſſis gaudere non debet, hic autem Sacerdos, & eſt, & fuit Regularis. Præterea non improbabiliter dici poſſet, etiam Commendatarium perpetuum gaudere priuilegijs, quibus gaudebat Abbas titularis, cui ſubrogatus eſt, tum quia ſubrogatum ſapit naturam ſubrogantis, tum quia priuilegia conceſſa ratione dignitatis perpetua ſunt, & ſic per mutationem perſonæ non ſunt ablata. Tum quia demum, vt diximus per mutationem ſtatus non amittitur priuilegium, quod eſt compatibile cum illo ſtatu.

Ad tertium priuilegia ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt quæ pugnant cum ſtatu nouiter aſſumpto, & eorum vſus redundat in grauamen Religionis quædam, quę non pugnant, nec eorum vſus ſit grauis eidem Religioni pugnantia ſunt ea, de quibus in priuilegio Sixti IV. quod referunt Emanuel Roderic. *in Collect. priuileg. Bulla Sixti IV.* 20. & Peirinus *in priuileg. Ordin. Minim. Bulla* 4. *Sixti IV. numer.* 10. & de his priuilegijs nos non loquimur, ſunt enim cum grauamine Religionis; vnde conſenſus Prælatorum Religionis requiritur, ſed loquimur de non pugnantibus, & de gratijs à Summis Pontificibus varijs temporibus Religioſorum Ordinibus

nibus

nibus conceſſis in quibus nullum eſt grauamen Religionis.

An Abbas Regularis dimiſſa Abbatia ſæculari ſubdatur Epiſcopo vel Prælatis ſuę Religionis.

Dub. CCCLXXXX.

SVMMARIVM.

1 *Subdi Epiſcopo talem Abbatem ſunt qui doceant.*
2 *Contrarium tamen tenendum eſt.*
3 *Fundamentis in contrarium reſpondetur.*

1 SVbdi Epiſcopo talem Abbatem, qui vel depoſitus fuit, vel renunciauit Abbatiam ſæcularem, quam habebat docent Ioannes Andreas in Cap. *Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachor.* Ioannes de Lignano *in Clement. cap. ne in agro*, & rationes ſunt, quia non habet dictus Abbas ius iam amplius in Monaſterium, quod habent alij Regulares, & Monachi, quibus obligatur Monaſterium vt filijs, reſpectum autem Abbatum iam non obligatur vt filijs. Ius ergò prius, quod habebat iam extinguitur, nec poteſt reuiuiſcere niſi ea de nouo ponantur, per quæ poſſit iterum reuiuiſcere Caput *Quaeris de Conſecration. Diſtinction.* 4.

2 Contrarium tamen docent, ſubdi ſcilicet talem Abbatem ſuo Monaſterio, & Prælatis ſuæ Religionis, Panormitan. Hoſtienſis, Felinus, Brixienſis, Graffius quos omnes refert, & ſequitur Paſqualigus noſter in *ſuis doctis deciſionibus. Deciſ.* 37. & mouentur, quia talis Abbas non eximitur a iuriſdictione monaſterij, & ſuæ religionis niſi intuitu adminiſtrationis Abbatiæ, non autem deſinit eſſe Regularis. Vnde nec plenè extrahitur a iure Monaſterij.

3 Nec obſtat fundamentum oppoſitum a contraria ſententia nam reſpõdetur. Quando Monachus fit, Abbas tunc non ammittit ius Monachi reſpectu Monaſterij, ſed ſuperuenit aliud nobilius ius, nempe Patris, quod ex eo patet, quia cum remaneant vota quæ ſunt fundamentum iuris, quod habet vt filius reſpectu Monaſterij, remanet etiam ius in ipſis fundatum licet enim ſuperior fiat nõ tamen ſoluitur à voto obedientiæ, ſed per accidens eſt, quod non obediat, quia videlicet ſuperior eſt. Sic illi qui ſunt ad tempus ſuperiores, nõ obediunt per accidens. Vide omnino Paſqualigum qui per aliquas deciſiones materiam hanc de Abbate Regulari ad Abbatiam ſecularem inſtituto tractat doctè ſane ſuo more; & proportionaliter, idem] dicendum ſcias de Regulari Parrocho Parrochiæ ſæcularis cum diſpenſatione, & cæt. amoto a Parrochia.

An

An Regulares de iure communi ſint exempti a iuriſdictione Epiſcopi.
Dub. CCCLXXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Competit hæc exemptio Regularibus de iure communi.*
2 *Diſtinctio, quam dat Sanchez.*
3 *Non ſolum quo ad legem Diæceſanam, ſed etiam quod ad legem iuriſdictionis Regulares ſunt exempti ab Epiſcopo.*
4 *Hæc priuilegia exemptionis variantur ſæpiſſimè.*
5 *Quando nam incæpit hæc exemptio.*

1 SVppoſita exemptione Regulariũ a iuriſdictione Epiſcopi ſtatim occurrit quærere qualiter eis conueniat talis exemptio; in quo nõ omnes Doctores conueniunt.

Bordonus, *de exemptione, & ſubiecti in ſuis Conſil. Regular. reſol.* 7. affirmat abſolutè, iam competere Regularibus talem exemptionem de iure communi; nam hæc conuenit Regularibus per multa priuilegia: quæ inſerta ſunt in corpore iuris, citat pro hac ſententia multos doctores Barboſam, Rodericum, & alios, adducit etiam textus Caput & *Nimis iniqua*, & *nimis praua de Exceſſib. Prælator.*

2 Thomas Sanchez, *lib. 6. Concil. cap. 9. Dub.* 1. quem ſequitur Lezana, *in Summ.* Verb. *Exemptio Regularium*, procedit cum diſtinctione, & dicit Regulares eſſe exemptos de iure cõmuni a lege diæceſana Epiſcopi, non verò a lege iuriſdictionis.

3 Ego cum Bordono puto de iure communi Epiſcopos nullam habere iam poteſtatem in Regulares non ſolum quo ad leges Diæceſanas; ſed etiam quo ad legem iuriſdictionis. Fundamentum eſt, & caput illud *nimis iniqua de exceſſibus Prælator.* & caput, *nimis praua*: in multis enim ibi videmus exemptos Regulares, quæ pertinent ad legem iuriſdictionis, & patet ex verbis talium canonum, inter alia habe hęc: *Volunt namque contra regulam a Sede Apoſtolica approbatã & ſui ordinis inſtituta ipſis inuitis eorum confeſſiones audire, & eis iniungere pænitentias, & Euchariſtiam exhibere, nec volunt quod corpus Chriſti in eorum oratorijs reſeruetur*, & poſt pauca: *Volunt quoque in domibus eorum certum numerũ Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, nec non cereorum, lampadarũ, & ornamentorum pro voluntate ſua taxare, nec permittunt quod noui Sacerdotes eorum, alibi quam in Eccleſijs ſuis celebrent primas Miſſas, Quapropter mandamus quatenus vniuerſi, & ſinguli prænotatis grauaminibus deſiſtãtes ſubditos veſtros ab huiuſmodi arctius compeſcendo.* Eccè quomodo etiam a lege iuriſdictionis ſint exempti Regulares de iure etiam communi.

4 Sed quia hæc exemptio, cum ortũ habuerit a priuilegijs, & priuilegia varientur ſæpiſſimè ob voluntatem concedentis, vel ob abuſus priuilegiatorum; Hinc eſt, quod in dies de medio tollantur, aut ſaltem reſtringantur talia priuilegia. Vnde iam in indiuiduo coguntur quærere Doctores an in tali, & tali caſu Regulares ſubdantur Epiſcopo, vel ab eius iuriſdictione eximantur.

5 Quod ſi quęras quando nam incepit

pit hæc exemptio Regularium ante illam enim ſubdebantur Epiſcopis, & Ordinarij locorum aſſerit Rodriquez incæpiſſe à tempore Gregorij primi Summi Pontificis, *tom. 2. quæſt. 2. art. 6.* nam tunc electio Prælatorum, & Abbatum a Monaſterio fieri incæpit. Deinde proceſſu temporis plenius ſunt exempti, & ob multa grauamina, quę Regularibus fiebant ab Ordinarijs, quę ſi videre, & ſcire cupis qualia eſſent, Vide Laurettum de Frachis *in ſuis controuerſijs, inter Epiſcop. & Regular.* Valerus in differentijs *verb. Regularis different. 6.* dicit ſemper fuiſſe Regulares, etiam ante priuilegia exēptionis illis conceſſa Summis Pontificibus, ſubiectos ſuis Pręlatis, & ſuperioribus, nō autē Epiſcopis, & hoc priuatiuè, licet per viam appellationis, & querelæ in certis caſibus poterant ad eos recurrere ſicut faciunt ſubditi Epiſcoporum, quantum ad Archiepiſcopum, & hoc probat innumeris relatis doctoribus vide illum, & non pigebit.

An Epiſcopi conſenſus requiratur, vt Religioſi decimas recipere poſſint de manu laicorum.

Dub. CCCLXXXXII.

S V M M A R I V M.

1 *Affirmatiuè reſpondent ferè communiter Doctores.*

2 *Verba cap.* Cum & Plantare *adducuntur.*

3 *Dum laicus habet decimas in feudum, & vult illas Eccleſiæ reſtituere quid dicendum, an requiratur conſenſus Epiſcopi.*

1 AFfirmatiuè reſpondent Doctores communiter Venerus Leyua *in ſuo examine lib. 11. cap. 14. nu. 38.* Ancharan. *nu. 2.* In caput *cum ex plantare* Butr. *num. 5.* Zabarella *in princip. hic* Rebuffus *de decimis quæſt. 10. n. 31.* Menoch. *Illuſt. cap. 89. à nu 2.* Gutier. *pract. libr. 1. cap. 14. cum ſequent.* Barboſa *in leg. Titia num. 45 ff. ſoluto matrimonio,* Fachin. *Controuerſ. libr. 7. cap. 72.* Azorius *inſtitut. Moral. part. 1. libr. 7. cap. 36. quæſt. 13.* & Suarez *de decimis tom. 1. de Religione cap. 26. lib. 1. à nu. 7.* textus caput ſcilicet *cum, & plantare* ſic habet. *Eccleſias igitur, & decimas de manu Laicorum ſine conſenſu Epiſcoporum tam illos, quam etiam quoſcumque alios Religioſos recipere prohibemus, dimiſſis quibuſcumque, quas contra tenorem iſtum aliquo tempore receperunt.* Hęc textus, quæ ne confuſionem pariam legenti ſciendum eſt, non eſſe quæſtionem, an Religioſi, qui ob feuda aliqua, quæ ab antiquo tempore habent, & ab Eccleſia ipſa decimas percipiunt, poſſint illas percipere à colonis, & Vaſſallis, &c. nam de hoc nullum eſt dubium, ſed difficultas eſt; an Laicus, qui feudum Eccleſiaſticum habet cum decimis poſſit illas alicui 2 Religioſo loco concedere, & dare transferendo ius, quod ipſe habeat ſine conſenſu Epiſcopi, hoc ergò poſito.

3 Reſpondet Suarez, Vel laicus, qui habet decimas in feudum vult illas reſtituere illi Eccleſiæ cuius eſt Vaſſallus, & à qua habuit, & tunc non eſt neceſſarius conſenſus Epiſcopi, quia tunc nihil ſubtrahitur velli Eccleſiæ

ſiæ, ſed acquiritur, vel alteri Eccleſiæ, & tunc requiritur talis cõſenſus, quia tunc fit alienatio de vna Eccleſia ad aliam, ideo merito conſenſus Prælati poſtulatur. Inſuper, vel iuſtè laicus ille detinet, & poſſidet illas decimas, &c. vel iniuſtè, ſi primum omnes cõſentiunt valere conſenſum, & licentiam Epiſcopi, vt ceſſio illa facta religioſo loco ſit valida. Si ſecundum, docent plures ad nihil valere conſenſum Epiſcopi; nam iniuriam facit priori Eccleſiæ à qua habuit, & ſit ſuperfluus eſt conſenſus Epiſcopi. Sed docet etiam in tali caſu conſenſum Epiſcopi validare talem ceſſionem. Suarez *loco ſupra num.* 11. nam ex cap. *cum Apoſtolica* quæſtio propoſita erat de decimis detentis à laicis; dicuntur autem detineri, quæ iuſtè non poſſidentur, alia etiam congerit, ex quibus concludit, dum laicus poſſidet iniuſtè has decimas, &c. poſſe illas concedere alicui Religioſo loco cum conſenſu Epiſcopi, quem conſenſum etiã ſi haberet non poſſet cũ laico valide illas concedere, ſicut poſſet cum iuſte illas poſſideret. Vide Suarez, nam hic tantum attigiſſe difficultatem ſufficiat ad complementum inſtitutæ materiæ.

An Epiſcopus poſſit dare Regulares tutores miſerabilibus perſonis.

Dub. CCCLXXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Quæ ſuadeant affirmatiuam ſententiam.*

2 *Negatiuè tamen eſt reſpondendum.*

3 *Reſpondetur obiectionibus in contrarium, & rationi dubitandi.*

4 *Si deeſſent, qui tutores eſſe poſſent, tunc fortè poſſent ab Epiſcopo exempti ad hoc deſtinari.*

1 Videtur prima facie, quod ſic. Primo ex cap. *Peruenit ad Sanctam Synodum diſt.* 86. vbi habetur. *Niſi fortè, qui legibus ad minorum ætatum tutelas, ſiue curationes inexcuſabiles attrahuntur, aut cui ciuitatis ipſius Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum commiſerit gubernacula, vel orphanorum, vel viduarum quæ indefenſæ ſunt &c.* Ergo videtur poſſe Epiſcopum tutelas miſerabilium Regularibus demandare, videtur etiam fauere cap. *licet diſt.* 86. Sed hoc non obſtante.

2 Negatiuè eſt reſpondendum reſpectu Regularium exemptorum, & ita reſpondet Cokier *par.* 1. *de Iuriſdictione Ordinarij in exemptos quæſt.* 16. qui refert etiam pro hac parte Fumum verò, *Tutela numer.* 2. Angelum *eodem verbo in Summa*, Matthæum Caſtritium *in annotationib. titulo de Tutore in quæſtionibus num.* 16. *fol.* 405. faciunt pro hac ſententia caput *licet, diſtinct.* 87. *cap. Cyprianus* 21. *q.* 3. & alij plures textus in quibus omninò videtur prohiberi hæc tutela Religioſis viris, & etiam clericis.

3 Ad rationem dubitandi reſpondendum textum loqui de ſubditis Epiſcopi ciuitatis non verò de exemptis, vnde habet Cokier *Reſtringendum tamen iſtud eſt in miſerabilibus perſonis laicis eis enim Epiſcopus indiſtinctè tutores dare poteſt, verumtamen non alios; quam ſuæ iuriſdictioni ſubiectos.*

4 Sed aduerte, intelligendam eſſe poſitam doctrinam, dum alij, quam exempti

exempti reperiuntur, qui poſſint eſſe tutores, nam ſi deeſſent, etiam exemptos poterit Epiſcopus nominare ad tutelam. Ita idem Cokier *loco ſupra num.* 19. qui affert ad hoc legem *Diuus ff. de tutoribus, & curatoribus.*

An Monaſteria Regularium exempta teneantur ſoluere Epiſcopo charitatiuum ſubſidium.
Dub. CCCLXXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Quid ſit charitatiuum ſubſidium remiſſiuè tamen.*
2 *Negatiuè reſpondetur.*
3 *Non obſtant in contrarium adducta.*
4 *Quid in hoc dicendum de Monialibus.*
5 *An Regulares, qui habent populum non exemptum teneantur hoc caritatiuum ſubſidium ſoluere.*

1 QVid ſit charitatiuum ſubſidium, & quibus in caſibus adſit obligatio illud ſoluendi, vide ſi ſcire cupis Tamburinum *de iure Abbatum tom.* 3. *diſp.* 10. *à quæſito primo vſque ad Quartum* hic enim ipſe nolo digreſſionem facere.

2 Dico ergo reſpondens dubio poſito. Regulares non tenentur tale charitatiuum ſubſidium ſoluere Epiſcopo. Ita idem Tamburinus *loco ſupra quæſit.* 4. & ex Antiquis Ioannes Andreas Butr. Imol. in cap. *Dilectus de Officio Ordinarij*, Innocent. *in cap.* 1. *de ſtatu Monachor.* Hoſtienſis *in Summ. tit. de cenſuris*, §. *ex quibus cauſis verſ. Item Epiſcopus exigit*, ſunt multa priuilegia Pontificum, quæ eximunt à tali ſolutione Regulares, ſic teſte Rodriquez *tom.* 2. *q.* 66. *art.* 1. Gregorius XI. exemit Ordinem Sancti Hieronymi in Hiſpania, ſic etiam Eugenius IV. idem conceſſit Priori, & Fratribus Beatæ Mariȩ de Suadalupe. Idem indulſerunt Leo X. Clemens VII. Paulus III. Pius IV, & Pius V. Monaſterio, & Conuentui Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani. Vide Tamburinum omnino; ſi plura ad hoc vis priuilegia, adducit etiam aliquas ampliationes, & limitationes.

3 Nec obſtat in contrarium *Clement.* 1. §. *nonnulli* cum Gloſſ. *in verſ. exigendo*, vbi Abbas *num.* 11. *de exceſſibus Prælator.* Hoſtienſis *in Summ. de Officio* §. 2. *verſ. nūquid Epiſcopus* Alexander de Neuo *conſ.* 18. videntur affirmare charitatiuū ſubſidium exigi poſſe ab exemptis, & à Monaſterijs tam virorum, quam mulierū, dummodo modus non excedatur, &c. Nam reſpondetur, quo ad Regulares viros ob priuilegia iam exemptos eſſe.

4 Quo ad Moniales verò, vel eſt ſermo ſi loquamur de exemptis, quæ gaudent priuilegijs ſuarum Religionum, non tenentur, ſicut viri Regulares exempti; ſi vero ſit ſermo de Monialibus non exemptis, dicendum eſt Moniales nō habentes redditus vltra ſummam 14. ducatorum auri de Camera pro victu cuiuslibet Monialis, & vltra non habentes alios redditus, non teneri ad huiuſmodi ſubſidia, neque ad decimas Papales, prout decreuit *Pius IV. in ſua Conſtit.* 5. quæ conſtitutio ſolet practicari. Hæc omnia Tamburinus *loco ſupra*. Contrarium docet Laurettus de Franchis *quæſt.* 71. *pag.* 394.

5 Sed ſtringi magis poteſt difficultas, an Regulares, qui populum habent

non

non exemptum debeant charitatiuum ſubſidium Epiſcopo ſoluere.

Affirmatiuè reſpondent Barboſa *de Iure Eccleſiaſtico lib.3. cap.21. n.54.* & Cokier *par.4. q.9. num.2.*

Sed diſtinguit Tamburinus *diſput. 10. tom.3. de Iure Abbatum limitatur 6.* ſic dicens. Vel Eccleſiæ illæ, quæ habent populum nō exemptum ſunt vnitæ Monaſterijs, vel non; ſi ſunt vnitæ Monaſterijs iam non tenentur ſoluere dictum ſubſidium, ſecus ſi non ſint vnitæ, at notat idem Doctor iam modo ferè eſſe ſemper vnitas dictas Eccleſias Monaſterijs, cum ſint de menſa Prælatorum, & ſic non teneri ad talem ſolutionem ſubſidij charitatiui.

An in caſibus, in quibus Epiſcopus habet delegatam poteſtatem in Regulares, etiam poſſit ſe ingerere Legatus, vel Nuncius Papę.
Dub. CCCXCV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondent multi graues Doctores.*

2 *Commiſſio inſpici, & conſiderari debet.*

3 *Quæritur, an Regulares eximantur à iuriſdictione Legatorum, & ſimilium.*

4 *Eximuntur Regulares à tali iuriſdictione per Rotam Roman.*

1 Mouet dubium vniuerſaliter loquens de exemptis Cokier *part.2. de iuriſdictione Ordinarij in exemptos part.2. qu.2. nu.18.* & adducit pro vtraque parte ſententiam, & Doctores.

Negatiuam partē ſequuntur Lappus Cardinalis Ioannes de Selua, & alij apud dictum Cokier mouentur ex cap. *Studuiſti de Officio Legati*, vbi dicitur, quod Ordinarius in cauſa ſibi ſpicialiter commiſſa maior ſit Legato, & ſic patet Legatum ſe in talibus cauſis immiſcere non poſſe.

Pro affirmatiua autem parte ſunt ſpecul. *De legato* §. *tunc oſtendendum num.54.* Abbas *cap.1. num.3. de Officio legati* Ancharan. *conſil.131. cap.2. de Officio legati*, vbi plures alij Doctores, loquitur tamen hæc ſententia in caſibus, in quibus Ordinarius eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, cuiuſmodi eſt in multis, & ferè in omnibus caſibus, in quibus poteſtatem habet in Regulares, & ſic dicunt Doctores huius ſententiæ non obſtare caput *ſtuduiſti* adductum ab aduerſarijs, quia illud non procedit in Ordinario, ſeu delegato ad vniuerſitatem cauſarum.

2 Sed ad ſoluendam difficultatem inſpici debet reſcriptum mandatum, ſeu commiſſio, & facultas legati, vt notant Boerius *de poteſtate Legati à latere numer.28.* Cokier ipſe *loco citato* alijque plures.

Si vis autem videre caſus in quibus habet Epiſcopus, & Ordinarius poteſtatem delegatam in Regulares; licet totus hic noſter tractatus agat de talibus caſibus; vide tamen Cokier *de iuriſdictione in exemptos part.2. tom.1. quæſt.45. per totam*, vbi multos congerit, omnes habes tamen in hoc tractatu.

3 Hinc colliges ſolutionem etiam illius quæſtionis adeo celebris, an Regulares eximantur à iuriſdictione

etiam

etiam Legatorum Summi Pontificis, ſicut eximuntur à iuriſdictione Epiſcopi, plures ad hoc adducit ſententias Sanchez *in Opuſcul. lib. 6. cap. 9. numer. 16. & per alios ſequentes dub* 1. Aliqui dicunt eximi à iuriſdictione Nuncij, & Legati. Ita Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num.* 5. qui teſte Sanchez *loco ſupra* multos refert. Fundamentum eſt, quia Nuncius eſt Ordinarius.

Alij è contra negant eximi Regulares à iuriſdictione Legati Papæ. Ita Rom. Baldus, Socin. Mandoſius, omnes apud dictum Sanchez.

Alij abſolutè docent eximi à iuriſdictione omnium Legatorum, ſiue legati à latere ſint, ſiue legati miſſi, vel Nuncij ſiue Legati nati, & probant ex priuilegio conceſſo ſocietati Ieſu, in quo teſte Sanchez eximuntur Religioſi dicti Ordinis à iuriſdictione omnium ordinariorum. Omnes autem legati ſunt Ordinarij, ergo. Item ex priuilegio conceſſo à Sixto IV. Minoribus, per quod eximuntur à quocumque Ordinario, fauent Tabiena verb. *exemptus* initio. Roſella *numer. 6.* & Ioannes *c. quod tranſlationem de Officio legat.* Ancharan. *cap. 2. de verbor. ſignificat. in 6. notab* 3. Alij dicunt, & ita Sanchez diſtinguunt dicentes legatos à latere habere iuriſdictionem in Regulares exemptos, alios vero nequaquam, quoad primam partem probant ex cap. *Si Abbatem de elect. in 6.* quo ad ſecundam vero partem probant, quia tantum ſunt Ordinarij cæteri legati, & ſic ſicut eximuntur Regulares à iuriſdictione Ordinarij, ſic etiam à iuriſdictione aliorum legatorum, qui Ordinarij dicuntur. Vnde ſi procedas cum hac ſententia. Nuncios non habere iuriſdictionem in caſibus, in quibus Epiſcopi ſunt delegati, dicendum eſt. Sed litteræ, & commiſſio Nuntij videnda eſt. ordinariè autem, & regulariter loquendo. Nuncij, & alij Legati Apoſtolici non habent iuriſdictionem in Regulares, vt tradit Rota Romana *Venetiarum, ſeu Nullius decimarum in Deciſ. Coccini deciſ.* 83. Regulares enim per priuilegium Eugen. IV. ſunt exempti ab omni iuriſdictione Legatorum Apoſtolicorum, & Nunciorũ, & immediatè ſunt Sedi Apoſtolicæ ſubiecti, & hæc priuilegia ſæpius canonizata fuerunt ab eadem Rota, vt in cauſa *Burgenſi Iuriſdictionis 20. Decembris* 1596. coram Orano, & in cauſa *Piſcienſi, ſeu nullius 7. Martij* 1582. *coram Gyptio*. Contrarium tamen docet, & præcipuè loquens de Nuncio Venetiarum Triuiſanus *lib. 1. deciſ. deciſ. 36. num. 4.* & hoc teſtatur eſſe in vim facultatis, & antiquiſſimæ conſuetudinis.

An Capitulum Sede Vacante poſſit in Regulares quidquid poterat Epiſcopus. Dub. CCCXCVI.

SVMMARIVM.

1 *Eſt Regula vniuerſalis poſſe Capitulum Sede vacante, quidquid poterat Epiſcopus iure Ordinario.*

2 *An Epiſcopus dum procedit in Regulares procedat iure Ordinario, vel delegato.*

3 *Semper Epiſcopus habet ius delegatũ, dum procedit in Regulares.*

4 *Non poteſt Capitulum Sede vacante pu-*

punire Regulares concionantes ſine ſui licentia, ſtando in ſententia, quod Epiſcopus ſit delegatus, &c.

5 *Nec poteſt Capitulum Sede vacante ſuſpendere Regularem à concionibus.*

6 *Obiectioni, quæ moueri poſſet ſatisfit.*

7 *Iuriſdictio approbandi ad confeſſiones competit Epiſcopo iure Ordinario.*

8 *Vicarius Sede vacante non poteſt viſitare Monaſteria Monialium exemptarum.*

9 *Authori diſtinctio quædam placet circa hanc materiam.*

1 Regula generaliter eſt poſſe capitulum Sede vacante quidquid poterat Epiſcopus iure Ordinario, & hoc quoad poteſtatem iuriſdictionis, non autem poſſe, ea quæ poterat Epiſcopus poteſtate delegata, & hoc colligitur ex cap. *Paſtoralis*, §. *Præterea de Officio Ordinarij*, Ita Azeuedus *ad Curiam Piſanam lib.* 1. *cap.*8. *nu.*12. Sbroz. de officio *Vicarij libr.*1. *qu.*16. *num.*1. Quarant. *verb. capitulum Sede vacante* Tuſchus *tom.*1 *litter.C, concluſ.* 56. *ſub num.*5. Molina *de iuſtitia, & iure tom.*6 *trac.*5. *diſp.*11 *ſub nu.*8. Filliucius *qq. Moralium tom.*3 *trac.*41. *cap.*2. *numer.*4. & alij apud Barboſam *de iure Eccleſiaſtico libr.*1. *de capitulo cap.*32. *numer.*104.

Sed cum dubium ſit, an Epiſcopus, dum habet iuriſdictionem in Regulares, & procedit in ipſos hoc faciat, vel iure ordinario, vel tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus. Hinc eſt, quod ſolutio poſiti dubij dependeat ab hoc ſcilicet, an Epiſcopus in Regulares habeat iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, in caſibus, in quibus habet iuriſdictionem.

Martinus Andres *in ſuis deciſionibus deciſ.*454. *num* 9. dicit Epiſcopum ex vi Concilij Tridentini, dum procedit in Regulares, ſemper procedere, vt delegatum, & ita fuiſſe deciſum per Rotam Romanam teſtatur *in Adrienſi ſiue nullius iuriſdictionis* 28. *Martij* 1612, & die 18. *Martij* 1613. coram Vbaldo, quas deciſiones non potui inuenire *in Selectis*, & ſic iuxta hanc doctrinam capitulum Sede vacante in Regulares nihil fere poterit cum Epiſcopus ſit ſemper ferè in caufis Regularium delegatus illo modo.

Sed dubitare hic poteris, an dum concilia, & præſertim vltimum Tridentinum dant facultatem Epiſcopis procedendi in Regulares, & non exprimatur, an hæc facultas detur, vt delegatis, aut non tunc habeant Epiſcopi ius ordinarium, vel delegatum. 3

Reſpondeo ſemper Epiſcopos habere ius delegatum, dum poſſunt procedere in Regulares, ſiue hoc exprimatur, ſiue non. Ita Bordonus *de reclamatione quæres* 18. & ratio eſt, quia clauſula, quæ tacitè ineſt ſemper eſt, ac ſi exprimeretur. Tum quia in Concilio hæc clauſula delegationis multis caſibus omittitur, & tamen certum eſt in illis eſſe delegatum, nō autem ordinarium ſic *cap.*1. *&* 2. *ſeſſ.*5. *cap.*15. *ſeſſ.*23. *ca.*1. *ſeſſ.*24. *cap.*4. 11. *&* 14. *ſeſſ.*25. in quibus omnibus locis ius habet Epiſcopus, quo ad examen, licentiam prædicandi, & facultatem eos corrigendi, & puniendi, & tamen certum eſt in huiuſmodi caſis non procedere iure ordinario, ſed delegato etiam ſi non exprimatur delegatio.

Inſuper tunc iudex dicitur delegatus

tus, cum alias ex officio ſuo ius non habet ſuper alium, ſed illud acquirit per facultatem ſibi conceſſam ratione cuius is, qui non erat ſubditus, ſed exemptus ſubditur in cauſa commiſſa, vt colligitur *de Officio Iudicis Delegati*. Sed Regulares, vt notum eſt, eximuntur ab Epiſcopis, & Ordinarijs reſpectu omnium cauſarum, ergo ſi aliquando ſubduntur eis ſubduntur, vt delegatis, non vt Ordinarijs, ex hac Doctrina multa colligi poſſunt vtilia, & practicabilia.

4 Primo, ſtando in ea ſententia eſſe Epiſcopum ſemper delegatum, dum procedit in Regulares non poſſe Vicarium Sede Vacante punire Regulares prædicantes in Eccleſijs ſine ſui licentia, & benedictione, quod valdè notandum eſt, & expreſsè docet Pater noſter de Bellis *in ſua alleg. Hiſpana* relatus à noſtro Diana *in 7. parte, tract.12. Miſcellan. reſolut. 26.* & verba huius Doctoris ſunt hæc. *Aunque dicha Bula de Gregorio XV. eſtuuieſſe reçebida en Eſpaña. Aunque no la huuieſſe reuocada Vrbano VIII. en fuerça della no pudò el Señor Vicario General deſcomulgar a Iuliano Regular ni tuuo Iuriſdiçion para hazello porque eſta auctoridad conçede la Bula ſolamente al Obiſpo como a Delegato dela Sede Apoſtolica, &c. Mas es aſſi, que el Vicario de Sede Vacante no ſuçede a la juriſdiçion delegada del Obiſpo ſino ala ſola Ordinaria luego no pudò tenella para deſcomulgar al dicho Iulian*. Ita Pater de Bellis, Hinc etiam ſtando in eadem ſententia.

5 Collige ſecundo, nec poſſe Vicarium Sede Vacante ſuſpendere, vel ordinare, ne aliquis Regularis amplius prædicet. Idem Pater de Bellis *in citata allegatione* relatus ſimiliter ab eodem Diana *loco ſupra reſolut.* 27. ob eamdem rationem ſupra in altero caſu adductam.

6 Quod ſi obijcias. Ordinarius, & Epiſcopus habet iuriſdictionem à iure, qua poteſt impedire Regularibus, ne ipſo contradicente prædicent ex cap. *Excommunica. de Hæreticis*. Ergo Capitulum Sede Vacante, & Vicarius ſuccedunt in hac iuriſdictione; & ſic poſſunt ordinare, & ſuſpendere Regulares ne prædicent.

Reſpondet Pater de Bellis caput illud loqui de Concionatoribus ſæcularibus, de quibus capite præcedenti erat ſermo, vt notat Gloſſa; Deinde etiam ſi concedamus textum citatum loqui de Regularibus; attamen poſtea Clemens Quintus in caput *Dudum de Sepulturis* illum reuocauit concedens Regularibus facultatem, vt poſſent liberè concionari cum ſola Prælatorum facultate, & idem confirmauit poſtea Concilium Lateranenſe Quintum. Vnde Epiſcopus modo ſolum habet facultatem, & auctoritatem in Regulares, quo ad Conciones ex virtute Concilij Tridentin. & Conſtitutionis *Inſcrutabili ſub Gregorio XV.* & ſic delegatus eſt in hoc. Vnde ruit argumentum.

7 Si obijc. ſecundo, Iuriſdictio, per quam Epiſcopus approbat ad Confeſſiones Regulares committitur à Concilio Tridẽtino Epiſcopis *ſeſſ. 23. cap. 23.* & hanc habet ſine difficultate Capitulum Sede Vacante, ergo etiam ſuccedit in eis, in quibus eſt Epi-

Qq ſcopus

ſcopus delegatus, & ſic etiam ſuccedet in iuriſdictione quo ad Conciones.

Reſpondet idem Doctor eſſe diſcrimen inter vnum caſum, & alium; Iuriſdictio enim approbandi Regulares ad Confeſſiones competit Epiſcopo iure Ordinario per *Clement. dudum* & ſic iuriſdictio, quæ ei committitur per Concilium non eſt delegata, ſed ordinaria: excitatur enim tunc eius iuriſdictio antiqua, hanc ergò iuriſdictionem habet capitulum Sede vacante, non autem aliam admittendi ad Conciones, quæ eſt delegata, ſed etiam Secundo reſponderi poteſt idem dicendum de Confeſſionibus, & probat id multis idem de Bellis. Vide omnino ipſum apud Dianam loco citato ſi potes, ibi enim Hiſpano ſermone dictam allegationem ſcriptam refert ferè totam ex qua nullam fere poteſtatem habere capitulū Sede vacante in Regulares colligitur ob eamdem rationem, & fundamentum.

8 Sic etiam nec Vicarius Sede Vacante poterit viſitare Monaſteria Monialium exemptarum, vt docet Stephanus Baunius *in Theologia Morali parte 1. tract. 11. quæſt. 24.* relatus à Diana 7. *parte tract. 12. Miſcell. reſolut.* 28. non ſolum ob fundamentum allatum, ſed etiam; quia Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in priuilegijs ei conceſſis quale priuilegium eſt viſitare Moniales exemptas, & ita fuiſſe deciſum à Sacra Rota teſtatur Diana *loco ſupra in Burgen. Iuris viſitandi die 1. Iulij 1595. coram Orano* fauet etiam Barboſa in Concil. Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 9. numer. 1.* qui citat pro hac ſententia Abbatem, & Felinum.

9 Hæc omnia colliguntur in illa ſententia, quæ docet in eis, quæ competunt iure delegato Epiſcopo, non ſuccedere Capitulum Sede Vacante, Sed mihi magis placet limitatio, quam ſuperius adduximus diſtinguēdo ſcilicet de delegatione facta muneri Epiſcopali vniuerſaliter, & de delegatione facta perſonæ particulari ſpecialiter ad aliquem caſum. Vnde procedendo iuxta hanc limitationem dicendum eſt ferè in omnibus poſſe Capitulum Sede Vacante, quod poterat Epiſcopus.

An quando committitur iuriſdictio Epiſcopo in Regulares per Tridentin. ſine illa clauſula *Tamquam Sedis Apoſtolicæ* delegatus ſimul ſit delegata, ordinaria iuriſdictio. Dub. CCCXCVII.

SVMMARIVM.

1 *Quando committitur iuriſdictio alicui in exemptos, ſi ille, cui committitur antea non habebat iuriſdictionem, eſt ſemper commiſſa iuriſdictio delegata.*

2 *Et hoc valet, etiam ſi non ponatur illa clauſula* tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus.

3 *Verba capitis* cum aliquibus de reſcriptis in 6. *referuntur.*

Con-

4 *Contrariam ſententiam ſuſtinent plures Doctores.*

5 *Quando in commiſſione ponitur particula* etiã *tunc vtraque auctoritate, & delegata, & Ordinaria poteſt Epiſcopus procedere.*

1 HAbe hic lector circa hoc, quod *in ſua allegatione Hiſpano ſermone conſcripta* docet Pater Auguſtinus de Bellis vir numquam ſatis laudatus ſic ait. *Aſſumpto primero entremos con preſupueſto, que ſiempre y quando Pontifices, y Concilios cometen al Ordinario, o à otras perſonas que vſen de iuriſdiçion con exemptos, ſi a quella miſma juriſdiçion, no la tenian antes de derecho comũ, o por coſtumbre ſe entiende ſer delegada no ordinaria porque ſi ſon exemptos luego no puede cõ ellos la ordinaria.* Gloſ. in cap. ad Abolendum de *Hæret. verb. delegatus.* Abbas in caput graue de Offic. Ordinarij *numer.* 5. Cokier *tom.* 1. *p.* 2. *q.* 11. *num.* 3. *y Felyn. apud Cokier loco citato de la raçon porque,* quotieſcumque per commiſſionem iuriſdictio Ordinarij alteratur, & augetur cenſetur fieri delegata.

2 *Y eſto no tan ſolamente quando la comiſſion và con eſtas clauſulas tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus auctoritate Apoſtolica, &c. pero tambien quando va ſin ellas ſimpliciter, & abſolutè* Anchar. *cap. hi, qui de Præbend. in* 6. Gloſs. *ibi Felynus in caput licet de Officio Ordinarij in principio el qual trae tambien a Imola y otros Bald. ff.* de ius, & iuſti Rota de Officio Vicarij 7. in nouiſſim. Suarez de Cenſuris *diſput.* 44. *ſec.* 3. *num.* 13. *y la raçon es clara porque aun ſin a quellas clauſulas dichas ſe altera y augmenta la juriſdiçion del Ordinario en la dicha comiſſion luego no es Ordinaria ſino delegada.*

3 *Sacaſe claramente del cap. cum aliquibus de reſcrip. in* 6. *adonde dize Bonifaçio Octauo.* Cum aliquibus recipiendi aliquem in Canonicum per noſtras litteras concedimus facultatem ſi Canonicorum receptio alias in Eccleſia non ſpectat ad eos quibus huiuſmodi litteræ diriguntur. Sed ex earum viribus ipſi recipiunt poteſtatem, qui recipitur auctoritate Apoſtolica dignoſcitur eſſe receptus. Si verò Canonicorum receptio alias pertinet ad eoſdem non Apoſtolica, ſed recipientium cenſetur auctoritate receptus. *Pregonto yo de que ſuerte de letras habla aqui el Pontifice? no de las que llieuan dichas clauſulas porque eſtas dicho eſtaua, que darian juriſdiçion delegada ſin neceſſidad que el Pontefice lo declarara luego habla de letras ſin clauſulas y de eſtas dize el Pontefice, que ſi los Canonigos no tenian juriſdiçion Ordinaria, que la recebian por ellas delegada.*

Haze al caſo vna declaraçion del Concilio ſeſſ. 24. *cap.* 6. *que hizò la Congregaçion ſe da juriſdiçion al Obiſpo paraque pueda diſpenſar a delictos ocultos reſerbados al Pontifice y la comiſſion va ſin clauſula ninguna diremos, que es Ordinaria? reſponde la Congregaçion ſer delegada y por conſiguiente no paſſar al capitula Sede Vacante. Suarez vbi ſupra, y Farinac. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *Concilij.* Hæc Pater de Bellis, quæ hic volui tranſcribere, nam dicta allegatio non adeo facilè erit tibi obuia. & ex his meo iudicio remanet ſoluta dubitatio, & doctè quidem.

4 Sed oppoſitum nouiſſimè docet Moronus in ſuis reſponſis *reſponſ.* 82.

nam quando in conceſſione iuriſdictionis non eſt appoſita clauſula tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, tunc vel talis iuriſdictio competebat prius illi cui de nouo datur, vel non; ſi competebat, & fuit impedita non poteſt dici alterari ex ſola obicis remotione, ſed dicendum eſt excitari, ſi autem non competebat, tunc ſi reliqua concurrant ad conſtituendam iuriſdictionem ordinariam iuriſdictio erit ordinaria, ſi ad delegatā erit iuriſdictio delegata. Quando autem muneri, & dignitati committitur iuriſdictio ſemper cenſetur ordinaria, non autem delegata iuxta *Gloſs. cap. vltimo de Officio Ordinarij* Sanchez *de Matrimonio lib. 2. diſput. 40. num. 14. & libr. 8. diſputat. 2. numer. 10.* Ita Moronus, qui inſuper addit aliud maximè notandum, ſcilicet quando in commiſſione ponitur particula *etiam* tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, tunc vtraque auctoritate, & Ordinaria, & delegata poteſt procedere Epiſcopus; talis enim eſt vis illius particulę *etiam*, vt vnum caſum includat, & alium exprimat. Gloſs. verb. *Eccleſiæ iuncto text. Clement. un. 1. de Hæretic. cum ſimilibus,* ſed primam etiam ſententiam probabilem puto, licet communior ſit hæc ſecunda.

An pro concedendis Monaſterijs Regularium pro vſu peſtilentum requiratur conſenſus Epiſcopi, & Cleri. Dub. CCCXCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*
2 *Rationibus in contrarium ſatisfit.*
3 *Priuilegiatus poteſt vti, & non vti priuilegio.*
4 *Nec requiritur in caſu poſito facultas Sedis Apoſtolicæ.*
5 *Prohibitio qua Regulares nequeunt deſerere Monaſteria ſine facultate Sedis Apoſtolicæ, eſt ſolum pro Mendicantibus.*

1 Reſpondeo non requiri, ſed ſufficit conſenſus Prælati Ordinis, vel capituli. Ita Marchinus *de Peſte cap. 3. part. 4. 2. propoſitione,* & Tamburinus *de iure Abbatum diſput. 15. q. 21. num. 7. verſ. 3. quando* probatur, quia Conuentus, & Monaſteria ab Ordinarij iuriſdictione exempta ſunt, ergò nec ad ipſum, neque ad Clerum ſpectat, ſed ad Prælatos Ordinis, & ad capitulum locale; de quorum intereſſe agitur.

2 Obij. caput *Aduerſus* de Immunitate Eccleſiarum, vbi conſenſus Epiſcopi requiritur ad faciendas collectas ex Eccleſiaſticis ob publicam neceſſitatem, ergò ſic etiam in caſu noſtro, in quo ob neceſſitatem publicam Monaſteria hęc in hoſpitalia ſunt vertenda, & commutanda.

Sed reſpondeo eſſe diuerſum caſum illum à noſtro, nam cap. *Aduerſus* agit de collectis faciendis de bonis Cle-

Clericorum ad ſubleuandas neceſſitates publicas, at in caſu noſtro agitur de concedendo vſu Monaſterij exempti à Poteſtate Epiſcopi. Vnde non videtur requiri conſenſus Epiſcopi. Inſuper etiam ſi eſſet ſermo de collectis faciendis de bonis Eccleſiaſticorum; attamen reſpectu Regularium ad nihil deſeruiret conſenſus Epiſcopi, ſed tunc Clerus Regularis ſeiūctus vocari deberet à Clero ſæculari, & ita ſe vidiſſe practicari teſtatur Marchinus *loco ſupra*, vel. Reſponde etiam, & dic nomine Epiſcopi venire etiam Prælatos Regulares habentes etiam quaſi Epiſcopalem dignitatem in ſuas Eccleſias, & ſubditos. Ita intelligunt multi Doctores caput *Liceat Epiſcopis Concilij Tridentini ſeſſ.24. de reformatione cap.6.* Sayrus *in Claui Regia lib.6. cap.*11.*num.*83. *de cenſuris lib.7.cap.7.num.*23. Rodriquez *tom.*1. *quæſt.*61.*art.*3. Auila *de Cenſuris part.7. diſput.*10.*dubit.*7. Henriquez *lib.*14. *de Irregularitate cap.*10 *num.*2. Sanchez *de Matrimonio libr.*8. *diſput.*2. *num.*10. Riccius *in Collect. tom.*3. *Collecta.*721. Ludouicus de Beia in caſibus Bononienſibus *part.* 4. *caſ.*37. omnes relati à Marchino *loco ſupra*.

3 Nec obſtat doctrinæ poſitæ, quod habet Lezana verb. *Monaſt. num* 43. vir doctrina, & ſuis ſcriptis celebris, ſcilicet priuilegium quoddam Sixti IV. conceſſum Minoribus, quo debent deſerere Monaſteria in manibus Ordinarij, ergo ſine licentia Epiſcopi, & Ordinarij nequeunt Regulares derelinquere Monaſteria ſine conſenſu Epiſcopi, & ſic nec concedere ad vſum peſtilentum. Nam reſpondeo. Primo, priuilegium illud non cogere Regulares, nam priuilegiatus vti, & non vti poteſt priuilegio. Secundò etiam ſi deberent vti adhuc non eſt in caſu noſtro id dicendum, nam aliud eſt derelinquere abſolutè aliud ad tempus deſerere, vt tempore peſtilentiæ.

4 Hinc ſequitur, quod etiam ad talem vſum poſſint diſerere Monaſterium ſine facultate Sedis Apoſtolicæ, nam etiam ſi ſtando iuri communi ſine licētia Summi Pontificis nequeant Regulares deſerere Monaſteria, vt abſolutè tradunt multi Doctores; ad-
5 huc hoc non eſſet deſerere. Sed nota prohibitionem illam, quæ habetur ex *cap. Vnico de Religioſis domibus in 6. & ex cap. vnico de exceſſibus Prælator. etiā in 6.* qua ſcilicet Regulares ſine facultate Sedis Apoſtolicæ nequeunt derelinquere Monaſteria ſolum eſſe pro Religioſis Mendicantibus, & hoc tantum pro illis Religioſis, quos Pontifex fecit extingui non verò pro alijs. Inſuper prohibitio *cap. vnico de exceſſibus Prælatorum* eſt tantum pro Mendicantibus, non pro alijs rurſus ſolum pro Conuentibus, & Monaſterijs, quæ habebant tempore Bonifacij VIII. & Clement. V. non pro alijs Conuentibus, quos poſtea acquiſierunt. Vide Nauarrum *in Man.c* 27. *n.*144 & Lezanam *in Sum. verb. Monaſter. n.*42. lege etiam March. num *loco ſupra*, qui latè de hoc agit prò negatiua ſententia, tamen eſt aſſerens omnino neceſſarium eſſe conſenſum Apoſtolicum. Vnde qui ſecus fecerit tam dantes, quam recipientes dicit incidere in excommunicationem *Bullæ Canæ Canon.* 18. ego hic nolo de hoc diſputare, nam ad noſtram materiam propriè non ſpectat.

An Epiſcopus poſſit dotare Eccleſiam Regularium exemptam ex redditibus menſæ Epiſcopalis. Dub. CCCXCIX.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua ponitur.*
2 *Hæc donatio debet eſſe iuxta caput* Apoſtolicæ de Donatio.
3 *Reſtringitur tamen hæc facultas, vt ſit cum licentia Capituli.*

1 Affirmatiuè reſpondet Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 1 *diſput.* 15.*quæſ.* 7.*numer.* 54.& colligit ex Abbate in *caput Apoſtolicæ de donationibus*, qui ſic habet: *Putat tamen d. Ant. quod Eccleſiæ exemptæ intra ſuam Diœceſim, poteſt hanc donationem facere quod ſatis mihi placet, quia Eccleſia exempta eſt in Diœceſi, vt in cap.penul.de Officio Ordinarij, & eſt valdè vtile, quia ſæpè Epiſcopi, volunt magnificare Eccleſiam Mendicantium, quæ eſt exempta à iuriſdictione Epiſcoporum.*

2 Intellige tamen hanc donationem debere eſſe iuxta dictum caput *Apoſtolicæ*, ſcilicet Centeſimę, vel Quinquageſimæ partis menſæ Epiſcopalis, & redditnum Cathedralis.

3 Sed *num.* 7. poſtea dictus Abbas limitat, & coarctat hanc facultatem Epiſcopi in caſu poſito dum dicit: *Concluſio eſt, quod à principio non poteſt de nouo conſtruere Monaſterium, nec Eccleſiam ſæcularem conſtructam Monaſticis informare regulis ſine conſenſu Capituli, & ita intelligitur cap.ſi Epiſcopus, ſed poſtquam hæc ſunt acta ſine conſenſu capituli poteſt ſolus hanc donationem facere*, Ita Abbas, hoc idem ſuſtinet Moneta *de vltimis voluntatibus cap.* 11.*num.* 95.qui latè, & doctè probat Epiſcopum poſſe Eccleſiam ſæcularem in Regularem conuertere, ſemper tamen conſenſum capituli videtur requirere.

An Epiſcopus, vel Nuncius poſſit continere domi Regulares, dum ob peſtem quadragenarium & inſtitutum à publico, Dub. CCCC.

SVMMARIVM.

1 *Sunt qui doceant hoc ſpectare ad Epiſcopos.*
2 *Contrarium defendit Author.*
3 *Vbi adeſt Nuncius, ſeu Legatus Pontificis, qui det licentiam tali tempore egrediendi domo, quis debet dare facultatem audiendi confeſſiones Nuncius, vel Epiſcopus.*
4 *Quod non poſſit reuocare licentias audiendi confeſſiones Regularibus Epiſcopus adducunt multa priuilegia aliqui.*

1 Omnes communiter reſoluunt, dum adeſt Nuncius Apoſtolicus aut vicelegatus ad eos ſpectare edicta facere, quibus Regulares tali tempore contineantur domi, & eis licentiam concedere, vt è domo egrediantur.

Sed quando non adeſt Nuncius, Internuncius, Legatus, &c. tunc docet ad Epiſcopos pertinere, Marchinus de Peſte *cap.* 3. *part.* 5. *de Poteſtate Epi-*

Epiſc.in exempt. Fūdamentum eſt, quia tūc nullo modo ęquum eſt Regulares ſub titulo exemptionis vagari per vrbem tali tempore, & eſſe nulli poteſtati ſubiectos, ſed tunc Epiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus in eoſdem poteſt animaduertere, vt habetur *ex ſeſſ.25.cap.14. de Regul.* & confirmatur dictus Marchinus in ſua ſententia, quia Diuus Carolus edictum promulgauit etiam contra Regulares tempore peſtis, vt domi ſe continerent, vt habetur *in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ par.7.* ſub titulo *editto per la Quarantena*, iuxta quam doctrinam procedens dictus Doctor plures caſus reſoluit.

Primo colligit, Quod ſi Nuncius Apoſtolicus, qui ius habet, abſtineat à ferendis dictis edictis, iam tunc loci Ordinarius poterit illa cōtra Regulares promulgare; quia ſubdi debent alicui poteſtati non ſubduntur ſæculari, nec Apoſtolicæ cum nullam legem circa hoc ferat. Ergo debent ſubdi Epiſcopi poteſtati.

Secundo docet hoc à fortiori eſſe veto in illis monaſterijs in quibus nō ſunt numero duodecim Religioſi; nam tunc iam ſubduntur Ordinarijs locorum.

Tertio, Quando Regulares curam animarum habent tunc egrediendi facultatem ab obeunda munera Parrochialia concedere pertinet ad Epiſcopum, non ad Nuncium cum in muneribus Parrochialibus ſubdantur Regulares Epiſcopo ex Trident. *ſeſſ. 25.de Reformat. cap.11.* Sic tamen.

2 Concluſio nec in hoc poteſt ſe intromittere Epiſcopus, & coercere Regulares, nam nec per Concilium Trident. *ſeſſ.25.cap.14.* conſtituitur Epiſcopus delegatus ad coercendos Regulares, ibi enim tantum dicitur delinquentes Regulares cum ſcandalo, notoriè, &c. extra clauſtra debere ab Epiſcopo ſuis Superioribus remitti, vt eos puniant, &c. ex quo decreto non video quomodò colligat Marchinus tale edictum in Regulares poſſe ab Epiſcopo promulgari. Quod ſi Diuus Carolus hoc facit fortè auctoritate Apoſtolica hoc facit. Deinde nec ratio quam adducit Marchinus mihi conuincere videtur, nam etiam ſi nec Epiſcopo, nec poteſtati ſæculari ſubdantur Regulares, nō per hoc ſequitur, quod nequeant coerceri à ſuis Prælatis ſi enim ſemper, ac Regulares ſubduntur ſolum ſuis Superioribus, & Sedi Apoſtolicę poſſent tunc per Epiſcopum exerceri quot caſus eſſent, in quibus ſubderentur Regulares exempti Epiſcopis. Vnde puto illas caſuum ſolutiones quas ex poſita doctrina deducit Marchinus; eſſe bene datas, quo ad ſecundum, & tertium caſum, ſed ex alio principio, quia ſubduntur tunc Regulares Epiſcopo, & ratione muneris, & ratione curæ animarum quam habent.

3 Sed quæres hic obiter, an ſuppoſito, quod Regulares tempore dictæ *Quarantenæ* contineantur domi ex pręcepto, & edicto Nuncij vbi adeſt Nuncius ſi poſtea debent exire ad confeſſiones audiendas, debeant habere facultatem ab Epiſcopo, vel à Nuncio Apoſtolico. Reſpondet Marchinus *parte 5. de Peſte cap.4.* pertinere ad Nuncium dare talem facultatē Regularibus, & probat; nam licet in adminiſtrandis Sacramentis; & præcipue Sacramento Pænitentiæ; Regulares ſubdantur Epiſcopo, & Ordinario

nario loci; vnde poteſt reuocare tales licentias, & approbationes ſaltem cum cauſa; attamen ſemel data licentia, iam non poterit illam reuocare Epiſcopus, & ſic in caſu poſito pro adminiſtranda Pęnitentia, iam nō requiritur de nouo licentia Epiſcopi, & approbatio; ſed tantum requiritur licentia exeundi è Domo, quæ debet dari à Nuncio, ſicut edictum quo cōtinentur domi eſt promulgatum à Nuncio.

4 Quod autem Epiſcopi nequeunt Regularibus reuocare licentias, & approbationes datas pro confeſſionibus probat dictus Marchinus *loco ſupra*, adducens plura priuilegia, & plures declarationes, per quas id confirmatur, ſed de hoc ſatis dictum eſt cap. *Quo ad Sacramentorum adminiſtrationem*.

An Epiſcopus poſſit punire mulieres baiulas, quæ onera portant, dum ingrediuntur Monaſteria, & Conuentus virorum ob talem finem.

Dub. CCCCI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondent aliqui, & quo fundamento.*

2 *Authoris ratio, ad eamdem negatiuam ſententiam ſuſtinendam.*

1 IN aliquibus Ciuitatibus fœminæ ſolent onera deferre, & eſſe baiulæ ſicut communiter ſolent hoc exercere homines.

Scroffa ergo *q.5. in addit. n.7.* habet dubium in terminis, & pro affirmatiua ſententia, quod ſcilicet poſſit Epiſcopus punire dictas mulieres, quæ ſine ſua facultate ingrediuntur Monaſteria virorum affert aliquas rationes à pari Epiſcopus poteſt punire homines, qui ſine ſua licentia ingrediuntur Monaſteria Monialium, ergo & mulieres, quæ ingrediuntur Monaſteria virorum ſine ſua facultate eadem enim imò, & fortè maior deformitas eſt in hoc caſu poſito, quam in caſu de Monialibus, ſed hoc non obſtante.

Negatiuè reſpondet dictus Scroffa, nam licet Epiſcopus poſſet punire ſi intrarent in Monaſteria Monialium ſibi ſubiecta, vel etiam in exempta, non tamen poteſt punire, dum intrãt in Monaſteria virorum, nam Sedis Apoſtolicę auctoritate circa clauſuram Monialium, inuigilare debet, non autem circa clauſuram virorum; ſupra quam ipſe Pręlatus Regularis inuigilare debet, cum ergo in caſu poſito ſupponatur licentia dicti Prælati, non eſt cur in hoc ſe Epiſcopus intromittat. Hæc Scroffa, quæ tamen, vt verum fatear nō adequatè ſatisfaciunt.

2 Nam licet negatiua hæc ſententia poſſet ſuſtineri, non tamen ob rationem adductam à dicto Authore, ſcilicet quia nō eſt Epiſcopus ſupra clauſuram virorum, aliud eſt enim, quod Regulares ipſos punire poſſit, aliud quod ſæculares ſibi ſubditos licet, ergo non poſſet punire Epiſcopus Regulares introducentes fœminas in Monaſteria, & intra clauſtra, poſſet tamen ipſas fœminas intrãtes punire; quia ſibi ſubditæ ſunt, & non ſolū hac ratione, ſed quia ſacri Canones talem ingreſſum prohibent mulieribus. Epiſcopi autē ſunt executores ſacrorū

Cano-

canonum, ita vt ad eos ſpectet curare, vt obſeruentur à ſuis ſubditis, vt alibi dicimus in hoc tractatu *cap. quo ad delicta* dub. an Regulares transgreſſores Sacrorum Canonum poſſint puniri ab Epiſcopis, ecce ergò quomodo relatus Scroffa non adequatè ſoluat dubium.

Reſponderem ergo negatiuè ipſe ſuppoſita, quod illa cauſa ingreſſus eſſet neceſſaria, vt verè puto in dictis locis neceſſariam eſſe, nam poſita neceſſitate bene poſſunt fęminæ abſque aliqua violatione Conſtitutionis Pontificiæ intrare clauſtra virorum Regularium, ſic vt teſtatur Lezana *to.* 1. *cap.* 10. cauſa medendi Monacho graui morbo laboranti intrare poteſt fęmina in Monaſterium, ſi infirmitas ſolum per ipſam curari poſſit, quia lex humana non eſt accipienda in tam graui neceſſitate Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regularium q.* 46. *art.* 7. Sanchez *libr.* 6. *in decalog. cap.* 17. *n.* 30. ergo ſir proportionaliter in caſu noſtro ſic ergo licitè poteſt, nō poterit ab Epiſcopo puniri mulier hoc officium baiulæ exercens.

An Epiſcopus poſſit punire Regulares vagantes pretextu accedendi ad ſuos Superiores. Dub. CCCCII.

SVMMARIVM.

1 *Quando probant ſe ad Superiorem recurrere non poſſunt puniri.*

2 *Quod etiam valet, dum appellatio eſt friuola, &c.*

1 CApite *quo ad delicta dub.* 244. reſolui, an Epiſcopus poſſet immediatè punire Regularem, qui ſine licentia per ſuam dięceſim vagatur ex vi Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 4. non conſideraui ibi tamen, an poſſet punire Regulares vagantes prætextu ad ſuos Superiores accedendi, quod erat maximè aduertendum ſtantibus verbis Tridentini.

Reſpondeo ergo cum Bordono, qui hunc prætextum accedendi ad Superiores notauit *reſol.* 7. *in ſuis conſilijs num.* 101. tunc poſſe puniri ab Epiſcopo Regularem ſic vagantem, (ſi poteſt immediatè puniri, quod negatur à multis,) vt videre potes *dicto c. quo ad delicta citato dubio*, quando Religioſus ille non probat ſe recurrere ad Superiorem cauſa appellationis, vt docent Rodriquez *tom.* 1. *qq. qu.* 30. *art.* 4. & Portel. *verb. Epiſcopus num.* 10. quando ergo probant ſe ad Superiorem maiorem recurrere non poſſunt puniri ab Epiſcopis, quia tunc non dicuntur vagantes, nec ſui inſtituti deſertores.

2 Sed quæres, quid dicendum eſt quando appellatio eſt friuola; an puniri poſſint tunc ab Epiſcopo: Reſpōdeat tibi Bordonus *loco ſupra*, & idem erit, ait ergo, *Dico non poſſe, quia verè non vagantur, neque ſunt quaſi deſertores ſui inſtituti*, licet prohibeatur ibi friuola *appellatio, vt docent omnes cum Sanchez lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 102. *& alij apud Barboſam ad dictum caput num.* 10. *confirmatur ex particula* prætextu, *quæ importat facere aliquid ſub velamine, & colore alicuius rei, quæ non eſt, ſed falſa eſt leg. ſub prætextu primo, & ſecundo C. de tranſact. Gonzalez ad Regul. Cancell. Gloſ.* 57. *numero* 2. *Souſa in Bulla Cœnæ Domini capit.* 23. *diſput.*

diſput.4 c. ergo quando Religioſus, ſiuè parum, ſiuè multum grauatus verè recurrit ad Superiorem hunc recurſum non fingit, neque vagatur prætextu ad Superiores accedendi, cõſequenter ab Epiſcopo puniri non poteſt. Hæc Bordonus quibus eſto contentus.

An conſeruator Regularium, qui in ſuo Officio delinqnit poſſit ab Ordinario, & Epiſcopo puniri.
Dub. CCCCIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiuè reſpondent plures Doctores*.
2 *Fundamenta in contrarium euertuntur*.
3 *Ita è contrario Conſeruatores poſſunt procedere contra impedientes ſuas conſeruatorias, & ſuum Officium*.
4 *Differentiæ, quæ ſunt inter Iudicem delegatum, & Conſeruatorem non reſpiciunt ſubſtantialia, ſed tantum accidentalia*.
5 *Quomodo intelligendum Concilium Trident*. ſeſſ.24.cap.20.de refor. *dum præcipit cauſas in prima inſtantia ab Ordinarijs ag tari*.
6 *Conſeruator non poteſt alium ſubdelegare*.

1 CAſum affert in terminis Emanuel Themudo à Fonſeca *in ſuis deciſ. tom.1.deciſ.53*. & affirmatiuè reſpondet, qui citat pro ſe Farinacinm *in fragment. 2.p. ver. Iudex num.973*. Saraſin. *de Priuilegijs iur. priu.* 132.*n.36*. Reinoſum *obſeruatione* 60. *num.*:5. & ratio eſt, quia ratione delicti fit ſubditus Ordinario loci, in quo deliquit, & hoc verum eſt, vt habet Farinaccius *num.*134.*loco ſupra*, etiam ſi delinquat in ipſa cauſa, in qua eſt delegatus (puta in iudicando, vel non iudicando, in non reddendo ius, in abutendo ſua iurisdictione, & quando in formando proceſſum delinquit.) Vnde concludit cum multis Doctoribus citatus Themudo nullas eſſe cenſuras Conſeruatoris contra Ordinarios, qui compeſcunt exemptos conſtruere Oratoria, vel Capellas in loco exempto ſine eorum licentia, aut in ſic cõſtructis tempore interdicti præter caſus à iure exemptos celebrantes, aut celebrare facientes, fauent Cardoſa verb. *Eccleſia num.* 22. Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi allegat.* 26. Moneta *de Conſeruatoribus cap* 9. *num.*93. Riccius *in praxi deciſ.*613. Boer.*deciſ.9.num.4.* Bonadil.*in politic.lib.2.cap.21.à n.65.* Mend.à Caſtro *in praxi lib.1.cap.2.numer.4. ad fin.* Gabriel Pereira *de man. Reg.cap.7.num.6.* Zerola verb. *delegatus in fin.* Barboſa iterum *de Poteſtate Epiſcopi allegat.*106. *num.*37. & alij apud dictum Emanuelem Themudo à Fonſeca.

2 Nec obſtat textus in caput *Sane de officio delegati* ex quo deducitur delegatum Principis cum eius vices gerat eſſe maiorem quocumque Ordinario cap.*Paſtoralis*, §. *Præterea de Officio Ordinarij*, ergò cum minor in maiorem nõ habeat Imperium *ex leg. nam magiſtratus ff. de arbitrio*, iam Epiſcopus & Ordinarius in Conſeruatorem procedere non poterit cum ſit delegatus, nam reſpondet Conſeruatorem dum delinquit, & nulliter inordinateque procedit haberi, vt priuatum, & violentiam facere, & ſic iam Epiſco-

pus

pus in maiorem non procedit, quod autem tunc habeatur, vt priuatus habet cap. *vltimo de Iuramento* calu.n. & tradunt Saraſin. *loco ſupra*, Farinacius *de carcer. q.* 32. *num.* 117. & alij plures quos refert Ramoſo loco ſupra relato.

3 Dicendum vero è contrario Conſeruatores etiam poſſe procedere cōtra omnes ordinarios, etiam Legatos ſi eos impediant in ſuis cōſeruatorijs iuxta *regul. ad caput* 2. *de Officio legat.* tradũt Anchar. *conſ.* 132.*n.*3. Cardinal. Tuſchus *concl.* 760.lit.C, & Barboſ. de

4 *Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 106. Nec obſtat, vt aduertit idem Barboſa, *loco eodem*, eſſe differentias aliquas inter Iudicem delegatum, & Conſeruatores, nam Reſpondetur prædictas differentias non reſpicere ſubſtantiam iuriſdictionis delegatæ, ſed tantũ accidentalia; quæ autem ſint differentiæ inter Iudices delegatos, & Conſeruatores colligere poteſt communiter a Doctoribus, *in caput vltimum de officio delegati in* 6. & præcipuè eas enumerant Azorius, *parte ſecunda Inſtitutionũ cap.* 34. *quæſt.* 5. & Miranda *tom.* 2. *in Manuali quæſt.* 47.*art.*3.

5 Et nota hic quod quãdo Concilium, *Seſſ.*24 *cap.* 20. *de Reformatione*, præcipit cauſas omnes eccleſiaſticas in prima inſtantia debere coram ordinarijs locorum agitari non excludere conſeruatores Regularium qui non comprehenduntur alia reſtrictione facta a concilio *Seſſ.* 14. *cap.* 5. apud eos enim cauſæ etiam in prima inſtãtia, ſi ad ſuam iuriſdictionem ſpectẽt poterunt ventilari; Ita Barboſa, qui refert Nauarrum dicentem ſe ita deciſum vidiſſe a Sacra Congregatione Cardinalium ſupra Concilium.

6 Nota ſecundo, quod licet quilibet Summi Pontificis delegatus vniuerſaliter loquendo aliũ in totum valeat ſubdelegare, ex text in caput, *ſi pro debilitate*, & cap. *ſuper Quæſtionum in fine*, cum multis Doctoribus, Cardoſ. *in praxi iudicum* verb. *Iudex numer.* 75. Moria *in Emporio part.* 1. *tit.* 2. *quæſt.* 15. *num.* 10. Miranda *de ordine iudic. quæſt.*2. *art* 11. Sanchez *de Matrimonio lib.*3. *diſput.* 31. & plures alij. Conſeruatoribus tamen id non permittitur tradunt fere communiter doctores, *in caput vltim de officio delegati*, ratio autem, & Fundamentum, cur hoc nequeant facere conſeruatores aliqui dicunt eſſe; quia eorum induſtria videtur electa, & ſic non poſſunt ſubdelegare, Ita Gloſſ. *in Clement ſecunda de hæretic.* alij dicunt eſſe quia ius intendit reſtringere eorum poteſtatem, vt minus quam poſſit lędat Ordinarium. Vnde fortè ſi ſubdelegarent huiuſmodi conſeruatores poſſet in eos procedere Ordinarius, vtpote contra eius iuriſdictionem facientes. Quod ſi tamen ex conſeruatorijs competeret expreſſe hæc facultas conſeruatoribus: tunc ſolum poſſent vices ſuas illis perſonis committere, quæ eſſent aptæ eligi in Conſeruatores ex cap. *Statutum* §. *in nullo de Reſcriptis in* 6. quod generale eſt in cæteris delegatis.

An

An Epiſcopus poſſit concedere Indulgentias Regularibus exemptis, & eorum Eccleſijs.
Dub. CCCC IV.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt hoc facere DD. Epiſcopi.*
2 *Non tamen poſſunt domo egredi Regulares ſine facultate, & licentia Prælatorum.*
3 *Contrarium tamen docent aliqui ſcilicet etiam neceſſariam eſſe facultatem Prælatorum, ad fruendum dictis Indulgentijs datis ab Epiſcopo.*
4 *Eccleſijs Regularium poteſt Indulgentias concedere Epiſcopus, etiam ſine facultate Prælatorum Regularium.*
5 *Sufficeret etiam licentia præſumpta, & non repugnantia Prælatorum ad hoc vt Regulares frui poſſent talibus Indulgentijs.*

1 QVod poſſit concedere indulgẽtias Regularibus docet inter alios Villalobos in Summ. Hiſpana vbi agit, *de Indulgentijs* dicens. *Los religioſos, y los demas eſſentos pueden ganar las indulgençias communes no ſolo las que conçede el Papa o ſus Legados ſi no tambien las que conceden los diecefanos, ea cuia tierra ellos moran anſi lo tienen Santo Tomas, Paludano, y Cordoua los quales dizẽ, que no ſolo la pueden ganar de licencia de ſus Prelados, ſino que las pueden ganar ſin licencia, el Fundamento es porque no ſon eſſentos quanto a eſto que la eſſençion que tienen no eſt juſto hauerla impetrado en ſu daño ſino ſolo en ſu prouecho y fuera en grande daño ſuyo ſi la tuuiera en quanto a eſto y aſſi ſe ha de entender que el Papa ſe ha conformado en eſto con ſu voluntad*, & poſt pauca ſubdit, & notent hoc Regulares ob obedientiam quam debent ſuis Prælatis; *Mas no ſe ha de inferir de aquì que tengan los religioſos licençia para ſalir de caſa o ganar las indulgençias ſi el Prelado no ſe la concede come aduierte San Tomas, p rque eſſo fuera contra la diciplina regular y las indulgençias no ſe dan para deſtruçion de la Religion*. Hæc Villalobos.

3 Contrarium tamen docet Bordonus dum dicit, non poſſe frui dictis indulgentijs Regulares ſine facultate ſuorũ ſuperiorũ, ita *in ſuis conſilijs Reſolut.* 16. *quæſ.* 10 Sed pro reſolutione huius dubij recurrendum eſt ad ea, quæ nos diximus *cap. quo ad abſoluendum, & diſpenſandum*, ibi enim de hac ſubiectione, quę dicitur voluntaria fuſius egimus quæ non repugnat exemptioni, Regularium vbi etiam egimus an licentia ſuperiorum requiratur ad hoc, vt Regulares abſoluantur ab Epiſcopis in caſibus, in quibus Epiſcopi habeant facultatem abſoluendi, quam non habent Prælati; hic ergo eadem difficultas recurrit, vnde nihil diuerſum eſt addendum.

4 Quod autem indulgentias poſſit concedere Eccleſiis Regularium exẽptis etiam ſine conſenſu Prælatorum videtur docere idem Bordonus *loco ſupra*, licet ſe clare non explicet, nam Eccleſiæ maiorem habent dependentiam ab Epiſcopo, quam perſonæ ipſæ Regularium; & ſic videmus quod ſine Epiſcopi conſenſu fundari non poſſunt Eccleſiæ Regularium, ſicut veſtiri bene poſſunt Regulares.

5 Aduer-

Digitized by Google

5 Aduerte tamen, quod ſtando etiã in ſententia, quæ requirit licentiam Prælati Regularis ad hoc, vt dicti Regulares ſubditi frui poſſint indulgẽtijs, adhuc ſufficeret licentia præſumpta, & non repugnantia etiam, ſeu non prohibitio.

An Epiſcopus poſſit eligere in ſuum Vicarium Regularem ſine conſenſu Prælatorum, & an hic conſenſus ſufficiat.

Dub. CCCCV.

SVMMARIVM.

1 *Non ſunt Regulares talis officij incapaces de iure.*

2 *Duas conditiones requirunt Doctores ad hoc, vt Regularis poſſit tale munus exercere.*

3 *Quid dicendum de Canonicis Regularibus, de Monachis, & de Mendicantibus Minoribus.*

4 *Nec per ius nouum putat author ius antiquum circa hoc ablatum.*

1 Certum eſt Regulares ex ſe non eſſe incapaces talis officij ſcilicet per ius commune non reddi inhabiles ad hoc, vt ſint Vicarij Epiſcoporum. Ita tradunt communiter Doctores Vide Riccium, *in Praxi variarum Reſolut. reſolut.* 351. *tom.* 1. qui ſi conſequenter velit loqui videtur docere etiam ſine licentia Prælatorum poſſe ab Epiſcopis aſſumi in Vicariũ Regularem, dum dicit, poſſe ab Epiſcopo extrahi a Monaſterio Monachum pro eius ſeruitio, vt v.g. habeat in ſuum cubicularium etiam inuito Abbate; hoc tamen procedit abſque dubio in Monaſterijs non exemptis, & de hoc adeſt, *Clement. de Reſcriptis,* vbi Gloſſ. Cardinalis Florent. & Ioannes de Imola idem tradunt, & ita cenſuit, *Rota Rom. in Antiquis de Officio Vicarij deciſ.* 3.

2 Lezana tamen *Tom.* 1. *Summæ. De obligationibus Regularium,* loquendo de iure antiquo communi docet poſſe Regulares exercere munus Vicarij Epiſcopi duabus conditionibus ſubſiſtentibus, & licentia Prælatorum, & vtilitate Monaſterij.

3 Sbrozzius verò qui ex profeſſo agit de Vicario Epiſcopi, fuſius reſoluit præſens dubium, *lib.* 1. *Officio Vicar.* a quæſt. 37. vſque a 39. Vnde ne labores in eo quærendo, hic referam quod ipſe habet. *quæſt. igitur* 37. quærit an idoneus ad Vicariatum Epiſcopi dicatur eſſe Canonicus Regularis, & reſpondet affirmatiuè teſtatur idẽ docere doctoris in cap. *ſi quis* 68. *diſ.* & dat rationẽ nam canonici Regulares per ſe ipſos clerici cenſentur *cap. generaliter* 1691. Secundo, Canonicus Regularis poteſt creari Archidiaconus Gloſſ. 2. in caput *Præterea de Præbend.* ergò eodem modo Vicarius declarat tamen, vt hoc procedat, quando interueniſſet ſuperioris licentia: refert tamen aliquos, ſed iam antiquos, qui abſque huiuſmodi licentia Canonicũ Regularem poſſe eligi in Vicarium Epiſcopi affirment, Deſcendit poſtea Idem Sbrozzius quæſt 38. ad Monachos, & quęrit an Monachi poſſint eligi Vicarij Epiſcopi, & poſtquam pro parte negante aliqua adduxit, cum multis Doctoribus affirmatiuè reſpondet, mouetur per Gloſſ. in caput *de Præſentium* in verb. *defenſor* 1691.

vbi

vbi Monachus poteſt conſtitui iudex ab Epiſcopo, & per Gloſſ. in caput. *Siquis*, vbi Monachus poteſt eſſe vicedominus Epiſcopi ea ratione quia Epiſcopus debet habere teſtimonium a monachis, Declarat tamen poſitam ſententiam, vt procedat interueniente licentia Abbatis, vel ſuperioris, & extendit, vt ſine licentia ſuperioris nec poſſit eſſe Monachus Vicarius capituli ſede vacante, & quando monachus non eſt exemptus etiam licentia Epiſcopi debet interuenire, ſubdeclarat, niſi forſan Abbas eſſet mortuus, & neceſſitas vrgeret, nam tunc etiam ſine licentia illius poſſet Vicarius eſſe, ſubdit tamen tũc debere dictum Monachum habere ſecum vnum Religioſum de ſuo conuentu, quia ſolus ſtare non debet, *Cap. 2. de ſtatu Monachor.* Clement. *ne in agro* Inſuper relatus Sbrozzius *quæſt. 39.* an ſententia lata per Monachum conſtitutum Vicarium Epiſcopi ſine licentia ſuperioris teneat, & Reſpondet tenere, & fundamentum eſt, quia ex quo Epiſcopus illum tolerauit prçſumptio eſt, quod canonicè, & cum licentia Abbatis illummet cõſtituerit, & ſic ob communem errorem geſta per erroneum iudicem ſuſtinentur; Loquens vero deinde de Religioſo ordinis mẽdicantium an poſſit eſſe Vicarius Epiſcopi negatiue reſpondet cum multis doctoribus quæſt. 40. Hęc omnia Sbrozzius quę certè doctè tradita ſunt iuxta ius commune antiquum.

4 Modo vero per ius nouum ſecundum multos nec ſufficit licentia Prælatorum colligunt precipue ex conſtitutione Clementis VIII. de Reformatione Regularium quæ incipit *nullus omnio* §. 19. per hanc tamen conſtitutionem non credo iuri communi in hoc derogari, vt euitetur in quantum vitari poteſt iurium correctio, vnde in caſu poſito ſtandum iuri antiquo puto.

An Epiſcopus habeat ius in Regulares exemptos quando eſt in poſſeſſione eos iudicandi.
Dub. CCCCVI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondent plures doctores.*
2 *Affirmant alij.*

1 Negatiuè reſpondent Bordonus *Reſolut. 6. de ſubiectione, & exemptione* Rodriquez *in ſuo compendio Reſolut* 18. *num.* 20. §. 1. & Emanuel *Quæſt.* 59. *art.* 9. *tom.* 1. Diana *de Dubijs Regularium Tract.* 2. *Parte* 3. & ita reſoluit Rota in vna Vlixiponenſis Monaſterij 19. *Nouembris* 1725. *coram Coccino*, Fundamentum autem Rodriquez præcipuè, eſt quia etiam ſi ſe ſubijciant Regulares adhuc poſſunt ſe tueri ex iure quod Papæ conuenit contra quem non pręſcribitur niſi per ſpatium centum annorum ex cap. *ad Audientiam de Præſcriptione* hæc opinio mihi placet ſed nihilominus

2 Contrariam docent aliqui apud Dianam *loco ſupra* Triuiſanus *lib.* 1. *deciſ.* 36. *num.* 2. Capra *Regula* 84. *numer.* 25. Cuchus *in Inſtitutione Canonic. libr.* 1. *titul.* 6. *num.* 6.

An

An Regulares poſſint ſuis Monaſterijs applicare debita incerta, dum ordine Epiſcopi adeſt capſula in qua debent reponi.
Dub. CCCCVII.

SVMMARIVM.

1 *Conceſſio Vrbani IV. facta Carmelitis.*

2 *Poſſunt Regulares abſoluere pœnitentes, qui debent reſtituere incerta.*

1 Circa hoc habes conceſſionem Vrbani IV. datã Patribus Carmelitis, quam refert Confectius *in Collec. ſub Vrbano IV.* & eſt tenoris ſequẽtis. *Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilectis filijs Priori & Fratribus Ordinis Beatiſſima Dei Genetricis ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli ſalutẽ, & Apoſtolicam benedictionem meritis veſtræ Religionis inducimur, vt vos proſequamur gratia, quæ veſtris neceſſitatibus dignoſcitur eſſe opportuna. Hinc eſt quod nos veſtris ſupplicationibus annuentes, vt de vſuris, & rapinis, & alias male acquiſitis, ſi quibus harum reſtitutio fieri debeat, omnino, inueniri, & ſciri non poſſint, nec non de quibuſcumque Legatis indiſtinctè ad pios vſus relictis dummodo executorum teſtamentorum ad id accedat aſſenſus ac redemptionis votorum, quæ fuerunt auctoritate Diæceſanorum Pontificum auctoritate commutata Hyeroſolomitano dumtaxat voto excepto, vſque ad Summam centum marcarum argenti recipere valeatis auctoritate vobis præſentiũ duximus concedendum ſi pro ſimilium receptione alias non ſitis a Sede Apoſtolica huiuſmodi gratiam conſecuti, & cæt.*

Colligitur ergo clarè ex hoc quid poſſint regulares recipere talium bonorum, nec aliquid addendum eſt.

2 Ob hanc cauſam, & priuilegia quæ habent circa hoc Regulares docet Bordonus *Reſolut. 6. Quæreſ. 12.* poſſe Confeſſarios Regulares abſoluere pœnitentes, qui debent reſtituere bona incerta applicando ea in vſus Monaſterij etiam ſi Epiſcopi reſeruent ſibi talem reſtitutionem. Tum etiam quia huiuſmodi caſus non eſt de illis qui prohibentur abſolui a Regularibus per multa decreta per Conſtitutionem Gregorij XIIII. *Cum alias* per Conſtitutionem Gregorij XIII. *ad tollendam*, per decretum de mandato Clementis VIII. 26. Nouemb. 1602. nam hęc decreta loquuntur reſpectu eorum caſuum, qui præciſe tangunt iuriſdictionem Epiſcopi reſeruantis, & non pręiudicatur alteri; in caſu autem noſtro pręiudicatur Religioni, quę habet priuilegium acquirendi incerta: adde non eſſe adeo certum apud Doctores, an ſibi Epiſcopus poſſit reſeruare reſtitutionem incertorum.

An

An Regulares teneantur reuelare quod per monitorium præcipit reuelari Epiſcopus.
Dub. C C C CVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Negatiue reſpondetur.*
2 *An Prælati Regulares in ſuos ſubditos poſſint dirigere monitoria.*

1 NEgatiuè reſpondet noſter Alphonſus de Leone *de Cenſuris recollectione* 2.*num.*700.*pag. mihi* 164. & ratio eſt quia ſunt exempti a iuriſdictione Ordinarij, non autem vt falſo aliqui exiſtimãt, quia Epiſcopos eos non intendit obligare; ſi autem monitorium ſit Papale tunc dicit obligari Regulares ad reuelationem, citatus Alphonſus de Leone, ſed pace ſua dico hic etiam valere doctrinam a'ibi poſitam, ſcilicet debere nominari Regulares, in tali Ordinatione pontificia, exempti enim non includuntur niſi nominentur, & exprimantur.

2 Sed hic poſſet quis mouere dubiũ; an Prælati Regulares in ſuos ſubditos huiſmodi monitoria poſſint dirigere habe hic, quod docet Rodriquez, *tom.*2.*quæſt.*59.*art.* 4. *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus fieri ſolent a nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernentur, & tunc nõ alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata quæ eius animum moueat, &c. Quo decreto attento conſiderent Prælati Regulares, & diligenter attendant, cum ſint iudices, & ſimul ſuorum ſubditorum Patres, ne eos excommunicationis vinculo præcipitanter temeri faciant, ita vt illud quod ordinatum eſt ad eorum ſalutem eis ruinæ præbeat ſcandalum, & ita ordinatio generalis noſtræ Religionis Prælatos noſtros hortatur vt non inferatur excommunicatio temere aut leuibus ex rebus ſed ſobriè, & magna circumſpectione, & addit. Cum tamen idem concilium dicat excommunicationes latas ad finẽ reuelationis pro deperditis ſeu ſubtractis rebus a ſolis Epiſcopis imponi debere præcipimus vt Guardiani cum non habeant iuriſdictionem Epiſcopalem non poſſint excommunicare tribus ſupradictis caſibus videlicet ad finem reuelationis in iudicio, & pro deperditis aut ſubtractis rebus nam in his tribus caſibus ad maiores noſtræ Religionis Prælatos ſolum iuriſdictionem Epiſcopalem habentes pertinet excommunicationem ferre*, Hæc Rodriquez, ex quibus non videtur abſolutè negare hanc facultatem Prælatis omnibus Regularibus, vt citatur a Barboſa de Officio Epiſcopi, *allegat.* 96. *num.* 13.

An autem Vicarius Epiſcopi, Vicarius ſede Vacante; Exempti nullius diæceſis Legati, & Nuncij Apoſtolici poſſint dare talia monitoria. Vide Barboſam *loco citato*, non enim hoc pertinet ad materiam noſtram.

An

An Epiſcopus poſſit reſeruare ſibi caſum, dum Regulares omittunt exequi vltimas voluntates, quarum ſunt executores, &c.
Dub. CCCCIX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondent multi.*
2 *Etiam à delegatis poſſunt caſus reſeruari, & quomodo.*
3 *In Regulares teſtamentarios nullam babet poteſtatem Epiſcopus.*

1 HAbe hic pro reſolutione præſentis difficultatis verba Bordoni *reſolut.* 38. *num.* 9. *quæres* 4. *Non placet quod dicit Graſſius lib.* 2. *cap.* 26. *numer.* 1. *& ex eo in terminis Bellochius par.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 366. *affirmãtes Religioſos omittentes exequi vltimas voluntates quarum poſſunt eſſe executores de licentia obtenta ſuorum Superiorum ex cap. Religioſus de teſtament. in* 6. *incidere in huiuſmodi caſum, ſi reſeruetur ab Epiſcopo, ſiue exprimantur in lege reſeruationis, ſiue non, & id poſſe facere, non vt Epiſcopum, ſed vt Sedis Apoſtolicæ delegatum, quia Epiſcopus non ſolum de iure communi cap. Nos quidem cap. tua nobis de teſtamen. ſed etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus in caſibus à iure conceſſis poteſt eſſe executor cauſarum piarum, & voluntatum vltimarum ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *Ergo talem caſum etiam reſpectu Regularium ſibi reſeruare poteſt, nam cui datur facultas exequendi videtur etiam data poteſtas adhibendi media, ſine quibus facultas commodè exequi non poteſt; Nam in corrigendo negligentiam Religioſi alio medio procedere non poteſt, niſi quatenus eſt iudex illum citando, & procurando, vt exequatur ſub pœnis tum ſpiritualibus, tum corporalibus, & hoc modo procedere dicitur tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus; in reſeruatione autem caſuum cum procedat, vt legiſlator, ac proinde iure Ordinario, & non delegato reſpectu reſeruationis, quæ poſſit afficere Religioſos nulla ratione per reſeruationem poteſt ligare Religioſos cum iure Ordinario nullam iuriſdictionem ſuper ipſos habeat, ſed in hoc penitus dicãtur exempti.*

2 Hæc Bordonus, quæ tamen non carent difficultate, nam licet verum ſit eſſe Epiſcopos Sedis Apoſtolicæ delegatos in hoc caſu ſupra Regulares, attamen etiam à Delegatis poſſe caſus reſpectiuè reſeruari docent multi Doctores, inter quos Coriolanus *de caſibus reſeruatis par.* 1. *ſect.* 1. *art.* 1. ſic habet. *Quartò ſequitur delegatos poſſe etiam num facere, ſed iuxta tenorem delegationis eis datæ, & non ad libitum; ratio eſt, quia iuriſdictio neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ manat à Superioribus Prælatis ad inferiores miniſtros, & ita poteſt iuxta eorum arbitrium eſſe magis, & minus limitata. Vnde generaliter hæc poteſtas delegandi ſcilicet eſt in his, qui habent Ordinariam iuriſdictionem, & cum delegatio ſit voluntaria ſicut poteſt omnino non fieri idest circa quaſdam cauſas, & non alias, quæ proinde reſeruatæ manent; ille enim cui'd legatur iuriſdictio ex ſe non habet ius ad illas, & ab alio liberè datur vnde fit, vt maior, & minor poſſit dari voluntariè,* ecce quomodo etiam delegati habeant ex ſententia huius Doctoris, & aliorum poteſtatem reſeruandi ſibi caſus, &c.

3 Adde inſuper ex dictis cap. *Quoad delicta* in Regulares teſtamentarios nul-

Rr lam

Iam habere poteſtatem Epiſcopum ſaltem puniendi, vnde relata Superior ſententia procedit ſolum in opinione illorum, qui aſſerunt ab Epiſcopo puniri poſſe Regulares executores vltimarum voluntatum, dum delinquunt, &c.

An dum teſtator Monaſterium fundari præcipit, (non aſſignato ad id executore) Epiſcopus debeat, & poſſit exequi hanc vltimam voluntatem.

Dub. CCCCX.

SVMMARIVM.

1 *Negatiuè reſpondetur.*
2 *Obiectioni ſatisfit.*
3 *Quando executore non aſſignato, arbitrio hæredis, & Epiſcopi eſt Monaſterium conſtruendum.*

1 Reſpondeo negatiuè, nam tunc hæres debet exequi hanc vltimam teſtatoris voluntatem, nec Epiſcopus ſe in hoc intromittere pôt eſt textus expreſſus in cap. *Nos quidem* 3. *de teſtament.* ex eo enim, quod teſtator executorem non deſignauerit hæres, qui in eius hæreditatem ſuccedit cum onere ei iniuncto ſiue ſpecificè, ſiue tacitè, conſequens eſt, vt tamquam debitor perſonaque teſtatori immediata ad id teneatur, tradunt dictum Panormitanus *in dictum caput* 3. *num.* 4. Couarruuias *num.* 8. Molina *diſput.* 247. *num.* 2. *tract.* 2. Petrus Greg. in Syntagm. *lib.* 42. *cap.* 36. *num.* 8. & Carpius *de executoribus teſtament. lib.* 1. *cap* 22. *à n.* 6. *vſque ad* 10. tunc ergo ſolum dicendum eſt Epiſcopum poſſe hanc vltimam teſtatoris voluntatem exequi, quando non exequitur illam hæres.

2 Quod ſi obijcias in legato relicto pro redemptione captiuorum dum exequntor nõ aſſignatur à teſtatore, executio excluſo teſtatoris hærede ſpectat ad Epiſcopum, vt tradunt communiter Doctores in citatum *caput* 3. *de Teſtament.* ergo etiam à pari dum in alijs legatis, & vltimis voluntatibus pijs executor non aſſignatur ſpectabit ad Epiſcopum, &c. reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſparitatis videtur eſſe, quia in alijs legatis, & in conſtructione Monaſterij non requiritur tãta celeritas, fides, & induſtria, ſicut in redemptione captiuorum, & ſic non aſſignato executore executio rationabiliter ad Epiſcopum pertinebit, & non ad hæredes eſt diſparitas data à Carpio *loco ſupra num.* 16.

3 Tertio, ſi autem teſtator Monaſterium in certo loco conſtrui iuſſerit, & in eo fieri non poſſit tunc executore non aſſignato arbitrio hæredis, & Epiſcopi alibi erit conſtituendum, conſtat hoc ex dicto *cap.* 3. *de teſtament.* & ex leg. *Legatum* ff. de vſufructus legato, docent Manuel. Rodriquez *tom.* 2. *q.* 125. *art.* 10. Carpius *de executoribus teſtamentarijs* loco ſupra *num.* 11.

An

An Epiſcopus poſſit procedere in Regulares teſtamentarios dum in Officio delinquunt.
Dub. CCCCXI.

SVMMARIVM.

1 *Communior ſententia docet, poſſe Epiſcopum procedere in Regulares teſtamentarios.*
2 *Contrarium tamen probabile eſt, & placet Authori.*
3 *Quæritur à quo ordinario debeant puniri Regulares teſtamentarij ſtante in opinione, quod tales Regulares poſſint puniri, &c.*
4 *Authoris in hoc opinio.*
5 *Qui doceant, omnium vltimarum voluntatum eſſe executores DD. Epiſcopos.*

1 COmmunior ſententia docet poſſe in Regulares procedere Epiſcopum, dum ſunt executores teſtamentarij, & in tali officio delinquunt. Ita DD. cita dubiū quos citaui, *c. Quo ad delicta*, quib⁹ adde Emanuelē Themudo a Fonſeca *parte deciſ. deciſ. 62.* apud quem alios inuenies colligunt Doctores hanc opinionem *in Clemen. vnic. de Teſtamentis*, vbi Gloſſa *verb. reddere*, Panormitanus *num. 3. verſ.* Cardinalis *à num. 11.* Imola *num. 2. & 16.* Molina *diſput. 247. num. 11.* abſolutè, & indiſtinctè id conſtituunt.

2 Sed contraria ſententia licet non tantos pro ſe habeat Doctores mihi videtur probabilior, immo certa ſcilicet Regulares nullo pacto poſſe puniri ab Ordinario, & Epiſcopo ſi in tali Officio executoris delinquant, nec & rationem reddere debere; Quia *Clement. vnic. de Teſtam.* citata loquitur ſolum de exemptis exemptione communi, qui poſſunt conueniri coram Ordinario ratione rei, contractus delicti, non autem de exemptis omnimodè, qui nullo pacto poſſunt coram Ordinario conueniri, quales ſunt ferè omnes Regulares exemptis ſequuntur Angelus in Summ. *verb. executor num. 20.* Syluester verb. *Teſtamentum 2. num. 2. verſ. 4.* Emanuel Rodriquez *q. 70. art. 5.* Vega *in Summ. c. 114. caſ. 5.* Tabiena verb. *executor num. 15.* Armilla *eodem verb. num. 14.* Rarpius *de executoribus teſtament. lib. 1. c. 5. num. 44.*

3 In ea autem ſententia, quæ docet exemptos Regulares, & alios etiam executores vltimarum voluntatum poſſe puniri ſi delinquant in tali munere, dubitare quis poſſet, à quonam Ordinario hoc debeat fieri, ab Ordinario originis, domicilij, vel rei ſitæ. Reſpondeo ergo per legem Regiam Hiſpaniæ 5. *tit. 10.* ſic diſponi. *Eſlonçe el Obiſpo de aquel lugar onde es natural el que fizò el teſtamento, o aquel en cuyo Obiſpado huuiere la maior parte de ſus bienes lo deue hazer cumplir.* ſuper quam legem Gregorius Lopez Gloſ. 3. ſic habet. *fortè per iſtam legem alternatiuè loquentem dicēdum eſſet quemlibet iſtorum Epiſcoporum hoc poſſe, & quod ſit locus præuentioni argumento legis, Si quis poſtea ff. de Iuriſdictione omn. iud. ſaltem hærede petente, vt poſt præuentionem vnius alter ſe non intromittat, ſed remittat executionem ad alium iuxta dictum Innocentij in cap. cum M. Ferrarienſis de Conſtitutionibus ad finem, vbi Felin us latè columna 13. & 14.* Ita Lopez cuius opinio placet Carpio, *de*

Rr 2 *exe-*

executoribus teſtamentarijs lib.1.cap.21.
4 *num. 6.* Quid autem de iure communi tenendum ſit, poſt antiquos te docebunt Speculator Pater Molina, & alij apud eumdem citatum Carpium, ego puto hoc debere fieri ab Epiſcopo in cuius Diæceſi res ſita eſt.

5 Quæres hic obiter, an Epiſcopus ſit executor omnium per vltimarum voluntatum, an ſolum piarum voluntatum. Reſpondent communiter Doctores ſolum Epiſcopos eſſe executores vltimarum piarum voluntatum, ſed non deſunt aliqui, qui aſſerunt Epiſcopos omnium vltimarum voluntatum eſſe executores cuius opinionis plures rationes habes apud Carpium *de executoribus teſtamentarijs libr.1.cap.22. à nu.35. vſque ad* 42. qui tamen Doctor oppoſitum cum communi defendit.

An Regularis electus virtute Bullæ cruciatæ, vel alicuius Iubilæi ab alio Religioſo pro aliquo caſu Sedi Apoſtolicæ reſeruato debeat eſſe approbatus ab Ordinario, &c. Dub. CCCCXII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua ſententia proponitur.*
2 *Affirmatiuam alij ſequuntur, & rationes, quibus mouentur adducuntur.*
3 *Alij conſiderant verba iubilæi, an in ipſis habeatur, quod Confeſſor debeat eſſe approbatus ab Ordinario, vel ab Ordinario loci, & iuxta diſtinctionem diuerſe etiam procedunt.*
4 *Alij diuersè etiam diſtinguunt.*
5 *Quid dicendum ſit de Monialibus.*

1 Negat debere eſſe approbatum ab Epiſcopo talem Regularem electum Rodriquez *in explicatione Bullæ Cruciatæ* §.9. *du.*6.*n.*9. docetq; ſufficere ſi ſit approbatus à ſuo Prælato. Fundamenta eius talia ſunt. Primo, quia verba illa appoſita in Bulla, & Iubilæis, quod Confeſſarius electus ſit approbatus ab Ordinario ſunt poſita poſt Concilium Tridentinum, & debent intelligi de Sacerdotibus ſubiectis Epiſcopo, & non de Regularibus, qui non ſunt ei ſubiecti. Secundo, quia Bulla non ſuſpendit priuilegia Superioribus Ordinum conceſſa, inter quæ vnum habetur, quod poſſit Prælatus abſoluere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Tertio & eſt ratio, quam addit Valerus *Different. vtriuſque fori verb. Abſolutio n.*33. quia ex declaratione facta per Clement. VIII. Dat. Romæ 23. Nouemb. 1599. Regulares tam Moniales, quam viri quantum ad Sacramenta Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſunt, per quam declarationem renouantur, & confirmantur priuilegia, Ordinum, & ſtatuta per quæ prohibetur Religioſis, ne poſſint confiteri virtute Bullæ Cruciatę, & ſimilium gratiarum niſi alicui ex deputatis à Prælato ad confeſſiones audiendas, ergo fruſtra requiritur, & dicitur requiri approbatio Epiſcopi in confeſſore electo, cum ſufficiat approbatio Prælati. Quarto pro hac opinione facit, quod communis praxis omnium ferè Religionum ita interpretata eſt prædicta verba.

Quod

Quod ſcilicet ſufficiat, quo ad Regulares ſola deputatio Prælati abſque alia approbatione Epiſcopi. His tamen non obſtantibus.

2 Contrariam ſententiam tenent. Henriquez *in ſua Summ. Tit. de Indulgentijs cap.* 12. §. 4. *verſ. ſi vero Regularis & lib.* 3. *de Pænitentia cap.* 6. §. 4. Lopez 1. *parte capit.* 26. *verſ.* 2. *dico* Petrus Ledeſma 1. *parte de Sacram. Pænitentiæ cap.* 13. *in dub.* 6. Suarez 4. *tom. ad* 3. *partem D. Thomæ diſput.* 28. *ſec.* 6. *num.* 11. & Valerus *in different. vtriuſque Fori verb. abſolutio Different.* 1. *num.* 33. Fundamenta huius opinionis ſunt primo quia ante Conciliū Trident. *in Bulla Cruciatæ, & Iubilæis* non ponebatur prædicta clauſula, & conditio circa eligendum confeſſariū niſi tantum a tempore Pij V. quæ certe addita fuit propter diſpoſita in eodem Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. vbi ſtatuitur quod confeſſarius pro ſecularibus debeat eſſe aut Parrochus, aut approbatus ab Epiſcopo, & licet ibi nihil noui ſtatutum ſit circa Regulares, & conſequenter confeſſarij Regularium non indigeant dicta approbatione Epiſcopi; attamen cum Bulla Cruciatæ, & Iubilæum generaliter loquantur, tam pro ſæcularibus quam pro Regularibus, & requirant indiſtinctè quod confeſſarius electus ſit ab ordinario approbatus videtur quod nomine Ordinarij intelligatur tantum Epiſcopus: ſecundo Confirmatur ex quibuſdam verbis, quę in Bulla plumbea adduntur circa hoc talia verba, *Vt poſſint eligere confeſſorem ſæcularem vel cuiuſcumque etiam mendicantium Ordinum Regularem ex his, qui ab Ordinario & quo ad Regulares ſemel tantum approbati fuerint.* Ecce quomodo confeſſarius Regularis eligendus debeat eſſe approbatus ab Epiſcopo, nam hæc verba quod ſemel approbatus ſit Regularis poſita ſunt propter Extrauag. *Inter cunctas*, & Clemēt. *Dudum de ſepulturis*, in quibus indultum eſt Religioſis quod ſemel approbati ab Epiſcopis non teneantur amplius ſe præſentare pro impetranda alia approbatione ab eodem ſcilicet Epiſcopo. Ergo illa approbatio requiſita in Bulla etiam reſpectu Regularium eſt approbatio Epiſcopi. tertio Ita credendum eſt eſſe de mente Summorum Pontificum ſcilicet quod ad id munus exequendum requiruntur magnæ partes, & qualitates in confeſſario, cum committantur ei res grauiſſimæ vt pote omnes caſus Sedi Apoſtolicæ reſeruati, nam ſi pro audiendis ordinarijs, & communibus peccatis, ſæcularium requirit Concilium approbationem Epiſcopi, multo magis requirenda eſt pro præfatis caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis; etiam pro Regularibus, & maximè quia in Religiones ſemper ſolent deputari pro confeſſoribus antiquiores, nulla habita ratione ſcientiæ, quādo vero ſunt confeſſarij approbati ab Epiſcopo ſemper ſolēt eſſe doctiores: Ergo non eſt mirum ſi Summus Pontifex intendat tantum committere caſus ſuos reſeruatos his qui approbati ſint ab Epiſcopo. Hæc ſunt Fundamenta huius ſententię.

3 Tertia, Opinio procedit cum diſtinctione, nam vel in Bulla Iubilęi dicitur ſolum; vt eligi poſſit quilibet confeſſarius ab Ordinario approbatus, vel additur ab Ordinario loci ſi conceſſio ſit primo modo facta approbatus a ſuperiore proprio poteſt eligi

Digitized by Google

eligi ad effectum Iubilęi ab ipſius Regularibus licet non ſit approbatus ab Ordinario Epiſcopo; ſi ſecundo, modo fiat conceſſio nequaquam. Ita Filliucius *tom.*1. *trac.*8.*cap.* 10. *num.*275. Georgius Pollachus, *in Bullam Vrbani. VIII. Sec.*42. *numer.* 63. Lezana *in Summ. Quæſtionum Regularium cap.* 19. *num.*19. quos citat. Boſſius, *de triplici Iubilæi priuileg. Sec.*3. *caſ.* 4. *num.* 4. qui exacte, & doctè ſuo more hāc dubitationem conſiderat.

4 Quarta Sententia etiam diſtinguēdo procedit; vel confeſſor electus a Regulari eſt eiuſdem ordinis ac ſit Regularis eligens, vel eſt diuerſi ordinis, ſi eſt diuerſi Ordinis, tunc confeſſor electus debet eſſe approbatus ab Epiſcopo, ſi eiuſdem tunc ſufficit quod ſit approbatus a proprio Regulari Prælato. Ita Bottonus *in ſuis Obſeruationibus*, circa Iubilæum Sixti V. fol. mihi 145. & noſter Alphonſus, de Leone. *De officio, & poteſtate Confeſſ. Parte* 2. *num.*213. ratio eſt quia ſi tunc etiam deberent eiuſdem ordinis Regulares electi tempore Iubilęi approbati eſſe ab Epiſcopo, multæ Religiones priuarētur tali priuilegio vti ſunt Carthuſienſes. Camaldulenſes, & alij ſimiles Regulares qui non vacant confeſſionibus, nec ſolent approbari ab Epiſcopo, & Ordinario loci, quod quidem aſſerere abſurdum videtur.

Omnes iſtæ opiniones probabiles mihi videntur, ſecunda habet pro ſe plures doctores, qui reſpondent. Fundamentis primæ inter quos exactius Valerus loco citato ea reſoluit, quarta ſententia tamen mihi etiam placet.

5 Sed quæres; an omnes, iſtæ ſententię probabiles ſint reſpectu etiā Monialium ſiue exemptæ ſint; ſiue non, Reſpondet Boſſius, *de triplici Iubilæi priuilegio loco ſupra num.*9. ſemper debere confeſſorem electum a Monialibus etiam virtute Iubilæi eſſe approbatum ab Epiſcopo, & hoc per decretum Gregorij XV. de Exemptorū priuilegijs, & ex eiuſdem declaratione, tradit idem Naldus *verb. Monialis num.* 2. per tale enim decretum confirmatum etiam a Vrbano VIII. requiritur, vt talis etiam confeſſor extraordinarius ſit examinatus ab Epiſcopo; & licet, vt notat noſter Alphonſus de Leo *loco ſupra num.* 230. per examen in rigore non inducatur approbatio, tamen cum requiritur, vt ante approbationem examinetur ab Ordinario implicite cenſetur requiſitus illius conſenſus.

FINIS.

Digitized by Google

I N D E X

Rerum omnium notabilium,

Quæ in hoc Opere continentur ordine alphabetico diſpoſitus.

A

Abbas, Abbatia.

Abbates, qui ordinare poſſunt poſt concilium nequeunt ordinare non ſubditos, etiam cum litteris dimmiſſorijs Ordinariorum. pag.85. dub.79.

In Abbatis ſuffraganei diſtrictu non poteſt Epiſcopus ad confeſſiones approbari. p.121.d.104.

Abbates poſſunt benedicere campanas. pagin.200.dub.152.

Abbates debent benedici ab Epiſcopo de iure communi, & à quocumque Epiſcopo, per priuilegium vero etiam ab alijs abbatibus p.205.d.157.

Abbates etiam ſi non ſint benedicti poſſunt ordines conferre ex priuilegio ibidem.

Abbates benedicere, & conſecrare poſſunt calices, & patenas p.206. d.158.

In bonis Abbatiæ, quæ incorporata eſt alicui Epiſcopatui ſuccedit Eccleſia non Monaſterium p.252.d.190.

Abbates etiam coram Epiſcopo poſſunt incedere cum mozzeta, & capuccio p.305. d.220.

Abbates non poſſunt dare benedictionem ſolemnem populo, dum Epiſcopus eſt præſens, nec dare poſſunt Abbates talem benedictionem per vias, ſed ſolum in Eccleſijs. ibidem.

Abbates exempti, &c. ſecundum aliquos poſſunt procedere in Regulares falſos monetarios p.477.d.323.

Abbas, dimiſſa Abbatia ſæculari, an ſubdatur Epiſcopo, vel Prælato ſuæ religionis p.585.d.390.

Abbatiſſa.

Epiſcopus poteſt procedere in Regulares, qui ante tempus ſignificatum Epiſcopo procedunt ad electionem Abbatiſſæ p.469. d.321.

An Abbatiſſa, & Moniales validè accipiant monialem ad profeſſionem, quam Ordinarius iudicans indignam, prohibet Monialibus, ne eam recipiant p.491.d.330.

Moniales magis tenentur obedire Prælatis, & proprijs Ordinarijs, quam Abbatiſſis p.495.d.332.

Audiendæ ſunt ab Epiſcopo etiam Abbatiſſæ Monaſteriorum Monialium, & Prælati earumdem Monialium, dum nouum Monaſterium Monialium erigitur ex vi Conſtitutionis Clement. VIII. p.522.d.353.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare in ætate Abbatiſſæ eligendæ p.526.d.357.

Electio Abbatiſſæ antequam compleat ætatem non eſt inualida ibidem.

Epiſcopus non poteſt dare votum in caſu diſcordiæ pro electione Abbatiſſæ. ibidem.

Abiurare.

Regularis profeſſus contrahens ſponſalia quomodo debeat abiurare diſcrepant Doctores. p.373.d.266.

Ab-

I N D E X.

Abortus.

Abortus eſt caſus reſeruatus Epiſcopo à iure factum à Gregorio XIV. p.183.d.142.

Abbas.

Abſentia Diœceſani ſufficit, quod a Prælatis Regularium teſtificetur, dum accedunt ad alienum Epiſcopum pro ordinibus, p.75. d.70.

Vt Parrochus Regularis abſit a Parrochia quis dare debeat licentiam, pag. 237. d. 177.

Abſolutio. vide Confeſſor.

Approbatio.

Abſutio data ab Epiſcopo accedentibus ad ordines cum defectibus, ob quos inciderunt in cenſuras etiam prodeſt Regularibus. p.96.d.86.

Abſoluere non poſſunt modò Regulares a reſeruatis Epiſcopo, etiã ſi extra Italiam degant. p.137.d.112.

An poſſint Regulares abſoluere a cenſuris reſeruatis Epiſcopo controuerſum eſt apud doctores. p.138.d.113.

Abſolui poſſunt a Regularibus omnibus Sacerdotes ſæculares, etiam ſi Epiſcopus certos quoſdam Regulares aſſignet pro eorum confeſſionibus. p.146.d.118.

Abſoluere; an poſſint Regulares a caſibus reſeruatis a Synodo Epiſcopali, pag. 181. d.142.

Abſoluere poſſunt Regulares a reſeruatis Epiſcopo certis diebus, quibus habent indulgentias in ſuis Eccleſijs, pag. 186. d.143.

Si Regularis abſoluat a reſeruatis Epiſcopo ſine licentia Epiſcopi, dubium eſt an poſſit ab eodem excommunicari, pag. 302. d.278.

Quomodo poſſint Regulares ſe ſubdere Epiſcopo in foro pœnitentiali quo ad abſolutionem, p.413. d.298.

Abſolui non poſſunt regulares exempti ab Epiſcopo, dum ſunt excommunicati a proprijs Prælatis, p.416. d.299.

Quid dicendum è contra dum Regulares excommunicati ſunt ab Epiſcopo, an poſſint abſolui a Prælatis Regularibus, p. 418. d. 300,

Si ingrediens religionem antea erat excommunicatus ab Epiſcopo per ſententiam generalem poteſt abſolui a Prælatis Religionis, ſecus dicendum ſi fuit nominatim excommunicatus. p.420. d.301.

Soli Epiſcopi attento iure communi poſſunt abſoluere Regulares a ſuſpenſione ob aſſiſtentiam factam matrimonio, pag. 421. d. 302, *Sed ob priuilegia poſſunt etiam Prælati Regulares.* ibidem.

Abſoluere non poteſt Epiſcopus Regularem fugitiuum ab excommunicatione, in quam incidit. p.423.d.303.

Abſoluere Regularem, qui alterum Regularem percutit non poteſt Epiſcopus abſoluere. p.425.d.304.

Nec diſtantia Prælatorum operatur, vt pro tali abſolutione poſſint Regulares ſe ad inuicem percutientes recurrere pro abſolutione ad Epiſcopum. ibidem.

Quid dicendum quando in vno monaſterio reperiuntur duo tantum Regulares, quorum vnus ſit ſuperior, alter ſubditus, & ſe ad inuicem percutiant. ibidem. pag. 426.

Abſoluendi etiam ſunt à ſuis Prælatis Regulares ſi percutiant Epiſcopum, & ſimilem. ibidem.

Abſoluere debet de iure Regularem, qui percuſſit Clericum ſæcularem Epiſcopus per priuilegium autem, etiam Prælati Regulares.

Abſoluere laicum, qui percuſſit leuiter Regularem pertinet ad Epiſcopum. pag.427. dub.305.

Nouitius, qui percutitat profeſſum Regularem debet abſolui à Prælatis religionis, non ab Epiſcopo. p.4;5.d.310.

Quando facultas abſoluendi Regulares non

eſt

eſt immediato Prælato Religionis, ſed in mediato tunc non ſufficit facultas immediati Prælati ad hoc vt Epiſcopus poſſit dictos Regulares abſoluere. p.437.d.310.

Prælatus Regularis ſi indigeat abſolutione poteſt ſe ſubijcere Epiſcopo. ibidem.

Abſoluere an poſſit Epiſcopus Regulares, qui ad malum finem, vel ſine cauſa introducunt fœminas intra clauſtra, à ſuſpenſione in quam incurrunt. p.437.d.310.

An Moniales abſolui poſſint à ſuis confeſſarijs ordinarijs à caſibus reſeruatis ordinario, & à quinque Papalibus. pag.517. d.346.*&* p.518.d.348.

Abſoluere non poteſt Regularis ſocium criminis, dum hoc prohibetur ab Epiſcopo confeſſoribus. p.558.d.373.

Ædificare, ędificatio *vide* Monaſterium.

Si Regulares gratis, & ex mala voluntate contradicant erectioni noui Monaſterij tunc Epiſcopus poteſt dare hanc facultatem. p.10.d.8.

Ædificare poſſunt Regulares monaſterium in loco exempto ſine licentia Epiſcopi, quidquid in contrarium dicant multi. p.20. d.17.

Si teſtator reliquiſſet pro conſtruenda Eccleſia, & ædificando hoſpitali non poteſt executor etiam cum conſenſu Epiſcopi mutare Monaſterium, quod eſſet male ſituatum. p.21.d.18.

Dubium eſt apud Doctores an ædificari poſſit Monaſterium, in loco in quo teſtator iuſſit fieri hoſpitale. p.21.d.18.

Poteſt epiſcopus cogere pro redificatione Monaſterij vicinos ad vendendum fundum, puta pro clauſtro, pro ſcholis fabricandis. p.21. d.19.

Non ſolum epiſcopi, ſed etiam alij Prælati inferiores poſſunt dare facultatem ædificandi monaſteria, qui tamen iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habent. p.23. d.21.

Ædificantes Regulares cum pacto, vt epiſcopo ſubſint vitiata conditione, valida eſt facultas data ab epiſcopo. p.25.d.22.

Conceſſio facta ab epiſcopo Regularibus ædificandi Monaſteria, non ſeruata tamen forma in conſtitutione Clementis VIII. contenta inualida eſt, ſed limitatur dictum. p.26.d.23.

Dum de nouo conſtruitur aliquod Monaſterium in aliquo loco, debent etiam conuocari illi Regulares, qui degunt extra dictum locum per quatuor millia paſſuum. p.480.d.324.

Alienare Alienatio.

Non debent Regulares recurrere ad epiſcopum pro alienatione bonorum in caſu neceſſitatis. p.578. d.386.

Quid ſtante, quod Epiſcopus habeat priuilegium concedendi talem facultatem. ibidem.

Altare.

In Altari portatili poſſunt Regulares celebrare ob priuilegium. p.105.d.91.

Apoſtata.

Apoſtatæ, an poſſint reclamare ob inualidam profeſſionem coram epiſcopo. p.49.d.47.

Apoſtatæ poſſunt carcerari ab epiſcopis debent tamen conſignari ſuis ſuperioribus. p.448. d.317.

Ob detentionem Apoſtatarum inuitis Prælatis non poſſunt ab eiſdem Prælatis excommunicari, ibidem.

Recedens à Monaſterio ſine licentia Superioris, & deferens habitum; an ſit Apoſtata. p.547. d.367. *& ibidem multi alij caſus ponuntur, in quibus poteſt dubitari; an quis dicatur Apoſtata.*

Appellatio.

Reclamans Regularis ob profeſſionem inualidam, ſi carceretur à Prælatis religionis, non poteſt ad epiſcopum appellare. p.49. d.46.

Quando Regularis poteſt puniri ab epiſcopo,

non ſemper poteſt appellare ad Metropolitanum.p.356.d.259.

Non incurrunt Moniales in excommunicationem, quam tulit Iulius II. contra Regulares appellantes à mandatis Prælatorum ordinis.p.525.d.356.

Dum Epiſcopus prætendit viſitare Regulares, & Regulares prætendunt non poſſe, ſi appellent, ante excommunicationem debet eoſdem Regulares admonere. pagin.555.dub.370.

Approbatio *vide* Abſolutio Abſoluere Confeſſor.

Regulares poſſunt approbari ad confeſſiones etiam à Prælatis exemptis, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſunt nullius diæceſis. p.119.d.104.

Approbare ad confeſſiones poteſt etiam Epiſcopus nondum conſecratus, dummodo tamen ſit confirmatus. p.121.d. eodem.

Approbare poteſt ad confeſſiones Epiſcopus ſine examine quidquid dicant aliqui. p.122.d.105.

Sine approbatione Epiſcopi poſſunt Sacerdotes abſoluere à peccatis venialibus.p.123.d.106.

Approbatio Epiſcopi requiritur ad hoc vt Prælati Regulares poſſint audire confeſſiones ſecularium, contrarium tamen docetur à multis Doctoribus.p.124.d.107.

Regulares ſine cauſa non poſſunt approbari ad tempus ab Epiſcopis, latè probatur à p.125. vſque ad 130.d.108.

Approbati Regulares in vrbe ad confeſſiones extra debent etiam nihilominus approbari à Diæceſanis: contrarium tamen dicunt aliqui Doctores, etiam poſt Vrbani VIII. decretum. p.136. d.111.

Parrochi Regulares amoti à Parrochijs adhuc ſine noua approbatione poſſunt audire confeſſiones. p.146. d.119.

Non poſſunt Regulares approbati in vna diæceſi audire in omnibus diæceſibus confeſſiones ſine noua approbatione. p.148. d.120.

Regulares approbati in vna Diæceſi poſſunt audire ſubditos illius diæceſis vbique p.149.d.121.

Regulares ſine approbatione Epiſcopi poſſunt audire confeſſiones equitum Alcantaræ, Calatrauæ S. Iacobi, & ſimilium, dato quod ſint dicti equites Religioſi. p.150. d.122.

Regulares approbati ad confeſſiones ſine examine non poſſunt ad examen vocari. p.154. d.124.

Approbare Regulares ad confeſſiones poteſt Epiſcopus etiam, ſi ſit excommunicatus. p.179.d.140.

Dum Epiſcopus reuocat approbationem, debet cauſa reuocationis approbari. p.197. d.150.

Regularis modo ordinariè debet eſſe approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones, vt exequatur litteras Sacræ Penitentiariæ. p.531.d.362.

Aqua.

Aquam benedicere, qua Eccleſia polluta reconcilietur ſpectat ordinariè ad Epiſcopum, aliquando etiam ad Prælatos Regulares. p.204.d.155.

Aqua benedicta ab Epiſcopo ad reconciliandam Eccleſiam pollutam eſt neceſſaria quando Eccleſia conſecrata eſt, non ſic quando eſt ſolum Eccleſia benedicta ibidem.

Archiepiſcopus.

Regulares dum puniri poſſunt ab Epiſcopis tamquam à delegatis Summi Pontificis non poſſunt ad Archiepiſcopum, & Metropolitanum appellare: ſecus ſi puniri poſſint ab Epiſcopis ordinariam poteſtatem habentibus. p.356. d.257.

Aſtrologi.

Quid poſſit Epiſcopus in Regulares Aſtrologos p.480.d.325.

B

Baptiſmus *vide* Patrini.

Religioſi, qui monachi non ſunt poſſunt eſſe in baptiſmo patrini, quidquid dicat communior Doctorum ſententia p.167. d.134.

Monachi non poſſunt eſſe patrini in baptiſmo ſecundum communiorem, contrarium tamen non caret probabilitate, ibidem.

Etiam ſi Religioſi non poſſent eſſe patrini in baptiſmo, adhuc non per hoc requiriretur licentia Epiſcopi, vt poſſent præſtare tale munus. ibidem.

Pro chryſmate baptizatorum Regulares, qui curam animarum habent, debēt petere ab Epiſcopo oleum. p.200. d.152.

Baldachinum.

Baldachinum erigere in Eccleſijs Regularium ipſis etiam inuitis poſſunt Epiſcopi p.308. d.222. *non tamen poſſunt hoc facere in illis diebus, quibus ex priuilegio poſſunt Prælati Regulares celebrare in pontificalibus.* ibidem.

Etiam poteſt erigere Baldachinum Epiſcopus in Monaſterijs Regularium. ibidem.

Exterus Epiſcopus, an de conſenſu Diœceſani poſſit erigere Baldachinum in Eccleſijs Regularium, p.309. eodem dub.

Benedictio.

Benedicere poſſunt Prælati Regulares illas res, quæ ſine vnctione chryſmatis benedicuntur. p.200. d.152.

Benedicere an poſſint Prælati Regulares paramenta, & ornamenta pro Eccleſijs externis controuerſum eſt. ibidem.

Benedicere poſſunt oua Regulares, ſi conſuetudo ſit talis benedictionis ab ipſis facta legitimè tamen introducta. p.201. d.152.

Benedicere, & diſtribuere palmas poſſunt Regulares. ibidem.

Benedictiones ſolemnes dare poteſt Epiſcopus in Eccleſijs Regularium. p.203. d.154.

Benedicere aquam, qua Eccleſia polluta reconcilietur ad epiſcopum ſpectat. p.204. d.155.

Benedicere poſſunt Prælati Regulares pixidem. p.206. d.158.

Beneficium, *vide* Parrochus.

Ad beneficium iuris patronatus, ad quod fuit præſentatus, poteſt nouitius inſtitui ab Epiſcopo. p.39. d.36.

Beneficia Regularia curata non ſunt conferenda per concurſum. p.215. d.164.

Beneficijs, ſeu eccleſijs Parrochialibus deſeruientibus congruum ſalarium aſſignare ſpectat ad Epiſcopum, etiam ſi religioſi eſſent dicti deſeruientes. p.220. d.167.

Regularis cum diſpenſatione Pontificis ad Parrochiam ſæcularem promotus, vt ad aliud beneficium promoueatur licentia Pontificis requiritur. p.239. d.179.

Quando poſſit Epiſcopus in defectu Regularium dare ſæcularibus Regularia beneficia. p.242. d.182.

Cum quibuſdam conditionibus poteſt Epiſcopus vnire monaſterio aliquod beneficium. p.244. d.184.

Circa vniones beneficiorum non poſſunt inquirere, & examinare Epiſcopi. ibidem.

Nouitius poteſt renunciare beneficium, quod habet ſine licentia Epiſcopi, ſi ſtemus in Concilio Tridentino, ſecus alia de cauſa. p.248. d 186.

Quomodo ſe gerere debet Epiſcopus, quo ad præbendam Theologalem cum Regularibus. p.249. d.187.

Inſtituere non poſſunt Regulares ad beneficium curatum, etiam ſi pleno iure habeant iuriſdictionem in eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi. p.252. d.191.

Tempore vacationis beneficij Epiſcopus degens in Monaſterijs Regularium vti poteſt alternatiua. p.318. d.230.

Beneficia Regularia vniri non poſſunt ſeminario. p.546. d.366.

Dum Regularis beneficium habet ſæculare

cum debitis requiſitis, an fruatur priuilegijs ſuæ Religionis. p.582. d.389.

Bona.

Bona accepta a Nouitijs reſtituere Regulares debent ſi egrediantur è religione, & ad hoc poſſunt cogi ab Epiſcopis. p.37.d.34.

Bona, quæ dat nouitius in ingreſſu religionis non poteſt Epiſcopus cogere regulares, vt reſtituant. p.38. d.35.

Bona Religioſi validè profeſsi dimiſsi per diſpenſationem pontificiam, Regulares non poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt reſtituant dimiſſo. p.57. d.55.

Poſtquam epiſcopus exegit rationem adminiſtrationis bonorum monialium non poteſt iterum cogere, vt de nouo reddant rationes. p.469. d.319.

C

Campana.

Epiſcopus non poteſt prohibere, ne Regulares pulſent campanas in proprijs eccleſijs, ante pulſationem campanæ parrochialis. pag. 118. d.102.

Campanas benedicere poſsunt Abbates. p.200. d.152.

Quid poſsit epiſcopus circa campanas regularium. p.567. d. 378.

Canonici.

Canonici non veniunt nomine clericorum in odioſis, ſecus in fauorabilibus. pag. 31. d.26.

Canonici Regulares an modo cum licentia Prælatorum tantum poſsint promoueri ad beneficia curata ſæcularia controuerſum eſt. p.254. d.193.

Canones, Canon.

Tranſgreſsores ſacrorum Canonum non poteſt epiſcopus coercere, dum regulares ſunt. p.341. d.246.

Cappella *vide* Oratorium.

In capellis tam poſitis in Monaſterijs Regularium, quam priuatæ alicuius domus poſſunt regulares celebrare. p. 104.d.91.

Cappellæ diuino cultui dedicatæ, quæ nam ſint. p.106. d.92.

Etiam ſi epiſcopus poſset dare facultatem celebrandi in cappellis priuatis per aliquot vices, attamen non tenerentur tunc regulares ab eo petere licentiam. p. 107. d.94.

Capitulum ſede vacante.

Dare poteſt licentiam alicui Epiſcopo vt ordinet Regulares p.91.d.83.

Capitulum ſede vacante non poteſt reuocare Regularibus facultatem audiendi confeſſiones, contrarium tamen docent aliqui p. 152.d. 123.

Capitulum ſede vacante; an poſſit in Regulares quid quid poterat Epiſcopus p.591.d. 396.

Caſuum reſeruatio.

Quid dicendum ſit, an Epiſcopus poſſit ſibi reſeruare plures caſus reſpectu Regularium, quam Parrochorum, & aliorum confeſſorum ſæcularium a p.139. vſque ad 42. d. 114.

Si Epiſcopus, dum dat facultatem Parrocchis abſoluendi a reſeruatis non excludit Regulares, ipſi etiam poßunt abſoluere, ſecus ſi Regulares excludat p. 142. d.115.

Reſeruatio facta ab Epiſcopo reſpectu Parrochorum valida eſt, p. 141. d. 114.

A caſibus reſeruatis Epiſcopo ſiue a iure communi, ſiue a particulari an poſſint abſoluere Regulares p.182.d. 142.

Nulli ſunt caſus reſeruati Epiſcopo a iure communi, quid quid dicant multi p. 183. eodem d.

Abortus eſt caſus reſeruatus Epiſcopo per Gregorium XIV. ibidem.

A reſeruatis poſſunt abſoluere Regulares quando certis diebus indulgentias habent in ſuis Eccleſijs p.186.d.143.

Caſus reſeruare non poteſt ſibi Epiſcopus, quo ad Moniales exemptas p.523.d.254.

An moniales incidant in caſum reſeruatum Epi-

Epiſcopo non comedendi carnes diebus prohibitis, ſi ex voto, vel obſeruantia aliquibus diebus nequeant comedere, & tamen comedant p.523. d. 355.

An Epiſcopus poſſit ſibi reſeruare caſum, dum Regulares ommittunt exequi vltimas voluntates p.609. d.409.

Cenſura vide excommunicatio.

In cenſuras cur quis incidat ipſo facto antè aliquam ſententiam iudicis, & non ſic in alias pœnas p.195. d.148.

Epiſcopus non poteſt excommunicare Regulares quando non obſeruant cenſuras Eccleſiaſticas p. 302.d.279.

Epiſcopus poteſt procedere cenſuris in Regulares, qui miniſtrant Sacramenta ſine licentia,&c. p.396. d. 284.

Regulares etiam ſi ſubſint Epiſcopo quo od reconuentionem non poſſunt excommunicari ab Epiſcopo p.403 .d.291.

Laccrantes cedulones ſi ſint Regulares non incidunt in cenſuram, latam ab Epiſcopo contra lacerantes cedulones p. 403. d. 292.

Clauſura.

Moniales ſpectat ad Epiſcopum adſtringere ad obſeruantiam clauſuræ, & quales p. 495.d.333.

Circa quam clauſuram debent delinquere Moniales, ad hoc, vt poſſint puniri ab Epiſcopo p.498. d. 333.

An ratione clauſuræ Epiſcopus poſſit viſitare Monaſteria monialium exemptarum p. 309. d.343.

Clerici.

Clerici ſæculares poſſunt abſolui ab omnibus Regularibus, etiam ſi Epiſcopus aſſignet pro eorum confeſſionibus certos quoſdam Regulares p.146.d.118.

Clerici delinquentes in Monaſterijs Regularium, an puniri poſſint ab Epiſcopo p.319. d.231.

Clerici, qui antè ingreſſum in religionem delinquunt an debeant puniri ab Epiſcopo, p.365. d.263.

Regularis delinquens cum clerico ab Epiſcopo non debet puniri, ſed a ſuo prælato p. 371.d.265.

Conceptio Beatæ Mariæ.

Si Regulares in publicis lectionibus, concluſionibus, & ſimilibus aſſerant, quod Beata Maria Virgo fuit concepta cum peccato originali ſubiacent ordinario. p.459. d.320.

Quomodo ſe debeant gerere Regulares circa conciones, &c. dum de Conceptione Beatæ Mariæ tractare volunt. ibidem.

Confeſſor Regularis *vide* Abſolutio, abſoluere, Approbatio.

Confeſſor Regularis, qui mutauit domicilium, & iterum rediit ad Diœceſim, in qua fuit approbatus non poteſt iterum examinari ab Epiſcopo. p.131.d.109.*& hoc etiam ſi dum redit dictus Regularis mutatus ſit Epiſcopus* p.132. eodem d.

A Confeſſionibus non poſſunt Epiſcopi ſimul ſuſpendere omnes Regulares vnius conuentus. p.132.d.110.

Vt confeſſiones audiant Regulares in ſuis Eccleſijs tantum non poſſunt cogi ab Epiſcopo. p.143. d.116.

Quando ſine cauſa Regulares admiſſos limitatè ad confeſſiones æſtimandum ſit. p.144.d.116.

Iniuſtè non admiſſus ad confeſſiones Regularis, an poſſit hoc non obſtante audire confeſſiones controuerſum eſt apud Doctores. p.145.d.117.

Regularis approbatus ad confeſſiones ſine examine, non poteſt poſtea ad examen vocari. p.154.d.124.

Dum in confeſſione Regulares audiunt infirmum non poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt Parrochum admoneant. p.175. d.138.

Confeſſoribus Regularibus non poſſunt Epiſcopi taxare, pœnitentias, quas imponant pœni-

Digitized by Google

pœnitentibus ſecus dicendum eſt ſi de peccatis reſeruatis loquamur. p.178.d.139.
Confeſſor ante profeſſionem approbatus ab Epiſcopo poſt profeſſionem poteſt audire adhuc confeſſiones ſine præſentatione Prælatorum, & tunc eſt verè confeſſor Regularis. p.188.d.145.
Schedulam confeſſionis auditæ dare Pœnitentibus non poſſunt Regulares cogi ab Epiſcopo. p.189, d.146.
Quando Regulares confeſſores incurrant pœnas latas ab Epiſcopo contra non obſeruantes aliquos ritus in adminiſtrando Sacramento pœnitentiæ. p.191.d.147.
Confeſſores Regulares ſuſpenſi ab Epiſcopo ipſo facto à confeſſionibus, non tamen ipſo facto ſunt ſuſpenſi, & quare. pag.194. d.148.
Ad quem ſpectet decidere; an confeſſores Regulares præſentati à Prælatis ſint neceſſarij; nec ne. p.195.d.149.
Pro confeſſionibus dum examinantur Regulares poſſunt cogi ad ſtandum. pag.309. d.223.
Delinquens Regularis circa miniſterium confeſſionis poteſt etiam alia pœna puniri ab Epiſcopo, quam pœna ſuſpenſionis à confeſſionibus. p.397.d.264.
Regularis, qui audit confeſſiones ſine licentia Epiſcopi poſſunt ab eodem excommunicari, & quare. p.391.d.277.
An poſſit Epiſcopus excommunicare Regulares, qui abſoluunt à reſeruatis in confeſſione. p.302.d.278.
Modo malè abſoluentes confeſſarij; etiam ſi Regulares ſint, ligantur excommunicatione lata ab Epiſcopo. p.404. d.293.
Confeſſarij Regulares ſi ſint ſcandaloſi poſſunt puniri ab Epiſcopo pœna ſuſpenſionis à confeſſionibus. p.472. d.321.
Ad quem ſpectet dare confeſſores extraordinarios Monialibus. p.514. d.345.
An vltra tres vices poſſint Monialibus tales confeſſores aſſignari. p.515.d.eod.
Confeſſarij Monialium non poſſunt loqui cum Monialibus ſibi commiſſis extra caſus neceſſarios, hoc tamen intelligitur de confeſſoribus Regularibus, non autem de ſæcularibus. p.521.d.351.
Quando nam Epiſcopi poſſint amouere, vel confirmare confeſſarios ordinarios Monialium. p.520. d.350.

Concionatores, *vide* Prædicatores.

Non debet epiſcopus examinare concionatores regulares. p.257. d.194.
Parrochus poteſt dare facultatem bis, aut ter regulari concionandi in propria parrochia ſunt tamen in hoc variæ Doctorum ſententiæ. p.263. d.198.
Regulares, qui in proprijs eccleſijs volunt cõcionari extra Aduentum, & Quadrageſimam non tenentur ſecundum aliquos benedictionem petere ab epiſcopo. p. 265. d.199.
Regularis vnius ordinis poteſt prædicare in Eccleſia alterius ordinis cum ſola benedictione Epiſcopi. p.275.d.205.
Concionantes Regulares ſine licentia Epiſcopi in alienis Eccleſijs poſſunt ab eo excommunicari. p.389. d.281.
An concionantes Regulares in Eccleſijs exemptis Monialium teneantur petere benedictionem ab Epiſcopo. p.521.d.352.

Coniux.

Vt coniuges profeſſionem licitè, & validè faciant non requiritur licentia Epiſcopi. p.58. d.56.
Coniux qui profeſſus eſt ſine licentia alterius propria auctoritate e religione exire poteſt. p. 59. d.57.
Coniux, qui validè profeſſus fuit, ſed non ſeruauit actu, quæ iura volunt obſeruari, poteſt e religione reuocari non tamen propria auctoritate exire. p.60.d.57.
Coniux, qui eſt profeſſus, & poteſt reuocari, auctoritate Epiſcopi eſt reuocandus. ibidē.

Co-

Coniux profeſsus non poteſt reuocari ab Epiſcopo etiam ſi alter maneat in ſæculo cum voto caſtitatis, & cum periculo incontinentiæ. p.61.d.58.

Coniux profeſsus poteſt reuocari e religione ab Epiſcopo, ſi alter maneat in ſæculo ſine voto. p.62.d.59.

Epiſcopus poteſt procedere contra Regulares iniuſtè detinentes coniugem profeſsum. p.63.d.60.

Confraternitas.

Confraternitates ſitæ in Eccleſijs Regularium quomodo poſſint viſitari ab Epiſcopo. p.324. d. 235. *Et quid in eas poſſit.* p.562. d.376.

Confraternitates ſitæ in eccleſijs regularium quando tenentur contribuere pro Seminario. p.646 d.366.

Conſecratio.

An recuſantibus Diæceſanis conſecrare Eccleſias Regularium, poſſint dicti Regulares ad quemcumque Epiſcopum recurrere. p.202.d.153.

Conſecrare poſsunt Abbates ex priuilegio calices, & patenas. p.206.d.158.

Conſecrare Moniales, ad quemnam ſpectet. p.492.d.331.

Conſecrari an poſſint Moniales inuitæ ab Epiſcopo. ibidem.

Pro conſecratione Monialium non poteſt Epiſcopus intrare clauſuram. p.507.d.342.

Conſeruatores.

Quando Regulares elegerunt conſeruatorem in cauſis ciuilibus non habet Epiſcopus iuriſdictionem in Regulares. p.453.d.318.

Regulares facta electione conſeruatoris non poſſunt eum amouere ſine cauſa approbata ab Epiſcopo. p.454. eodem dub.

Quid dicendum ſi Regulares non deponant penes acta curiæ electionis documentum an debeant conueniri coram conſeruatore, an coram Ordinario. p.455.eodem dub.

An Regulares trahere poſſint ſuos debitores coram conſeruatore. p.456.eodem dub.

Conſeruator delinquens in ſuo officio an poſſit puniri ab Epiſcopo. p. 602. d. 403.

Conſeruatores non poſſunt ſe intromittere in controuerſiis de præcedentia, quæ oriuntur inter Regulares. ibidem.

Epiſcopus poteſt eligi in conſeruatorem Regularium, ſicut, & eius Vicarius. ibidem

Quando Monaſterium habet bona ſita in diuerſis diœceſibus; an ſufficiat vnicus conſeruator. ibidem.

Conſuetudo.

Regulares qui ex conſuetudine non ſolent accedere ad proceſſiones, non poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt accedant. p.279.d.210.

Conuentio, conueniri.

Quando nam regulares in cauſis ciuilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum debeant conueniri coram Epiſcopo. p.375. d.267.

Non poſſunt Regulares ratione officiorum publicorum, quæ habent, conueniri coram Epiſcopo. p.367.d.268.

Crimen *vide* Delictum.

Crimina depoſitione digna, quænam ſint. p. 342.d.248.

Cultus Sanctorum.

Non poſſunt Regulares capere informationes, ſuper Sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti etiam ſpeciali nota digni ſine conſenſu Epiſcopi. p. 569. d. 379.

Nec poſſunt publicare miracula inconſulto Epiſcopo. ibidem.

D

Decimæ.

Decimas ob priuilegium non tenentur ſoluere regulares. p. 544. d. 365. *benè poteſt Pōtifex eximere aliquem a ſolutione decimarum.* ibidem.

Quomodo decimas de manu laici recipere poſſint regulares. p.587.d.392.

Delegatio Delegatus.

Delegatio poteſt dari delegato cum reſtrictio-

ne,

ne, & limitatione, p.385. d.280.

Delictum, *vide* crimen.

An epiſcopus poſsit punire Regulares vagãtes prætextu accedendi ad ſuos ſuperiores. p.601. d.402.

Delinquens regularis circa curam animarum puniendus eſt ab epiſcopo. p.209.d.160.

Conditiones, quæ requiruntur ad hoc vt epiſcopus poſsit punire Regulares, qui delinquunt notoriè cum ſcandalo, &c. p. 327. dub.237.

Regulares notoriè delinquentes, &c. cum ſcandalo non poteſt Epiſcopus detinere in ſuis carceribus. p.330. d.238.

Regularem delinquentem in eccleſia notoriè, &c. controuerſum eſt apud Doctores, an poſſit eum epiſcopus punire. pag.331. d.238.

Si Prælatus Regularis delinquat non poterit puniri ab epiſcopo. p.332. d.240.

Regularis degens extra clauſtra cum licentia Superiorum ſi delinquat non poterit puniri ab epiſcopo. p.334. d.241.

Dum Prælatus curat reducere ad Monaſterium Regularem, qui degens ſine licentia extra delinquit, non poteſt ab epiſcopo puniri. p.336.d.242.

Regularem, qui ſine licentia vagatur per diæceſim non poſſunt epiſcopi immediatè punire. p.337.d.244.

Qui nam terminus debet aſſignari ab epiſcopo Prælato Regulari, ad hoc, vt poſſit punire Regularem delinquentem notoriè, &c. p.339.d.245.

Regulares nequeunt puniri ab epiſcopo dum committunt crimina depoſitione digna. p.343.d.248.

Regularis, qui habet aliquod officium ab epiſcopo nequit ab illo puniri ſi delinquat in tali officio. p.344.d.250.

Gregorij XIII. conſtitutio Inſcrutabili de exemptorum priuilegijs *ampliat Concilium Tridentinum quo ad puniendos Regulares.* p.471. d.321.

Regulares delinquentes coram epiſcopo, an ab eo puniri poſſint. p.347.d.251.

Regulares arrogantes ſibi epiſcopalia quomodo epiſcopus poſſit punire. p.357.d.258.

Delinquentem Parrochum extra pertinentia ad curam animarum. p.358.d.259.

Ob delicta commiſſa quando nam nouitius debeat puniri ab epiſcopo, vel à ſuis Prælatis. p.363.d.262.

Clerici delinquentes ante ingreſſum in religionem, à quo debeant puniri. p. 365. d.263.

Delinquentes regulares circa miniſterium cõfeſſionis poteſt etiam alia pœna, quàm ſuſpenſionis à confeſſionibus punire epiſcopus. p.397.d.264.

Delinquens regularis cum Clerico debet puniri à ſuo Prælato non ab epiſcopo p.371. d.265.

Regulares delinquentes delicto hæreſis ſubduntur quo ad punitionem epiſcopo, & Inquiſitori. p.371.d.266.

Diæceſis.

Regulares nullius diæceſis ordinandi ſunt a viciniori Epiſcopo, & quis nam dicatur vicinior. p.78.d.7.

Regulares approbati in vna diæceſi non poſſunt audire confeſſiones in omnibus diæceſibus ſine noua approbatione, p. 148. d. 120.

Regulares approbati in vna diæceſi poſſunt audire ſubditos illius diæceſis vbique locorum. p.149.d. 121.

Dimmiſſoriæ.

Nouitijs dimmiſſoriæ poſſunt fieri, & a Prælatis, & ab Epiſcopo ſi velint ſuſcipere ordines. p.41.d. 39.

Dare dimmiſſorias Regularibus profeſſis pertinet ad prælatos Regulares, nõ ad Epiſcopos p.70.d.66. *& hoc etiam ſi ordinandus regularis accedat ad alienum Epiſcopum pro ordinibus.* p. 74.d.69.

Etiam

Digitized by Google

Etiam cum dimmiſſoris Ordinariorum Abbates nequeunt ordinare non ſubditos. p. 85.d.79.

Diſpenſatio.

In Interſtitijs diſpenſare poteſt Prælatus Regularis reſpectu ſubditorum p. 88. d. 81.

Si Regularis modicè corpore vitiatus indigeat diſpenſatione, in hoc debet diſpẽſari a ſuo Prælato. p.95.d.85.

Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum Regulari, vt ſit capax beneficij ſimplicis quidquid multi dicant. p. 243. d. 183.

An, & quando poſſit Epiſcopus diſpenſare Regulares in irregularitatibus, &c. p.428. d.306.

Diſpenſare poſſunt in votis Regulares, etiam ſi Epiſcopus ſibi reſeruet commutationem & diſpenſationem. p.433.d.308.

Diſpenſare non poteſt Epiſcopus cum eiectis a Religione, vt promoueantur ad ordines. p.445.d.315.

Si autem diſpenſentur debent ordines ſuſcipere ab Epiſcopo ſuæ originis. ibidem.

Diſpenſare non poteſt Epiſcopus in ætate Monialis, quæ debet eligi Abbatiſſa. p.526. d.357.

E

Eccleſia.

Regulares cathedralis Eccleſiæ quomodo ſubſint Epiſcopo p.570 d.380.

Eccleſia Regularis poteſt fieri ab Epiſcopo ſæcularis; quando omnino deficiunt Regulares, ſic etiam ſæcularis poteſt ab eodem fieri Regularis, & quomodo. p.19.d.15.

Laici non poſſunt Eccleſias concedere Regularibus ſine licentia Epiſcopi. p. 19. d. 16.

Eccleſias derelictas poteſt dare Epiſcopus Regularibus cum conſenſu tamen capituli p.23.d.20.

In Eccleſiis Regularium ipſis Regularibus inuitis nequeunt Epiſcopi ordines conferre. p. 82.d.77.

Vt in ſuis tantum Eccleſiis audiant confeſſiones Regulares nõ poſſunt cogi ab Epiſcopo. p.143.d. 116.

Eccleſiæ Regularium derelictæ debent profanari per Ordinarios locorũ, p.204.d.156

Eccleſiam Parrochialem Regularibus dare poteſt Epiſcopus de conſenſu capituli. p. 221.d.168.

In Eccleſiis Regularium non poſſunt ipſis inuitis Epiſcopi conuocare proceſſiones. p. 280. d.211.

Extra proprias Eccleſias quomodo Regulares facere poſſint proceſſiones p. 281.d. 212.

In Eccleſiis Regularium poſtquam clerici ſæculares aſſociarunt corpus defuncti non poſſunt cantare officia. p.302.d. 219.

In Eccleſiis Regularium non habent vim ſtatuta Epiſcopalia. p. 310.d.224.

Ab Eccleſijs Regularium extrahendi reos facultatem dare debet Epiſcopus in caſibus, &c. p. 315.d.228.

Aduerſus eos, qui educunt violenter reos cõfugientes ab Eccleſiis Regularium, conſeruatores Regularium poſſunt procedere. p. 457.d.318.

Eiectus *vide* Expulſus a religione.

Eiectus Regularis nequit ordinari ab Epiſcopo, ſi autem diſpenſetur debet ordinari ab Epiſcopo originis, & titulo reddituum, quos ei aſſignet Epiſcopus. p. 80.d.75.

Eiecti Regulares ſi miniſtrent Sacramenta quæ prohibet miniſtrari Clement. Religioſi *non incidunt in excommunicationem &c.* p. 160.d.127.

Eiecti quo habitu debent incedere. p. 445. d.315.

Ad Epiſcopum pertinet inquirere, an dicti eiecti iuſte, vel iniuſte ſint e Religione eiecti. ibidem.

Superiores Regularium tenentur notificare Ordinario expulſionem eiecti. p. 445. d. 315.

Eleemoſyna.

Non poſſunt Epiſcopi prohibere Regularibus, ne Eleemoſynas quærant. p.529. d. 360.

Prohibentes fieri eleemoſynas Regularibus ſunt ipſo facto excommunicati. ibidem.

Regulares, qui quærunt eleemoſynas extra loca, & diæceſim vbi ſitum eſt monaſterium tenentur oſtendere Ordinario licentiā quærendi eleemoſiynas p. 530.d. 360.

Epiſcopus.

Epiſcopus non poteſt cogere Prælatos Regulares ad teſtificandum in ſcriptis a ſe præſentatos ſubditos eſſe idoneos pro confeſſionibus, quo ad litterarum ſufficientiam. p. 187.d.144.

Epiſcopus dum benedicit, & cōſecrat res Sacras Regularium nihil ab eis poteſt exigere. p.206.d.158.

Epiſcopus poteſt præſentatos, & inſtitutos Parrochos a mouere etiam ſi præſentati ſint a Regularibus p.213.d.162.

Ad Epiſcopum ſolum pertinet ex vi Tridentini aſſignare congruum ſalarium Religioſis deſeruientibus beneficijs, ſeu eccleſiis Parrochialibus p.220.d.167.

Epiſcopi in eccleſijs Regularium ipſis inuitis concionari non poteſt. p.266.d. 200.

Epiſcopus debet præcedere Prælatos regulares in proceſſionibus, quæ fiunt in Monaſterijs p.284.d.215.

Epiſcopus debent ſub mortali venerari a Regularibus p.304.d.222.

Epiſcopi non poſſunt cogere regulares, vt ei in Miſſa aſſiſtant, & obuiam eant. ibidem.

Quid poſſit Epiſcopus circa extrahendos reos ab eccleſiis Regularium. p.315. d. 228.

Non ſolum Epiſcopus eſt ille, qui poteſt viſitare ex vigore Tridentini loca exempta regularium. p.322.d.233.

Epiſcopus non poteſt coercere regulares tranſgreſſores Sacrorum canonum. p.341. d. 247.

An regulares, qui delinquunt, coram Epiſcopo poſſint ab eo puniri. p. 346.d.251.

Epiſcopus punire quomodo poſſit arrogantes regulares ſibi Epiſcopalia. p.357.d.258.

Epiſcopus non poteſt punire regulares nec in eis, in quibus ei ſubduntur niſi expreſſe concedatur punitio. p.359.d.260.

Epiſcopus acceptare non poteſt querelam regularis contra alterum corregularem. p. 383.d.273.

Epiſcopus, qui perturbat iuriſdictionem Prælatorum regularium; an poſſit excommunicari a Prælatis regularibus. p. 450. d. 317.

Non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Prælati regulares poſſunt abſoluere moniales exemptas a caſibus quinque Papalibus. p.518. d. 348.

An Epiſcopus poſſit cogere ad ingreſſum religionis in caſibus, in quibus quis tenetur ingredi p.579.d.387.

Non poteſt Epiſcopus dare regulares tutores miſerabilibus perſonis. p. 588. d. 393.

Epiſcopus dotare poteſt eccleſiam Regularium ex redditibus menſæ epiſcopalis. p. 598.d.399.

Epiſcopus non debet exequi vltimam voluntatem, dum teſtator Monaſterium fundari præcipit, non aſſignato ad id executore. p.610.d.410.

Equites.

Equites Alcantaræ Calatrauæ S. Iacobi, & ſimilium poſſunt ſua peccata confiteri Religioſo etiam non approbato ab Epiſcopo. p.150. d.122.

Equites Hieroſolymitani ſi delinquant nequeunt ab Epiſcopis puniri. pag.342. d.253.

Equites Hieroſolymitani curam animarum exercentes ſubſunt Epiſcopo. pag. 470. d.321.

Eremitæ.

Qui nam eremitæ ſubſint Epiſcopo. p.560. d.374.

Eucha-

Euchariſtia.

Non poteſt epiſcopus prohibere, ne Sacerdotes exteri in eccleſijs Regularium miniſtrent Euchariſtiam. p.161.d.129.

Regulares per modum viatici non poſſunt miniſtrare Euchariſtiam extat tamē circa hoc notabile priuilegium. p.162. d.129.

Euchariſtiam miniſtrare poſſunt Regulares in oratorijs priuatis ſæcularium, etiam contradicente epiſcopo. p.163. d.130.

Euchariſtiam extrahendi ab eccleſijs regularium ius acquirere poſſunt Parrochi ad vſum ſuarum ouium. p.165. d.131.

Euchariſtiam publicè adorandam exponere non poſſunt regulares ſine licentia epiſcopi limitatur tamen hoc. p.166. d.132.

Excommunicatio *vide* Cenſura.

Excommunicatio lata ab epiſcopo contra ſuſcipientes ſine debitis conditiones ordines non ligat regulares, contrarium multi ſuſtinent. p.96. d.86.

Regulares, qui ſine epiſcopi licentia concionantur poſſunt ab eo excommunicari. p.389. d.281.

Regulares audientes confeſſiones ſæcularium ſine licentia epiſcopi per conſtitutionem Gregorij X V. Inſcrutabili *poſſunt ab eo excommunicari.* p.391. d.277.

Si regulares abſoluant ſine licentia à reſeruatis epiſcopo, dubium eſt an poſſint ab eodem excommunicari. p.392. d.277.

Non poteſt epiſcopus excommunicare Regulares delinquentes. p.394. d.280.

Nec poteſt epiſcopus excommunicare Regulares, qui ſunt deſtinati ad regendas eccleſias ſuorum Monaſteriorum ſi delinquant. p.395. d.281.

Regulares, qui commorantur in Abbatijs prioratibus, & ſimilibus, vbi non viget regularis obſeruantia non poſſunt excommunicari ab epiſcopis. p.395. d.283.

Modo per conſtitutionem Gregorij X V. Inſcrutabili *poſſunt Regulares miniſtrantes Sacramenta ſine licentia excommunicari ab Epiſcopis.* p.396. d.284.

Excommunicari, an poſſint Regulares dum delinquunt in cauſis Sanctæ Inquiſitionis. p.396. d.285.

Excommunicari non poſſunt regulares, dum delinquunt in caput cupientes de pœnis in Clement.

Prælati Regulares, qui permittunt egredi Moniales, etiam exemptas è Monaſterio, an poſſint excommunicari ab Epiſcopis. pagin. 398. d.287.

Excommunicari non poſſunt regulares recipientes monialem ſine licentia Epiſcopi ab eodem epiſcopo. pagin. 400. dub. 288.

Excommunicare non poteſt Epiſcopus regulares, qui publicant indulgentias impetratas à Summo Pontifice ſine eius licentia. p.400. d.289.

Epiſcopus non poteſt declarare regulares excommunicatos, dum incidunt in excommunicationem quidquid dicant multi Doctores. p.409. d.295.

An Nouitius poſſit excommunicari ab Epiſcopo. p.410. d.296.

Declarare non poteſt Epiſcopus excommunicatum regularem, qui percuſſit notoriè Clericum. p.428. d.305.

Exemptio Exempti.

Exemptus lite pendente eſt manutenendus aduerſus ordinarium in exemptione. p.196. d.149.

Inter exemptum per priuilegium, & per præſcriptionem eſt diſcrimen. ibidem.

In loco non exempto non habent vim ſtatuta Epiſcopi in eos, qui ſunt exempti. p.312. d.225.

Qui delinquunt in loco exempto, & poſtea redeunt ad locum non exemptum quomodo poſſint puniri ab Epiſcopo, & ordinario. p.313. d.226.

Exempti ſi illicitas negotiationes exerceant, ne-

nequeunt puniri ab Ordinario. pag. 344. d. 249.

Exempti Regulares hæredes laici non exempti non poſſunt conueniri coram Ordinario, dum agitur de hæreditate. p.378. d.269.

Exemptio regularium eſt modo de iure communi. p.586.d.391.

Exorcizare.

Regulares poſſunt exorcizare, & ſine licentia epiſcopi, imò etiam ipſo contradicente. p.169. d.135.

Nec clericis ſæcularibus hoc poteſt prohibere Epiſcopus in ſententia aliquorum. ibidem.

Expulſi à Religione *vide* eiecti.

Expulſus à religione ſi miniſtret Sacramenta, quæ prohibet miniſtrari Clement. Religioſi non incidit in excommunicationem. p.160. d.127.

Expulſo à religione non poteſt Epiſcopus dare facultatem concionandi, ſicut nec illi, qui viuit extra obedientiam Superiorum. p.269.d 202.

Expulſus regularis non tenetur ex vi voti obedientiæ obedire epiſcopo. pag.444. d.315.

Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum eiectis, ad hoc vt promoueatur ad ordines. p.445. d.315.

F

Familiares Regularium.

Familiaribus ſuis quomodo regulares poſſint Sacramenta miniſtrare. p.156.d.125.

Matrimonio dictorum familiarium non poſſunt regulares aſſiſtere. ibidem.

Dictos familiares à caſibus reſeruatis epiſcopo poſſunt abſoluere regulares: contrarium docent graues Doctores. ibidem.

Nec poſſunt dicti familiares excommunicari ab epiſcopo. p.158. d.125.

Familiares iſti etiam, dum ſunt extra conuentum, & comitantur regularem aliquem poſſunt ab eo abſolui, &c. ibidem.

Familiaribus iſtis etiam extremam vnctionem poſſunt dare regulares. ibidem.

Feſti dies.

Regulares tenentur ſeruare feſta indicta ab epiſcopo. p.438.d.311.

Non tenentur tamen ſeruare feſta voto à populo facta, & confirmata ab epiſcopo. ibidem.

Octauam feſti ab Epiſcopo indicti ſeruare cogi non poſſunt regulares. ibidem.

In dictis feſtis ab epiſcopo præceptis regulares proprios ritus ſeruare debent nec aliter cogi poſſunt. ibidem.

Epiſcopus non poteſt cogere regulares, vt in eorum eccleſijs publicent feſta, & ieiunia. p.443.d.314. *non tamen poteſt prohibere ne publicent*. ibidem.

Fidei profeſſio.

Non debent domini epiſcopi fidei profeſſionem exigere à concionatoribus regularibus. p.259. d.195.

Fœminæ.

Regulares, qui fœminas intra clauſtra introducunt, an poſſint abſolui à ſuſpenſione in quam incidunt ab epiſcopo. p.437.d.310.

An Regulares teneantur illa ordinatione epiſcopi, ne abſoluant, & audiant in confeſſione fœminas ante certam ætatem. p.559. d.373.

Fundare *vide* Monaſterium.

Regulares retinere poſſunt illa Monaſteria, pro quorum facta fundatione nequeunt oſtendere conſenſum epiſcopi, & quomodo hoc valeat. p.15. d.14.

Dum fundatur nouum Monaſterium Monialium, debent Prælati aliorum Monaſteriorum Monialium vocari. p.522.d.353.

G

Generalis Regularium.

Generales ordinum an debeant examinari ab epiſcopis, vt audiant confeſſiones. p.181. d.141.

Ge-

Generales ordinum non ſunt approbandi ab epiſcopo, vt audiant confeſsiones Monialium præciſa tamen declaratione S. Congregationis. p.516. d.346.

Græci.

Regulares Græci, qui ſunt in quibuſdam Italiæ locis, & vniti cum eccleſia Romana ab Ordinarijs locorum debent viſitari. p.533. d.363.

H

Habitus Regularium.

Habitum dimiſſum ſi reaſſumat profeſſus reclamans debet audiri ab Ordinario. p.55. d.51.

Quod Regulares audiant confeſsiones cum tali habitu non poſſunt cogi ab epiſcopo, puta vt audiant cum ſtola, & ſuperpelliceo. p.193. d.147.

Regularibus non poteſt præcipere epiſcopus, vt cum quodam certo habitu concionentur. p.276. d.206.

Eiecti ſi ſint in ordinibus ſacris tenentur incedere in habitu clericali. p.445. d.315.

Secus ſi non ſint in ordinibus ſacris. ibidem.

Habitum regularem deferendi non poteſt facultatem dare epiſcopus. p. 576. d.383.

Tertiarij etiam ſi non portent habitum cum cappucio, adhuc ſi emittunt vota non ſubduntur epiſcopo. p.577. d. 384.

Hæreſis.

Regulares incidentes in Hæreſim ſubduntur Epiſcopo quo ad punitionem. pag. 371. d.266.

Regularis ſine licentia Superioris proficiſcens vltra mare eſt ſuſpectus de hæreſi. p.373. *eodem dub.*

Sunt etiam ſuſpecti de hæreſi Regulares profeſsi: contrahentes matrimonium, & ſecundum opinionem multorum etiam illi, qui contrahunt ſponſalia. ibidem.

Hora, Horæ Canonicæ.

In Horis Canonicis, ſi Regulares exempti nō recitent hymnos iuſſu Vrbani VIII. correctos poteſt in eos procedere Epiſcopus. p.472. d.322.

Regulares poſſunt vti calendario Romano Epiſcopali non tamen ad hoc cogi ab Epiſcopo. p.554. d.369.

Dum Regulares ſeruiunt Epiſcopo poſſunt ſe cum eo conformare in officio. ibidem.

Hoſpites Regularium.

Hoſpites noſtræ Congregationis; an gaudeant priuilegijs nouitiorum controuerſum eſt apud Doctores. p.34. d.31.

Quomodo ſuis hoſpitibus poſsint Regulares Sacramenta miniſtrare. p.157. & 158. d.125.

Hoſpitium.

Ad ædificanda hoſpitia non requiritur licentia Epiſcopi. p.7. d.6.

Pro reædificatione hoſpitij non poteſt Epiſcopus cogere vicinos ad vendendum fundū, rationes tamen validæ ſunt pro contraria parte. p.22. d.19.

I

Ieiunium.

Ieiunia indicta ab Epiſcopis ſeruare non tenentur exiſtentes in locis exemptis. p.314. d.227.

Non obligantur Regulares ieiunijs indictis ab Epiſcopo. p.440. d.312.

Moniales quomodo obligentur ieiunijs indictis ab Epiſcopo. p.442. d.313.

Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, vt in eorum Eccleſijs publicent feſta, & ieiunia. p.443. d.314. *non poteſt tamen prohibere ne publicent.* ibidem.

Imagines.

Regulares imagines inſolitas pingentes, ſculpentes, vel pingi, aut ſculpi facientes ſubduntur ordinario. p.474. d.322.

Indulgentia.

Quando Regulares habent indulgentias certis diebus in ſuis Eccleſijs abſoluere poſſunt a reſeruatis. p.186. d.143.

Indul-

Indulgentias condere Epiſcopus poteſt Eccleſijs Regularium. p.318. d.229. & pag. 604. d.404.

Interdictum *vide* Cenſuræ.

Non poſſunt ab Epiſcopis Regulares interdici, ſicut nec eorum eccleſiæ. pag. 405. d.294.

Interdicta tamen ab ordinario poſita tenentur ſeruare Regulares. ibidem.

Multi tamen ſunt dies in quibus non tenentur ob priuilegium Regulares ſeruare dicta interdicta. ibidem. p.406.

Qualiter teneantur ſeruare regulares hæc interdicta. ibidem.

An interdicere poſſit Epiſcopus Regulares Parrochos, aut Eccleſias regulares Parrochiales. ibidem.

Irregularitas, Irregularis.

Irregularitatem incurrit Regularis, ſi validè ſuſpenſus celebret; ſecus autem dicendum eſt de Regulari, qui interdictus fuit ab Epiſcopo ne celebraret in quibuſdam eccleſijs, & tamen in eis celebrauit. pag. 112. d.98.

Irregulares an ſit confeſſor Regularis ſuſpenſus à confeſſionibus, eas tamen audiat. p.133. d.110.

Irritans, Irritatio.

Quomodo poſsit Epiſcopus irritare vota Regularium. p.432. d.307.

Itinerantes Regulares.

Regulares itinerantes poſſunt confiteri ſua peccata Sacerdoti ſeculari, etiam non approbato ab Epiſcopo. p.198. d.151.

Iubilæum.

Si confeſſor virtute Iubilæi audiat confeſsiones, dum eſt alibi approbatus non poteſt ab Epiſcopo puniri. p.198. d.151.

Iubilæi tempore; an Moniales poſsint eligere quemlibet confeſſarium approbatum ab Ordinario controuerſum eſt. pag. 519. d.349.

Regularis electus ab alio Regulari virtute Iubilæi pro aliquo caſu Sedi Apoſtolicæ reſeruato, an debeat eſſe approbatus ab ordinario. pag.612. d.412.

Ius Patronatus.

Poteſt laicus Ius Patronatus dare religioſo loco ſine conſenſu Epiſcopi. p.246. d.185.

L

Lector, Lectio.

Quando Epiſcopus poſſit punire ſuperiores Regulares, qui non mandant in ſuis monaſterijs haberi lectionem ſacræ Scripturæ. p.350. d.254.

Lex.

Leges quare mortuo legis latore adhuc durent. p.185. d.142.

Libri.

Degentes intra ſtatum Sedi Apoſtolicæ ſubiectum libros a ſe compoſitos non poſſunt alio mittere imprimendos ſine licentia Ordinarij, & Inquiſitoris, p.473. d.322.

Licentia.

Licentia, quæ datur nouitijs renunciationem faciendi quomodo debet dari. p.35. d.32.

Sine licentia Prælatorum depoſitio Regularium facta in iudicio an valeat. pag.382. d.272.

Examen Epiſcopi non licentia requiritur ad recipiendam monialem. p.400. d.288.

Licentiā ingrediendi Monaſteriū Monialium, quis nā debet concedere. p. 500. d.336.

Dare licentiam extrahendi corpus occiſi ad finem capiendi informationes ab Eccleſijs Regularium ſpectat ad Prælatum Regularem, non ab Epiſcopum. p.528. d.359.

Licentiam adeundi ſtudia Regularibus non exemptis quis debeat dare. pag. 574. d.381.

Limina Apoſtolorum.

Non poteſt Epiſcopus mittere pro ſe Regularem ad viſitanda limina Apoſtolorum niſi, cum nulli alij eſſent qui mitti poſſent. p.531. d.361.

De

M

Matrimonium.

De cauſis Matrimonialibus etiam alij Prælati inferiores iuriſdionem quaſi epiſcopalem habentes cognoſcere poſſunt. p. 173. d. 137.

Regulares officium Parrochi exercentes an poſſint apud Indos coniungere vagos Matrimonio ſine licentia Epiſcopi. p. 231. d. 174.

Miſſa.

Regulares infirmi poſſunt facere celebrare Miſſam, vbi iacent ſine licentia epiſcopi. p. 106. d. 93. *quo priuilegio etiam Moniales gaudent.* ibidem.

Epiſcopus non poteſt viſitare regulares ad videndum an ſatisfecerint obligationibus Miſſarum quidquid dicat Ferro Manrique. p. 108. d. 95.

Si regulares Miſſas anticipate celebrent pro primo ſtipendium daturo, non poſſunt tamẽ ab Epiſcopis puniri, ſed debent coerceri a ſuis Prælatis. p. 109. d. 96.

Dum Epiſcopi ex priuilegio poſſunt reducere onera Miſſarum, tali priuilegio etiam poſſunt frui regulares. p. 110. d. 97.

Epiſcopus poteſt prohibere regularibus, ne admittant ſacerdotes exteros in ſuis eccleſiis ad celebrandum ſine eius licentia. p. 112. d. 99. *hoc tamen non valet preciſa declaratione Sacræ congregationis.* ibidem p. 113.

An Regularis, qui duas Miſſas celebrat eadem die poſſit puniri ab Epiſcopo. p. 114. d. 100.

Quomodo Epiſcopus debet admittere regulares itinerantes, qui volunt celebrare Miſſas. p. 11 . d. 101.

Stipendia iuſtè taxata ab Epiſcopo tenentur ſeruare etiam Regulares, ſed non ex vi coactiua ſed ex quadam æquitate. p. 116. d. 102.

Miſſas celebrare tali determinata hora non tenentur Regulares ex ordinatione Epiſcopi. p. 117. d. 102.

Si Regularis nolet miſſam per totum annum celebrare, non tamen ob hoc in eum poteſt procedere Epiſcopus. ibidem. p. 118.

In canone Miſſæ tenentur regulares nominare Epiſcopum diœceſis, in qua celebrant, nec eius vite poſſunt nominare Generalem, aut aliquem ex ſuis Prælatis. ibidem. p. 118.

In Miſſis feſtorum, quæ obſeruari præcipit epiſcopus non poſſunt regulares nec tenentur mutare ſuum ritum. ibidem. p. 118

Miſſas celebrare non poſſunt Regulares hora veſpertina in aliqua ſolemnitate, & ſi hoc faciant pœnis affici poſſunt ab Epiſcopo. ibidem. p. 118.

Miſſas celebrare poſſunt Regulares in oratorijs priuatis alicuius domus etiã ſine licẽtia Parrochi p. 119. d. 103.

Miſſas non poſſunt Moniales facere celebrare in proprijs eccleſijs ſine facultate Ordinarij, & ſuperioris. p. 507. d. 341.

Regulares non poſſunt cogi ab Epiſcopo ad faciendam commemorationem ipſius in vltima collecta. p. 555. d. 369.

Monaſterium vide ædificare.

Licentia Epiſcopi requiritur ad fundanda monaſteria. p. 1. d. 1.

Iam non requiritur ad monaſteria erigenda licentia Summi Pontificis, & hoc etiam ſine priuilegio. p. 4. d. 2.

Dum de nouo congregationes clericorũ ſecularium eriguntur Epiſcopus debet alios Regulares conuocare, & quare. p. 5. d. 3.

Epiſcopus in erectione Monaſterij non ſemper tenetur conuocare alios regulares, & quando tenetur p. 6. d. 4.

Quid dicendum, dum regulares mutant monaſterium de loco ad locum. p. 9. d. 7.

Quando monaſterium quod de nouo ædificatur eſt ſecurum de redditu, &c. tunc ſufficit licentia epiſcopi p. 10. d. 8.

Si Summus Pontifex concedat eccleſiam regu-

regularibus adhuc requiritur facultas epiſcopi,& quomodo. p.11.d.9.
Monaſterium quod erat funditus euerſum, ſi reficiatur requiritur licentia epiſcopi ad talem refectionem, ſecus ſi non erat funditus euerſum. p.12.d.10.
Monaſteria vnire poſſunt Regulares ex priuilegio. p.14.d.12.
Dum Regulares ſponte dimmittunt Monaſterium, ſi iterum velint illud occupare, an debeant habere facultatem Epiſcopi. p.15. d.13.
Adminiſtratores bonorum Monaſterij virorum non tenentur reddere rationem Epiſcopo. p.472.d.321.
Puellæ non poſſunt admitti intrà monaſteriũ Monialium ad ſuſcipiendum habitum ſine licentia ordinarij. p. 498.d.334.
Monaſteria Regularium exempta non tenentur ſoluere Epiſcopo charitatiuum ſubſidium. p. 589.d.394.

Monachus.

Monachi non poſſunt eſſe patrini in baptiſmo, oppoſitum tamen improbabile non putat author. p.168.d.134.

Monetarij.

Regulares falſos monetarios poteſt ordinarius punire p.353.d.256.
Quomodo poſſit Epiſcopus procedere in regulares falſos monetarios. p.475.d.323.

Monialis.

De Confeſſoribus Monialium agitur. p. 520. & 521.d. 350.& 351.
*Epiſcopus in fundatione monaſterij Moniali*ũ *debet facere quod facit in fundatione Monaſterij virorum.* p.7.d.5.
Monialis profeſſio facta ſine præuio examine Epiſcopi valida eſt. p. 55.d.53.
Monialium numerum inquirere poſſunt ordinarij,& Epiſcopi. p. 479. d.324.
Moniales exemptas non poſſunt Regulares ſubdere ordinario ſine facultate Summi Pontificis. p.485.d.326.
Non poteſt Epiſcopus ipſis monialibus inuitis recipere monialem ad profeſſionem. p. 487.d.327.
Ab Epiſcopo debet explorari voluntas puellarum, quæ ad habitum religionis admittuntur. p.488.d.328.
Ad hoc, vt Monialis tranſeat ad ſtrictiorem religionem an requiratur licentia Epiſcopi. p.490.d.329.
Moniales quomodo obedire Epiſcop. tenẽtur. p.494.d.332.
Quando Epiſcopus,& ordinarius poſſit ingredi Monaſteria Monialium ſibi ſubditarum. p.499.d.335.
Licentiam ingrediendi Monaſteria Monialiũ, quis nam debet concedere. p.500.d.336.
Ad quem ſpectet dare licentiam accedendi ad Moniales exemptas. p.503. d.338.
Regulares loquentes cum Monialibus ſine licentia Epiſcopi, quando nam incidant in cenſuras latas ab Ordinarijs,& Epiſcopis. p.504.d.339.
Epiſcopus exterus, non poteſt loqui cum Monialibus, ſi ſtemus in iure. p. 506.d.340.
Miſſas non poſſunt Moniales facere celebrare in proprijs eccleſijs ſine facultate ordinarij, & ſuperioris. ibidem. d.341.
Moniales, etiam ſi ſubdantur Epiſcopo, gaudent priuilegijs ſui ordinis, quibus gaudent regulares viri exempti. p. 512.d.344.
Epiſcopus debet dare confeſſores extraordinarios Monialibus etiam exemptis. p.514. d.345.
Moniales non exemptæ an abſolui poſſint per ſuos confeſſarios ordinarios a caſibus reſeruatis ordinario, & a quinque caſibus reſeruatis per Clementem VIII. p.516. d.346.

Mulieres *vide* Fœmina.

Confeſſores Regulares, qui mulieres ante ſolis ortum,& poſt ſolis occaſum audiũt in nullas incidunt pœnas latas ab Epiſcopis. p 192.d.147.

Mulie-

Mulieres baiulas ingredientes clauſtra Regulariũ, an punire poſſit Epiſc.p.600.d.401.

N

Negociatio.

Regulares, qui illicitas negociationes exercẽtes nequeũt puniri ab Epiſc.p.344.d.249

Notarius.

Epiſcopus non poteſt præcipere conſeruatoribus, vt vtantur notarijs Epiſcopalibus, ſed ad libitum poſſunt conſeruatores vti notarijs, quos volunt p.457.d.318.

Notorium.

Notoriũ quãdo quid dicatur, & diuiſiones notorij, quas adducũt doctor.p.328.d.236.

Nouitij.

Nouitiorũ recipiẽdorũ informationes capiẽdæ ſunt a Prælatis Religionũ.p. 28. d. 24.

Nouitius, qui ante ingreſſum erat Parrochus poteſt ſine noua approbatione audire confeſſiones.p.42.d.40.

Nouitij donatio intra duos mẽſes etiã ſine cõſẽſu Epiſc.eſt aliquãdo valida.p.36.d.33

Epiſcopus non poteſt prohibere, ne quis in conuerſum, vel oblatũ recipiatur.p.29.d.25.

In nouitios Regulares non habent iuriſdictionem Epiſcopi p.30.d.26.

Nouitiorũ ordinarius, quis nã ſit.p.31.d.27.

Nouitij non incidunt in caſus reſeruatos Epiſcopo. p.32.d.28.

Nouitij poſſunt confiteri cum omnibus confeſſorib⁹ approbatis ab ordinario.p.31.d.26

Nouitij nõ includũtur in Bulla Clemẽtis VIII de largitione munerum. ibidem.

Epiſcopus in nouitium delinquentem poteſt ſicut in alios Regulares delinquentes extra &c. procedere in ſententia multorum, cõtrarium tamen ratio ſuadet p. 33. d. 29.

Nouitij ſi deberent, ordinari, vtique ordinandi eſſent ab Epiſcopo loci, in quo eſt nouitiatus. p.34.d.30.& p.68.d.63.

Epiſcopi debent concedere facultatem nouitijs renunciationem faciendi, nec hoc poſſunt Prælati Regulares.p.35.d.32.

Regulares poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt reſtituant bona accepta a Nouitio, ſi e religione egrediatur.p.37.d.34.

Epiſcopus non poteſt compellere Regulares, vt admittant ad profeſſionem nouitiũ, quẽ ſine cauſa volunt licentiare. p.41.d. 38.

Nouitij quomdo poſſint renunciare beneficium quod habent.p.248 d.186.

Nouitij corã quo iudice debeãt proſequi litẽ, quã inceperũt, vt exẽpti, & e cõtra litem quam incæperunt, vt non exempti. p. 40. d.37.

Nouitij Regulares ſi miniſtrẽt ſacramẽta, quæ prohibet miniſtrari Clement non incidunt in excommunicationem. p. 160.d.127.

Nuncij Papæ.

Quãdo nã Nũcij habeant regulariter poteſtatem in Regulares. p. 590. d. 395.

Quis debet continere domi Regulares, dum tempore peſtis quadragenarium inſtituitur a publico Nuncius, vel Epiſcopus. p.599. d.400.

O

Oblatio.

Controuerſum valde eſt apud doctores, an oblationes factæ Epiſcopo celebrãti in eccleſiis exemptis Regularium ſint Epiſcopi, vel loci.p.306.d.221.

Oblationes factæ imagini pictæ in eccleſiis Regularium cuius ſint.p.577.d.385.

Officij Diuini recitatio *vide* Horæ canonicæ.

Hymnos Vrbani VIII. iuſſu correctos tenentur recitare in choro regulares, & ad hoc præſtandum poſſunt cogi ab epiſcopo. pagin.472. d.322.

Oleum.

Quotuplex eſt oleum conſecratum, & quando tenentur regulares hoc petere ab epiſcopo. p.200.d.152.

Ordinarius.

Ordinarius non ſolum poteſt, ſed tenetur inquirere de numero religioſorum ſecundum

aliquos, contrarium tamen docet auctor. p.478.d.324.

Puellæ manentes cauſa educationis in locis exemptis regularium non ſubduntur Ordinario: contrarium tamen multi docent. p.502.d.337.

Ordo.

Ordinari debent regulares ab epiſcopo loci, vbi Monaſterium ſitum eſt. p.67.d.62.

Ordinari debent Nouitij etiam ab epiſcopo loci in quo eſt Monaſterium, contrarium tamen etiam eſt probabile. p.68.d.63.

De ætate, & moribus ordinandorum regularium non poteſt inquirere epiſcopus. p.68. d.64.

Ordinari poſſunt regulares etiam ſi linguam latinam non caleant. p.69.d.65.

Ordinari non poſſunt regulares ſine dimiſſorijs Prælatorum regularium ordinandorum. p.70.d.66.

Ordinandus regularis multa debet afferre epiſcopo ordinanti, & quæ nam hæc ſint. p.72.d.67.

Cum ſolis dimmiſſorijs Prælatorum poteſt ordinari regularis vltramontanus, etiam poſt decretum Vrbani VIII. quod incipit Secretis æternæ prouidentiæ conſilijs. p.74.d.68.

Etiam ſi regularis ordinandus accedat pro ordinibus ad alienum epiſcopum, dimmiſſorias debet dare Prælatus regularis non epiſcopus. p.74.d.69.

Ordinandus regularis ſufficit ſi teſtimonium afferat ſuorum Prælatorum de abſentia Diœceſani. p.75.d.70.

Regulares, qui ad ordines accedunt poſſunt examinari ab epiſcopo. p.76.d.71. imò ſunt, qui putant hoc neceſſario debere fieri ab epiſcopis. ibidem.

Quid dicendum, dum Diœceſanus ponit alium qui vice ſua ordinet, an tunc regulares poſſint à quocumque epiſcopo ordinari. p.77.d.72.

Regulares nullius diœceſis ordinandi ſunt à viciniori epiſcopo, & quis nam dicatur vicinior. p.78.d.73.

Regularis, qui irritam profeſſionem emiſit, & & reclamat non poteſt ordinari ab epiſcopo, niſi habeat, vel beneficium, vel patrimonium. p.79.d.74.

Regulares eiecti non poſſunt ordinari ab epiſcopo. p.79.d.75. ſi autem diſpenſentur ordinari debent ab epiſcopo originis, & titulo redditum ab epiſcopo deſſignatorum. p.80. eodem dub.

Regulares nequeunt ordinari ante debitam ætatem p.81.d.76.

Epiſcopi nequeunt ordinare in eccleſijs regularium ipſis regularibus inuitis. p.82. d.77.

Etiam modo probabiliter dicendum eſt poſſe regulares ordinari in proprijs domibus, & eccleſijs ſine licentia Diœceſani, quando Diœceſanus non ordinat. p.84.d.78.

Regulares, qui inualidè profeſſionem emiſerunt, ſi accedant ad ordines ſacros poſſunt ordinari ab Epiſcopis, etiam ſi ſciant inualidè eſſe profeſſos dictos Regulares accedentes, &c. p.87.d.80.

In interſtitijs pro Regularibus quis debeat diſpenſare. p.88.d.81.

Epiſcopus poteſt ordinare Regulares extra tempora quidquid multi dicãt. p.90.d.82.

Dare poteſt Capitulum Sede vacante facultatem alicui Epiſcopo, vt ordinet Regulares. p.91.d.83.

Et ad Epiſcopum, & ad Prælatum ſpectat declarari defectum corporis vitiati ob quem Regularis nequit ad ordines promoueri, dum adeſt dubium de hoc defectu. p.93.d.84.

Regulares, qui ad ordines accedunt ſine debitis conditionibus non ligantur excommunicatione lata ab Epiſcopo. p.96.d.86. eis tamen prodeſt abſolutio data ab Epiſcopo. ibidem.

Ordi-

Ordinare non poteſt epiſcopus Regulares ordinibus ſacris, vna & eadem die. p. 97. d.87.

Quæritur an etiam modo extante decreto Clementis VIII. poſſint Regulares ordinari ab Epiſcopo originis, notabilis Zippæi ſententia. p.99.d.89.

Epiſcopus hoſpes quando Diœceſanus non ordinat, vel mortuus eſt poteſt ordinare Regulares ſine aliqua licentia, vel Diœceſani, vel capituli ſede vacante. p.100.d.90.

Ordines poſſunt conferre Abbates, etiam ſi non ſint benedicti ex priuilegio. pag.205. d.157.

Regulares ordinandi in Regno Neapolitano non comprehenduntur decreto ſub Gregorio XV. 10. Kalend. Iulij 1623. *circa promouendos ad tonſuram & minores ordines in Regno Neapolitano.* pag. 458. d.319.

Dum Diœceſanus non ordinat, etiam ſi ſit præſens, & alium ponat pro ſe ordinantē, Regulares poſſunt accedere pro ordinibus ad quemlibet epiſcopum. p.557.d.372.

Oratorium *vide* Cappella.

In Oratorijs priuatis, tam poſitis in Monaſterijs Regularium, quam priuatæ alicuius domus poſſunt Regulares celebrare. pag. 104,d.91.

Oratoria diuino cultui dedicata, quæ non ſint. p.106. d.92.

Etiam ſi epiſcopus poſſet dare facultatem celebrandi in Oratorijs priuatis per aliquot vices attamen, non tenerentur tunc Regulares ab eo petere licentiam, vt celebrarēt in dictis Oratorijs. p.107. d.94.

Regulares poſſunt in ſuis Monaſterijs fundare Oratoria ſine facultate epiſcopi. p.557. d.371.

In talibus Oratorijs poſſunt regulares inſtituere Congregationes laicorum, qui conueniant ad canendum officium Beatæ Mariæ, & ſimilia opera exercenda, ibidem.

P

Palma.

Si epiſcopus in die palmarum accedat ad eccleſias Regularium debet, & poteſt ipſe benedicere palmas priuatiuè quo ad Prælatos regulares. p.201. d.154.

Palmas poſſunt benedicere regulares eaſque diſtribuere. p.202. d.152.

Parrochus, Parrochia.

Parrochi poſſunt ingredi religionem etiam inuito epiſcopo, tenentur tamen petere licentiam. p.43. d.40.

Parrochi regulares amoti a Parrochijs poſſint audire confeſsiones ſine noua approbatione. p.146. d.119.

An ſufficit licentia epiſcopi, etiam ſi Parrochus eam non det, ad hoc, vt regulares miniſtrare licitè poſſint Sacramenta, quæ prohibet miniſtrari Clement. Religioſi. p.166. d.133.

Parrochus conſuetudine immemorabili poteſt acquirere ius extrahendi Euchariſtiam ab eccleſijs regularium ad vſum ſuarum omnium. p.164. d.131.

Parrochi, qui cogunt Parrochianos confeſſos regularibus iterum confiteri denunciandi ſunt officio ſanctæ Inquiſitionis. pag.190. d.146

Ad Parrochias inſtitui Regulares quomodo poſſint ab epiſcopis p.208. d.159.

Quando Parrochia eſt regularis tunc præſentati à Prælatis debent approbari, & examinari ab epiſcopis. p.209. d.159.

Parrochi regulares ad parrochiā ſæcularem promoti, quō ſubſint epiſc. p.209. d.160.

Parrochus regularis ſi deliquat circa curā animarū eſt puniēdus ab epiſ. p.210. d.161.

Quomodo poſſit epiſcopus viſitare Parrochias regularium. p.217. d.165.

Parrochialē eccleſiā dare poteſt epiſc. de cōſenſu capituli regularibus. p.221. d.168.

Parrochiā regularem, nō poteſt epiſcopus auferre à regularib. & dare illā ſæcularib. ēt

ſi tēpore peſtis negligentes eſsent regulares ĩ adminiſtrãdis Sacram.p.222.d.169.

Partem curæ ab eccleſia Parrochiali regularium apud Indos epiſcopus auferre nõ poteſt. p.223.d.170.

Parrochi regulares quomodocumq. Parrochi ſint poſsunt audire cõfeſſiones ſæcularium ſine approbatione epiſcopi.p.225.d.172.

Parrochi regulares quatenus Parrochi ſunt poſſunt examinari ab epiſcopis ſicut omnes alij Parrochi.p.226.d.172.

Prælatus regularis, monaſterij, quod annexã habet Parrochiam poteſt audire confeſſiones ſine approbatione epiſc.p.227.d.172.

Parrochus regularis an poſſit cogi accedere ad proceſſiones.p.231.d.174.

Parrochi regulares non poſſunt cogi ab epiſcopo, vt accedant ad congregationem caſuum conſcientiæ. p.232.d.175.

Parrocho regulari, vt abſit à Parrochia, quis debeat dare licentiam. p.237.d.177.

Quando Parrochia eſt annexa Monaſterio, tũc mouetur dubium, an omnes regulares illius Monaſterij ſint Parrochi, & affirmatiuè reſpondetur. p.238.d.178.

Parrochi regulares, dũ delinquũt in ſuo officio an poſsĩt puniri à Prælatis nullius diæceſis in qua ſunt, & delinquunt.p.241.d.181.

Per ius Parrochiale, quid intelligitur, & hoc habitu reſpectu regulariũ. p.561.d.375.

Patrinus.

Religioſi, qui Monachi non ſunt poſſunt eſſe patrini in baptiſmo, quidquid dicat communior ſententia.p.167.d.134.

Etiam ſi religioſi non poſſent eſſe patrini in baptiſmo, non tamen requireretur licentia epiſc. vt poſſent eſſe tales. p.168.eod.d.

Patronus.

Patronus nequit trahere regularem exemptum coram epiſcopo, ſi delinquat circa beneficium.p.250.d.188.

Dum Patroni ſunt regulares, & præſentat quid debeat facere epiſc. p.254.d.192.

Peſtis.

Tempore peſtis, dum agitur quadragenarium quis debet domi continere Regulares. p.599.d.400.

Tempore peſtis an Regulares cogi poſsint ab Epiſcopo, vt Sacramenta miniſtrent infectis. p.171.d.136.

Tempore peſtis ſi Regulares qui habent parrochiam ſint negligentes in adminiſtrandis Sacramentis infectis, non tamen per hoc poteſt ab eis Epiſcopus auferre Parrochiã. p.223.d.169.

Prædicatores vide Concionatores.

Regulares qui prædicant ſine benedictione prædicant modo poſſunt ab Epiſcopis puniri ſunt tamen qui contrarium docent. p.260.d.196.

Regulares poſſunt prædicare in ſuis Eccleſiis, dum Epiſcopus non prędicat, ſed alium facit prædicare in Cathedrali contrarium tamen docent multi. p.262.d.197.

Perſonaliter, & non per litteras debet petere benedictionem ab Epiſcopo Regularis dum vult concionari. p.263.d.199.

Epiſcopi prohibere nõ poſsũt Regularib', quod prædicẽt in ſuis Eccleſijs. p.266.d.200.

Regularis Prædicator ſemel admiſſus ab Epiſcopo non tenetur coram eodem ſe iterum præſentare. p.267.d.201.

Quæ nam ſint cauſæ, ob quas Regulares poſſunt ſuſpendi a concionibus per dominos Epiſcopos p.269.d.203.

Quando dicitur in Concilio. Seſſ. 24.cap.4. de Reform. quod nullus Regularis prædicet contradicente Epiſcopo quomodo intelligendum. p.270.d.204.

Prædicare poſſunt regulares in locis publicis vijs, & plateis ſine licentia epiſcopi. p.471.d.321.

Prælatus Regularis.

Prælati non poſſunt audire confeſſiones ſæcularium ſine approbatione epiſcopi, contrarium tamen docent multi. p.124.d.107.

Præ-

*Prælati regulares non poſſunt cogi ab epiſcopo ad teſtificandum in ſcriptis à ſe præſentatos ſubditos ad confeſſiones eſſe idoneos, quo ad ſcientiam.*p.187.d.144.

*Sine noua præſentatione Prælatorum poteſt regularis, qui erat ante profeſſionem confeſſor approbatus ab epiſcopo, audire confeſſiones,& verè tunc eſt confeſſor regularis.*p.188.d.145.

Prælati Regulares poſſunt benedicere illas res quæ ſine vnctione chryſmatis benedicuntur. p.200.d.102.

Prælati Regulares an poſſint benedicere paramenta, & ornamenta pro Eccleſiis externis controuerſum eſt. ibidem.

*Prælati Regulares poſſunt benedicere pixidem ex priuilegio.*p.206.d.158.

Prælati Regulares poſſunt punire Parrochos Regulares delinquentes circa curam animarum. p.210.d.161.

Prælati Regulares etiam poſſunt ex rationabili cauſa parrochos a ſe præſentatos amouere. p.213.d.162.

*A Prælatis Regularibus poſſunt etiam inuito Epiſc. Parrochi Regulares amoueri, & de quibus Parrochis ſit ſermo.*p.214.d.163.

*Prælati Regulares monaſterij, quod annexam habet curam animarum poteſt audire confeſſiones ſine approbatione, & quomodo.*p.229.d.172.

In defectum Prælatorum, an Epiſcopus poſſit punire regulares ſubditos. p.326.d.236.

Dum Prælatus curat reducere ſubditum ad monaſterium fugitiuum non poteſt hic fugitiuus puniri ab Epiſc. p. 336.d.242.

Prælati etiam poſſunt punire regulares delinquentes, &c. p.337. d.241.

Prælatis regularibus debet Epiſcopus aſſignare terminum ad puniendum regularē delinquentem extra, &c. & qui nam terminus eſſe debeat. p.339. d.245.

Prælati regulares poſſunt propria auctoritate ſuos ſubditos captos ab Epiſcopis recuperare. p.341. d.246.

*Depoſitio regulariū facta in iudicio ſine licētia Prælatorū an ualida ſit.*p.382.d.272

Prælati regulares, qui permittunt egredi è monaſterijs moniales exemptas, an poſſint excommunicari ab Epiſc. p.398. d.287.

Prælati regulares ſi indigeant aliqua abſolutione, & diſpenſatione benè poſſunt ſe ſubdere epiſcopo. p.437.d.310.

Prælati regulares tenentur notificare Ordinario expulſionem eiecti. p.445. d.315.

*Prælati regulares poſſunt abſoluere Moniales exēptas a caſibus Papalib.*p.518.d.348.

Priuilegium.

*Priuilegiū ædificandi Monaſterium abſque licentia epiſcopi ſi habeant Regulares, an amittant per nō vſum decennij.*p.12.d.11.

*Priuilegijs reuocatis a Tridentino, nec in foro cōſciētiæ poſsūt vti regulares.*p.81.d.76.

Diſcrimen inter exemptum ex priuilegio, & ex præſcriptione. p.196. d.149.

Regulares, qui abutūtur ſuis priuilegijs, quādo poſsīt puniri ab epiſcop. p.348.d.252.

*Exemptionis priuilegia citati Regulares non tenentur oſtēdere epiſcopo.*p.380.d.271.

*Moniales ſubditæ epiſcopo, & ſub eius cura viuentes adhuc gaudent priuilegijs ſui ordinis, quibus gaudent regulares viri exempti.*p.512.d.344.

Priuilegium, quod habent multæ religiones non ſoluendi decimas communicatur, etiā alijs, quidquid dicant multi in contrarium. p.545. d.365.

Priuilegia regularium, quis debeat interpretari. p.575.d.382.

Proceſſio.

*Parrochus Regularis priuilegiatus,& ex religione, quæ nō ſolet accedere ad proceſſiones nō pōt cogi, vt accedat.*p.231.d.174.

*Subſunt regulares epiſcopo, quo ad proceſſiones, ſed non omnes aliqui enim exempti ſunt, & priuilegiati in hoc.*p.277 d.207.

Ad proceſſiones debent regulares vocari perſona-

ſonaliter,& nõ per edictũ. p.278.d.208.

Quando ob numerum, vel diſtantiam nequeant regulares cogi ab epiſcopo, vt accedant ad proceſſiones. p.279. d.209.

Nec regulares,qui ex conſuetudine non ſolent accedere ad proceſſiones,nec illi,qui ſpontè per aliquot vices accedunt,poſſunt cogi ab epiſcopo, vt accedant. p.279.d.210.

*Extra propias eccleſias an facere poſſint regulares proceſſiones.*p.281.d.212.

*Regulares recollectos, qui ſunt in Prouincijs non recollectis non poteſt epiſcopus cogere, vt ad proceſſiones accedãt.*p.283.d.214.

*Epiſcopus debet præcedere Prælatos regulares in proceſſionibus, quæ fiunt in Monaſterijs.*p.284.d.215.

Controuerſias ortas in proceſſionibus inter regulares decidere ſpectat ad epiſcopum. ibidem. d.216.

Epiſcopus non poteſt excommunicare regulares nolentes accedere ad proceſſiones,habes circa hoc doctas allegationes Romæ factas à doctiſſimis viris. p.285. d.217.

*In eccleſijs regulariũ nõ poteſt epiſcopus cõuocare proceſſiones ipſis inuitis.*p.280.d.211.

Tunc ſolum tenentur regulares accedere ad proceſſiones, quando epiſcopus in eis perſonaliter reperitur. p.295. d.218.

Quomodo epiſcopus ſedare poſſit cõtrouerſias ortas inter regulares in proceſſionib⁹,& de præcedẽtia inter regulares. p.550.d.368.

Profeſſio.

Ad profeſſionem admittere Regularem non pertinet ad Epiſcopum. p.43. d.41.

Reclamante ob profeſſione inualidam non poteſt ſolus Epiſcopus ſine Prælato Regulari audire. p.44.d. 42.

Aliqui dicunt Epiſcopum poſſe ſe ſolo cognoſcere de nullitate profeſſionis emiſſæ ante 16. annum. p.45.eodem dub.

Nec poteſt Epiſcopus ſe ſolo cognoſcere de nullitate profeſſionis ex non præmiſſo nouitiatu in locis deſſignatis. ibidem.

Ob quæ impedimenta debet male profeſſus reclamare. p.46.d. 43.

Ordinarius apud quem debent reclamare male profeſſi Regulare eſt ordinarius loci in quo ſitum eſt monaſterium reclamantis. p.47.d.44.

Impedimenta, quæ irritant profeſſionem nullo modo ſunt perpetua. p.47.d. 43.

Cauſa profeſſionis nullæ poteſt a Regulari proſequi per procuratorem. p.48.d.45.

Prælatus inferior Epiſcopo,etiam nullius diœceſis non poteſt de cauſa nullæ profeſſionis cognoſcere. p.48.d.44.

Reclamans ſi carceretur a Prælatis non poteſt ad Epiſcopum appellare. p.49.d.46.

Cauſam nullitatis profeſſionis infra biennij terminum debet expedire Epiſcopus. ibid.

Profeſſus inualidè ob infirmitatem,etiam poſt quinquenium poteſt coram Epiſcopo ſecundum aliquos reclamare, ſed contrarium dicendum eſt. p.51.d.48.

Profeſſus in ſecunda religione,ſi reclamet pro hac ſecunda profeſſione inualida non debet reclamare coram Epiſcopo. p. 53.d. 49.

Ob profeſſionem inualidam ſubditi non poteſt reclamare Prælatus Regularis,contrarium tamen ſuſtinent aliqui. p.54.d.50.

*Profeſſus reclamans ſi habitum reaſſumat debet audiri ab Ordinario.*p. 55.d.51.

Profeſſio monialis facta ſine præuio examine Epiſcopi eſt valida. p.55.d.53.

*Ad profeſſionem, ſi admittatur nouitia, quæ ſponſalia contraxit, eam ſic admittentes non poſſunt tamen excommunicari ab Epiſcopo.*p.57.d.54.

Profeſſus inualidè,dum reclamat non poteſt ordinari ab Epiſcopo niſi habeat beneficiũ aut patrimonium. p.79.d.74.

Q

Quarta funeralis.

Quænam ſit quarta Epiſcopalis,& quæ quarta Parrochialis. p.536.d.364.

Regulares non tenentur ſoluere quartam Epiſco-

ſco-

Digitized by Google

ſcopalem. ibidem.

Nec quartam Parrochialem. ibidem.

Virtute cuiuſdam priuilegijs, quod habent Regulares non ſoluitur quarta de candelis, quæ ad manus deferuntur. ibid. p. 538.

Non debetur quarta, quando quis ad tempus per modum depoſiti eligit ſepulturam in eccleſiis Regularium. ibidem.

Quarta nec etiam debetur, ſi quis ſepeliatur in aliqua eccleſia contra voluntatem ſuperioris eccleſiæ puta ſi tempore interdicti ſepeliretur in eccleſia Regularium. ibid.

Etiam ſi ex conſuetudine tenerentur Regulares ſoluere quartam, non tamen per hoc tenerentur ſoluere illam in anniuerſario. p. 539. ibidem.

Solum Regulares habent obligationem ſoluēdi quartam de obuenientibus ratione funeris in die funeris. ibidem.

Controuerſum eſt apud doctores, an dum teſtator legat aliquam pecuniam eccleſiæ Parrochiali, tunc debeant Regulares ſoluere quartam. ibidem.

Moniales etiam exemptæ tenentur ſoluere quartam. p. 541. d. eod.

Theatini peculiare habent priuilegium non ſoluendi quartam. p. 537. d. eod.

Epiſcopus non poteſt prohibere hæredibus ne ſoluant legata Regularibus, antequā dent Parroc. quartā canonicā. p. 581. d. 388.

S

Sacramenta.

Non poteſt Epiſcopus procedere in Regulares qui miniſtrant ſacramenta, quæ prohibet miniſtrari Clement. Religioſi *ſine facultate, & cæt.* pag. 159. d. 126. *ex vi dictæ Clement. Regulares eiecti ſi miniſtrent dicta ſacramenta, quæ prohibet Clement citata non incidunt in excommunicationem*. p. 160. d. 127.

Vt Sacramenta miniſtrent Regulares tempore peſtis non poſſunt cogi ab Epiſcopo, & quare. p. 169. d. 136.

Qui Sacramenta miniſtrant ſine licentia Epiſcopi, & ordinarij poſſunt cenſuris affici ab Epiſcopo. p. 396. d. 284.

Pro Sacramento confirmationis poſſunt Regulares accedere ad quemlibet Epiſcopum p. 529. d. 358.

Sacramentalia.

Hæc vox Sacramentalium quid ſignificat. p. 199. d. 152.

Seminarium.

Qui nam Regulares teneantur contribuere pro Seminario. p. 545. d. 366.

Regulares obligati ad contribuendum pro Seminario non teneantur id facere ex emolumentis, prouentibus, & legatis ipſis relictis pro celebratione Miſſ. p. 546. d. eod.

Seminario vniri non poſſunt beneficia Regularia. ibidem.

Regulares, qui taxam Seminario ſoluere recuſant non poſſunt puniri ab Epiſcopo, contrarium docetur a multis. ibidem.

Sepultura.

Epiſcopi prohibere non poſſunt Regularibus, quod vendant ſepulturas. p. 297. d. 219.

Non requiritur licentia Epiſcopi ad hoc, vt Regulares exhument cadauera, & transferant in alium locum p. 298. eod. d.

Quod Epiſcopi poſſint præcipere Regularibus, ne ſepeliant excommunicatos, vſurarios, & c. eſt communis ſententia difficile tamen probatur. ibidem.

Hæredes defunctorum non poſſunt cogi ab Epiſcopo, vt conuocent tantum clericos ad funus. p. 299. eodem dub.

Item nec poſſunt obligari, vt faciant tot officia, & legata apud ſe quot fiunt apud Regulares. p. 300. eodem d.

Etiam ſi Regulares tenerentur ſoluere quartam, non tamen per hoc poſſent cogi ab Epiſcopo ad ſoluendam illā. p. 301. eod. d.

An Regulares teneantur accedere ad Parrochialē eccleſiā, & inde ſe cū Parrocho cōferre domum e qua funus eſt efferendum.

pag.

Digitized by Google

p.302. dub.eod.
Corpora defunctorum ſepelienda in Eccleſijs Regularium prius deferenda ſunt in eccleſiam parrochialem ſecundum aliquos. ibidem. *praxis tamen contrarium docet.* p.541. d.364.
Moniales non poſſunt nec cum licentia Epiſcopi concedere ſepulturam alicui intra clauſuram. p.303. d.219.

T

Teſtamentum, Teſtamentarius.
Non poteſt Epiſcopus punire Regulares teſtamentarios ſi delinquāt in hoc officio eſt cōtra cōmuniorem ſententiā rationibus tamē dictum probatur. p.352. d.254. & pag. 611. d.411.
Regularis teſtamentarius excommunicari nequit ab Epiſcopo. p.402. d.290.

Triremes.
An Regulares damnati ad triremes ſubſint Epiſcopo, & cui Epiſcopo. p.446. d.316.
Cui acquirat Regularis dānatus ad triremes. p.448. eod. d. *Etiam ſi Regularis damnatus ad triremes ſubderetur Epiſcopo nō per hoc poſſet de licētia Epiſ. reponi in triremibus principis ſecularis.* p.447. d.316.

V

Vicarius, Vicarius Epiſcopi.
Vicarius Epiſcopi etiam poteſt dare facultatē ædificandi Monaſteria. p.24. d.21.
Vicarios perpetuos deputare in beneficijs curatis vnitis Monaſterijs an ſpectet ad Epiſcopum. p.234. d.176.
Quando Epiſcopus poteſt abſoluere Regulares, & cum eis diſpenſare controuerſum eſt, an in illis caſibus idē poſſit facere Vicarius Epiſcopi. p.437. d.310.
Vicarius Epiſcopi poteſt eligi in Conſeruatorem Regularium. p.457. d.318.
Religioſus an poſſit eſſe Vicarius Epiſcopi. p.596. d.395.

Viſitatio, Viſitare.
Quomodo debeat Epiſcopus viſitare eccleſias Parrochiales Regularium. p.217. d.165.
Viſitare non poteſt Epiſcopus curatum in eccleſijs regularium, quando Superiores regulares habent iuriſdictionem temporalē in Parrochianos p.219. d.166.
Caſus in quibus Epiſcopus viſitare poteſt monaſteria regularium. p.321. d.232.
Viſitare loca exempta Regularium ex vi Tridentini non ſolum Epiſcopus poteſt, ſed etiam alij prælati, &c. p.222. d.233.
Dum Epiſcopus intendit viſitare Monaſteriū exemptum tenetur oſtendere litteras delegationis. p.324. d.234.
Laicorum Confraternitates ſitas in Eccleſijs regularium, quomodo poſſit viſitare Epiſcopus. p.326. d.235.
Viſitare poteſt Epiſcopus etiam monaſteria Monialium exemptarum ratione clauſuræ. p.509. d.343.
Dum eſt dubiū, an Epiſc. poſſit viſitare Regulares & tūc regulares recuſent, cauſæ deciſio debet fieri a iudice cōpetenti. p.556. d.370. *circa viſitationē alia habes.* ibid.

Votum.
Vouentem religionem poteſt Epiſcopus cogere ingredi ſi ſine cauſa nolit votum adimplere in cōmuniori ſententia, cōtrarium tamen tenendum eſt. p.65. d.61.
Parrochi regulares vouere poſſunt Epiſcopo obedientiam in his, quæ ad curam animarum ſpectant. p.240. d.180.
Quomodo Epiſcopus poſſit irritare vota Regularium. p.432. d.307.
Diſpenſare poſſunt in votis, & ea commutare Regulares, etiam ſi Epiſcopus ſibi referuet talem diſpenſationem, & commutationem. p.433. d.308.
Regulares etiam ſi approbati non ſint ab Epiſcopo poſſunt commutare, & diſpenſare in votis quidquid dicant aliqui. ibid. d.309.

Vſura.
Epiſcopus non poteſt cognoſcere Regulares de vſuris. p.361. d.261.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE